ANAMNESIS SIUE COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM HISPANORUM, ...

Juan m. 1622 Tamayo y Salazar, ...

Digitized by Google

37
18 E
1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MARTYROLOGIVM
HISPANVM.

Digitized by Google

Exurge, et sta in excelso, & vide collectos filios tuos
ab Occidente, in Verbo Sancti, gaudentes Dei memoria.
Baruch. c.5.v.5.
MEMENTOTE PRAEPOSITORVM VESTRORVM QUIVOBIS LOCUTI SUNT VERBVM DEI:
QUORUM INTUENTES EXITUM CONVERSATIONIS; IMITEMINI FIDEM
Ad Hebr. c.13.v.7
Ecce Ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in saphiris, et ponam iaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos lapides desiderabiles. Is. c.54.12
DE FORTI EXIIT DULCEDO.
Iud. c.14.
Notum fecit Salutare suum; Et viderunt TERMINI terræ Salutare Dei Nostri.
Psalm. 97.2.4.
Paravit Dominus brachium sanctum suum in Oculis Gentium, ut viderent FINES terræ Salutare Dei Nri.
Is. c.52.v.10.
ΑΝΑΜΝΗΣΙΣ
Sive
COMMEMORATIO
Omnium Sanctorum Hispan.
Per Dies Anni digesta, et concinnata
ac Notis Apodicticis illustrata,
Ad metodum Martyrologij Rom.
OPERA ET STUDIO
IOANNIS TAMAYO SALAZAR
I.V.C. Ilipensis Presbyteri.
VI. TOM. Diuisa.
Ant. Vande Perre Delin.
Herman Panneels f.
LVGDVNI SVMPT. PHILIPPI BORDE, LAVRENT. ARNAVD, ET CLAVDII RIGAVD, MDC LI.

Digitized by Google

ANAMNESIS
SIVE
COMMEMORATIO
OMNIVM SANCTORVM
HISPANORVM; PONTIFICVM,
MARTYRVM, CONFESSORVM, VIRGINVM,
VIDVARVM, AC SANCTARVM MVLIERVM;

***QVI VEL NATI SVNT IN HISPANIA, ET IN EA,* aut alibi Præsulatus infulas induerunt, Martyrij coronas viriliter perceperunt, seu gloria Confessorum venerantur. Vel aliò nati isthinc, aut Martyrum, Confessorúmve annua veneratione honorificè coluntur. Seu quorum sacra lipsana in ipsa Prouincia feliciter requiescunt.**

Ad ordinem, & methodum

MARTYROLOGII ROMANI
quo vtitur vniuersalis, & Catholica Ecclesia in Sanctorum omnium fastis.

CVM NOTIS APODICTICIS
QVIBVS

NOMEN, ORIGO, PATRIA, MARTYRIVM, Sedes, institutum, & acta vniuscuiusque concinnantur: Elogia, scripta, virtutum insignia, & miracula referuntur: Dies, Mensis, & Annus Victoriæ, transitus, dormitionis, aut translationis explorantur: Vrbium, Oppidorum, Situum, & Cœnobiorum, quibus trophæi arena, agonísque stadium, & requiei tumulus extiterit Topothesia describitur: Antiquitatum, originum, fundationum, inscriptionum, numismatum, signorúmque mnemosynon, & monimenta delineantur. Et omnimodæ Ecclesiasticæ Catholicæque Hispaniæ Historiæ volumina euoluuntur.

TOMIS VI. DISTINCTA.
OPERA, ET STVDIO

LIC. IOANNIS TAMAYO DE SALAZAR PRESBYTERI
Ilipensis Bæturiæ Turdulorum Hispani I. C. & Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. D.
Didaci de Arce Reinoso Episcopi Placentini, à Consiliis D. N. PHILIPPO IV.
Hispaniarum Regi Catholico, & in eius Dominiis, & Regnis
Supremi Fidei Mystarchæ, & Integerrimi Vindicis,
SECRETARII.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, ET DOMINO SVO,

D. DIDACO DE ARCE REYNOSO

Episcopo Placentino, PHILIPPO IV. Regi Catholico à Consiliis; & in omnibus eius Regnis, & Dominiis, Supremo FIDEI Censori.

IOANNES TAMAYO SALAZAR
S. D. C.

SÆPENVMERO *tuam experiri* (SACER FIDEI MYSTES) *adgredior censuram. Ast nunc fidentior ex penu, quia valentior ex dono. Olim Ecclesiæ tuæ* EPITATIVM *Antistitem, te iubente, recensui. Quid muneris? Si illius* ACTA *potior iussio, quàm obsequela dictauit. Heroïcum* AVLI HALI *mei Poëma de* ADVENTV *in Hispanias* IACOBI *tui, pòst, emunctum, politum, & Notis vallatum, sub tui Nominis, & Ominis vmbrâ contectum excripsi, & scripsi. Quid doni? Si tuo Nomini*

† *adhærens,*

adhærens, *vtriusque* IACOBI, *&* DIDACI *tutelam vocum conuersione complicui.* TRIVMPHOS, *Tertius Agonista*, CATHOLICOS, *Regum, & Ducum* MARIÆ *Virginis, & Matris ope perceptos*; TIBI *Chronologicâ enarratione contexui. Quid stipis? Si Te, te; &* TVOS *se* MARIÆ *addictos intueor. Ergo altiora repetenda suadent, & tui Religiosa perceptio, & mei reiterata donatio. En totius Hispanicæ* SANCTITVDINIS *de Sex Voluminibus* TOMI *strena*, PRIMVS *apex*, TIBI *debitus, quia isthac* SANCTORVM *Symbola, nulli, quàm* TIBI *consecranda sunt iustiùs, vel quia tui Nominis etymon recondita mihi mysteria præscribit; vel quia* MEVS. *Vtriusque eruditionem (renuat licet modestia tua) thesis euoluo. Ab* ARCENDO *(quis dubitat?)* ARCES *originem exuxerunt. Varro linguæ Latinæ archetypus adsit. Quid in causa?* Quod is locus munitissimus Vrbis, à quo facillimè possit hostis prohiberi. *En aduersus polemios propugnaculum; aduersus inuidos tutelam. Quare?* Nam ARCES *(dixit Isidorus Noster)* sunt partes Vrbium excelsæ, atque munitæ, ideò ab ARCENDO hostes, ARCES vocitantur. *Quis non si* TVORVM *(quorum caput es, & dominus) stemmatis circumscriptum lemma percurrit, de* TE *loquutum Hispalensem Præsulem profiteatur? De* TE *inquam qui* ARCIS *munimine, & munitione præcinctus*, FIDEI *hostes*

——————Tu solus ab altâ

ARCE tonas.——————

Ast non hic apex. Testem ad profundius aduoco Sacramentum Festum, *qui huius Nominis naturam perpendens.* ARCEM *(dixit)* editum in Ciuitate, & munitiorem ad Ciuium SALVTEM locum. *Quis hac credat? Te* ARCIS *vocabulo insignitum est Grammaticus intuitus; cùm Te Ciuium* SALVTEM *perpetim* ARCIS *ænigmate nominauit. Ex quo* SALVS? *Quia* FIDEI *Arx, quia Religionis Custos qui supremæ* LEGIS *Mystes. Nam cùm*

SALVS populi, SVPREMA Lex sit,

Qualis SVPREMA *nisi Fidei* LEX, *in qua Orbis* SALVS? *Quis* SVPREMVS *nisi* TV *Religionis* CENSOR, *per quem* FIDES *illibata diffunditur? Ergo si in* ARCE, *Orbis* FIDES, *& populi* SALVS, *in* TE ARCE *fidelium tabula, mysticâ significatione* SALVABITVR.

Sed nec hìc meta. Altius abs Cicerone *mysterium depromo; qui* ARCES, *&* ARAS *æquali calculo designauit. Vt quid?* Quia sanctimoniam quandam ARCES habere creduntur, quòd in his omnium SALVS esset posita, DIIQVE VRBIVM CVSTODES, IBI POTISSIMVM COLERENTVR. *En in* ARCE, *Vrbium Dij repositi; in* ARCE, *Sacri Ciuitatum* CVSTODES *culti. Ergo in* ARCE *Sanctorum Nostrorum* NOMINA *Tutelarium meritò conlocamus. Abhinc Tullij sensum Ethnicorum, & Christianorum exemplis illustratum inuenio, apud quos* SACRATAS

passim

passim ARCES, *& supremis epithetis recensitas contueberis. Quare? Quia* DIVORVM *aut Templa, aut* ARÆ, *quia* SANCTORVM *Pantheon. Maronem Palladionis simulachrum à Teucris, religiosâ consuetudine collocatum, ausculta:*

Et monstrum infelix SACRATA sistimus ARCE.

Corippum ædificia à Iustiniano SANCTIS *erecta, breui epilogo recensentem:*

—Quantas SACRATAS construxeris ARCES
Diuorum:——————————

Seneca COELOS, *prout Sedes Deorum*, ARCES *appellauit* SACRATAS: *Ouidius strictim, & compendioso vocabulo* ÆTHERIAS:

Ipse quoque ÆTHERIAS *meritis inuectus in* ARCES.

Et alibi. Quid si addamus ARCES *Mineruæ* SCIENTIARVM *parenti dicatas, ex Aristide? Nonne in te* ARCE *doctrinæ flumen, sapientiæ fulmen? Hinc merito de* TE *dictum, qaòd rarus, aut nullus sit, cui meditaturo par assistat dispositio per causas, positio per literas, compositio per syllabas. Ergo si hæc, cur non* TIBI, *qui in* ARCIS *nomine munimen, in* ARCIS *Symbolo salutem, & in* ARCIS *etymo Aram, & Palladis Musæum inuoluis, iustius quàm alteri, mei clientelam, operis incolumitatem, & vocis opem exposcam?*

IDENTIDEM *Tibi debitus, quia* MEVS, *immò, &* TVVS: *Nam si* SOL, *&* HOMO *generant hominem, &* TVVS, *&* MEVS *opportunâ, & veraci confessione prædicitur.* TVVS *quia* (SOLIS *vice) tuâ influxione compactus, tuâ aspiratione confotus, lucis radios exhaurire non metuit.* MEVS *quia (Hominis voce) propriâ compositione nutritus, meâque emunctione limatus,* SOLIS *tui splendore subtectus, seculi perperam contremiscet errores.* TVVS *ergo quia in Domo tua conceptus, ad Lares tuos natus, ad tuam alitus Mensam, vt quid non* TVVS? *Ergo qui* TVVS, *adstet in circuitu Mensæ tuæ, pendeat ex lateribus* ARCIS *tuæ: sicque palmes ex vite, & vitâ tanti Præsulis, & Apostolorum Successoris, excrescet in ramos, concrescet in fructus, quousque totum Orbis ambitum feraci filiationis pinguedine circumcingat. Denique* TVVS *est, quia si quos isthac Nostra suxit fructices eruditio, ex fertili tuæ insignis Bibliothecæ agro, & diuite comparauit. Si hæc ita: Cur Iure* AGRARII *vectigalis*, MEVS *isthic* PRIMVS *fructus,* TVVS *dicendus est non? En mi Domine*

MEA nunc peruenit ad ARCES
Supplex MVSA tuas:

MEOS *suscipe ex tuo labores adnatu, vt* TVOS *patrocinio,* MEOS *ministerio Dentati liuor agnoscat, quo ambigens, quâ* TVI *formidabili* MEOS *trepidatione dimittet, quâ* MEI, *quia* TVI *verecundo pudore ignoscet vtrique.*

Adsis ô bonus, & fausto me me accipe lætus
Numine, dira mihi CVSTOS mala longius ARCE

Quo

Quo illi, & cæteris ME, & MEA *placidâ fronte contuendi præbebis exemplum, & ad* DEI OPT. MAX. *(cuius cauſam tueris) exemplar humilitatis meæ baſim, non ex opere trutinandam ſed tanquam ex corde dilapſam gratâ propenſione perpendes.*

HIC *Virtutum expandere tuarum velum, & in me conlatas acceſsiones ſubiicere, & vſus inueterata ſtimulabant exempla, & ocularis meæ expetebat teſtificationis obſequium. Vtrique ſilentium impono. Nam quâ nobilioris ſermonis purpurâ veſtiam Virtutem, quæ nullam deſiderat alieni calami trabeam? Quis neſcit ibi eſſe honoris præmia, vbi merita ſunt Virtutis? Illa licèt ſuſtuleris, ipſa tamen* VIRTVS

pretium ſibi, ſoláque latè
Fortunâ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſúque petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſſibus, ex altâ mortalia deſpicit ARCE.

Nec Beneficiorum in me tuorum vllam memoriam dabo. Quia dum cumulata munificentia vincit ſtilum, magnitudinem obtumeſcens pagina profiteatur.

VALE LITERATORVM DECVS, ET MEI HONOS.

Madriti ipſis Kalend. Ianuarij pretioſo D. N. JESV CHRISTI ſanguine purpuratis Anno eius Natiuitatis M. DC. L.

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine,

Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ,
Addictiſſimus Seruus

LIC. IOANNES TAMAYO SALAZAR.

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

Inspicere tanquam in speculum VITAS *Omnium*
Iubeo, atque ex aliis sumere EXEMPLVM *sibi:* *Terent. in Adelph.*

DIXIT doctus Afer Comicus: Ex eo nimirum, quia ex ACTIS illustrium Virorum, passim Nostris sensibus ad eruditionem imbuitur aliquid, quo ad similia, strenuâ imitatione, peragenda moueamur. Hoc calcar Æneas admouebat Ascanio, cùm pueruli spiritum erigebat exemplis, dirigebat actionibus:

Disce Puer Virtutem ex me, verúmque laborem. *Virgil. lib. 12.*

Quando sui, & Maiorum opera recitabat, & ad similes actus exercendos Iuuenis animum acuebat viriliter:

Et Pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Hoc Alexandrum impulit Magnum, ad tot tantáque facta feliciter exequenda; nam Homericâ commotus Iliade, quam semper præ manibus habebat, in æmulatione prolapsus, vix Orbis vnius Imperium tanto pectori satis erat. Persas, Græcos, Romanos, & cæteros Vniuersi Principes quæ induxere, Insignium Virorum gesta literis mandare communibus; nisi isthæc imitationis strenuitas? Lacedæmonibus quæ in causa fuêre Illustrium suæ Reip. Ciuium, quâ bello, quâ pace famatorum Imagines ad viuum depictas, & publicè expositas commonstrare conciuibus; nisi vt posteritati omnium essent incitamenta virtutum? Sed absint prophana: Sacra, & Ecclesiastica conuoco. Quis non videt Mathathiam infirmitate oppressum, ad mortis ostium clamantem, & tamen, vt ad futura filios inuitaret certamina, Maiorum suorum facinora, compendiosâ enarratione, proponens: *Mementote* (aiebat) *Operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Indeab Abraham, vsque ad Danielem, breui periodo, Patriarcharum ACTA compaginat. Quis non intuetur solertiam PAVLI Gentium, & Nostri Prædicatoris, & Apostoli, quâ Hispanis, & omnibus fidelibus isthæc suadens: *Mementote* (dicebat) *Præpositorum Vestrorum, qui Vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitemini fidem.* Quæ verba de IACOBO Nostro, Vnico, & Maximo Tutelari dixisse Paulum, Theodoretus contendit. In Ecclesia, vt quid B. CLEMENS I. Pont. Max. per Vrbis regiones Notarios distribuit, qui SANCTORVM Martyrum ACTA solicite colligerent, nisi vt postmodum fidelibus exponeret futuris, vt ab omnibus lectitata ab illis imitanda consurgerent? Ad quid S. ANTHERVS Papa eadem ACTA diligenter collecta, & veraciter coaceruata, in Ecclesiasticis redacta Tabulis, legenda proposuit, nisi vt pugiles agonum exemplo horrores extinguerent, & in cordibus Tyronum constantiam,

1. Mach. 2. *Ad Hebr. 13. v. 17.*

 Veterani

Veterani æmulatione, diffunderent? Quo denique fine B. FABIANVS Summus Antistes, Diaconos constituit, qui ex Notariorum schedis res SANCTORVM gestas, breui compendio conscriberent: nisi vt Populis recensitæ spiritum Catholicorum, ad eadem sustinenda, tantis propositis erigerent exemplaribus?

HINC Magnus ille CONSTANTINVS Imperator Eusebio Cæsariensis Ecclesiæ Episcopo commisit, vt omnia, & singula Sanctorum ACTA synopticâ relatione, digereret, cuius ecphrasis Martyrologij vices suo tenuit æuo, quod postmodum B. Ieronymus poliuit, & auxit. Hinc Menæa, Menologia, Triodia, Horologia, & Agiologia apud Græcos, instante Catholico THEODOSIO Nostro, connata sunt. Post hæc (quæ vniuersalia erant) Primus inter Occiduos L. FL. DEXTER Vir Clarissimus Hispanorum memorias Sanctorum inter sui Chronici delibata compendia miscuit. Cuius forte imitatione protractus sequentibus seculis CAROLVS Magnus VSVARDO Monacho Benedictino negotium dedit vt Gallicanorum, & Germanorum Martyrum, & Confessorum agones, & obitus ad instar Antiqui describeret Martyrologij. HINC denique SANCTORVM suorum vniuscuiusque, totius Orbis Christiani, Prouinciæ Nomina in Tabulis per dies Anni digesta Ecclesiasticis conscribendi consuetudo sumpsit exordium. Primus *Ioannes Molanus* Actuarium Belgicum excusit, quod postmodum *Arnoldus de Raysse* perauxit. Post *Antonius Sanderus*, qui titulo Agiologij, Sanctos Flandricos publicauit. *Aubertus Myreus* Brabantiæ fastos edixit. *Philippus Ferrarius* Italiæ Diuorum digessit Catalogum; *Andreas Saussayus* totius Gallici circuli martyrologicâ dispositione contexuit: *Ioannes Colganus* Hiberniæ, & Scotiæ recensuit; *Matthæus Raderus* descripsit Bauaros, *Syluanus Razzius* Etruscos, *Petrus Merssæus* Germanos, *Nicolaus Harspfeldius* Anglos, *Octauius Caietanus* Siculos, *Michael Monachus* Capuanos, & alij innumeri qui de Prouinciarum, & vrbium singularum Diuis opuscula peruulgarunt. Ex Monachis, & Regularibus Arnoldus Vvion, & Hugo Menardus *Benedictinos*, Chrysostomus Enrriquez, & Ioannes Pigne Vvart *Cistercienses*, Leander Albertus *Dominicanos*, Artur, à Monasterio, & Franciscus de Sosa *Minoridas*, Ioannes Chrysostomus Vander Sterre *Præmonstratenses*, Georgius Migretius *Augustinianos*, & Franciscus Lanouius *Minimos*.

Ad Calched. & Geront. Abbates. Epist. 37.

Contra Faust. lib. 20. c. 21.

OMNIA isthæc qui non ad IMITATIONEM credet producta, ad EXEMPLVM fateatur elaborata, maximè si Cassiodori verba dicentis: *Vitas Patrum Vestrorum, & passiones* Martyrum *legite, vt sancta* IMITATIO *vos prouocans, ad cœlestia Regna perducat*, ruminauerit? Quis non propter memoriæ celebrationem SVORVM conscripta cognoscet, si B. Cypriani sententiam suadentis: DIES *Vestrorum Sanctorum, quibus exciderunt annotate, vt* COMMEMORATIONES *eorum inter* MEMORIAS *Martyrum celebrare possitis*, digesserit? Quis non denique ad merenda suffragia CONCIVIVM compacta contendat, si S. Augustini suasionem clamantis: *Nostrorum memorias concelebremus religiosâ solemnitate* Martyrum, *pióque calamo percurramus, & ad excitandam* IMITATIONEM, *& vt* MERITIS *eorum consociemur, &* ORATIONIBVS *adiuuemur*, agnouerit? Si ergo propter hæc tria isthæc Martyrologiorum strues in Ecclesiis contexta est, optimè B. Gregorius Magnus gloriatur propter adeptum Codicem huiusmodi, præscribens Eulogio Episcopo Alexandrino: *Nos* (inquit) *penè omnium* Martyrum, *distinctis per* DIES *singulos passionibus, collecta in vno Codice* NOMINA *habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus.* Cuius tanti Præsulis exemplum, sic vniuersos rapuit Antistites, vt postmodum illius auctographi copias extraxerit vnusquisque, ad similia, piâ imitatione, faciendi. Hinc prodiere Bedæ Venerabilis, Rabani Mauri, B. Notkeri, Adonis Viennensis, Vvaldemberti (quod nuperrimè Hermanus à Vvœstænredor ampliauit) Flori, Petri de Natalibus, Alexandri de Peregrinis, Maurolici, Cabilonensis, Bellini, Constantij Felicis, Hermetis Cleri, Dionysij Vasquez, Patrum Societatis IESV, & aliorum Martyrologia: Baptistæ Mantuani, Bachotij, Obricij, Sfortiæ, & aliorum carmine fasti: Philippi Ferratij Generalis Catalogus, & Topographia: P. Antonij Belinghen, Georgij Colueneri j, & Societatis Marianæ Monacensis Kalendaria: Eliæ Reusner. Ferreoli Locrij, & Augustini Vvighmans Diaria.

AST

Ast cùm isthæc Martyrologiorum, & similium Codicum compendia, tantum ad cognitionem Dierum festiuitatum Sanctorum, aut pro celebritate ex Cypriano, aut propter deprecationem ex Augustino, & Gregorio prodessent, qui in Codice illo: Quis, qualiter fuerit passus (vt inquit S. Pontifex) non indicabatur, sed tantummodo locus, & dies passionis ponebatur; ex quo facinora sub silentio occlusa, nullum ad Imitationem vestigium relinquebant, inuenta sunt separatim Legendaria, siue vt aliis Sanctoralia (sic dicta, quia Sanctorum Acta continebant, quæ quotidie in Basilicis legebantur) Flores Sanctorum, Agiologia, & alia diuersis nominibus inusta, in quibus Res Sanctorum gestæ, aut lato, aut decurtato calamo exprimebantur. Hinc Simeonis Metaphrastes, Bonini Mombritij Collectiones; Aloysi Lippomani, Laurentij Surij, Mosandri, Bellouacensis, Antonini, Haræi, Lypoolæi, Grassis, Viccelij, Guillelmi Gazabi, Matthæi Raderij Acta, & Synopses: Ex Nostris Vega, Æmyliani, Lucij, Truxillo, Sanctoro, Cayrasco, Marieta, Maldonado, Villegas, & Ribadeneyra Flores Sanctorum: Ex Italis Rota, Fiamma, Razzio, Gallonio & aliorum Legendaria prosiliere; quorum omnium P. Ioannes Bollandus Belga dispersa colligens volumina XXIV. Tomis comprehensa iam diu in totius Christianæ Reipublicæ bonum feliciter meditatur; è quibus Dvos iam iam luculento labore publicos fecit.

Tantorvm ergo præcedentium monimentis insistens, ne quid Hispaniæ meæ (quæ sine controuersia Primogenita in Fide ex Occidentalibus Prouinciis extitit: Quæ puros inde Religionis latices per totius Orbis circulos Præsulum prædicatione diffudit: Quæ Sanctorum Martyrum sanguine purpurata, vndique illorum lipsanis scatens Orbis, & Vrbis sacrata Templa ditauit) huius recordationis, seu imitationis, vel potius deprecationis deesset, licèt viribus impar, B. Ennodij aculeo suffultus: *Sapè* (inquiens) *pro eorum meritis, quibus se mancipauerit oratio, dicenda tribuuntur, maximè si merâ affectione laudando militet narraturus. Tunc verborum abundantiam transmittit affectio; tunc amor suggerit, quod negat ingenium. Facessat ergo formido venerando inimica proposito; fugitiua gloriæ est mens subiecta terrori, clamante Apostolo:* Perfecta charitas foras mittit timorem: *hoc est dicere, & indicio certo monstrare, quia non diligit, qui pauescit. Sine culpa vincitur oneris immensitate, qui ad portandam sarcinam*, etsi impar, *tamen deuotus occurrit*; Hispanicvm Martyrologium meditatus, VI. Tomis distributum publicæ luci tradere sum aggressus. *Orat. 1.* *1. Ioan. 4.*

En mi Lector, Tomi I. Anamnesis strena, quâ Ianvarii & Febrvarii Mensium Sanctorum Nostrorum festiuitates perleges; donec qvinqve superstitibus (Deo concedente) fruaris. Opus sanè Laboriosum, Placidum, Vtile, & Nouum. Laboriosvm, quâ existentiam, & originem, dies, & annos Diuorum probare inter tot rudera antiquitatum felici comprehensione assecutus. Placidvm, quâ latentia, & hucusque confusa, & inuersa Ecclesiasticæ eruditionis monimenta, euolutis Historiæ Vniuersalis voluminibus, recensentur, explanantur, & collocantur. Vtile, quâ verum à falso, certum à dubio, planum ab implicato facili meditatione perpenditur. Sed quid Novi, dices, affero; cùm hanc viam P. F. Thomas Truxillo, P. F. Ioannes Marieta, D. Laurentius de Padilla, & alij ante me fuerunt ingressi? Sustine, Lector, paulisper nigrum calculum. Scio ingressos. sed an refecto penu, locuplete sarcinâ, & pede recto illam vsquequaque peragrarint, iudicent illi, quorum propria cognitio hæc, & censura. Ego nihil definio, quoniam didici turpe esse, præsertim neotherico, arreptâ virgulâ censoriâ, Arbitri honorarij induere personam; lubénsque, eapropter, iudicium meum in iudicium mitto, atque iis subiicio, qui potiores isthæc præ me cernere, & diiudicare. Hoc solùm dico, ingredi & me cum venia hoc iter, & licet multa illi habeant, non tamen omnia. Illorum in manus omnium versantur. En Nostra damus: conferat Criticus, & Nova cognoscet.

Horvm multa, quæ non nouit præfatorum solertia addidimus, quæ pro tui gratiâ, & mei obsequio breui recenseam, quo ad amussim inter mea, & Illorum opera discrepantiam comperies. Illi, qui omnes fuere Castellani, Aragonensium, Gotholanorum, & Lusitanorum Numina ferè omnia, quia communibus contenti Diuis, specialia vniuscuiusque Ecclesiæ Sanctorum Nomina, & Pignorum Depositiones sacrorum

culpabiliter

culpabiliter omisere. Item alia, quæ postmodum aut inuenta, aut inuecta noscuntur, & S.R.E. Canonicatione nouiter Ecclesiasticis inseruntur in Tabulis. Nec quos Flauius Dexter, M. Maximus, Heleca, Luitprandus, Iulianus, Aulus Halus, & alij editi, & MS. Scriptores recenter reperti, in suis Chronicis, Aduersariis, & Poëmatibus HISPANIÆ Diuos indigetant, compaginare potuere. Denique quia post illos (qui illius sæculi rubiginem præseferunt) creuit eruditio sacra Nostratibus; post illos Ecclesiasticus stylus, quem fera bellorum alluuies discerpserat, innodatus, luculentos, vt olim, fructus Nostris cœpit accolis parturire. Hinc prodiere de SANCTIS vniuscuiusque Prouinciæ selecta, & infinita volumina, quæ insimul collecta, non inuenustam, aut modicam efficiunt Bibliothecam. Antonius Vincentius Domenec edidit *Gotholanos*; Ioannes Mathias Stephanus, & Vincentius Blasco de Lanuza *Aragonenses*; Gaspar Scolanus, F. Franciscus Diago, & Solorzano *Valentinos*; Andreas Resendius, D. Rodericus de Acuña, Antonius Vasconcelos, Georgius Cardoso, & F. Ludouicus ab Angelis *Lusitanos*; P. Martinus de Roa, *Cordubenses, Malacitanos, Astigitanos*, & *Astenses*; D. Franciscus Cascales, & P. Vargas *Carthaginenses*; Licent. Molina, D. Gregorius Lobariñas Feyxoò, & R.P.F. Philippus de la Gandara *Gallæcos*; D. Prudentius de Sandoual *Tudenses*, & *Pampilonenses*; Athanasius de Lobera *Legionenses*; D. Petrus de Azpeleta Aingo *Asturicenses*; P. Antonius Quintana-Dueñas, D. Paulus de Spinosa, Rodericus Caro, & mordicus D. Martinus de Anaya *Hispalenses*; Barnabas Moreno de Vargas, & D. Thomas Tamayo de Vargas *Emeritenses*; D. Franciscus Bermudez de Pedraza, & R.P.F. Petrus à S. Cæcilio *Granatenses*; Marchio Astapensis *Accitanos*; D. Franciscus Rus-Puerta, P. Franciscus de Vilches *Giennenses*, & *Baecenses*; F. Ioannes Baptista de Arellano *Carmonenses*; R. P. F. Antonius Tamayo, Bernardus de Alderete, P. Bernardinus Villegas, P. F. Franciscus Biuar, D. D. Antonius Calderon *Vrgabonenses*; P F. Alphonsus Fernandez, & Nos *Placentinos*; Pons Icart *Tarraconenses*; P. F. Didacus Morillo *Cæsaraugustanos*; D. Didacus de Aynsa Yriart *Oscenses*; D Didacus Portocarrero Ercauicenses; D. Ieronymus Quintano, & M. Ægidius Gonzalez Dauila *Madridenses*; D. D. Didacus Castejon *Carpetanos*, & *Toletanos*; D. Didacus Colmenares *Secouienses*; Ioannes Martyr Rizo *Conchenses*; D. Franciscus de Sandoual *Palentinos*; Balthasar Porreño *Seguntinos*; D. Ioannes Solano adhuc in prælo habet *Metellinenses*; & denique M. Ægidius Gonzalez Regius Chronographus; in suis Ecclesiarum vtriusque Castellæ Theatris Compostellanos, Seguntinos, Giennenses, Carthaginenses, Legionenses, Conchenses, Secouienses, & Pintianos. In II. Tomo, Hispalenses, Palentinos, Abulenses, Zamorenses, Caurienses, Calagurritanos, & Placentinos. In III. Tomo, Burgenses, Ouetenses, Salmanticenses, Lucenses, Tudenses, Aurienses, Mindonienses, & Accitanos.

De Religionum Diuis præter Trithemium, Vvionem, Menardum, Myræum, Gonzagam, Vvadingum, Tosinianum, Sedulium, Pennotum, Lanouium, Pagium, Sterre, & alios ex Nostris de *Benedictinis* P. F. Antonius de Yepes; de *Cistereiensibus* D. Angelus Manrrique Episcopus Pacensis, & Chrysostomus Enrriquez; de *Præmonstratensibus* P. Elias à S. Theresia; de *Dominicanis* P P. Castillo, Maluenda, Diago, & Didacus del Rosario; de *Franciscanis* PP. Ioannetinus Niño, & Ioannes à S. Iosepho; de *Augustinianis* R.P.F. Thom. de Herrera, de *Mercenariis* PP. Vargas, & Remon; de *Minimis* P Montaluo; de *Carmelitis* P. Lezana, & R.P.F. Ieronymus à S. Iosepho; de *Clericis Societatis* IESV P. Ribadeneyra, & R.P Ioannes de Nieremberg, & sic de aliis institutis. Omitto speciales libellos, quibus Acta singularium Diuorum referuntur, quorum Catalogum longum erit recensere. Ast quia eorum volumina, nec à Nostris Antiquis Scriptoribus visa, nec à præsentibus facilè inuenta, & esto, quod reperta, sumptuum impensis intolerabilia, nec posteris facilè inuenienda, ideò hisce *Sex Tomis* vniuersorum labores redegi, ACTA Sanctorum Nostrorum origine, agone, depositione, aut officio dispersa collegi; Illa elogiis, hymnis, & probationibus ditaui, vt HISPANIS meis, & omnibus Christi ascetis selectum ad IMITATIONEM commendarem EXEMPLAR, politam ad RECORDATIONEM demonstrarem ANAMNESIN & efficacem ad IMPETRATIONEM consignarem elenchum. O vtinam in bonum omen!

POST tantum denique tot reuolutione librorum prouentum, tot Ecclesiasticarum

Historiarum

Historiarum annotatione discursum, etiam ex Bibliothecis Hispaniæ selecta MSS. collegi, Breuiaria peruetusta reuisi, Legendaria Gothica defrugaui, & penè innumera occulta monumenta, quæ inter pulueris, & carici sordes iacebant, patefeci; vt tot auxiliis suffultus Noster hic labor tibi dulcedinem delectationis inter pabula sanctitudinis commisceat. CATALOGOS, siue Dipthicas Præsulum vniuscuiusquè Cathedralis Ecclesiæ (exceptis Gotholaniæ, & Portugalliæ, quos bellorum fœdâ pertinaciâ, Rebellium turbo impetrare prohibuit) suis in locis descriptas inuenies. RELIQVIARVM Sanctorum celebriora Sacraria subiecta miraberis; & alia innumera, quæ ad eruditionem sacram, & profanam illustrandam passim ad manus venere, cognosces. VRBIVM, Oppidorum, & Cœnobiorum, quibus Martyrum palæstræ, & Confessorum transitus euenere topothesias calculari indagatione edisces, ita vt inposterum, de eorum situ, & antiquitate subdubites. ACCIPE igitur affectum, quo pro Sanctis meis hæc scribere compellor, nec vana amplector, sed sacra. Superflua scribere iactantiæ est, necessaria reticere contemptus. Ergo iustâ interpellatione protractus, ista omittere culpa erit, maximè quod Deo, & Sanctis eius pensum offerre solicitudinis, grati animi esse sciam, perpetuis sæculis duraturum: Nam *Occasum* (inquit Ennodius) *Deo oblata non sentiunt, nec ad vetustatem tremulam, pietate fulta mittuntur.* Orat. 9. Vnum mi LECTOR te admonere ex Decreto S. D. N. VRBANI PP. VIII. de Anno M. DC. XXV. compellor, *Illustrium Virorum, quos hoc Tomo, & sequentibus recensui, aut deinceps recensendi sunt, gesta, virtutes, dona, miracula, eam fidem habere dumtaxat, quæ ex Historia peti debet, aut traditione, non autem eam quæ in approbatione Ecclesiæ requisita est ad publicum cultum, præter eos, quibus aliàs ex Sedis Apostolicæ speciali indulto, aut longissimi temporis scientiâ, ac tolerantiâ eiusdem, vel Ordinariorum id contigerit. Et si quando appellationem Sancti, aut Beati, aut Martyris, aut huiusmodi subiunxerim, nequaquam in stricta, & propria acceptione, & fundata in approbatione Canonica, & Ecclesiastica, sed iuxta vulgarem notionem, quâ Seruis Dei, & Piis Viris, ratione instituti, & arctioris vitæ, aut studij rerum cælestium, etiam in carne viuentibus solet accommodari; ac proinde hinc omne periculum, & argumentum transgressionis submoueatur. Me, Meaque omnia correctioni S. Matris Ecclesiæ ex corde subiicio.* VALE ET FRVERE.

D. PETRI

culpabiliter omisere. Item alia, quæ postmodum aut inuenta, aut inuecta noscuntur, & S.R.E. Canonicatione nouiter Ecclesiasticis inseruntur in Tabulis. Nec quos Flauius Dexter, M.Maximus, Heleca, Luitprandus, Iulianus, Aulus Halus, & alij editi, & MS. Scriptores recenter reperti, in suis Chronicis, Aduersariis, & Poëmatibus HISPANIÆ Diuos indigetant, compaginare potuere. Denique quia post illos (qui illius sæculi rubiginem præseferunt) creuit eruditio sacra Nostratibus; post illos Ecclesiasticus stylus, quem fera bellorum alluuies discerpserat, innodatus, luculentos, vt olim, fructus Nostris cœpit accolis parturire. Hinc prodiere de SANCTIS vniuscuiusque Prouinciæ selecta, & infinita volumina, quæ insimul collecta, non inuenustam, aut modicam efficiunt Bibliothecam. Antonius Vincentius Domenec edidit *Gotholinos*; Ioannes Mathias Stephanus, & Vincentius Blasco de Lanuza *Aragonenses*; Gaspar Scolanus, F.Franciscus Diago, & Solorzano *Valentinos*; Andreas Resendius, D.Rodericus de Acuña, Antonius Vasconcelos, Georgius Cardoso, & F.Ludouicus ab Angelis *Lusitanos*; P.Martinus de Roa, *Cordubenses, Malacitanos, Astigitanos, & Astenses*; D.Franciscus Cascales, & P. Vargas *Carthaginenses*; Licent. Molina, D.Gregorius Lobariñas Feyxoò, & R.P.F.Philippus de la Gandara *Gallæcos*; D.Prudentius de Sandoual *Tudenses, & Pampilonenses*; Athanasius de Lobera *Legionenses*; D.Petrus de Azpeleta Aingo *Asturicenses*; P. Antonius Quintana-Dueñas, D.Paulus de Spinosa, Rodericus Caro, & mordicus D. Martinus de Anaya *Hispalenses*; Barnabas Moreno de Vargas, & D.Thomas Tamayo de Vargas *Emeritenses*; D.Franciscus Bermudez de Pedraza, & R.P.F.Petrus à S Cæcilio *Granatenses*; Marchio Astapensis *Accitanos*; D.Franciscus Rus-Puerta, P.Franciscus de Vilches *Giennenses, & Baecenses*; F.Ioannes Baptista de Arellano *Carmonenses*; R. P. F. Antonius Tamayo, Bernardus de Alderete, P.Bernardinus Villegas, P. F. Franciscus Biuar, D.D.Antonius Calderon *Vrgabonenses*; P F.Alphonsus Fernandez, & Nos *Placentinos*; Pons Icart *Tarraconenses*; P. F. Didacus Morillo *Cæsaraugustanos*; D. Didacus de Aynsa Yriart *Oscenses*; D Didacus Portocarrero Ercauicenses; D. Ieronymus Quintano, & M. Ægidius Gonzalez Dauila *Madridenses*; D. D. Didacus Castejon *Carpetanos, & Toletanos*; D.Didacus Colmenares *Secouienses*; Ioannes Martyr Rizo *Conchenses*; D.Franciscus de Sandoual *Palentinos*; Balthasar Porreño *Seguntinos*; D. Ioannes Solano adhuc in prælo habet *Metellinenses*; & denique M. Ægidius Gonzalez Regius Chronographus; in suis Ecclesiarum vtriusque Castellæ Theatris Compostellanos, Seguntinos, Giennenses, Carthaginenses, Legionenses, Conchenses, Secouienses, & Pintianos. In II. Tomo, Hispalenses, Palentinos, Abulenses, Zamorenses, Caurienses, Calagurritanos, & Placentinos. In III. Tomo, Burgenses, Ouetenses, Salmanticenses, Lucenses, Tudenses, Aurienses, Mindonienses, & Accitanos.

De Religionum Diuis præter Trithemium, Vvionem, Menardum, Myræum, Gonzagam, Vvadingum, Tosinianum, Sedulium, Pennotum, Lanouium, Pagium, Sterre, & alios ex Nostris de *Benedictinis* P. F. Antonius de Yepes; de *Cisterciensibus* D.Angelus Manrrique Episcopus Pacensis, & Chrysostomus Enrriquez; de *Præmonstratensibus* P. Elias à S.Theresia; de *Dominicanis* P P. Castillo, Maluenda, Diago, & Didacus del Rosario; de *Franciscanis* PP. Ioannetinus Niño, & Ioannes à S. Iosepho; de *Augustinianis* R.P.F.Thom. de Herrera, de *Mercenariis* PP. Vargas, & Remon; de *Minimis* P Montaluo; de *Carmelitis* P. Lezana, & R.P.F.Ieronymus à S. Iosepho; de *Clericis Societatis* IESV P.Ribadeneyra, & R.P Ioannes de Nieremberg, & sic de aliis institutis. Omitto speciales libellos, quibus Acta singularium Diuorum referuntur, quorum Catalogum longum erit recensere. Ast quia eorum volumina, nec à Nostris Antiquis Scriptoribus visa, nec à præsentibus facilè inuenta, & esto, quod reperta, sumptuum impensis intolerabilia, nec posteris facilè inuenienda, ideò hisce *Sex Tomis* vniuersorum labores redegi, ACTA Sanctorum Nostrorum origine, agone, depositione, aut officio dispersa collegi; Illa elogiis, hymnis, & probationibus ditaui, vt HISPANIS meis, & omnibus Christi ascetis selectum ad IMITATIONEM commendarem EXEMPLAR, politam ad RECORDATIONEM demonstrarem ANAMNESIN & efficacem ad IMPETRATIONEM consignarem elenchum. O vtinam in bonum omen!

POST tantum denique tot reuolutione librorum prouentum, tot Ecclesiasticarum Historiarum

Historiarum annotatione discursum, etiam ex Bibliothecis Hispaniæ selecta MSS. collegi, Breuiaria peruetusta reuisi, Legendaria Gothica defrugaui, & penè innumera occulta monumenta, quæ inter pulueris, & cariei sordes iacebant, patefeci; vt tot auxiliis suffultus Noster hic labor tibi dulcedinem delectationis inter pabula sanctitudinis commisceat. CATALOGOS, siue Dipthicas Præsulum vniuscuiusquè Cathedralis Ecclesiæ (exceptis Gotholaniæ, & Portugalliæ, quos bellorum fœdâ pertinaciâ, Rebellium turbo impetrare prohibuit) suis in locis descriptas inuenies. RELIQVIARVM Sanctorum celebriora Sacraria subiecta miraberis; & alia innumera, quæ ad eruditionem sacram, & profanam illustrandam passim ad manus venere, cognosces. VRBIVM, Oppidorum, & Cœnobiorum, quibus Martyrum palæstræ, & Confessorum transitus euenere topothesias calculari indagatione edisces, ita vt inposterum, de eorum situ, & antiquitate subdubites. ACCIPE igitur affectum, quo pro Sanctis meis hæc scribere compellor, nec vana amplector, sed sacra. Superflua scribere iactantiæ est, necessaria reticere contemptus. Ergo iustâ interpellatione protractus, ista omittere culpa erit, maximè quod Deo, & Sanctis eius pensum offerre solicitudinis, grati animi esse sciam, perpetuis sæculis duraturum: Nam *Occasum* (inquit Ennodius) *Deo oblata non sentiunt, nec ad vetustatem tremulam, pietate fulta mittuntur.* Orat. 9. Vnum mi LECTOR te admonere ex Decreto S. D. N. VRBANI PP. VIII. de Anno M. DC. XXV. compellor, *Illustrium Virorum, quos hoc Tomo, & sequentibus recensui, aut deinceps recensendi sunt, gesta, virtutes, dona, miracula, eam fidem habere dumtaxat, quæ ex Historia peti debet, aut traditione, non autem eam quæ in approbatione Ecclesiæ requisita est ad publicum cultum, præter eos, quibus aliàs ex Sedis Apostolicæ speciali indulto, aut longissimi temporis scientiâ, ac tolerantiâ eiusdem, vel Ordinariorum id contigerit. Et si quando appellationem Sancti, aut Beati, aut Martyris, aut huiusmodi subiunxerim, nequaquam in stricta, & propria acceptione, & fundata in approbatione Canonica, & Ecclesiastica, sed iuxta vulgarem notionem, quâ Seruis Dei, & Piis Viris, ratione instituti, & arctioris vitæ, aut studij rerum cælestium, etiam in carne viuentibus solet accommodari; ac proinde hinc omne periculum, & argumentum transgressionis submoueatur. Me, Meaque omnia correctioni S. Matris Ecclesiæ ex corde subiicio.* VALE ET FRVERE.

D. PETRI

D. PETRI DELLERENA BRACAMONTII Spinetani,

PROTREPTICON, IOANNI TAMAYO SALAZAR AMICO SVO

Dum quæ
Inuictissimi in apotheosim relati HISPANI gessere, pertulere:
augurato (nec ab vllo antehac) congesta, concinnata;
in LVCEM emittit.

ABDITA, SALAZAR, monumenta nigrantibus vndis
(Viribus aqua tuis, TAMAIE, reponis in æuum)
Præripis, inque ausum, fato obnitente, Quiritum
Cælicolum, terris iterum memoranda recludis.
Corpora felici radiant truncata ruinâ.
Spiritus Empyreo felix spatiatur Olympo.
Obstruxit tenebrosa decus fulgore coruscum
Æmula virtutum, sceleri pretiosa vetustas.
BELLA *(tui similis) Regina exhausta* MARIÆ
Auspiciis TAMAIE *tonas, laudúmque suarum*
Scriptor, Olympiaca exuperas Conuexa volatu.
CVLTA *Notis quondam, non iam vulgaribus,* HALLVS
Facunda ingenium stimulante poëmata Clio,
Condidit, infensa occuluere silentia Vatem;
Auspice TAMAIO, *fato meliore reuiuit,*
Miratus veterem posuisse elementa rigorem.
SED *quâ flumineis fastosa Placentia campos*
Vndantes despectat aquis, generosus ouantes
Cælicolas inter, cantu præstantior, ACTA
Vsque absorpta æuo, reuocas ab origine primâ:

Debentúrque

Debentúrque tuæ, primordia lubrica, curæ
Vera; Palatino non inficianda Tonanti.
QVANTO *Romulei maduerunt sanguine campi!*
Pars quota Terrarum sacro fraudata cruore est?
Quot vincla experti, impauidi subiere secures,
Testatique Viros, Fidei incrementa Quirites
Prauia sectati vestigia clara Magistri,
Transmisere nouis Victricia Nomina Seclis!
Angli, Germani, Galli, Latiúmque furentum
Imperia expediere Ducum, patientia Christi
Membra, prophanatas sacris cultoribus Aras.
Imbre genæ vndantes, mœstóque obducta rubore
Ora, catenatos voluunt sub pectore quæstus.
Quæ dira exanimes vitæ potioris Olympum
Sortitos, tanta absorptos caligo fatigat?
HESPERIÆ *præluſtre solum (Terra agnita fœtu*
Cælicolum, fuso quondam sat pingue cruore
Natorum, impatiens fraudatum laude trophæi
Rupit in hæc: TAMAIE, *meæ si tangeris vllo*
Laudis amore, meos reuoca post funera Natos:
Fata renascentes spectent, mirentur ouantes.
Hinc Iuuenes, illhinc sugentes vbera puppas.
Ne calamo, ingenióque potens, absiste sagaci.
Barbara, subductis euoluere saxa sepulchris.
Alta cauernoso rimari hyppogæa meatu.
Templorúmque adyta, & spelæa rigentia musco.
Scripta reposta Patrum, venerandáque scrinia, cura
Solerti, relegens, moneo, circumspice prudens.
Attonitus tantâ mentem solabere merce.
Hinc niueos, illhinc rubeos decerpere flores,
Læta quies animos adiget, lectósque maniplis
Congere, luce nouâ, radiabunt sydera mundo.
Non desperatâ voluens, age mente triumphos
Indigetum, felix auidum circumsonet Orbem
Vox tua; Natorum repetens rata gesta meorum.
Confuge facundam studij florentis ad ARCEM.
Non te Cecropiæ spernendum in secula curæ
Traducent, quem Dia Themis, quem docta perennat
Pagina, & Archilochi rabidos despectat Iambos.
Annuis, & voto blanditur cura Parentis.
Impiger excerptos latè vernantibus hortis

Insertas flores, quos lato Hispania felix
Ubere, testatos fidei incrementa refudit;
Candidáque Empyrea rutilant noua lumina in arce.
Quo poteras satius nomen protendere seclis?
Quo monumenta modo salebrosis abdita syluis
Prodere? Et emerita victricia tempora lauru
Vincere? Arce sacrâ subsidere? Tutius arces
Facundâ scandis pradocta è Pallados arce
Æthereas, iugi studio; quas concipis alta
Mente: leui liquidum transcendens aëra pennâ.
Quam tibi Romulidum gratata palatia plaudunt!
Laudibus acta tuis pramittit Gallia palmas.
Te tanto assertore cluent Hispana trophaa;
Sparsáque diducti mirantur climata mundi.
Æacidem docti ferula Chironis Achillem
Euersa excultum stupuerunt Pergama Troia;
Imbibit ardentes animos, catus imbibit artem.
Heu quantum teneris instillant moribus artes,
Informántque animos clari documenta Magistri!
Cultus ab ARCE *suos hausisti pectore mores.*
Æacide Troiam euertit, TAMAIE *recludis*
Barbara, qua quondam obstruxit monumenta vetustas.
Ingenium, geminis auctoribus, Ilion ardet.
Prodiga luce tua Hesperia se facta Quiritum
Conspicienda oculis, mentique hasura refundunt.
Impiger exhaustos faustâ studiosus ab arce
Reddis inoffenso virtutum fœnore mores.
Redde diù, indefessus honor, nil laudis egentem;
Optantémque nihil, solio virtutis adactum,
Et nomen seclis protendet fama superbum.
Orbita Phabeos tulerit dum flammea currus,
Semper honos, Noménque tuum, laudésque manebunt.

SANCTORVM

SANCTORVM NOMINA QVORVM ACTA EXPRIMVNTVR IN MENSE IANVARIO,

ALPHABETICE.

A.

ACVRSIVS M. die 16. pag. 168
Adelelmus Monachus 30. p. 352
Adelhardus Genesius. 2. p. 30
Adiutus Martyr. 16. p. 168
Agathangelus Monachus. 23. p. 244
Agentus Martyr. 11. p. 123
Agnetis Translatio. 21. p. 201
Alphonsus Episcopus. 26. p. 303
Ananias Martyr. 27. p. 309
Anastasius Martyr. 23. p. 244
Arcadius Martyr 12. p. 130
Arthuagus Monachus 1. p. 12
Asurius Episcopus. 26. p. 303
Auitus Presbyter. 3. p. 55
Augurius Martyr. 21. p. 200

B.

BAbylas Episcopus. 24. p. 271
Badulphus Presbyter. 2. p. 30
Berardus Martyr. 16. p. 168
Bonifacius Episcopus. 8. p. 103
Bonitus Episcopus. 15. p. 154

C.

CÆsaraugustani MM. XL. 9. p. 106
Candida Vidua. 27. p. 309
Circumcisio Domini. 1. p. 11
Clarus Diaconus. 14. p. 148
Clerus Diaconus. 14. p. 148
Concordius Presbyter. 1. p. 11

D.

DAphrosa Martyr. 4. p. 60
Datiuus Martyr. 27. p. 309
Dedicatio Ecclesiæ Carthag. 24. p. 271
Descensio B. MARIÆ V. 24. p. 271
Dominicus Sarracenus. 31. p. 362

E.

ELesmes Eleemosynarius. 30. p. 352
Emerus Abbas. 27. p. 309
Epiphania Domini 6. p. 70
Ertinodus Monachus. 9. p. 105
Eulogius Martyr. 21. p. 200
Eulogij Episcopi Translatio. 9. p. 106
Euphrasius Episcopus. 14. p. 148

F.

FElix Martyr. 7. p. 97
Felix Modica, Virgo. 20. p. 196
Festum Exaltationis Fidei. 2. p. 30
Festum Nouem Sororum. 18. p. 183
Festum Descensionis B. V. 24 p. 271
Firmini Episcopi Translatio. 10. 13. p. 110
Flamidianus Martyr. 5. p. 67
Fortunatus Martyr. 7. p. 95
Fortunatus Martyr. 17. p. 178
Froalingus Episcopus. 26. p. 303
Fructuosus Episcopus. 21. p. 200
Fulgentius Ruspensis. 1. p. 11
Fulgentius Carthaginensis. 8. 15. p. 103. 153

G.

GEnulphus Episcopus. 17. p. 178
Germana Virgo, & Martyr. 19. p. 193
Gonsaluus Episcopus. 26. p. 303
Gumesindus Martyr. 13. p. 140
Gundisaluus de Amarante. 10. p. 109

H.

HIlarius Episcopus. 13. p. 140
Hispanus Martyr. 19. p. 193
Honoratus Episcopus. 16. p. 168

I.

IAnuarius Martyr. 7. p. 95
Ildephonsus Episcopus. 23. p. 244
Inuentius Martyr. 22. p. 220
Iocundus Martyr. 9. p. 106
Isidorus Episcopus 2. p. 29
Iulianus Episcopus. 7. p. 95
Iulianus Martyr. 27. p. 309
Iulianus Episcopus. 28. p. 321

L.

LEocritæ Translatio. 9. p. 106
Luarius Presbyter. 9. p. 105
Luciolus Martyr. 17. p. 178

M.

MAcra Martyr. 6. p. 70
Malcalinus Abbas. 21. p. 201

Marcellus Papa. 16. p.168
Martinus Saurensis. 31. p.362
Martyres XL. Cæsaraugustani.9. p.106
Maurus Abbas. 14. p.148
Melas Diaconus. 16. p.168

N.

NAzarius Monachus. 12. p.130

O.

ORontius Martyr. 22. p.220
Otho Martyr. 16. p.168

P.

PElagius Episcopus. 26. p.303
Petrus Vrseolis. 11. p.123
Petrus Martyr. 16. p.168
Petrus Episcopus. 26. p.303
Petrus Martyr. 27. p.309
Petrus Nolasco. 29. p.340

R.

RAymundus Peñafort. 6. 7. p.70.& 95
Redigundis Monialis. 29. p.337
Reliquiæ Vlysipponenses. 25. p.284

S.

SAbinus Martyr. 25. p.284
Saluius Episcopus 11. p.123
Sebastianus Martyr. 20. p.196
Septimius Martyr. 7. p.95
Seruus Dei Martyr. 13. p.140
Sisnandus Episcopus. 26. p.303
Spiridion Episcopus. 2. p.29
Sulpicius Episcopus. 8. p.103.178

T.

TAio Episcopus. 29. p.337
Theodosius Episcopus. 27. p.309
Theogenes Martyr. 26. p.303
Thyestes Episcopus. 3. p.55
Titus Episcopus. 4. p.60
Translatio S. Raymundi. 7. p.95
Translatio SS. Eulogij,& Leocritiæ. 9. p.106
Translatio S. Firmini. 10.13. p.110.140
Translatio S. Enneconis. 18. p.183
Translatio S. Agnetis. 21. p.201
Translatio Reliquiarum Vlysippon. 25. p.284
Translatio S. Valerij Episcopi. 28. p.321
Tyrsus Martyr. 28. p.320

V.

VAlerius Episcopus. 10. 28. p.109.321
Valerius Treuirensis. 29. p.337
Victor Martyr. 22. p.220
Victorianus Abbas. 12. p.130
Vimarasius Episcopus. 26. p.303
Vincentius Leuita. 22. p.220
Vincentius Martyr. 27. p.309
Vincentius Martyr. 22. p.220
Vitalianus Martyr. 27. p.309
Viuentius Presbyter. 13. p.140
Vlysipponenses Reliquiæ. 25. p.284
Volusianus Episcopus. 18. p.183
Vvilulphus Episcopus. 26. p.303

MENSE FEBRVARIO.

A.

ÆTHERIVS Episcopus. 25. p.247.
Adaucus Martyr. 7. p.70
Amandus Episcopus. 6. p.53
Ammonius Martyr. 14. p.119
Anacirardus Monachus. 4. p.41
Antonij Translatio. 15. p.132
Ascanius Episcopus. 21. p.198

B.

BEatus Presbyter. 19. p.179
Blasius Episcopus. 3. p.36

C.

CÆcilius Episcopus. 1. p.11
Cæcilius Sedulius. 20. 24. p.239
Calamanda Virgo, & M. 5. p.46
Calocerus Episcopus. 11. p.95
Camillus Martyr. 15. p.132
Claudia Luparia 22. p.203
Celsi Episcopi Translatio. 23. p.218
Cornelius Centurio. 2. p.17

D.

DAmianus Martyr. 12. p.102
Didacus Episcopus. 6. p.53
Dionysius Martyr. 14. p.119
Donatus Martyr. 17. p.146

E.

ELisabetha Virgo. 23. p.238
Eucherius Episcopus. 20. p.189
Eugenij Translatio. 12. p.102
Eulalia Barcinonensis. 12. p.102
Eusebius Camaldulensis. 10. p. 87
Eutropius Episcopus. 17. p.146

F.

FElicianus Martyr. 2. p.17
Felicula Virgo, & M. 14. p.119
Felix Martyr 26. p.262
Felix Martyr. 3. p.36
Felix Martyr. 26. p.262
Festum Purificationis. 2. p.17
Festum fugæ in Ægyptum. 25. p.273
Florentinus Confessor. 23. p.217

Fortunatus

Fortunatus Martyr. 26. p.262
Fortunatus Martyr. 26. ibid.
Franciscus Blanco Martyr. 5. p.46
Franciscus à S. Michaële Martyr. 5. p.46

G.

Gabinus Presbyter. 19. p.179
Gonsaluus Garsia. 5. p.46
Guillelmus Eremita. 10. p.87

H.

Helladius Episcopus. 18. p.152
Hyppolitus Martyr. 3. p.36

I.

Irena Virgo. 21. p.197
Iulianus Martyr. 12. p.102
Iustus Martyr. 28. p.287

L.

Leander Episcopus. 27. p.273
Lucius Serenus Martyr. 23. p.217
Luparia Vidua. 22. p.203

M.

Macharius Martyr. 28. p.287
Martha Virgo, & M. 23. p.217
Martinus Episcopus. 5. p.46
Martinus ab Ascensione. 5. p.46
Martinus Canonicus. 11. p.95
Modestus Martyr. 12. p.102
Montanus Episcopus. 23. p.217

N.

Nebridius Episcopus 9. p.82
Niuardus Abbas. 7. p.70

O.

Onesimus Episcopus. 16. p.137
Ordonius Episcopus. 23. p.218

P.

Paula Barbata Virgo. 20. p.189
Paulus Episcopus. 8. p.77
Petrus Baptista Martyr. 5. p.46
Philippus à Iesu Martyr. 5. p.46
Polycætus Martyr. 13. p.113
Polycarpus Episcopus. 1. p.11
Purificationis festiuitas. 2. p.17

Q.

Quintus Serenus. 16. p.137

R.

Reuocata Virgo, & Martyr. 6. p.53
Reuocata Martyr. 6. p.53
Romanus Abbas. 28. p.287
Romulus Martyr. 17. p.146
Ruffinus Martyr. 27. p.287

S.

Saturninus Martyr. 6. p.53
Saturninus Martyr. 6. p.53
Sebastianus Miles M. 8. p.77
Secundinus Martyr. 17. p.146
Serenianus Episcopus. 1. p.11
Serenus Quintus. 16. p.137
Serenus Lucius. 23. p.217
Sergius Monachus. 24. p.239
Sothera Virgo, & M. 10. p.87
Stephanus Abbas. 13. p.113
Symphrosius Martyr. 3. p.36

T.

Tecla Monialis. 22. p.204
Theophilus Martyr. 6. p.53
Theophilus Martyr. 6. p.53
Theophilus Martyr. 28. p.287
Theotonius Canonicus. 18. p.152
Torquatus Felix. 24. p.239
Translatio brachij S. Eugenij. 12. p.102
Translatio S. Antonij. 15. p.132
Translatio S. Celsi. 23. p.218

V.

Valentinus Episcopus. 14. p.119
Valentinus Martyr. 14. p.119
Valerius Abbas. 25. p.247
Valerius Episcopus. 29. p.337
Victor Martyr. 14. p.119
Victor Arcilacensis. 26. p.262
Vitalis Martyr. 14. p.119

Z.

Zeno Martyr. 14. p.119

INDEX COROGRAPHICVS SANCTORVM
huius Tomi Primi.

ABVLA.

Sancta Paula Barbata. 20. Febr. p.189

ACCIS.

S. Claudia Luparia Senatrix. 22. Febr. p.203

AMARANTVM.

S. Gundisaluus de Amaranto. 10. Ianuar. p.109

ARCILACIS.

S. Victor Martyr. 26. Febr. p.262

ARGENTEOLA.

SS. Saturninus, Theophilus, & Reuocata MM. 6. Febr. p.53

ASTIGIS.

S. Fulgentius Episcopus, & Confessor. 8. Ian. p.103

ASTVRICA.

S. Martha V. & M. 23. Febr. p.217

S. Ordonius Episcopus. 23. Febr. ibid.

BARCINO.

S. Raymundus de Peñafort. 6. Ian. p.70

Eius Translatio Officij. 27. Ian. p.95

S. Theodosius Episcopus. 27. Ian. p.309

S. Petrus Nolasco. 29. Ian. p.340.

S. Eulalia V. & M. 12. Febr. p.102

BETVLO.

S. Sergius Monachus M. 24. Febr. p.239

BISOLDVNVM.

S. Concordius Presbyter, & M. 1. Ian. p.11

BRACARA.

S. Martinus Sauriensis Presbyter. 31. Ian. p.362

S. Polycarpus Episcopus 1. Febr. p.11

S. Serenianus Episcopus. 1. Febr. ibid.

BVRGIS.

S. Redigundis Monialis Præmonstrat. 29. Ian. p.337

S. Adelelmus Monachus. 30. Ian. p.350

CÆSARAVGVSTA.

S. Isidorus Episcopus & M. 2. Ian. p.29

SS. Quadraginta Martyres. 9. Ian. p.106

S. Valerius Episcopus & M. 10. Ian. p.109

S. Victorianus Abbas. 12. Ian. p.130

Translatio S. Valerij 28. Ian. p.321

S. Taio Episcopus. 29. Ianu. p.337

S. Polycœtus M. 13. Febr. p.113

CALLAFVM.

S. Calamanda V. & M. 5. Febr. p.46

CANARIA.

S. Auitus Presbyter, 3. Ianuarij. p.55

CARAVIS.

S. Policœtus M. & Presbyter. 13. Febr. p.113

CARPETANIA.

S. Titus cognomento Iustus. 4. Ian. p.60

S. Onesimus Discipulus Pauli. 16. Febr. p.137

CARTHAGO NOVA.

S. Adelhardus Genesius. 2. Ianuar. p.30

S. Thyestes Episcopus. 3. Ianuar. p.55

S. Fulgentius Episcopus. 8. Ianuar. p.103

S. Clerus Diaconus, M. 14. Ian. p.148

Dedicatio Ecclesiæ. 24. Ianuar. p.271

SS. Hyppolitus Episcopus, Felix, & Symphronius 3. Febr. p.36

SS. Modestus, & Iulianus MM. 12. Febr. p.102

CASTELLVM.

S. Amandus Episcopus Castellonensis. 6. Febr. p.53

CAVRIA.

S. Bonifacius Episcopus. 8. Ianuar. p.103

CENTVM-FONTES.

S. Blasius Episcop. & Martyr. 3. Febr. p.36

COENOBIA.

Spinæ apud Pintiam: S. Niuardus. 7. Febr. p.70

S. Michaëlis apud Venetos: S. Eusebius. 10. Febr. p.87

Ratense apud Braccaros: S. Stephanus. 13. Febr. p.113

Serrateixense Cathaloniæ: S. Victor. 14. Febr. p.119

Collarense Castellæ. S. Antigonus. 27. Febr. p.273

COMPOSTELLA.

SS. Darius, Iulianus, Vincentius, & Socij. 27. Ian. p.309

CONCORDIA.

SS. Donatus, Secundinus, & Socij. 17. Febr. p.146

CONCHA.

S. Iulianus Episcopus. 28. Ian. p.321

S. Elesmes eleemosynarius. 30. Ianuar. p.352

CONCHA CAMPORVM

S. Tecla Monialis. 22. Febr. p.204

CONIMBRIA.

SS. Berardus, Otho, & socij MM. 16. Ian. p.168

S. Theothonius Prior. 18. Febr. p.152

CORDVBA.

SS. Gomesindus, & Seruus Dei MM. 13. Ian. p.140

S. Dominicus Sarracenus, & socij MM. 31. Ian. p.362

DIANIVM.

SS. Luciollus, Fortunatus & socij 17. Ianuar. p.178

DVMIVM.

S. Martinus Episcopus 5. Febr. p.46

EGARA.

S. Nebridius Episcopus. 9. Febr. p.82

EMERITA.

S. Macra V. & M. 6. Ianuar. p.70

FRIGIA.

SS. Audaucus, & socij MM. 7. Febr. p.70

GALLÆCIA.

Festiuitas S. Quiteriæ, & Sororum. 18. Ian. p.183

GERVNDA.

S. Genulphus Episcopus Cadurcens. 17. Ian. p.178

S. Iuuentus, & socij. 22. Ian. p.220

SS. Emerus Abbas, & Candida. 27. Ian. p.309

GRANATA.

Festum Triumphi Fidei. 2. Ianuar. p.30

S. Cœcilius Episcopus & M. 1. Febr. p.11

HELENA.

HELENA.
S.Flammidianus Monachus.5.Ian. p.67
S.Nazarius Monachus.12.Ian. p.130
S.Hilarius Episcopus.13.Ian. p.140
S.Marcellus Papa & M.16.Ian. p.168
S.Sulpitius cognomento Pius.17.Ian. p.178
HERACLEA.
SS.Felix Episcopus,Fortunatus & Socij.7.Ian. p.97
HISPALIS.
S.Daphrosa Martyr.4.Ianuar. p.60
S.Felix Modica V.& M.20.Ian. p.196
S.Florentius.23.Febr. p.217
S.Leander Episcopus.27.Febr. p.273
SS.Macharius,Iustus,& Socij. 28.Febr. p.287
HISPANIA.
SS.Agentus & alij Socij MM.11.Ian. p.123
S.Hispanus M.19.Ian. p.193
S.Sebastianus M 20.Ian. p.196
S.Irena Virgo.21.Febr. p.197
S.Calocerus.11.Febr. p.95
S.Eusebius Camaldulensis.10.Febr. p.87
HYPPO.
SS.Babylas Episcopus,& Socij MM.24.Ian. p.271
SS.Theogenes & Socij MM.26.Ian. p.303
IACCA.
S.Paulus Episcopus.8.Febr. p.77
ILERDA.
S.Anastasius,& Socij MM.23.Ian. p.244
ILIBERIS.
S.Cœcilius Episcopus & Socij MM.1.Febr. p.11
Festum Triumphi Fidei.2.Ian. p.30
ILICE.
S.Agathangelus M.23.Ian. p.244
ILITVRGIS.
S.Cletus Diaconus M.14.Ian. p.148
IRIAFLAVIA.
S.Luparia Regula.22.Febr. p.203
ITALICA.
S.Cornelius Centurio.2.Febr. p.17
S.Sebastianus Miles M 8.Febr. p.77
IVLIOBRIGA.
SS.Ananias,Petrus,& Socij MM.27.Ian. p.309
LEGIO.
S.Martinus Canonicus.11.Febr. p.95
S.Beatus Presbyter.19.Febr. p.179
MADRIDIVM.
S.Iocundus M.9.Ianuarij. p.166
S.Sabinus M.25.Ian. p.284
S.Vitalianus M.27.Ian. p.309
S.Valerius Episcopus.29.Ian. p.337
S.Guillelmus Eremita.10 Febr. p.87
Festum fugæ Christi in Ægyptum.26.Febr. p.261
NANGASACHIVM.
S.Petrus Baptista,& Socij MM.5.Febr. p.46
NERTOBRIGA.
S.Eutropius Episcopus.17.Febr. p.146
ORETVM.
S.Spiridion Episcopus.2.Ian. p.29
S.Cœcilius Sedulius Episcop.24.Febr. p.239
ORICHIVM.
S.Romanus Abbas 28.Febr. p.287
OVETVM.
Translatio SS Eulogij, & Leocritiæ.9.Ian. p.106
PALEMO.
S.Sothera V.& M.10.Febr. p.87
PAMPILONA.
Translatio S.Firmini Episcopi.10.Ian. p.110
S.Babylas Episcopus.24.Ian. p.271
PATAVIVM.
Translatio S.Antonij.15.Febr. p.132
PAX AVGVSTA.
S.Maurus Abbas.14.Ian. p.148
SS.Vincentius,Orontius,& Socij.22.Ian. p.220
PERPINIANVM.
S.Honoratus Episcopus.16 Ian. p.168
PLACENTIA.
S.Fulgentius Episcopus.15.Ian. p.153
S.Felicianus Martyr.2.Febr. p.17
PONS-FERRATVS.
S.Valerivs Abbas.25.Febr. p.247
RAVENNAS.
S.Calocerus Episcopus.11.Febr. p.95
RHODA.
SS.Dionysius,& Ammonius.14.Febr. p.119
RVBRICATA.
S.Saluius Episcopus.11.Ianuar. p.123
S.Valentinus Episcopus.14.Febr. p.119
RVSCINO.
B.Petrus Vrseolis.11.Ianuar. p.123
SALMANTICA.
S.Damianus Martyr.12.Febr. p.102
SAMO.
S.Quintus Serenus M.16.Febr. p.137
S.Gabinus Presbyt.M.19.Febr. p.179
SARCIMVM.
S.Eucherius Episcopus.20.Febr. p.189
SCALABIS.
S.Anacirardus Eremita.4.Febr. p.41
SEXI-FIRMVM.
S L.Serenus Monachus M.23.Febr. p.217
SOCVELLAMOS.
S.Valentinus Martyr.14 Febr. p.119
TARRACO.
S.Badulphus Presbyter.2.Ian. p.30
SS. Fructuosus Episcopus, Augurius, & Eulogius Martyres Diaconi.21.Ianuar. p.200
S.Ascanius Episcopus 21.Februar. p.198
TOLETVM.
S.Fulgentius Ruspensis Episcop.1.Ian. p.11
S.Erthinodus Monachus.9.Ian. p.105
S.Bonitus Episcopus.15.Ian. p.154
S.Melas Diaconus Tolet.16.Ian. p.168
S.Malçalinus Abbas.21.Ianuar. p.201
S.Ildephonsus Episcopus.23.Ian. p.244
Festum Descensionis B V.M.24.Ian. p.271
Translatio S.Valerij Ep.& M.28.Ian. p.321
Translatio Brachij S.Eugenij Ep.12.Febr. p.102
S.Vitalis Archipresbyter Tolet.M.14.Febr. p.119
S.Helladius Episcopus.18.Febr. p.152
S.Montanus Episcopus.23.Febr. p.217
S.Torquatus Felix Episcopus.24.Febr. p.239
VALENTIA.
S.Luarius Presbyter.9.Ian. p.105
S.Vincentius Leuita.22.Ian. p.220
VIANNA.
SS.Theophilus,Saturninus,& Reuocata.6.Febr.p.53
VIMARANVM.
S.Torquatus Felix Episcopus Braccar.34.Febr.p.239
VLYSIPPO.
Festum Translationis Reliquiarum.25.Ian. p.284
VRSAO.
S.Arcadius Martyr.12.Ianuar. p.130
VXAMA.
B.Didacus Episcopus.6.Februar. p.53
B.Ætherius Episcopus.25.Febr. p.247
S.Fortunatus,& Felix,cum Soc.MM.26.Febr. p.261

INDEX SANCTORVM,

ET FESTORVM QVÆ IN MENSE IANVARIO continentur, per dierum cursum.

I. CIRCVMCISIO Domini. p.11
S. Fulgentius Ruspensis Episcopus. ibid.
S.Concordius Presbyter. ibid.
B.Arthuagus Monachus. ibid.
II. S.Spiridion Episcopus Oretanus. p.29
S.Isidorus Episc. Cæsaraugustanus. ibid.
S.Adelhardus Genesius Abbas. ibid.
S.Badulphus Presbyter. ibid.
Festum Exaltationis Fidei. ibid.
III. S.Auitus Presbyter. p.55
S.Thyestes Episcopus. ibid.
IV. S.Titus cognomento Iustus. p.60
S.Daphrosa Martyr. ibid.
V. S.Flamidianus Monachus. p.67
VI. Epiphania Domini. p.70
S.Macra Emeritensis V.M. ibid.
S.Raymundus Pennafort. ibid.
VII. S.Iulianus Episcopus. p.95
SS.Felix Ep.Ianuarius,& socij MM. ibid.
Translatio festiuitatis S.Raymundi. ibid.
VIII. S.Fulgentius Episc.Carthagin. p.103
B.Bonifacius Ep. Cauriens. ibid.
IX. S.Luarius Presbyter. p.105
B.Erthinodus Monachus. ibid.
S.Iocundus Martyr. ibid.
Translatio SS.Eulogij & Leocritiæ MM. ibid.
SS.Quadraginta MM. Cæsaraug. ibid.
X. S.Valerius Ep.Cæsaraug. p.109
S.Gundisaluus de Amarantho. ibid.
Translatio S.Firmini Episcopi. ibid.
XI. SS.Agentus,& Socij MM. p.123
S.Saluius Episcopus. ibid.
B.Petrus de Vrseolis. ibid.
XII. S.Arcadius Vrsaonensis M. p.130
S.Nazarius Monachus. ibid.
S.Victorianus Abbas. ibid.
XIII. S.Viuentius Presbyter. p.140
S.Hilarius Episcopus. ibid.
SS. Gumesindus, & Seruus-Dei MM. ibid.
Translatio S.Firmini Episc. ibid.
XIV. S.Euphrasius Discip.S.Iacobi. p.148
S.Clarus Diaconus. ibid.
S.Clerus Diaconus. ibid.
S.Maurus Abbas. ibid.
XV. S.Fulgentius Episc.Carthag. p.153
S.Bonitus Episcopus Tolet. ibid.
XVI. S.Marcellus Papa,& Martyr. p.168
S.Melas Diaconus Toletanus. ibid.
S.Honoratus Episcopus. ibid.
SS.Berardus & Socij MM. ibid.
XVII. SS.Luciolus,& Socij MM. p.178
S.Genulphus Episcopus. ibid.
S.Sulpicius cognomento Pius. ibid.
XVIII. Festiuitas SS. Quiteriæ, & Sororum VV.& MM. p.183
S.Volusianus Episcopus. ibid.
Translatio S.Eneconis Abbatis. ibid.
XIX. S.Germana V.& M. p.193
S.Hispanus M. ibid.
XX. S.Sebastianus M. p.196
S.Felix Modica V.& M. ibid.
XXI. SS Fructuosus,& Socij MM. p.209
Translatio S Agnetis V.& M. ibid.
S.Malcalinus Abbas. ibid.
XXII. S.Vincentius Leuita M. 220.
SS.Vincentius,& Socij MM. ibid.
SS.Inuentus & Socij MM. ibid.
XXIII. S.Illephonsus Episcopus. p.244
S.Agathangelus M. ibid.
SS.Anastasius & Socij MM. ibid.
XXIV. Festum Descensionis B.V.M. p.271
S.Babylas Episcopus. ibid.
Dedicatio S.E Carthaginensis. ibid.
XXV. Translatio Reliquiarum Vlyssiponensium. p.284
S.Sabinus Martyr Romanus. ibid.
XXVI. SS.Theogenes,& Socij MM. p.303
SS.Ansurius,& Socij Episcopi. ibid.
XXVII. S.Theodosius Episcopus. p.309
SS.Datiuus & Socij MM. ibid.
SS.Ananias & Socij MM. ibid.
SS.Emerius,& Candida. ibid.
S.Vitalianus M. Romanus. ibid.
XXVIII. S.Tyrsus Martyr. p.320
Translatio S.Valerij Ep. p.321
S.Iulianus Ep.Conchens. ibid.
XXIX. S.Valerius Ep. Treuirens. p.337
B.Taio Ep.Cæsaraug. ibid.
B.Radegundis Monialis. ibid.
S.Petrus Nolasco Patriarcha. ibid.
XXX. S.Adelelmus Abbas. p.352
B.Elesmes Confessor. ibid.
XXXI. SS. Dominicus Sarraceno, & Socij MM. p.362
B.Martinus Sauriensis Presbyter. p.362

INDEX

INDEX SANCTORVM MENSIS FEBRVARII.

I. SANCTVS Cæcilius Illiberritanus Episcopus. p.11
S. Polycarpus Braccarensis Episcopus. ibid.
S. Serenianus Braccarensis Episcopus. ibid.
II. Festum Purificationis V.Mariæ. p.17
S. Cornelius Centurio Italicus. ibid.
S. Felicianus Martyr. Placentiæ. ibid.
III. SS.Hyppolitus Episcopus,Felix,& Symphronius Martyres Carthaginenses. p.36
S.Blasius Episcopus Oretanus M. ibid.
IV. S.Anacirardus Eremita,Scalabitanus. p.41
V. S.Calamanda V.& M.Callasi. p.46
S.Martinus Episcopus Dumiensis. ibid.
SS.Petrus Baptista, Martinus ab Ascensione. ibid.
Franciscus Blanco, Philippus à Iesu, ibid.
Gonsaluus Garsia,Franciscus à S.Michaële & XVII.Socij apud Iappones. ibid.
VI. SS. Theophilus , Saturninus , & Reuocata Virgo Martyres Vianenses. p.53
SS. Theophilus , Saturninus , & Reuocata Martyres Argenteolenses. ibid.
S.Amandus Episcopus Castellanensis. ibid.
S.Didacus Episcopus Vxamensis. ibid.
VII. SS.Adaucus,& Socij Frigienses. p.70
S.Niuardus Abbas,Spinensis. ibid.
VIII. S.Paulus Episcopus Iaccensis. p.77
S.Sebastianus Miles Italicus M. ibid.
IX. S.Nebridius Episcopus Egarensis. p.82
X. S.Sothera V.& M.Palemonensis. p.87
S.Guillelmus Eremita Madridij. ibid.
S.Eusebius Camaldulensis,Hispanus. ibid.
XI. S.Calocerus Episcopus Rauennas. p.95
S.Martinus Canonicus Legionensis. ibid.
XII. S.Eulalia V.& M.Barcinonensis. p.112
SS.Modestus,& Iulianus MM.Carthag. ibid.
S.Damianus M.Salmanticæ. ibid.
Translatio brachij S.Eugenij,Tol. ibid.
XIII. S.Polycœtus Martyr Carauiensis. p.113
S.Stephanus Abbas Ratensis. ibid.
XIV. S.Valentinus Episcopus M.Rubricatæ. p.119
S.Vitalis Archipresbyter Toletan. ibid.
SS.Zeno,& Felicula MM.Cathaloniæ. ibid.
S.Victor Martyr in Serrateix.Cathal. ibid.
SS.Dionysius,& Ammonius MM.Rodæ.ibid.
S.Valentinus M.Rom.in Socuellamos. ibid.
XV. S.Camilli Martyris Rom.Madridij. p.132
Translatio S.Antonij,Patauij. ibid.
XVI. S.Onesimus Carpetaniæ Apostolus. p.137
S.Q.Serenus Samonensis. ibid.
XVII. SS. Donatus , Secundinus , Romulus , & 86. Socij,Concordiæ. p.146
S.Eutropius Nertobrigensis Episcopus. ibid.
XVIII. S.Helladius Tolet.Episcopus. p.152
S. Theotonius Canonicus Conimbricensis. ibid.
XIX. S.Gabinus Presbyter Samonensis. p.179
S.Beatus Presbyter Liuaniensis. ibid.
XX. S.Eucherius Episcopus Aurelianensis. p.189
S.Paula Barbata Abulensis. ibid.
S.Cæcilius Sedulius Oretanus. ibid.
XXI. S.Irena V.Hispana,Romæ. p.197
S.Ascanius Episcopus Tarracon. ibid.
XXII. S.Luparia Primaria Iriensis. p.203
S.Claudia Luparia Senatrix Accitana. ibid.
S.Tecla Monialis Conchensis. ibid.
XXIII. S.Martha Asturicensis M. p.217
S.L.Serenus Monachus,& M.Sexifirmi. ibid.
S.Florentius Hispalensis. ibid.
S.Montanus Episcopus Toletan. ibid.
Translatio S.Celsi Episcopi Toletani. ibid.
S.Ordonius Asturicensis Episcopus. ibid.
S. Elisabetha S. Ludouici Francorum Regis Soror. ibid.
XXIV. S.Torquatus Felix Archipresbyt.Tolet.p.239
S.Sergius Monachus Betulone. ibid.
S.Cæcilius Sedulius Oretanus. ibid.
XXV. S.Valerius Abbas Carracetensis. p.247
S.Ætherius Episcopus Vxamensis. ibid.
XXVI. SS.Fortunatus , & Felix cum 27. Sociis Vxamæ. p.262
SS. Felix & Fortunatus Capparitani MM. ibid.
S.Victor Arcilacensis M. ibid.
XXVII. S.Leander Episcopus Hispalensis. p.273
Festum Fugæ Virginis in Ægyptum. ibid.
XXVIII. SSS. Macharius, Iustus, Ruphinus, & Theophilus Martyres Hispalenses. p.287
S.Romanus Abbas in agro Orichiensiæ Portugalliæ. ibid.

APPRO

APPROBATIO DOCTORVM.

PERLVSTRAVIMVS *Anamnesim seu Commemorationem Sanctorum Hispaniæ*, editam in lucem ab Eruditissimo viro D D. Ioanne de Tamayo Salazar I. V. C. ilipensi Presbytero, in qua Nos infrà scripti in Sacra facultate Parisiensi Doctores Theologi omnia curiosissimè selecta, Ecclesiæ vtilia & orthodoxæ doctrinæ conformia iudicauimus hac die 28. Ianuarij 1651.

F. FRANCISCVS LORNET
Ordinis Prædicatorum.

F. PAVLVS LOMBARD Carmelitarum
Lugdunensium Prior.

PERMISSIO.

VISA Doctorum Approbatione, Ego infrà scriptus Regio nomine non impedio, quin hic Liber à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD Bibliopolis Lugdunensibus excusus in publicam lucem prodeat, cum defensione,tali casu requisita,& solida. Actum Lugduni 30. Ianuarij 1651.

LORIN.

CONSENSVS.

ITA & me non dissentiente fiat. Lugduni die 30. Ianuarij 1651.

SEVE.

SCRIBENTIVM IMAGINES in Librorum limine præfigi, & honeſtas, & neceſſitas perſuadet, vt ſicut Codicibus fruitur per quos erudiatur, ita effigies eorum, à quibus docetur, ad viuum delineatas, ſeculum conſequatur.

Philoſtrat. in Vit. Apollon.

Corporis eſt iſthac præclari forma TAMAYI:
Spiritus effigiem docta camæna dabit.
Illam ſi quæris, placidam in compagine frontis
Inuenies normam, quòd venereris eam.
Iſtam ſi inquiris Sex volue Volumina Diuum,
Quibus & ingenij grandis acumen ineſt.
I. T. S. A. D. D.

ANAMNESIS,

SIVE

COMMEMORATIO SANCTORVM HISPANIÆ,

Singulis Anni diebus iuxta Kalendarij noui rationem accommodata, & digesta.

IANVARIVS,

ANNI totius clauis, temporum ianua, & ætatum initium. De istius mensis origine, nomine, & cultu altum silentium apud Baronium in Not. ad Martyrol. Roman. Cuius (licet temerè) omissa supplere curabimus. *Ianus* igitur peruetustus Latinorum Rex fuit, & Princeps, pòst in Diuos relatus, multifariam ab Ethnicis accepit cultus adorationem. Inter quas (vt cætera omittam) ipsi & Ioui vniuersus *Annus*, Gentilium est vanitate consecratus. A quo *Iano*, nomen adsumpsit *Annus*, reiecta litera I. & addita in medio litera N. sic Guillielm. Stuch. *de Sacrif. Gent. fol.* 17. *Col.* 2. Sed cur potiùs à *Iano*, quàm à *Ioue* (quibus *Annus* sacratus fuit) nomenclaturam suggillauerit *Annus*, sciscitaueris? Meo videri hoc in causa fuit. Quia licet à *Ioue* cuncta fuisse somniauerit antiquitas, apud Orph. *In Hymn. ad Iouem.* *Quis Ianus?* *Annus quibus consecratus?* *Anni nomen à quo?*

Primus cunctorum est, & Iupiter *vltimus idem.*
Iupiter, *& caput, & medium est. Sunt ex* Ioue *cuncta.*
Iupiter, *& terræ basis, & stellantis Olympi.*
Cunctorum Rex *est, princepsq́, & originis auctor.*

Attamen hoc ei attributum, propter supremam quâ in omnium creaturarum exordiis maiestatem, præesse arbitrabantur. *Ianus*, verò apud Latinos (vt inquit Festus) idem, quod *Chaos*, apud Græcos. Cum ergo *Chaos*, apud ipsos, principium om- *Ianus idem, quòd Chaos.*

nium rerum, ita & Hominum, & Deorum originem fuisse suspicabantur *Ianum*. Sic peruetustus Poëta *Septimius*, apud Terentian. & Boxhorn. *In Not. ad Quæst. Rom. Plut. fol.* 108.

> Iane *Pater*, Iane *tuens, Diue biceps, biformis,*
> *O cate rerum Sator, ô principium Deorum,*
> *Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,*
> *Cui reserata mugiunt aurea claustra Mundi,*
> *Tibi vetus ara caluit Aborigineo Sacello.*

Ianus cur bifrons? Hinc prodiit, vt *Ianus*, in Sacrificiorum libaminibus ante omnes, vt Deorum origo, compellaretur. Quidquid autem (inquit Zuerius) natum, in tempore natum, pars verò temporis, *Annus; sic simul & temporis, & Anni præses Ianus habebatur.*

En *Ianus*, temporum Pater, en Anni origo, & exordium. Ergo à *Iano*, primi Mensis debuit adnotari cognomen. Ideò biformen simulacris insculpsit obcæcata vetustas. *Forma Iani bifrontis in numis.* Vt quid biformen? Quâ verò formâ? Hanc numus à Theod. Cant. *Lib.* 2. *var. lect. c.* 23. demonstrabit, delineatus sic:

Cuius explicationem his verbis prosequitur: *Apud Athenæum lib.* 15. *inueni* Ianum *primum Coronæ inuentorem fuisse, primúmque tumultuarios pontes, nauigiáque inuenisse, ac primum æreum numum consignasse; ideóque* bicipitis *figuram imprimi solitam in numis, nauigiáque.* Aliam interpretationem adducit Mich. Maierus Hieroglyphic. Ægyptio-Græcis. *lib.* 2. *fol.* 85. *sic:* En formam. Causam ausculta. Noster S. Isidor. *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 31. Ianuarius *mensis* (inquit) *à* Iano *dictus, cui fuit à Gentilibus consecratus, vel quia limen, & Ianua sit Anni. Vnde* bifrons *idem* Ianus *pingitur: vt introitus anni, & exitus demonstretur.* A quo *Guillielm. Stuch.* his verbis: *Hinc* Ianum *Ethnici finxerunt* bifrontem, *ad Anni principium, atque finem, siue tempus præteritum, & futurum significandum.* De quo plura apud bonarum artium professores. *Eanus quis, & à quo dictus?* Alij autem *Eanum* vocauere, eo quòd temporum reuolutione, eat, redeátque *Ianus*, vt ex Cornific. *lib.* 3. *Etym.* & Cicer. *lib.* 2. *de Nat. Deor.* refert Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. c.* 9. sic: *Ianum quoque ab* eundo *dictum, quòd Mundus semper eat, dum in orbem voluitur, & ex se initium faciens, in se refertur. Vnde non* Ianus, *sed* Eanus, *ab* eundo *nominatur.* Leuin. Torrent. *in Not. ad Horat. lib.* 2. *Satyr.* 6. *n.* 20. *fol.* 592. *tom.* 2. expressius hanc *Eani*, seu *Iani*, Etymologiam rescripsit, sic: *Nam cùm* Ianum *temporibus præesse crederent; tempus autem sit mensura motus; meritò, & nomen hoc illi accommodarunt, ab* eundo *dictum, & tanquam principem quendam, à quo inciperent, & in quem desinerent omnia, coluerunt: ille anni, & mensium, ille diei dominus habebatur, id quod à tergo, & à fronte esset adspiciens:* Quod Ouid. *in Fast.* dixit.

> Iane, *biceps* Anni, *tacitè labentis imago.*
> *Solus de Superis, quòd tua terga vides.*

Iani simulacra varia. Ex hac prodiit sententia, illud Phœnicum simulacrum *Iano*, adpositum, de quo apud Macrobium. *d. c.* 9. sic: *Hinc, & Phœnices in sacris eius imaginem exprimentes* draconem *finxerunt in orbem redactum, caudámque suam deuorantem, vt appareat, &*
I. *ex se ipso ali, & in se resolui.* Item *Ianum* depinxit antiquitas manu dextra CCC.
II. & sinistra L X V. numeros tenentem. Quod euenisse ait Macrob. *Ad demonstrandam anni dimensionem.* Nam apud antiquos digitorum varia inflexione, quos quisque vellet numeros, facilè ostendebat, de qua numerandi ratione extat perquàm eruditus

Venerabilis

Venerabilis Bedæ libellus. Sed qua forma hæc numerales in manibus imago comprehenderet notulas, ab eruditis dubitatum inuenio. Quosdam in hoc deceptos fatetur Lil. Girald. *in Hist. Deor. Syntagm.* 4. A quo omnia (ne repetam) faciliùs deprehendes, sic: *Ita figuratum* Ianum *fuisse, vt manibus, & digitis, hoc est, eo numerandi ordine, qui per articulos manus fit, ab vnitate vsque ad nonagesimum nonum, manu sinistra nume-* III. *ratur: à Centenario verò numero dextra computatur, vt planius ex Beda, & Isidoro, aliisque cognoscimus. Non igitur* Ianum *ipse intelligas in manus habuisse has Græcas numerorum literas T, dextra, & sinistra ξε. Sed ita compositis, & complicatis manuum arti-* IV. *culis, vt id significaretur. Qua in re Viri alioqui eruditi quidam decepti.* Suidas aliud *Iani* simulachrum præscripsit, in quo ipse Deus anni in dextera manu clauem tenebat. *Vt* (inquit) *temporis principium, ac anni reclusorem, Ianitoremque.* De quo etiam *Torrent. Stuch. Gyrald. Rosin.* & alij. Denique *Ianus* Quadriceps delineabatur, ad quatuor anni tempora adumbranda, quæ Ver, Æstas, Autumnus, & Hiems, vt inquit *Stuch.* A quo *Rosin.* Antiquit. Rom. *lib.* 2. *c.* 3. qui *Iani* Quadrifontis templum insculpsit, *Origo Ianuarij à quo?* & numisma ipsius delineauit. Alia nonnulla apud scriptores inueniuntur simulacra *Iani*, Sed cum extra institutum sint, ideo lubens omitto illorum ecphrasim. Nunc ad originem huius Mensis, Nomina, & alia scitu digna calamum conuertam.

De Origine ergo acturi primò sciendum est, qualiter *Annus*, apud antiquos discriminabatur. Ad cuius comprehensionem rei, obseruabis, aliud apud *Romulum*, aliud apud *Numam Pompilium*, Vrbis Romanæ Reges adinuentum. *Romulus*, ergo primus *Anni* circulum in decem Menses digessit, inæquali numero dierum, de quo ad longum videndus Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. c.* 12. Qui refert Romulum Marti Parenti primum Anni Mensem sacrasse: ex quo Martius dictus est, ideo toto ipsius Romuli imperio, à Martio exordium recepit Annus. *Martius à Romulo 1. Anni Mensis.* At succedente Numa Pompilio, illico Anni circulum imminutum considerans, duos adauxit anno Menses, quos *Ianuarium*, & *Februarium* nominauit. Quo ordine hæc perfecerit, quibusve diebus additis, vel reiectis, apud eundem Macrobium. *lib.* 1. *c.* 13. perleges. Tantùm hîc adnotatione dignum referam, quod etsi tempore *Romuli*, Mensis Martius fuerat primus Anni, hoc *Numa*, obliterauit, statuens *Ianuarium*, ex tunc Anni exordium vocitari, primúmque Mensium consignari. *Ianuarius à Numa 1. Anni Mensis.* Causam requires? Plutarc. *In Quæst. Roman. q.* 22. vt probabiliorem hanc refert sententiam, sic: *Martium à* Romulo, *Homine bellicoso, Martisque cupido, & qui Martis filius putaretur, cæteris Mensibus præpositum esse, vtpotè Martis cognominem.* Numam *verò pacis studiosum, & qui ciues à re bellica ad agriculturam transferre cuperet,* Ianuario *principem locum assignasse, Ianóque magnos honores detulisse, vt qui ciuilis, & terræ colendæ, quàm belli fuisset studiosior.* *1. Ratio de exordio Anni per Iannar.* *2 Ratio.* Macrob. *lib.* 1. *Saturn. c.* 13. aliam adducit rationem: *Tanquam bicipitis Dei Mensem, respicientem ac prospicientem transacti Anni finem, futurique principia.* *3. Ratio.* Arnob. *lib.* 3. *contra Gent.* diuersam assignat causam: *Quia Ianum (ait) cunctis anteponitis in precibus, & viam vobis pandere Deorum, ad audientiam creditis.* Ideo Xenoph. *lib.* 1. *Hist.* Q. Fab. Pict. *de Aur. Sæcul. lib.* 1. Cicer. *lib.* 1. *de Nat. Deor.* Fest. Pomp. *lib.* 1. *Verb.* Chaos. primatum in precibus Sacrificiorum meruisse perpetuum, scripsere. De huius primæ precationis ad *Ianum*, libamine adest Martial. *lib.* 8. *epigram.* 8. dicterium:

Principium des Iane *licet velocibus annis,*
Et reuoces vultu sæcula longa tuo.
Te primum pia turba rogent, te voce salutent,
Purpura te felix, te colat omnis honor.

De cuius epigrammatis emendatione videndus Rader *ad Mart. fol.* 548. vbi pro *turba* in tertio carmine scribit *thura*. Ferè eadem retulit *lib.* 10. *epigram.* 28. Ouid. *lib.* 1 *Fast.* eam ipsam, quam *Arnobius*, retulit causam, sic:

Mox ego: Cur quamuis aliorum numina placent,
Iane, *tibi primum thura, merúmque fero?*
Vt possis aditum per me, qui limina seruo.
Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.

Nam cùm origo Deorum putaretur, cœli Ianitor, Anníque Princeps, & nullum faſtum, imò nefaſtum homines ſine ipſius auſpicio conſequi ſuſpicarentur diem, Deóſque ipſe in hominum auxilio demulceret, nullæque ipſorum preces in Diuorum potuerant conſpectum peruenire, abſque *Iani* Ianitoris placito; ideo & in Anni exordio Menſem primum & *Iani* nomine conſignarunt, & in libaminibus precum eius numini ſolemnia conſecrarunt. Vltimam rationem,& meo videri potiorem præſcripſit Plut. *d.q.*22.ex qua cauſam de Anni exordio tributam *Ianuario*, deprehendes. En eius verba: *Verùm hoc conſidera, an non potiùs* Numa *anni principium ſumpſerit naturæ magis accommodatum, In vniuerſum enim in his quæ circulo circumaguntur, natura nihil eſt primum, aut vltimum: Sed arbitrio hominum alius aliud temporis ſtatuit initium. Optimè verò, qui poſt Solſtitium hybernum anni exordium faciunt, quando ſol progrediendi fine facto conuertitur, & ad nos curſum reflectit: tunc enim in ipſa quoque natura conuerſio quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobiſque propius admouet principem, atque dominum vniuerſæ fluxæ naturæ.* Perbellè certè Ouid. *in Faſt.* huic adhæret rationi, ſic:

4. Ratio.

Bruma noui prima eſt, veteriſque nouiſſima Solis,
Principium capiunt Phœbus, & Annus idem.

Nomina huius menſis varia apud Nationes.

Hactenus de Origine huius Menſis, nunc ad nomina, quæ à diuerſarum Gentium dialectis inſcripta cognouimus. Conſtant Felic. *in Kalend. Hiſtor.* Sacr. & Proph. *In Ianuario. fol.*1. *& ſequent.* refert quòd apud Latinos hic Menſis vocatur *Ianuarius*. Apud Hebræos *Thebeth*, aut *Teneth*; licet qui à Martio incipere annum credunt, illum vocitent *Sebath*. A Chaldæis *Schebat*. Ab Ægyptiis, & Alexandrinis *Tubi*, aut *Tobi*. A Paleſtinis *Lyndeneus*. Ab Athenienſibus *Gamelion*, propter *Iunonem*, quam *Gameliam*, appellabant, de quo Plut. *in Connubial.* Lil. Gyrald. *Hiſt. Deor. Syntagm.*3. *fol.*160. Apud Ionios, & Boëtios *Lenæus*, *Leneonus*, ſiue *Lermeus*, erat vocatus, propter nundinas, quæ Baccho hoc menſe peragebantur, ex eo quia *Lenæus*, fuit dictus *Bacchus*, vt apud *Virgil.* & *Tibul.* videndus Lil. Gyrald. *Syntagm.* 8. *fol.* 381. & 395. A Cypriis cognominatur *Æſthius*, aut própter *Veſtam*, Deam Iani vxorem, aut propter nouas in nouis Magiſtratibus adſumptas veſtes. A Macedonibus *Audinæus*, ſiue *Nichionæus*. Ab Italis *Gennaro*, à Germanis *Ienner*, à Saxonibus *Hardeman*, ab Hiſpanis *Enero*, à Gallis *Ianuier*, ab Anglis *Ianuar*. Quibus abſoluitur de nominibus quæſtio. Nunc ad alia tranſeamus.

Iuno Gemelia quæ.

Bacchus Lenæus, qui?

De huiuſmodi *Kalendis*, aliquot egit *Baronius*, ſed non ad amuſſim, vt plenius errores deprehenderentur *Gentilium*. Ego verò vt ipſorum in vnum redigam vanitates quo melius eorum agnoſcatur obſcœnitas, & *Eccleſiæ Catholicæ*, veritas eluceſcat, quidquid Romana ſomniauit in libaminibus hiſce *Kalendis* prophanitas rituum, breuiter comprehendam, vt poſt tenebras erroris, *Sanctorum* clareſcat in vitæ actæ compendio lumen. Et vt à cognitione nominis incipiamus Quid, & vnde dictæ ſint, ſeu deductæ *Kalendæ*, demonſtrabimus. T. Varr. *lib.*5. *de ling. Lat.* Sic de ipſis agit: *Primi dies Menſium nominantur* Kalendæ; *ab eo quod in diebus*, Kalentur *eius Menſis Nonæ à Pontificibus, quintanæ, an ſeptimanæ eſſent futuræ in Capitolio in Curia Kalabra.* Hunc locum obſcurum perpoliuit Macrob. *lib.*1. *Saturnal. c.*15. his verbis: *Priſcis ergo temporibus antequam faſti à Cn. Flauio Scriba, inuitis Patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hac Prouincia delegabatur: vt noua* Lunæ, *primum obſeruaret adſpectum, viſamque Regi Sacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificio à Rege, & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex* Kalata, *id eſt, vocata in Capitolium plebe iuxta Curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima erat, quot numero dies à* Kalendis *ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat, & quintanas quidem, quinquies dicto verbo* καλῶ, *Septimanas repetito ſepties prædicabat. Et hunc diem, qui ex his diebus qui calarentur primus eſſet, placuit* Kalendas *vocari, à verbo* καλῶ, *quod Græcè idem eſt, ac*, voco. *Hinc, & ipſi Curiæ ad quam vocabantur* Kalabræ *nomen dictum eſt, &* Claſi, *quod omnis in eam populus vocaretur. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas ſupereſſent* Kalando *prodebat, quòd poſt nouam* Lunam *oportebat Nonarum die populares, qui in agris eſſent, confluere in vrbem, accepturos cauſas feriarum à Rege ſacrarum, ſciturosque, quid eſſet in*

Kalendæ quid, & vnde?

eo Mense faciendum. Ex quibus agnosces Quid, & Vnde *Kalendæ* dictæ fuerint; & hinc obiter lucem accipiet *inscriptio* peruetusta, quæ Romæ in domo Emin. Card. Cæsij adseruatur in lapide in vno cuius latere *Somnus* sub pueri alati imagine innititur fasci, in vertice facem habenti, & hisce verbis, apud Ian. Grut. *fol.* 304. *n.* 9. *Sacerdos Kalator quis?*

SOMNO
ORESTILIA. FILIA.

In altero marmoris latere *fatum* muliebri habitu, pede altero rotæ insistit, & pro coronide hæc verba.

FATIS
CÆCILIVS FEROX FIL.

In medio adest inscriptio, cuius illustrationem deposcimus, quámque ad dictorum comprobationem offerimus, sic:

Q. CÆCILIO. FEROCI.
KALATORI. SACERDOTI.
TITIALIVM. FLAVIALIVM.
STVDIOSO.
ELOQVENTIÆ.

Ludouic. Carr. *lib.* 3. *Antiq. lect. cap.* 4. expendens huius inscriptionis sensum, ad seruos *Kalatores*, qui sacrorum ministros fuisse credidit, referebat; ductus ex *Festi* opinione, qui de ipsis ita scribit: *Kalatores dicebantur serui* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *quod est vocare, quia semper vocari possent ob necessitatem seruitutis.* Sed licèt ita sit, & hæc possit sustineri sententia, attamen inscriptio non de *seruo* quolibet intelligenda crederem, sed de illis *Pontificibus minoribus*, quos agnoscunt *Varro*, & *Macrobius*, qui Kalando prodebant numerum dierum, qui ad nonas superessent; idcóque in marmore *Q. Cæcilius Ferox Kalator Sacerdos* nuncupatur. De quo Sacerdotio mentio est apud *Sueton. de Clar. Grammat. cap.* 12. *vers.* verba faciens de *Cornelio Epicaudo Kalatorem Sacerdotio Augurali vocitat*, licèt L. Corn. Syllæ *libertum* appellet; Quibus sic intellectis, ad fastos *Kalend. Ianuar.* pergo. *Seruus Kalator quis?*

Primò omnes *Kalendæ* anni *Iunonis* tutelæ submittebantur, ideò hæc dies sacra apud Romanos, causam appinxit Plut. *quæst. Rom.* 76. Quia cùm Iupiter, instar solis sit, Iuno verò ad Lunæ speciem credatur, & Kalendas Luna conficiat, ideo Iunoni sacras fuisse fatetur Gentilitas. In huius rationis comprobationem plura in lapidum monumentis, Poëtarum commentis discerpere, & discerpta colligere poterit antiquitatum cupidus, quæ ne longius diuertar, remissionibus contentus euadam. De Monumentis adeat Ian. Grut. *tit. de Diis, Deabusque in Iuno.* & Boxhorn. *in not. ad quæst. Rom. Plut. fol.* 134. & 135. vbi adest monumentum inter inscriptiones Romanas, quo, quibus Diis Mensium tutela erat commissa, comperies. Cuius copiam, quia ad nostri præsentis instituti comprobationem, & ad futuri in reliquis mensibus illustrationem spectat, hic excribimus. *Kalendæ Iunoni sacra, & quare.*

TVTELA MENSIVM

IANVARI.	IVNO.
FEBRVARI.	NEPTVNVS.
MARTII.	MINERVA.
APRILIS.	VENVS.
MAI.	APPOLLO.
IVNI.	MERCVRIVS.
IVLI.	IVPITER.
AVGVSTI.	CERES.
SEPTEMB.	VOLCANVS.
OCTOBRIS.	MARS.
NOVEMB.	DIANA.
DECEMB.	VESTA.

Et licet in hac inscriptione vnusquisque singulariter mensis singulis subiiciatur Diis, & in eorum tutela describatur, attamen IVNO generaliter, vniuscuiusque mensis *Kalendis* præesse fatebantur Antiqui. De Poëtis, Ouid. *lib.* 1. *Fast.* Stuch. *de Sacrif. Gont. fol.* 18. Lil. Gyrald. Rosin. & alij. Nunc ad propria, quæ hisce *Kalendis* à Romanis agebantur, quæque notatione digna comperiuntur, describamus.

I. *Artes, & opera inchoabantur.* Hoc die inchoabant omne operis, & artis genus, nam quicunque opus, aut artem aliquam exercebat, & si leui munusculo, hoc die aliquid libare tenebatur, auspicij causa, ex quo hic Auspicalis vocitabatur dies, sic Plin. Secund. in Panegyr. ad Traian. *Illum tamen primum Consulatus tui* auspicalem *diem tacitus praterire nullo modo possum, quo tu solus omnium consecratus es, vt quod tempus anteà incipientibus tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potueris sufficere peragendis.* Pulchrè Ouidius. *lib.* 1. *Fast.*

Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies: Causam percipe, Ianus *ait.*
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Tertius ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plusquam solitum testificatur opus.

De quo videndus *D. Carol. Neapolit.* in hunc locum verb. *Quisque suas artes num.* 59. *fol.* 12. Sed elegantius *Iulian. Apost. Orat.* 3. sic: *Quis non instaurando artem suam Kal. Ian. vt nefastus non sit annus, solers industriusque se libamine auspicato prabet?* Multa Rossin. *lib.* 4. *ant. Rom. cap.* 5.

II. *Consulum sacrificia, & quæ?* Designati Consules exercitium inibant, in Capitolium comitante populo conscendebant, & *Ioui* iniuges iuuencos mactabant. Ex quo hic dies apud Romanos solemnis fuit. Lil. Gyral. de Diis Gentium. *Syntagm.* 17. sic: *Sed & principio Anni* Coss. *iniuges iuuencos mactabant, cum Consulatum inibant.* Eandem Ouid. *lib.* 1. *Fast.*

Cernis odoratis vt luceat ignibus ather?
Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in ade iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamque noui praeunt fasces, noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum prabent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis,
Salue festa dies, meliórque reuertere semper,
A populo rerum digna potente coli.

Quo in loco D. Carol. de Neapol. *num.* 32. *fol.* 7. asserit: *Kalenda Ianuaria dies totius anni celebrior nouo Magistratu, nouis munusculis, tot superstitionibus.* Ioan Rosin. *lib.* 4. *Antiq. Rom. cap.* 5. *Hoc eodem die designati Consules erant, Consulatum inibant, & comitati frequenti populo ascendebant in Capitolium, & Ioui Opt. Max. iniuges iuuencos mactabant, multáque odorem facientia in templis, & pro foribus templi cremabantur.* De quo etiam Ouid. *lib.* 4. *de Pont. eleg.* 4.

Cernere iam videor rumpi penè atria turba,
Et populum ladi deficiente loco;

Templáque

Templáque Tarpeiæ primùm tibi sedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota Deos:
Colla boues niueos certa præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

De harum precationum, in designatione *Consulum Kalend. Ianuarij*, notitia videndus Auson. *num.* 371. *apud Vinet. Edyl.* 8. *apud Scalig.* & vterque in not. III. *Precationum inter amicos origo.*

Hoc die amici mutua amoris cohærentia sibimetipsis precationum nexibus ominabantur. Quod apud Nostros *Dar, o embiar los buenos años* vbique receptum est. De quo *Herodian. & Plin.* sic: *Qui primum incipientis* anni *diem lætis precationibus inuicem faustum ominamur.* Ouid. *l.* 1. *Fast.*

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis?
Et damus alternas, accipimúsque preces?

Ad Annum adest precatio Ausonij. *num.* 374. *apud Vinet. Edyl.* 9. *apud Scalig.* in qua de Consulatu felicia auspicatur primordia, hisce carminibus.

Anne bonis cœpte auspiciis, felicia cernis
Consulis Ausonij primordia. Prome coruscum
Sol æterne caput: solitóque illustrior, almo
Lumine, purpureum iubar exere lucis Eoæ.
Anne Pater rerum, quas Iani mense bifrontis
Voluis in hibernum, glaciali fine, Decembrem,
Anne veni, & festum veteris nouus aspice Iani.

Plura de hisce humanitatis, & curialitatum aulicarum cæremoniis, passim apud humanarum siue, vt aiunt, bonarum literarum scriptores, reperies. IV. *Stipes, siue strena hoc die, quid?*

Hisce Kalendis *strenæ*, siue *munuscula* contubernales, & amici sibi inuicem mittebant, in amoris recognitionem. Erat enim hoc *Strenarum* donarium, vt inquit *Festus*, munus quod *Kalend. Ian.* ominis boni gratia, dabatur, licet *Nonius* à strenuitate nomen deducat. Quod *munusculum* item vocitabatur *stips.* Vt colligitur ex Suet. in Caligula, *cap.* 42. sic: *Edixit &* strenas *ineunte anno se recepturum, stetítque in vestibulo ædium Kalend. Ianuar. ad captandas* stipes, *quas plenis ante eum manibus, ac sinu omnis generis turba fundebat.* De quo etiam in August. *cap.* 57. adest vestigium, sic. *Omnes ordines in lacum* Curtij *quotannis ex voto pro salute eius* stipem *iaciebant, Kalend. que Ianuar.* strenam *in Capitolio, etiam absenti.* Quo loco Torrent. *in not. fol.* 110. hanc excripsit inscriptionem.

IMP. D. F. AVG. PONT. MAX. IMP. XIII.
COS. XI. TRIB. POT. XV. EX STIPEQVAM
POP. ROM.
ANNO NOVO ABSENTI CONTVLIT
NER. CLAVD. DRVS. Q. QVINCTIO CRISP.
COSS. VOLCANO.

Hæc strenarum Xeniola, quæ apud nostros *Aguinaldo* interpretantur, taliter apud Cæsares Romæ in pretio habita fuere, vt penè commercij locum obtinuisse, & honoris symbolum aucupasse alia licet semifracta demonstret marmoris epigraphe apud Carol. Neapol. *lib.* 1. *Fast. fol.* 14. *num.* 68.

COS. XI.
EX STIPE QVAM. PO.
KALENDIS. IANVAR.
C. MARCIO CENSORINO. C. ASINIO GALLO. COS.

Earum meminit Ouid. *lib.* 1. *Fast.* inquiens potiſſimùm fuiſſe *caricas*, *cariotides*, & *mella* quæ mittebantur, vt dulces dies anni, à dulcibus Xeniolis auſpicarentur: en verba:

Quid vult palma ſibi, rugoſáque carica, *dixi*;
Et data ſub niueo condita mella *cado*?
Omen, ait, cauſa eſt, vt res ſapor ille ſequatur,
Et pergat cœptum, dulcis, vt annus iter.
Dulcia cur dentur, video: ſtipis *adijce cauſam,*
Pars mihi de feſto ne labet vlla tuo.

Carica, quid? Iulian. Imperat. Apoſtat. *Epiſt.* 24. *ad Serapion. fol.* 201. de his munuſculis *caricis* loquitur, ſic: *Aly alijs laudationes mittere ſolent; at ego tibi* caricas *noſtrates oblongas centum mitto, quas tanquam ſignum iucundum ſuauium epularum accipies.* Tertullian. *libr. de Idololatr.* ſic: *Etiam* ſtrenæ *captandæ, & ſeptimontium, & brumæ, & caræ cognationis Honoraria exigenda omnia.* Iuſt. Rycquius *de Capitol. cap.* 1. *Eo die Romani, vt pote ominatiore (quod* Kalendis Iani, *& Martij factitatum) ſibi mutuo* *Symmach. lib. 10. ep. 20. & 28.* *xeniola, &* ſtrenas *miſſitabant.* Quarum ſtrenarum, ſiue ſtipium origo *T. Tatio* Regi à Symmacho tribuitur, eo quòd verbenas è luco *Streniæ Deæ* extraxerit, ſignificans ſtrenuis, viris iſtas deberi, vt inquit Roſin. *dict. lib.* 4. *cap.* 5. Matth. Rad. in *Strenia Dea.* Prælud. *lib.* 13. *fol.* 841. ad Martial. latiori periodo, ſic: *Xeniorum genus aliud eſt, quod* ſtrenas *vocant à* Strenia Dea: *mittebantur ſtrenæ* Kalend. Ianuar. *ad annum feliciter auſpicandum, auctore Tatio Sabino in regno ſocio, qui verbenas felicis arboris, olim è luco* Streniæ Deæ *decerptas, primus accepiſſe legitur, meritis pretij argumento, quod ſtrenuorum virorum virtuti dabatur.* Poſt, huius xenioli conſuetudinem tanto recepit P. R. plauſu, vt non ſolum inter priuatos, ſed etiam ad Patritios, Equitéſque, imo ad ipſos peruenerit Imperatores. Qui tantundem *ſtrenæ* nomine, aut *Strenas Imperatores in duplum rependebant.* *duplum* rependebant, vt ex Torrent. ad Suet. *in Tib. c.* 34. *fol.* 170. colliges. Quo loco comperies *Tiberium* ſtrenarum commercium *vltra Kalendas Ianuarij* prohibuiſſe. Quod ex Dione *lib.* 57. colligitur: *Tiberius* (inquit) ſtrenam *à quibuſdam oblatam, non accepit, eaque de re edictum propoſuit.* Denique *Claudius* huiuſmodi miſſitationes ſtipium edicti firmitate obliterauit, vt ex ipſo apparet Dione *lib.* 60. ſic: *Nam* ſtrenarum *oblationem ſub Auguſto, & Caio vſurpatam, edicto ſuſtulit.* Vvolfgang. de Rep. Rom. *lib.* 10. *cap.* 9.

V. *Iani feſtiuitas & libamina.* Hic dies feſtus erat, *Ianóque* ſacra fiebant, cui in *libo*, & *mola*, & adhuc in *thure*, & *mero*, ſuperſtitioſis ritibus immolabant. Primò in L I B O litabatur. Huius ſacrificij genus ex *farre*, & *melle* fiebat, vt probat *Stuch. de Sacrif. Gentil. fol.* 50. *Ianua quid?* Quod verò *Iano* libabatur, *Ianual* vocitauere, vt inquit *Feſtus*, & *Lil. Gyrald. Syntagm.* 17. ſic: *Iano ſacra fiebant ex libo, quod ab eo* Ianual *antiqui dicebant, erat enim placentæ genus.* Aut ex *farre*, & *ſale*. Ouid. *lib.* 1. *Faſt.* *Libum quid? Ex farre, & ſale.*

Inde vocor Ianus: *Cui cum Cereale Sacerdos*
Imponit libum, farráque *mixta* ſale.

Ex farre, & melle. Vocat *Cereale*, tanquam confectum Cerere, id eſt pane. Frequens hæc panis acceptio, & Cereris conuerſio. De *farre*, & *melle* in libo, *Tibull. lib.* 1. *eleg.* 7.

Sic venias hodierne: tibi nam thuris honores
Liba, & Mopſopiæ dulcia mella feram.

Sic legendum: Nam *mella Mopſopiæ*, eadem, quæ *Atticæ*. Mopſopius enim Rex Atticæ fuit, à quo (vt apud *Strabon. lib.* 9. *Geograph.*) hæc *Mopſopia* dicta eſt Prouincia. Elegantius idem *Tib.* de Libo *ex melle lib.* 1. *Eleg. vlt.*

Atque

Atque aliquis, voti compos, liba ipse ferebat,
Pósque comes purum filia parua fauum.

Horat. *lib.* 1. *epist.* 10. *vers.* 10. *ibidémque Torrent. fol.* 667. Ioann. Vveitz. *Obseruat. ad Petron. pag.* 14. *vers.* 2. *Satyr. fol.* 190. *tom.* 3. Buleng. *de Conuiu. c.* 53. Ex Athæn. *Dinosoph. lib.* 3. *cap.* 21. *in fin.* & aliis quam plurimis multa de *Libo* excerpsere. Secundò in MOLA libabatur. Hoc sacrificij genus, *ex sale*, & *farre* conficiebatur, ideò *Mola salsa* nomen accepit. Propria pauperum oblatio, *Mola salsa, quæ? Immolatio à quo dicta?*

Et mola salsa litant, qui non habent thura.

Ab ea *Immolatio* dicitur, id est, hostiæ consecratio, nihilque propriè erat aliud, quam molæ in caput victimæ infusio, siue collocatio, vt inquit *Plin. lib.* 3. *cap.* 7. Far, & sal apud Romanos huius erat libaminis materia, quam apud Græcos hordeum sale inspersum constituebat. Elegans locus Eustath. ἰλιαδ. α. sic: *Veteres in suis sacris ὀλοχύτας, siue ὀλοχύτας, ordeum hoc, siue hordeum,* sale *συγχεόμενον commixtum semper præmittebant: vt hoc ipso Deorum erga homines benignitatem in frugum inuentione (inter quas* ordeum *primùm fuisse traditur: quam ob causam κριτὴ Græcis dictum est ἀπὸ τῦ ὀγακρίναι, quoniam mansuetiore victu homines vsi, à belluina quoque natura sensim segregati fuere) & Reipublicæ constitutione (cuius symbolum est* Sal, *quoniam sicuti, ex variis gutulis, vna* salis *mica solida, victus quotidiani condimentum nascitur: ita etiam ex multis ciuibus, quos mansuetior vitæ cultus in vnum, frugum inuentorum beneficio, reduxit, vna ciuitas, & Respublica oritur) ob oculos ponerent, & suam quoque gratitudinem testarentur; atque ita tum beneficiorum recordatione, tum gratiarum actione Deorum beneuolentiam porrò sibi compararent. Præmissis hisce molis preces subiungebant, & sacrificia peragebant.* Ergo *mola salsa* vtebantur veteres *Sabini* etiam Magno *Iano*, & cæteris Diis, causam ipse bifrons aperit apud Ouid. *lib.* 1. *Fast.* *Materia Molæ Salsæ. Quæ apud Græcos? Causa huius parsimoniæ in libamine apud antiquos.*

Antè, Deos homini, quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas,
Acta per æquoreas hospita nauis aquas.
Thure nec Euphrates, nec miserat India costum:
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos, herba contenta Sabinis:
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis,
Qui posset violas addere, diues erat.

Et ne tantæ vetustatis oblatio obliteraretur, *molam salsam* superstitiosa Roma seruauit. Quot diuinationes in huius *salsæ molæ* libamine fieri solerent, qui velit addiscere, adeat *Stuch. de Sacrif. Gentil. fol.* 98. & 99. & plures alios passim. Tertiò THVRE, & MERO etiam Patri *Iano* litabatur. *Ouid. d. lib.* 1. *Fast.* *Diuinationes in libaminibus salsæ Molæ.*

Mox ego: Cur, quamuis aliorum numina placem,
Iane tibi primum thura merúmque *fero?*

Fuit ergo in libaminibus tale commercium inter *thus*, & *merum*, vt pænè sacrilegij crimine notabatur sacrificulus, qui eorum seiungeret materias, vt ex *Arnobio* refert *Angel. Polit. cent.* 1. *cap.* 26. Ideo *Iano* concesso vino, & thus à fortiori erat propinandum. Formam sacrificandi *Iano* strue, & mero, refert *Cato de Re Rust. cap.* 133. vt esset propitius liberis, domui, & familiæ, his vocibus: *Iane* *Thus, & Merum consocij in sacrificiis.*

Pater

Formula in deprecationibus ad Ianum. *Pater te hac strue commouenda bonas preces te precor, vt sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiaeque mea, Macte hoc ferto.* Postea vinum *Iano* daro, sic deprecatio: *Iane Pater vti te strue commouenda bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergo macte* vino *inferiori esto.* De vini libamine Iuuenal. *Satyr. 6. vers.* 383.

Quædam de numero Lamiarum, ac nominis Appi
Et farre, & Vino Ianum, Vestámque rogabat.

Contra tot superstitionis ceremonias inuehit *Arnobius*, apud quem, quam plura non contemnenda, imò laudanda comperiet superstitionum huiusmodi euersor.

VI. *Dedicatio Templorum Iouis, & Æsculapij.* Hoc ipso die, duplicem Ioui, & Æsculapio templorum in *Insula Tyberina* dedicationem coluit vetustas. *Ioui* hæc dedicatio facta fuit à *Seruilio II.* VIRO, vt innuit *T. Liu. lib.* 34. sic: *In Insula* Iouis *ædem* C. Seruilius *Duumuir dedicauit, vota erat VI. annis antè Gallico bello ab L. Fuluio Purpureone Pratore, ab eodem postea Consule locata.* Quod fuisse creditur anno V. C. Secundum *Carol. Neapol. fol.* 22. DLVII. De hoc templo *Iouis* adest memoria apud *P. Vict. region.* 14. apud *Paneun. de vrb. Rom. fol.* 249. Lil. Gyrald. *Syntagm.* 17. *fol.* 651. De *Æsculapio* Romani multa, credidere, ideò templum *Romæ in Insula Tyberina* reperio, Gyrald. *dist. Syntagm.* 17. sic: *Æsculapium Romani in Insula* Tyberina *reposuerunt, quod ægroti maximè aqua indigeant.* Huius templi dedicationem factam fuisse credebatur, propter pestilentis ægritudinis epidemiam sedandam, proclamantibus *Sibyllinis Oraculis*, vt refert *T. Liu. lib.* 10. sic: *Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum: neque eo anno, quia bello occupati Consules erant, quidquam de ea re actum, præterquam quod vnum diem* Æsculapio *supplicatio habita est.* Epitom. Liuij. *lib.* 11. *De Iouis, & Æsculapij templis in Insula Tyberina.* sic: *Cum ciuitas pestilentia laboraret, missis legatis, vt* Æsculapij *signum Romam ab Epidauro transferrent: anguem, qui se in Nauem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportauere: eóque* Insulam Tyberis *egresso, eodem loco sedes* Æsculapij *constituta est.* Vtriusque, & templi, & dedicationis hoc die mentio est apud *Ouid. lib.* 1. *Fast.*

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere Fastis
Sacrauere Patres hac duo templa die.
Accepit Phœbo Nymphâque Coronide natum
Insula, diuiduâ quam premit amnis aquâ.
Iupiter in parte est: cepit locus vnus vtrumque:
Iunctáque sunt magno templa nepotis, auo.

VII. *Kal. Ian. nefas erat aliquem supplicio afficere.* Marlian. *de Antiquit. Roman. lib.* 7. *cap.* 6. sic: *Hæc* (Insula Tyberina) *olim Lycaonia dicta:* Æsculapio, *cuius simulacrum ex* Epidauro *in eam aduectum, sacra est. Ioui item templum in ea est, à C. Seruilio Duumviro dedicatum à L. Furio annis sex antè, bello Gallico vota. In ea* Insula propter Æsculapium *in agris ægri ponebantur. Et propter eiusdem Dei templum erat νοσοκομεῖον, id est ægrotorum sanandorum locus: quòd hic Deus medicinæ inuentor, cultorque esset.* Guillelm. Guoleuæus. *in obseruat. Liuian. lib.* 10. *§. fin.*

VIII. *Eo die varias induti formulas cursitabant Romani.* Hisce Kalendis, nulliter ad supplicij horridam vindicationem locus permittebatur, quia dies tantæ solemnitatis huiusmodi non patiebatur vindictam. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 10. *Pœnas à nocente iisdem diebus exigere, piaculare est.* Suet. *in Tiber. cap.* 61. vbi *Torrent. fol.* 186. sic: *At qui diem* Kal. Ian. *Romani lætissimum agebant, eúmque supplicio funestare, nefas erat.*

Denique hoc eodem die variis induti Gentiles formulis per vrbis plateas, & circos debacchabantur: ita *S. Aster. serm. in Kal. Ianuar. Miles* (inquit) *mulieris formam assumens, animo leoninus, & cum armis aspectu admirabilis, tunicam ad talos dimittit, pectus zona circumcingit, indumento muliebri vtitur, & crobylum capiti imponit.* Quod comprobat *S. Isidor. Noster lib.* 1. *de Eccles. Officiis. c.* 40. sic: *Alij fœmineo gestu demutati virilem vultum effœminant.* S. Petr. Chrysol. *serm.* 155. hisce verbis:

verbis: *Similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulacrum formis sacrilegis formauerunt.* S. Maxim. Taurinens. *hom. huius dici*, sic: *Nunquid vniuersa ibi falsa sunt, & insana; cum se à Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras, aut in portenta transformant.* S. August. *in eod. serm.* & Concil. Turonens. *cap.* 17. cuius verba postea dabimus.

Abhinc lucem accipiet obscurus locus *Concilij Antisiodorensis can.* 1. Quo hæc præscribitur prohibitio: *Non liceat Kalend. Ianuar. vitula, & Ceruolo facere.* A quo desumptum est monitorium Canonis Pœnitentialis Romani, *apud Halitgar. lib. 6. cap. 6.* in quo hæc sunt verba: *Si quis in* Kal. Ian. *quod multi faciunt, & in ceruolo ducit, aut in vitula vadit tres annos pæniteat.* Burchard. *lib.* 19. *cap.* 5. huius meminit superstitionis, sic: *Fecisti aliquid tale, quod Pagani fecerunt, & adhuc faciunt in* Kalend. Ianuarij *in ceruolo, & vitula? Si fecisti triginta dies in pane, & aqua pæniteas.* Cuius prohibitionis essentia in eo erat, nam cum homines *Kalendis Ianuarij* ferarum, & pecudum formis assumptis, huc, & illuc petulantius discursitantes, Ethnicorum ritus conseruassent, vt penitus hæc tolleretur superstitiosa consuetudo à SS. Patribus, & Conciliis prohibita est. *S. Pacianus Noster Episcopus Barcinonensis, in Parænes. ad pænit.* sic: *Hoc etiam puto proximè Ceruulus ille profecit, vt eo diligentior fieret, quò impreßiùs notabatur; & tota illa reprehensio expreßi, ac sæpe repetiti non compreßisse videretur, sed erudisse luxuriam: me miserum! quid ego facinoris admisi? Puto nescierant Ceruulum facere, nisi illis reprehendendo monstrassem.* Qui plura de hoc desiderat, adeat Sirmond. *in Not. ad Concil. Antisiodorens.* Hugon. Menard. *in Not. ad Sacram. S. Greg. fol.* 252. & *in Not. ad Regul. S. Bened. tom.* 2. *lib.* 50. §. 13. §. 4. *fol.* 746. & 747. Quibus explanatis de Ethnicorum vanis ritibus, fœdis superstitionibus, & abominandis festis, & fastis, nunc (vt opposita veritate fidei, iuxta infidelium Gentilium delirium hoc confundatur, illa elucescat) ad fastos Catholicos deueniamus. *Vitula, & Ceruolo facere quid?*

KALEND. IANVAR.

DIES I.

A. *Circumcisio Domini Nostri* IESV CHRISTI, *& Octaua Natiuitatis illius, à pluribus sæculis in Hispania cultu debito venerata.*

B. *S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, Origine Hispanus, ex vrbe Toleto oriundus, Africam cum Parentibus traiiciens, Græcis, & Latinis literis eruditus, Monachus factus, post innumeras pro fide Catholica persecutiones, exilia, demum Confessor illustris in pace quieuit.*

C. *Spoleti in Italia paßio Sancti Concordij Presbyteri, qui à Torquato Thusciæ Comite martyrium consummauit. Cuius sanctum corpus in Cœnobio Sancti Petri Bisulduni, in Diœcesi Gerundensi honorificè adseruatur.*

D. *In Regali Gothorum Monaſterio S. P. Auguſtino tunc dicato iuxta Toleti Imperialis vrbis ditionem, quod adhuc Siſla nomine circumfertur, depoſitio B. Arthurgi ipſius Cœnobij alumni, qui viuens ſanctitate floruit, & Dei zelo feruuit, tandem miraculis clarus obdormiuit in Domino.*

NOTÆ

A CIRCVMCISIO Domini. De huius myſterij celebritate agunt pænè omnes, qui per anni circulum acta, vitas, miracula, ſiue martyrologicè, ſiue menologicè, aut priuatim Sanctorum ſcriptitarunt, vt videre eſt apud Hieronymum, Bedam, Vſuardum, Not-Kerum, Rabanum, Adonem, Equilinum, Maurolicum, Peregrinis, Felicium, Vvandelbertum, Galeſinum, Baronium, Suaſſaium, Surium, Graſſium, Bachot, & Mantuanum. Ex noſtris Truxillum, Marietam, Æmilianum, Sanctorum, Villegam, Cayraſcum, Vegam; & Ribadeneyra in ſuis floribus Sanctorum, Bollandum in Opere laborioſo de actis omnium Sanctorum; denique apud SS. PP. in ſermonibus, & homiliis. Triplex hoc die feſtiuitas ſub vno textus inuolucro conſpicitur. I. Domini Circuncìſio. II. Nominis IESV appoſitio. III. Natalis ipſius Octaua. Olim hæc totam in ſe arripuit feſtiuitatem, vt inquit Baron. in Not. ad hunc diem litt. C. Prima hodie nomen totius feſti percipit; ſecunda vero in ipſo Circumciſionis inuoluitur ſymbolo. De vnaquaque aliquod in medium proferemus, vt plenius ad inſtitutum pergamus. Apagè lectorem intentum volo, vt in hiſce vniuerſalibus Eccleſiæ faſtis quidquid ex Hiſpanis Patribus depromere ad ipſorum potuero elucidationem extrahereque, protinus lubenter adducam, vt ipſis hæc Hiſpanica illuſtretur anamneſis.

Circumciſio quid? Eiúſque antiquitas. Igitur vt à Circumciſionis feſtiuitate exordiamur, quid Circumciſio ſit, & quam antiqua fuerit repetemus. Venerab. P. F. Ludouicus Granatenſis (cuius opera eius exprimunt ſanctitatem, quæque vix aliqua ſubeſt natio, quæ ex Hiſpano in ſuum non traduxerit idioma) Hiſpanus, loquens de Circumciſione, aſſerit, quod cùm Summus ille cæli, terræque Dominus peculiarem quemdam in hoc mundo ſibi populum deligere ſtatuiſſet, à quo ſingulari quadam religione, & pietate coleretur, cuiuſque ille maximam curam, & prouidentiam gereret: voluit cum eo percuſſo fœdere, amicitiam copulare. Huius autem pacti ſignum, ac veluti monimentum æternum fuit Circumciſio, qua nihil ſolemnius antiqua celebrauit inter veteris teſtamenti ſacramenta, Religio. Cuius ritus formula ipſa antiquior fuit lege, vt potè que non Moyſi, ſed Abrahæ CCCC. ante legem latam, annis data fuit.

Cauſa inſtitutionis. Cauſam huius ceremoniæ (extra fœdus) eam fuiſſe perhibetur: Quia cùm Dominus ſummam pacem, & vnitatem in hoc populo vigere voluiſſet, ſtatuit, vt tota hæc gens ab vno ſtipite prodiret; quatenus ſe ſe mutuò tamquam germani fratres perpetua charitate diligerent; ſicque Religionis vnitatem, & pacem, tùm communis neceſſitudinis, tùm naturæ vinculum inſolubiliter adſtringeret. *Abraham credentium Pater, & quare?* Fuit autem perordinatus hic ſtipes, communiſque omnium parens, Abraham Patriarcha. Et licèt alios ante ipſum Deus habuerit amicos, cum nullo tamen eorum, pari ſolemnitate, & Religione, qua cum Abraham fœdus pepigit. Qui propterea *credentium omnium Pater* appellatur: quia primus omnium hac ſingulari ratione ad vnius veri Dei cultum vocatus eſt, cuius deinde cæteri fideles iugiter ſunt ſecuti fidem, & Religionem. Hæc ergo Circumciſio, quæ in Abrahæ carne extabat filiorum, à cæteriſque gentibus ſeparatos, ad Dei populum pertinere eos declarabat, nec fœdus ipſum nec pactum ſanè erat quamuis ſcriptum ſit: Et erit pactum meum in carne veſtra,

vestra, sed pacti huius cum Deo initi, symbolum; vt potè Paul. ad Rom. 4. disserit: De quo videndi S. Cyprian. in serm. Circumcis. P. F. Lud. Granat. Cornel. Grass. & cæteri Test. Nou. expositores.

Cognita antiquitate, & origine huius ceremoniæ triplicem, ad ipsius elucidationem, subnciam quæsitum. 1. Quare octauo die Circumcisio fiebat? 2. Cur adhiberi solita in tenera ætate? 3. Vt quid in membro virili, & cultro lapideo? Ad omnes respondet Noster Granatensis, ad Primum: Quia cum eo die puer circumciditur, & nomen illi imponeretur, eo ipso intimabatur, quod eorum nomina, qui Sanctorum consortio digni censebantur, in cœlis scriberentur, & æternæ Beatitudinis, quæ post vitæ huius septimanam, octaua consequitur, hæredes fierent, quicumque vitæ innocentia, & cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent. Ad secundum. Quia in tenera infantia, huiusmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, miserabili pœna, & ineuitabili vindicta, etiam in paruulis adhibenda erat seueritas, & antequam ebulliret sartago libidinum; prouisum est ventilabrum, quo refrigerari posset, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuersa perlustrans natiuum incendium. Ideoque dolor voluptati, cruor delectationi, culter sanguini opponebatur, vt in primis elementis discerent paruuli, semper propriæ memores sectionis, contraria curare contrariis, & ad cohibendos, refrenandósque turpitudinum appetitus, necessarium esse, sale corrosorio carnis perfricare pruritus, & semper putredinis recrudescentia desiccare contagia. Ad Tertium: Quia cùm circumcisio fuerit peccatoris signum, ideo in virili membro fiebat, vt contra peccati originalis fomitem, qui per carnalem concupiscentiam traducitur, remedium existeret. Silice exequebatur: Quia omnis circumcisio siue peccati, siue corruptionis per Christum in petra significatum, facienda est, neque enim aliud nomen datum est hominibus, in quo nos oporteat salutis sempiternæ consequi beatitudinem.

Quare Octauo die Circumcisio fiebat?

Cur in tenera ætate?

Vt quid in membro virili cultro lapideo?

His sic prælibatis, inquirendum est, cur Christus, qui non modo omnis peccati expers, sed totius etiam sanctitatis, & honestatis extitit architectus, vt quid Circumcisionis se libamini tanquam peccator subiecit? Triplicem Granatens. rationem assignat. 1. *Propter veritatem* (ex Apost. ad Rom. 15.) *Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.* Promissus fuerat Patribus, ex eorum semine Redemptor; cùm Abrahæ, ac eius posteritati dictum fuit: *In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ.* Vt apertè liqueret, Christum ex Abrahæ semine esse propagatum, debuit vtique circumcidi (quod posteritatis eius Symbolum erat) vt ita tandem diuinæ promissionis veritas omnimodis constaret. Qua nunc quidem Dei promissione impleta, non est cur nos iam Circumcisionis lege adstricti simus. 2. Propter implementum Officij Saluatoris, quo vix natus, iam Seruatoris munus sanguinis sui effusione vellet auspicari. 3. Vt hac ratione Dominus, altissimæ suæ humilitatis, locupletissimum nobis præberet exemplum. Quamuis enim tota eius vita absolutissimum quoddam fuerit mansuetudinis exemplar, nunquam tamen ita se deiecit, atque exinaniuit, quàm cum peccati cauterio insignitus, suscepit peccatoris imaginem. Aliam refert Bachot. *in Fast. Christ. h. d.* Vt qui peccauimus à vulua, & errauimus ab vtero, seriò, nec serò delicti sordes eluamus, rescisso, per spiritualem Circumcisionem, quidquid in affectibus superflui est. Qua nihil opus erit corporeo cultro, cum nostra sit instructio, Christi Domini actio. Quæ

Cur Christum voluit circumcidi?

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

E nostris vtinam cordibus amputet,
Quæ semper vitiis germina pullulant!
Anni principium sit simul, vt Noui,
Vitæ principium Nouæ.

Inquit Muret. in sacr. Hymn. Nisi enim spiritualiter in dies circumcidamur, salutem consequi nequaquam poterimus æternam. Quæ autem in nobis spiritualiter circumcidere debeamus, pio Granatensis explicuit sermone, quem, cui deuotionis affectus ignescit, adeat.

Nunc de loco, ministro, die, & anno Dominicæ Circumcisionis inquirendum est.

Locus Circumcisionis, quis? Locus ferè ab omnibus Patribus indigitatur ipsamet spelunca, quæ ex Virgineo ipsum vtero nascentem recepit, sic Epiphan. in Pan. *lib.* 1. *tit.* 1. *circ. fin.* à quo Baron. Annal. *tom.* 1. *ann.* 1. *n.* 18. verba Epiph. *heres.* 19. §. 2. sunt: *Natus est in Bethleem*, Circumcisus *in* spelunca, *oblatus in Ierusalem.* Hanc etiam opinionem tenent Iacob. Canis. *Meditat. de Christ. & Mar.* 2. *p.* §. 25. sic: Circumcisus *est autem Christus (vt piè prudenterque creditur)* in stabulo Bethlemitico, *vbi fuerat, & natus.* P. Ioann. Lezana *Annal. Carmelit. tom.* 1. *ann.* 4053. *n.* 2. *fol.* 661. Nec enim soli templo Circumcisio erat destinata, nec singularis erat huic cæremoniæ locus assignatus. P. Castro *in Hist. Deip. c.* 7. *n.* 24. Sed Nicephor. Calixt. *Hist. Eccles. lib.* 1. *c.* 12. in domo Iosephi Circumcisum putat, sic: *Atque vt certò suam cum Iudæis cognationem confirmaret, hominis more Mosaicæ legis, ita vt decebat, debitum suum tribuit ritum. Et die Octauo,* Dominico *scilicet, circumciditur in Bethleem,* in domo Iosephi, *& ibi nomen IESV accepit (salutem porrò id significat) pro eo atque, antequam conceptus esset, id nomen diuinitus per oraculum præscripserat Gabriel.* Cui opinioni satisfecit *Castro*, ex eo quod si Magi post sextum abhinc diem Christum in ipso adorauere spelæo, ergo nondum in domum peruenerant Iosephi.

Minister quis? De Ministro, variant Patres. *D. Hieronym.* hoc tribuit ministerium MARIÆ Virgini, illius Matri, Angelorumque Reginæ, quod & refert *P. Suar.* apud *Belingh. in Kal. Marian. h. d.* S Ephrem Syr. *in Orat. de Transfig. Dom.* Iosepho accommodat huiusmodi executionem, sic: *Si non erat Deus, Pastores quem adorabant? Si non erat caro,* Ioseph *quem circumcidebat?* Sequitur *S. Bernard. serm.* 1. *de Circumcis.* P. Castr. *Hist. Deip. d. c.* 7. *n.* 25. Nec est mirandum de hac Patrûm hæsitantia, quia cum ex sacris literis nulliter comperiatur, vllum fuisse circumcisionis ministrum designatum, sed vel *Patrem* solitum filium circumcidere, *Genes.* 17. 23. *c.* 21. 4. *Actuum c.* 7. 8. Vel *Matrem*, Exod. *c.* 4. 25. 1. Machab. 1. 63. 2. Machab. 2. 10. Act. *c.* 25. 21. Vel denique *quemlibet alium*, etiam *extraneum*. Genes. 17. Iosue *c.* 5. 7. Machab. 2. *c.* 2. 46. Act. *c.* 16. 13. Igitur quiuis poterat Circumcisionis esse minister. Licet *P. Castro* credat *ex consuetudine* Patrem, aut Dominum, ministrum fuisse, alios *ex necessitate.*

Dies quis? De die inter omnes conuentum esse, fuisse diem Dominicum, quo huiusmodi Circumcisionis ceremonia facta fuit, vt ex Nicephoro loco superius relato apparet. D. Mart. Carril. Annal. Eccles. ann. 2. asserit, fuisse 1. Ianuarij die, Luna XXVIII. Tebeth, sub litera Dominicali A.

Annus quis? De Anno variant scriptores, aliquorum appingam sententias, vt vnusquisque ex eis eliciat, quod meliorem ad propositum sui instituti repererit. Tota ergo difficultas prouenit ex assignatione annorum Natiuitatis Dominicæ, qua deuicta facilè ad culmen istius computi peruenietur. *Cassiodor. in Chron.* Domini Natiuitatem in Consulatum *Lentuli*, & *Messalæ* incidisse, affirmat, quod extraxisse compertum est è nostro *L. Flau. Dextro*, qui in suo *Chron. Ann.* 1. *n.* 1. hoc etiam scripsit. Hos secuti sunt. *Marian. Scoth. Ioann. Cuspin.* de Consul. *Iacob. Gordon. P. Biuar.* & alij. Quod si ita se habeat, secundum hanc supputationem annus extitit IV. M. I. Mundi. Ann. Vrb. Cond. DCCL. Olymp. CXCIV. ann. III. vt supputat *Gordon.* taliter quòd Circumcisionis annus erit, secundum eum Mundi IV. M. II. ab V. C. DCCLI. Olymp. CXCIV. ann. IV. Imperij Augusti Octauiani XLII. COSS. Ipso XIII. & M. Plautio Syluano I. Hanc vt securiorem, & Euangelicæ narrationi accommodatiorem sequuntur neotherici aliquot, vt refert *P. Biu. in not. ad Flau. Dextr. Ann.* 1. *Com.* 1. *n.* 2. *fol.* 10. De qua re quoniam in die Natalis ad plenius agendum est, ideo in illum diem Lectorem suspendemus.

II. *Nominis IESV impositio.* Huius diei festiuitas in appositione nominis IESV versatur. Hoc ab æterno Patre electum, à Gabriele Archangelo nuntiatum MARIÆ, & IOSEPHO, & ab ipsis hoc die impositum fuit. De hac festiuitate sic Kalend. Marian. h. d. *Hodie Christo Domino* nomen *à Patre æterno impositum, ab Archangelo Gabriele annuntiatum, Sanctissima Deipara aperit, vocátque nomen* IESVS, *quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.* Canis. Meditat. de B. V. 2. p. §. 26. & 4 p. §. 10. n. 3. De Nomine IESV multa notabilia scripsere SS. PP. Paulus Apostolus in suis Epistolis sæpè sæpius repetit, Bernardus pluries; libellum integrum de hoc suauissimo nomine scripsere Eminentiss. Cardin. Archiepisc. Toletan. Siliceus. P. Euseb. Noremberg.

Scripturarij super illud Luc. 2. Bernard. in Cantic. super illum Versic. *Oleum effusum nomen tuum.* P. Castro (ex August. de Assumpt. V. M. c. 2. tom 9.) in Hist. Deip. c. 21. fol. 511. solum inter tantos offero tibi Achrosticum Sanctissimi Damasi Hispani, Pont. Maximi carmen, quod primis Achrosticis, in vltimis Teleostichis literis hoc splendidissimum nomen inspectatur. *Damasi PP. carmina.*

I n rebus tantis trina coniunctio mund I
E rigit humanum sensum laudare venust E
S ola salus nobis, & mundi summa potesta S
V enit peccati nodum dissoluere fruct V
S umma salus cunctis nituit per sæcula terri S.

Aliud Eiusdem.

I ure pari regnat communis conditor au I
E t cum Patre pia regnat sublimis in arc E
S idereo, Sanctis insidit numine Regni S
V nde mare, & terras solo videt omnia nut V
S uggerit humanis, & donat munera rebu S.

Quot cognomina in hoc sanctissimo Nomine contineantur, complectitur ipse Damasus PP. in illo ipsius carmine, cuius lemma: Quæ in nomine I E S V contineantur mysteria, cuius copiam in honorem tanti Nominis, & in gratiam illius colentium transcribam, sic:

Spes, Via, Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,
Iudex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos,
Messias, Zabaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator,
Virgo, Columna, Manus, Petra, Filius, Emanuelque,
Vinea, Pastor, Ouis, Pax, Radix, Vitis, Oliua,
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator,
Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus, omnia Christus
I E S V S.

Huius Sanctissimi Nominis officium sub ritu duplici à Summis Pontificibus fuisse concessum testatur Gauant. in Epitom. Rubric. & S. D. Clemens PP. VIII. Ordini S. Francisci. Tandem Vrbanus VIII. ad libitum in Regnis permisit Castellæ, die XIV. Ianuarij.

Festiuitas fuit Octaua Natalis Domini. Istum (vt diximus) olim titulum obseruauit festiuitas hæc, licet à multis retro sæculis, scilicet tempore Concilij Turonensis (quod congregatum fuisse testantur Anno D.LXX. *Baron. tom. 7. ad hunc annum, n. 13. Gualt. in Chron. sæcul. 6. pag. 490.*) addita fuerit *Circumcisionis* memoria, *canon. 7.* hisce verbis: *Et hora VIII. in ipsis* Kalendis Circumcisionis *Missa Deo propitio celebretur.* Cui conuenit Sacramentale *D. Gregorij Magni*, in quo, & si in titulo: *Kalendis Ianuarij in Octauis Domini*, verba reperiantur, attamen in præfatione vtramque festiuitatem includit, sic: *Vere dignum, & iustum est, æquum, & salutare: Nos tibi semper, & vbique gratias agere Domine sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, cuius hodie* Circumcisionis *diem, &* Natiuitatis Octauum *celebrantes tua Domine mirabilia veneramur.* Eadem repetit in *Benedictione.* S. Isidorus *in Missali Mozarabi* ipsis vtitur quoque nominibus. Ex quibus colligitur antiquiorem *Octaua Natalis* fuisse celebrationem, post *Circumcisionis* Symbolo nominatam. III. *Octaua Natiuitatis festum.*

Octauus dies ergo, à Græcis ἀπὸ λύσεως, vocitatur. Hanc verò solemnitatem Sacramenta maxima continere, perspicuum est. Quod vt euoluamus, consulendus est *S. Basilius Seleuciens. lib. 1. de Miracul. S. Theclæ c. 18.* in quo hæc exprimuntur periodi: *Octaua solemnitas quæ? Eius Symbolum.*

Festum erat Martyris, & postremus festiuitatis dies, quam nobis appellare ἀπὸ λύσιν, id est discessionem; mos est, quod festum deinde finem accipiat. Altius huius Octaui diei mysterium suggilauit *S. Anastas. Synaita, in expos. Psalm. 6.* sic: *Psalmus David pro Octaua:* Octauam *solet appellare scriptura, vitam illam, quæ post septimam huius sæculi sequitur, quam* Octauo *die* Circumcisio *præsignauit.* S. Gregor. Nyssen. *in ipsius Psalm. 6. exposit.* adhuc clarius loquens, ait: *Propterea quod* septenario *tempore finito, post septimum instabit dies* Octauus, *qui* Octauus *quidem dicitur, quia post septimum extitit; numeri verò vicissitudinem amplius non admittit.* Clauem mittat *S. Basilius lib. de Spir. Sanct. ad Amphiloch. c. 27.* qua huius Symboli spiritus aperiatur, sic: *Sed quòd is dies* (Octauus) *videatur aliquo modo imago venturi sæculi. Eoquè, cùm sit principium dierum, non* primus *à Moyse, sed* vnus *appellatus est: Et factum est vespere, & mane, dies vnus: tanquam qui sæpè recurrat. Vt* vnus *sit idem, &* Octauus *vnum illum singularem, &* Octauum, *cuius Psalmista alicubi in quibusdam Psalmorum titulis meminit, per se significans diem, inquam, post horum temporum statum, nunquam finiendum, ac vesperæ nescium, nec successori cedentem, hoc est æternitatem, quæ nec finem habet, nec senium nouit.* Guillelm. Ebroycens. *in serm. de Circumcis. fol. 53.* Quatuor huius festiuitatis rationes producit, I. Literalis. II. Moralis. III. Allegoricalis. IV. Anagogicalis. In huius vltimæ sensus hanc *Octauæ* interpretationem fatetur, sic: *Nam per prædictam* Christi circumcisionem *factam die* Octauo, *significatur, quod in* Octaua *ætate, quæ erit post iudicij diem, auferetur à corporibus electorum omnis superfluitas, & indecentia.* Quod prius dixisse videtur S. Athanas. *in serm. de Sabbath. & Circumcis.* his verbis: *Ideo* Octauo *die* circumcidi *imperatum fuit à lege, neque id vnquam violabatur mandatum, significans post septimum diem omnium regenerationem.*

Ethnicorum Philosophia de æternitate in Octauo die. Huius ergo Octaui diei allegoricam significationem de æternitate ventura adhuc *Ethnici* cognouere; *Platonis* opinio in hac sit suppositione testis, qui agens de illis *Herois*, qui emenso huius vitæ curriculo ad *Eliseos* accedere campos, hoc est felicitatem indeficientem, satagebant; asserit, *quod in loco illo amœnitatis pleno, per* septem *permanebant* dies, *inde* Octauo *per septem orbes Planetarum in Cœlum conscendebant,* & prosequitur: *Quod autem per errantes illos orbes iter suscipitur, recta perducit ad cœlum.* Et ideo apud Clement. Alexandr. *lib. 5. Stromat. Is* Octauus *est motus, & dies.* Omnia complectitur *Benedictio* huius festiuitatis *Sacramentalis D. Gregorij* sic: *Quo sic in* Senarij *numeri perfectione in hoc sæculo viuatis, vt in* Septenario *inter Beatorum spirituum agmina requiescatis: Quatenus in* Octauo resurrectione *renouati, iubilæi remissione dicati, ad gaudia sine fine mansura perueniatis.*

Baptista Mantuan. de hoc triplici festo. TRIPLICIS huius festiuitatis meminit Baptista Mantuan. in Parthen. Mar. lib. 4. & in Fast. Sacr. hoc die hisce carminibus:

Prima dies nostri (Saluete) renascitur Anni,
Quæ tamen est Octaua Dei lactentis ab ortu;
Cum pluit Infantis primum genitale cruorem,
More suæ gentis, quæ circumcidere natos,
Et nudare solet teneram velamine glandem.
Tum quoque Iudæa venienti ab origine IESV
Nomen adoratu dignum, venerabile, Sanctum,
Diuinæ impositum soboli.

Item Coripp. *lib. 4. de Laudib. Iustin.* vbi ille magnus *Michaël Ruiz de Azagra* Secretarius, Celtiberiæ honor, & antiquitatum Hispanicarum maximus archetypus, de quo apud *Ambrosium de Morales* passim. *B. Iuuencus de eodem.* B. Iuuencus noster Cæsarobrigensis Vettoniæ Placentinus *lib. 1. Hist. Euangelic.* etiam hisce carminibus de harum trium festiuitatum memoria lusit:

Viderat Octauam lucem Puer, ecce recidi
Ad morem legis; Nomenque aptare necesse est;

Impositúmque

Impositúmque illi (monitis cœlestibus olim
Quod MARIÆ *vox missa Deo præcepit)* IESVS.

Institutio huius solemnitatis traxit originem, cum triduano antiquitùs ieiunio, & litaniis, propter Gentilium extirpationem rituum, quibus vniuersa ciuium caterua, etiam Christiani mores Ethnicorum sequentes variis induti formis (vt supra in Kalend. diximus) errores ipsorum imitabantur, sic *Concil. Turonens.* cap. 17. *Et quia* (inquit) *inter* Natalem Domini, *&* Epiphaniam, *omni die festiuitates sunt, itémque prandebunt: Excipitur* triduum *illud quo ad calcandam* Gentilium *consuetudinem Patres Nostri statuerunt ieiunium, & priuatas fieri litanias.* Ideò in *Sacramentali Romano M. S. apud Menard. in Sacram. D. Gregor.* inuenitur titulus Missæ huius diei, hisce verbis: *Missa ad prohibendum ab Idolis.* Quæ prohibitio *S. Almachium* compulit, vt Romæ celebre compleret martyrium, ex eo quod vidisset Christianos inter Gentiles similibus implicatos superstitionibus, quibus omnibus fidei zelo incensus exclamabat: *Octaua Dominicæ diei sunt, cessate à superstitionibus Idolorum, sacrificiisque pollutis.* Quo dicto à gladiatoribus occisus est vt referunt pænè omnes Martyrologi, & Bolland. in vit. S. Almachij tom. 1. Baron. tom. 4. ann. 395. Cornel. Grass. tom. 1. de vit. SS. fol. 31. *Institutio, quæ?*

S. FVLGENTIVS RVSPENSIS.] Eius memoria inter Ecclesiasticos celebris est Scriptores, & Martyrologos, inter quos aliis, tantùm titulo Præsulatus adscribitur, ab aliis *Toletana* origine illustratur. Vtrorumque nomina describemus, excribemúsque elogia, vt omnibus liquidò appareat, & sanctitatis encomium Præsulis, & Nostræ Prouinciæ elogium tanto Episcopo eruditionis. Qui eius nomen sine origine referunt, fuere *Beda, Peregrin. Vsuard. Not-Ker.* & *Galesin.* quorum verba complectitur sic, *Mart. Rom. In Africa* B. Fulgentij *Ecclesiæ* Ruspensis *Episcopi, qui tempore* Vvandalicæ *persecutionis ob Catholicam fidem, eximiámque doctrinam ab* Arianis *multa perpessus, & in* Sardiniam *relegatus tandem ad propriam* Ecclesiam *redire permissus, vita, & verbo clarus sancto fine quieuit.* Qui *Toletanum* origine *Fulgentium* fatentur, sunt: *Petr. de Natalib. in Cathal. SS. lib.* 2. *cap.* 32. sic: *Fulgentius Episcopus Ruspensis, ex Patre Fulgentio, & Matre Marchiana nobilibus in ciuitate* TOLETO Hispaniæ *natus est.* Abbas Messanens. *Maurolyc.* sic: *In Africa* B. Fulgentij Toletani, *Ecclesiæ Ruspensis Episcopi, qui tempore* Vvandalicæ *persecutionis ob Catholicam fidem, eximiámque doctrinam exilio relegatus, tandem reuocatus, vita, & verbo clarus, sancto fine quieuit, tempore Anastasij Imperatoris, & Gelasij Papæ.* Petr. Cabilon. *in Topograph. SS. verb.* Ruspa, *sic: Hic præfuit* B. Fulgentius *ortus* Toleti. *qui cum L X. Episcopis in* Sardinia *exulat, deinde reuersus* Carthaginem *sub Bonifacio, ibi libros Episcopus componit, & homilias, & sub Anastasio Imperatore migrat.* Const. Felic. *in suo Kalend. SS.* lingua Italica, *hoc die sic:* Fulgencio *Vescouo di Carthagine (altri dicono* Toletano Dottore, *e Theologo excelentissimo) patre di molti monaci in Africa. Fato Vescouo* Ruspense, *quale nella persecutione de* Vandali *con molti altri Vescoui Catholici fò confinato da* Trasemundo *Rè da Vandali. Poi reuocato sanctissimamente si mori l'anno della sua età* LXV. *Del Vescouato* XXV. *al tempo di Anastasio Imperatore*: Ex nostris *S. M. Maxim. in Chron. Er.* 527. sic: *Fulgentius oriundus Toleto, natus Telepte (Patribus tamen* Hispanis *ex ordine Senatorio ad Africam transmigrantibus) Monachus, & post Episcopus tantum* Ruspensis, *multa pro fide patitur.* Iul. Archip. S. Iustæ *in Chron. num.* 159. sic: S. Fulgentius *Episcopus* Ruspensis *in Africa, natus ciuitate* Toletana, *Patribus, Auis, & Proauis* Toletanis, *qui cum Regibus* Vvandalorum *traiecerat in Africam; Obiit maior octogenario, lumen Ecclesiæ.* Rod. Card. *in Not. ad Maxim. ann.* 489. *fol.* 175. D. Thom. Tamayo *in Verit. Dextr. Nouit.* 7. *num.* 25. Pisa *lib.* 5. *Histor. Tol. cap.* 35. Mariet. *de SS. Hisp. lib.* 5. *cap.* 23. Ribaden. *in flor. SS. tom.* 2. *cap.* 1. Inter Scriptores Ecclesiasticos in pretio eius sanctitas, & doctrina habetur, de quo videndi S. Isidor. *de Script. Eccles. cap.* 14. Honor. Augustodun. *cap.* 16. Sigibert. Gemblacens. *cap.* 28. Sixt. Senens. *in Bibliot. lib.* 4. *litt. F. cap. fin.* Aubert. Miræus *cap.* 123. Ex aliis Damasc. *in Symmach.* & *Hist. Miscell. lib.* 15. Baron. Annal. Eccles. *Ann.* 519. *à num.* 4. *& ann.* 522. *num.* 11. & 529. *num.* 1. Compestein. *in Ind. Romano-Cathol. sæcul.* 5.

B. Martyrologia.

Alia in quo Toletanus origine perhibetur.

Chronographi.

Scriptores Ecclesiastici.

Vitarum Sanctorum Scriptores. *saecul.* 5. *fol.* 96. Hug. Menard. *in addit. ad Sacrament. S. Gregor. fol.* 33. 225. & 226. Sur. *tom.* 1. Bolland. *tom.* 1. Grasf. *tom.* 1. *Vit. SS. hoc die*, ex quibus actorum similem eligo ecphrasim.

Acta Fulgentij Ruspensis. *Origo, Patres, & status.* *Primordia vitae.* FLAVIVS Claudius Gordianus FVLGENTIVS Hispanus ex illustrissima Toletana in Carpetania Hispaniæ oriundus ciuitate, patrem Fulgentium, matrem habuit Marianam ex nobilioribus ordinis Senatorij originibus procreatos. Auus verò eius nomine Gordianus è Carthagine discedere compulsus, perditis facultatibus aliò se contulit, post cuius obitum, filius Gordiani Claudius Fulgentius nomine, cum vxore Mariana Africanam repetens Prouinciam, vt paternam recuperaret hæreditatem, Telepte sistit, in qua Fulgentium nostrum, & genuit, & accepit. Patre è viuis sublato, filium pia genitrix Græcis, ac Latinis literis in primis eruditum, paternæ domus gubernationi præfecit. Quod ille munus tanta industria executus est, vt procedente tempore ad totius Prouinciæ Procuratoris Officium assumptus fuerit. Verùm graui negotiorum sarcina prægrauatus, vanæque felicitatis tædio victus, animum magis, magísque ad indefessum lectionis, & orationis studium applicuit; quo paulatim laudabili patientia succedente, vitæ amor spiritualis exurgere,& ad secessus feruor cœpit studium crescere. Deinde Monasticæ vitæ conuersatione mirificè delectatus, & rerum diuinarum dulcedine allectus, suauissimáque virtutum fragrantia, quam ex religiosorum familiaritate percipiebat,captus,seriò de vitæ genere mutando secum deliberabat. Sed ne subita, violentáque mutatio corpus simul cum mente transuersum raperet, occultis primùm ieiuniis, sese exercere, sodalium dehinc consortia nimia deuitare, atque demùm, vt quamplurimos insigni virtutis exemplo ad imitationem attraheret, cunctis vitiorum hostibus ex animo profligatis, iam pridem piè conceptum Monasticæ vitæ propositum fiducialiter promulgare curauit. Fuit quidem Episcopus nomine Faustus, qui Hunerici,filij Genserici Regis Ariani malignitate fuerat pro orthodoxa fide, haud procul quidem à Cathedra relegatus. Hic monasterium mirabili virtutum splendore conspicuum, ibidem construxerat. *Suscipit institutum Monasticum.* Ad hoc à Fausto magna precum instantia admissus Fulgentius, tam excellens conuersionis suæ specimen præbuit, vt non pauci ruptis prauæ consuetudinis vinculis, illi se aggregarent.

Huius rei fama ad Marianæ Matris delata conspectum, Deus bone, quas illa tragædias non excitauit? Turbatur, expauescit ac fœmineis cœlum implens lamentationibus, rapitur inconsideratis ad Monasterium cursibus furibunda; nescit in fœmina dolor habere modum: illo Sanctissimum contumeliis aggreditur Episcopum, à quo filium liberum exposcit restituendum. Faustus blandissimis dolentem viduam alloquitur periodis, feruentem compescere in corde mœsto curat vagitum. Illa quæ transfixa cruentis cruciabatur mœroris vulneribus Fulgentij intuitum deposcebat; nec huius remedij solamen accepit; quin potiùs, licèt quantum à filio diligeretur, intelligeret, & hoc sibi in subsidium remaneret, si vocibus effrenatis filium inclamaret, ab eóque audiretur, protinus Matris lachrymas detergere satageret, Fulgentij nomen ante fores iteratis singultibus repetebat, ac desolationem suam miserabiliter allegabat, ita vt si non vox, saltim Echo ad reclusi nati peruenire posset auditum, ille verò tanquam surdus audiebat, & non audiebat, nec illius preces aduertere dignum putauit, ex quo pietatem solitam religiosa crudelitate vincebat. *Mirum in modum in spiritualibus proficit.* Hac prima tentatione, ingenti fratrum admiratione, egregie deuicta, tantus abstinentiæ laboribus carnem afflictauit,

afflictauit, vt eximiam delicati corporis pulchritudinem, diuersis vlceribus, & impetigine fœdaret. Omnes spirituales vitæ hostes, insita animi virtute ita profligauit, vt plurimos in stuporem conuerteret. Ergo felicem hunc successum Arianorum rabies maligna præpediuit, quin cùm Faustum Antistitem persequeretur à Monasterio excedere festinauit. Quare Fulgentius ad Felicem Abbatem, ab adolescentia amicum vicino Monasterio commorantem, Fausti hortatu commigrauit, à quo continuò in societatem regiminis, frustra reluctans, fuit assumptus. Verùm cum inopinato Barbarorum incursu Prouincia turbaretur, cœlestis exercitus duces, ignotas Africæ regiones peragrantes, in territorium Siccense demum deuenere. Huius verò regionis fœcunditate delectati, certas inibi sedes figere statuunt, sed à quodam alio Felice, infelice Arianæ perfidiæ præcone, serui Dei crudelem persecutionem patiuntur. Qui diris inuidiæ stimulis concitatus, vinculis constringi, & ad Arianum Sanctos pertrahi Presbyterum destinauit. Vbi primò Felix fustibus atrociter cæditur, dein Fulgentius fustibus immaniter contunditur. Vterque tandem deformiter decaluatus, ac vestimentis omnibus exutus, è domo protinus amandatur. Nullus non tantum crimen, supplicio dignissimum clamitauit. At Christi serui de contumelia ob Christi nominis gloriam, accepta gauisi, vindictam omnem respuêre; conuocatisque fratribus vicina Prouinciæ suæ loca repetiere; Maurorum potius barbariem, quam Arianorum sæuitiam perferre eligentes.

Monasterium deserere cogitur.

Quæ passus ab Arianis, & aliis.

Igitur propè Ididi ciuitatem, iactis Monasterij fundamentis, turbata vitæ monasticæ exercitia restaurant, & religionis splendorem, longè, latèque diffundunt. Sed Fulgentius Ægyptiorum Monachorum instituti æmulus, charismata meliora noctu, diuque meditans, igne diuini amoris tam excellenter succensus, vt neque itinerum difficultate, neque periculorum magnitudine deterritus, primò Carthaginem, inde Syracusas, vnico peregrinationis socio, Redēpto nomine, proficisceretur. Sed cùm *B. Eulalius* Fulgentij propositum agnosceret, à consilio resipiscere monachum deuinxit, dicens: *Rectè facis, cupiens meliora sectari, sed scis, quoniam Deo sine fide impoßibile est placere. Terras ad quas pergere concupiscis, à communione* B. Petri *perfida dissensio separauit. Omnes illi Monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum Altaris sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere ieiuniis corpus, vbi solatiis spiritualibus indigebit anima, quæ multò melior est corpore? Reuertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum rectæ fidei patiaris.* Abnuit intentioni viam, annuit sanctissimi Præsulis Syracusani *Eulalij* sermonibus, ex quo hyemem illam, apud Antistitem; eximiæ hospitalitatis virum, transigere destinauit. Inde consultandi gratia, ad *Rufinianum* Episcopum, in exigua Siciliæ insula, monasticis disciplinis eximiè florentem, commigrauit. A quo similiter ab Ægyptiaca profectione deterritus, pristinum pietatis studium repetere decreuit, & ad proprium protinus redire statuit monasterium; ita tamen, vt primùm magna religione sacra Martyrum loca Romæ visitarit. Inde oblato opportunè nauigio Africam, & annauigauit, & appulit; suisque fratribus, ineffabile sua præsentia adferens gaudium, nec religiosorum modo, sed & sæcularium præcipua nobilitate præstantium mira fuit exultatio. Adeò vt Bizacenæ Primarius Siluestrius nomine, Prouinciæ, locum quendam, vbertate glebæ in primis conspicuum, fabricando monasterio aptissimum, illi donarit, nulloque non charitatis studio, eum sibi deuinctum habere studuerit. Condidit verò Vir Sanctus in loco sibi concesso cœnobium,

Peregrinationes eius.

Africam reuertitur, sacris Martyrum locis visitatis.

non tam lapideum magnificentia, aut structuræ nouitate visendum, quàm maximarum virtutum splendore mirandum, obseruantiæ regularis claritate stupendum. Ibi verò orationis, & lectionis suauitate admodum inescatus, de molesta præfecturæ istius sarcina abiicienda sæpius cogitauit. Occurrebat illius animo monasterium in medio maris Vincensi littori proximum, omni humanarum rerum solatio destitutum. Eo, calore pietatis vehementer incensus, ocyus contendit & à fratribus maximis beneuolentiæ indiciis ibidem excipitur. At non multò pòst, Fausti Episcopi interminatione, ad suos Abbas reuocatur, sacróque Sacerdotij munere, ne spiritualis vitæ dulcedine victus, ad solitudinem aliquando resiliret, ab eodem decoratur. Quare ex tunc, ad tractanda commissi sibi regiminis gubernacula, animum adiecit, ea sanctitatis significatione, vt nominis eius fama vniuersos Africæ, Europæque terminos occuparet. Vnde Vintorum territorij incolæ Fulgentium Episcopatu dignissimum acclamarunt, mentibus eum Antistitem, vocibúsque sibi deposcere. At ille horum titulos honorum, dignitatúmque titulos abhorrens maximè, incertis se se abscondens latebris, ad breue admodum tempus onus hoc diffugit Pontificale. Supererat siquidem vna adhuc Ruspensis quippe sedes orbata Pastore. Concurrunt è vestigio vota omnium, in Fulgentium. Nec mora. A complexu suorum violenta manu, confestim auulsus inuisum honoris culmen conscendere, non iam rogatur, sed cogitur. Et quidem haud ideò, rigorem monasticæ disciplinæ, vnquam excussit, verùm ad vltimum vitæ spiritum constanter seruauit.

Eius fama sanctitudinis & doctrina.

Episcopus Ruspensis creatur.

Defensor in Præsulatu Catholicæ acerrimus fidei extitit. Vnde cùm sexaginta, & eò amplius Episcopis à Trasimundo Rege Arriano, exilio damnatus; in Sardiniam fuit abductus. Inibi verò, in tantum cæteros, & prudentiæ, & pietatis opinione præcelluit, vt licèt ordine fuerit vltimus, sententia tamen, in grauissimis fidei negotiis, & quæstionibus, semper primas teneret; atque eorum ipse lingua, & ingenium diceretur. Sed enim, quid referam animi virtutem, eloquentiæ vim, atque verborum præstantiam, denique sententiarum auctoritatem, qua Trasimundo Regi, astuto veritatis oppressori, solus, Carthaginem reuocatus, restiterit? Quid commemorem admiranda ingenij eius monumenta, quibus impias, & perfidiæ plenas confutauit propositiones? Certè tanta omnia ipsius, & dicta, & scripta sapientia claruerunt, vt maximum, etiam apud impium, perfidúmque Regem, pondus habuerint. Laudabat sapientiam, mirabatur eloquentiam, prædicabat humilitatem, veritatem tamen, iusto Dei iudicio, mentis oculis non meruit inspicere.

Relegatur cum aliis.

Constantia in obiurgando Rege Trasimundo.

Arriani haud mediocriter *Fulgentium* timuêre, tam insigni virtutum splendore coruscantem, trepidi ne perfidæ religioni, nimis maturum inferret excidium. Igitur diabolica instimulati inuidia, aures Trasimundi assiduis obtudere clamoribus, vt secundò Sanctissimo Præsuli præueniret exilium. Vincitur ille impiorum suasionibus, ex quo damnat innoxium: populo vberrimis eum fletibus prosequente. Iuliateum autem, virum quemdam eximia religione præstantem, cæterisque omnibus grauiter ingemiscentem, Antistes compellauit, bonóque animo esse iussit: ac prophetico spiritu reditum suum, restaurata Catholica fide, renuntiauit: quod ita euenit. Nam Trasimundo Rege extincto, per Hildericum successorem, disrupta fuit longissimæ captiuitatis horrenda catena, & Orthodoxæ Ecclesiæ per Africam restituta libertas. Ergo Carthaginem reuersus, tanto cum iubilo, & obsequio à fidelibus est exceptus

Prophetat reditum.

vt

vt imbrem improuiso de cœlo decidentem, vestimentis suis, nouo tabernaculi genere, à capite eius auerterent. Et quidem insignis eius humilitas, cum maxima prudentiæ, & eruditionis laude coniuncta, omnibus eum charum reddebat. Cæterùm ante annum ferè quàm hominem exueret, omnibus Ecclesiasticarum rerum negotiis valere iussis, ad Insulam Circinam, paucis comitatus fratribus, transfretauit; ac in breui quodam scopulo Chilmi nomine, tantis pœnitentiæ indiciis, lectioni, orationi, & ieiuniis vacauit, vt primum inchoanti, & nouitio similis appareret. Verùm charitatis necessitate constrictus, relictis fratribus, absentiam eius ægrè ferentibus, ad suum iterum descendit cœnobium. Cúmque iam tempus, quo fidelem seruum Dominus requirebat, instasset, repentina infirmitate correptus, septuaginta propè diebus, eadem afflictatus, hæc collectis sensibus frequenter precabatur. *Da mihi Domine, hic modò patientiam, postea indulgentiam.* Fratribus autem Patris discessum, lachrymosis singultibus deplorantibus, dixit: *Ego, Fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus forsitan, & difficilis, quandóque extiti; ideóque obsecro, ignoscat mihi, quisquis aliquid dolet, & si debitum modum seueritas nostra, nonnunquam est transgressa, orate, ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum.* Illi è contra, semper bonum, semper affabilem pro omnium salute: sicut decuit inuigilasse, clamitarunt. Tunc imperato silentio, viduarum, pupillorum, cunctorúmque indigentium memoriam recolens, tanquam bonus, & fidelis commissæ sibi pecuniæ dispensator, singulis pro conditione distribui mandauit, ac demum iugi orationis studio in Deum eleuatus, ipso die Kalen. Ianuarij, post peractam vesperam, beatum spiritum in manus tradidit Creatoris, anno Episcopatus sui XXV. vitæ autem totius LXV. quemadmodum compluribus fratribus morti proximus significauit. Anno Christi D.XXIX.

Secessit ad Insulam Circinam.

Ægrotat.

Moritur.

Fulgentij vitæ ecphrasim latiori est prosecutus calamo, quidam eius discipulus *anonymus*, quam in limine operum ipsius Sanctissimi Præsulis euulgauit *Molanus Antuerp. ann.* 1574. à quo ferè omnes, qui vitas Sanctorum scripsere, vt *Bolland.* latino, Santorus *Hispano*, & Mapheus *Italico* idiomate. Nos per epitomen traductam, & decurtatam offerimus, ne longiores, quam par erit nostræ circumferantur notationes. Eius encomium sic prosequitur P. Ioan. Bapt. Mascul. *encom. 2. fol.* 14.

SYNOPSIS.

Conferuntur inter se primus mundi dies, & primus anni. Ille initium sumpsit à luce, hic à FVLGENTIO. *Restitit hic Trasamundo Regi Ariano, cuius iussu exulauit. Aliorum item hæreticorum detexit fraudes.*

ENCOMION II.

Par est, eadem esse auspicia Orientis Anni,
quæ primùm fuere temporis;
vtriusque scilicet natalia illustrari luce:
nisi quòd altera, lux Mundo adfuit rudi,
altera hæc profuit, vt erudiret.
Tua, FVLGENTI, *lux siue doctrina, siue pietatis,*
religionem fecit illustrem, occidit nunquam.
Restitisti Trasamundi Regis Ariani perfidiæ:
non erubuisti obloquens purpurato,
non expalluisti *obtuens cum securibus fasces;*

Diadema

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Diadema gemmis illuminatum non præſtrinxit oculos;
immò cum ille exulare te iuſſit,
à ſe remouit fulgore perſtrictus tuo.
Magis ſcribendo explenduit tui acumen ſtyli,
quàm minando eius acies gladij.
Fuiſti Ruſpenſi naui, & gubernator, & ſydus;
nullus potuit ſcopulus latere FVLGENTIVM.
Quin etiam depreſſiſti tumentes Pelagij fluctus;
profligaſti armis ingenij archipyratas impios;
Donatum, Eutychium, Neſtorium, Arium.
In tot edomandis monſtris
plus Pontificio valuiſti lituo,
quàm roborea Herculis claua.
Sed mirum, quod cum eſſes oriundus ex Africa,
tàm longè abhorreres à monſtris.

Ideò dixit *Oriundus ex Africa*, quia cum S. FVLGENTIVS natus eſſet *Telepta*, quæ vt infra dicemus, ciuitas Africana fuit, originem, pro natiuitate *P. Maſculus* hoc aſſumpſit encomio; non quia negaret S. Præſulem originem ex vrbe Toleto Hiſpaniæ traxiſſe.

Cuius instituti Monachus. De huius Sancti Præſulis monachatus inſtituto, ſæpe ſæpius inter Scriptores non leuis contentio inſurgit, inter quos in varias, vt apparebit, itum eſt ſententias. *R. P. M. F. Ioannes Marquez* Ordinis S. Auguſtini alumnus. Maximus apud Salmanticenſes ſuper omnes Eccleſiaſtes, in aureo libello *de Origin. Eremit. S. Auguſtini. cap. 4. §. 3. & in aliis.* compluribus ipſius operis locis, contendit S Fulgentium fuiſſe ex inſtituto B. P. Auguſtini Eremitarum, quod *ex Molan. lib. 1. de Canon. Regul. cap.* 8. Baron. Annal. Eccleſ. *tom. 6. ann.* 504. Gaſp. Eſcol. *lib. 9. Hiſtor. Valent. cap. 20. n. 2.* P. Anton. de Yep. *tom. 3. Chron. Benedict. ann.* 525. luculentiſſimè probat Quibus addendus eſt. *RR. P. M F. Thomas de Herrera.* Supremi S. Officij Inquiſitionis ſenatus Conſultor, & Qualificator, aliiſque titulis inſignioribus iam iam inſignitus, nunc totius Prouinciæ Beticæ viſitationis munere meritò condecoratus, cuius in me collata munificentiæ, & amoris munia, fateor, extenſionem calami in proferendis tanti viri virtutibus interdicunt, *in ſuo Alphab. Auguſt. lit. F. titul. Viri, & Fæmina ſanctitate illuſtres. tom. 1. fol.* 221. Et hanc eſſe receptam omnium ſententiam fatentur omnes.

Pennoti opinio de Monachatu S. Fulgentij. Huic tantorum ſcriptorum authoritati Neotericus quidam *Pennotus*, pennas Icari aſſumere ſatagens, vt ad veritatis ſplendidum ſolem ſe ſe opponere, & volitare videretur, nonnullis cereis contradictionis implumibus alis aerem luſtrare, non illuſtrare curauit, & in *lib. 1. Canon. Regul. c.* 26. §. 4. & *c.* 54. §. 2. omnino, & ex propoſito totum hoc Patrum placitum abnegauit. Qui tam in hoc, quàm in aliis contradictionis nugis non eſt audiendus, ſed potius rationibus, & traditionibus inſiſtendum. Cui libenter reſponderem, ſi inſtituti palæſtra locum mei vacuum miniſtraret.

Pennoti Sententia de Origine S. Fulgentij. Minus eſt approbandus *in d. lib. 1. c.* 53. §. 1. vbi S. Fulgentium ex vrbe *Toletana* oriundum tenaciſſimè negat; & *S. Marci Maximi* verba in Obalum retorquens, ſenſum omnino confundit. Cui vt veram præbeamus intelligentiam, & ne in lapſum errorem perſiſtat, verba S. Maximi emendatiora offerimus, ſic *Fulgentius oriundus Toleto, natus Telepta, (parentibus tamen Hiſpanis ex ordine ſenatorio ad Africam tranſmigrantibus) Monachus, & poſtea Epiſcopus tantum Ruſpenſis, multa pro fide patitur.* Senſus eſt: *Fulgentius qui erat oriundus ex vrbe Hiſpaniæ Toleti, poſt tranſmigrationem Parentum Hiſpanorum in Africam, natus fuit Telepta, fuit Monachus, & demum tantùm Epiſcopus Ruſpenſis, qui pro fide conſeruanda innumera paſſus eſt.* Quis ergo Pennote

S. Maximi, Iuliani verba, referuntur puriora.

hæc

hæc contradicere audebit? nonne testi oculato conueniunt? Si in origine dubitas quia vitæ scriptor prosapiam occuluit, perquire in Martyrologiis, non Hispanis, sed alienigenis originem, à quibus sententiam deprehendes Sanctissimi Cæsaraugustani Præsulis, & si hæc ignoras, quomodo *Magister in Israël eris?* Ex quo etiam corrigendus est codex Iuliani. *in Chron.n.*159. sic: *S.Fulgentius Episcopus Ruspensis, natus ciuitate Teleptana, Patribus, Auis, & Proauis Toletanis, qui cum Regibus Vuandalorum traiecerant in Africam; obiit maior Octogenario, lumen Ecclesiæ.* Quibus sustinebitur vtriusque Maximi, & Iuliani sententia, quam nullus in posterum contradicet.

TOLETVM. Hispaniæ vrbs primaria, Ciuitas Archiepiscopalis, de qua Philipp. Ferrar. *in Topograph. Nou. SS. fol.*125. *col.* 2. Sic: *Ad Tagum fluuium circumfluentem, Nouæ Castellæ caput amplissima Metropolis, vmbilicus Hispaniæ. Vrbs ampla, & Regia, nobilissima, cuius Ecclesia Cathedralis, maxima, auro, gemmis ornata, augustissima est, & omnium Ecclesiarum, non modò Hispaniæ, sed & totius Orbis ditissima, vt ausim affirmare Archiepiscopum Toletanum, qui Primas est Hispaniæ tot redditus habere, qui omnes Episcoporum Italiæ redditus in vnum collectos superent: id etiam certum, plus ab Archiepiscopo Toletano solo possideri, quam ab omnibus Episcopis Galliæ simul acceptis; tanta fuit Regum Hispaniæ erga Ecclesias suas pietas.* De eius antiquitate, & nomine, hic agendum est, vt instituto pareamus; de quo variè à Chronologis disceptatum. Roderic. Ximenez ipsius vrbis Præsul, à quo Tarrapha, & alij, *lib.*1.*c.*3. Tolemone, & Bruto COSS. extructam fuisse fatetur, sic: *Tolemon, & Brutus duo Consules condiderunt* TOLETVM. *CVIII. annis, antequam Iulius Cæsar regnare cœpisset, tempore Ptolomæi Euergetis Regis Ægypti.* Hæc Rod. Arch. Tolet. qui à *B. Isidoro* huiusmodi mutuauit sententiam, quam Episcop. Turiason. *de Primat. Tolet.* 1.*p. c.* 14. *fol.*302. omnino respuit, asserens, quod ad hoc quod hæc opinio persisteret, duo copulatiuè probanda essent; 1. Quod Tolemonis, & Bruti Consulatus in vno, eodémque anno verificaretur. 2. Quod eorum in Hispanias probaretur aduentus illo ipso anno. At cum vtraque qualitas deficiat, quia nec horum Consulatus reperitur, nec ipsorum aduentus dignoscitur, quid mirum, si doctis hæc non arrideat sententia. Alias huius constructionis demonstrantes suis locis appingemus, hæc pro nunc sufficiat, vt ad vlteriora procedamus.

S. Ecclesiæ Toletanæ encomium ex Ferrario.

Prima opinio de constructione Vrbis Toletanæ.

Reiicitur, & quare?

S. CONCORDIVS. Huius Sancti Martyris trophæum referunt penè omnes Martyrologi. Beda h. d. sic: *Eodem die apud Spoletum, Ciuitatem Thusciæ* S. Concordij *Martyris, qui post plurima tormenta decollatus est.* Extensius Notker. sic: *Eodem die apud Spoletum Thusciæ Ciuitatem passio* S. Concordij *Presbyteri Romani de titulo Pastoris, temporibus Antonini Imperatoris. Qui pro eo quod Idolis sacrificare noluit, à Torquato comite capitalem sententiam accepit.* Cum quibus transeunt *Vsuard. Bellinus, Galesin. Fellicius, Maurolycus, Cabilonensis, Equilin. lib.*2. *Cat. SS. c.*30. *Ado, Ferrar.* & *Bolland.* & demum *Peregrin.* & *Mart. Roman.* Vitam eius scripserunt *Mombrit. Vincent. Bellouac. lib.*10. *c.*108. *Surius,* & *Ferrar.* ex nostris *Santor.* & *Vicent. Anton. Domen. Hist. SS. Catalon. lib.*1. Ex quibus vitæ ipsius huiusmodi concino elogium.

C. Martyrologia.

Vitæ Scriptores.

CONCORDIVS ex nobili Romæ familia ortus, Patrem habuit Gordianum, seu Concordianum, qui filium erudiuit omni Sanctæ Scripturæ doctrina, fecítque eum fieri Subdiaconum à S. Pio Episcopo vrbis Romæ. Quo Pater, & Filius ad nihil vacabant aliud, nisi ieiuniis, & orationibus diù, noctúque, & eleemosynis pauperum insistentes, petebántque à Domino, vt rabiem persecutorum possent euadere; quia tempore Antonini Imperatoris, quo in humanis erant, grauissima persecutio orta est in vrbe Româ, ita vt nec emendi, nec vendendi cuiquam licentia facilè tribueretur, nisi qui Diis immolasset. Tunc Concordius dixit Patri suo: *Domine mi, si vis, dimitte me, vt vadam ad Sanctum Eutychen, & habitem cum eo paucis diebus, donec cesset rabies inimici Antonini Imperatoris.* Dicit ei Pater suus: *Fili, magis hic habitemus, vt possimus coronari.* Ait illi B. Concordius: *Vadam si iubes; quia ibi coronabor, vbi me Christus iusserit coronari.* Tunc dimisit ei Pater suus, & abiit ad S. Eutychen, qui tunc mora-

Nobilitas.

Proficiscitur ad Eutychen.

batur

batur in prædiolo suo, viâ salariâ, iuxta ciuitatem Tribulum. Quem B. Eutyches cum magno gaudio suscipiens, cœpit Deo gratias agere. Et habitauerunt simul in eodem loco orationibus, & ieiuniis insistentes. Et multi variis languoribus vexati veniebant ad eos: & illi orantes in nomine Iesu Christi sanabant eos.

Comprehenditur. Tunc audiens famam eorum Torquatus Comes Thusciæ, qui tunc habitabat in ciuitate Spoletana, misit, & accersiuit ad se S. Concordium, atque illi: *Quis vocaris?* At ille respondit: *Christianus sum.* Dicit ei Comes: *De nomine tuo requiro, non de Christo tuo.* S. Concordius respondit: *Iam tibi dixi; Christianus sum, & Christum confiteor.* Ait Comes: *Sacrifica Diis immortalibus, & esto noster amicus: & ego te vt Patrem habebo, suggerámque Domino meo Antonino Imperatori, vt faciat te Sacerdotem Deorum.* S. Concordius respondit: *Vtinam tu efficiaris particeps Deorum tuorum.* Dicit ei Comes: *Audi me, & sacrifica Diis immortalibus:* S. Concordius respondit: *Magis tu audi me, & sacrifica Domino Iesu Christo, vt possis euadere tormenta; nam si non feceris, tu, & Dij tui in igne perpetuo ardebitis.* Tunc Comes iussit eum fustibus mactari, & in custodiam publicam recludi. Postea insordescente nocte veniunt ad eum Sancti Eutyches, & Anthymus Episcopus, & quia iste erat amicus Comitis, rogauit Torquatum, vt eum sibi concederet paucis diebus. Et permisit eum B. Anthymo, & habitauerunt simul multis diebus. Tempore autem opportuno consecrauit eum Presbyterum & cœperunt orationibus vacare.

Cruciatur. Post aliquantulum verò temporis misit Comes, & tulit eum, & dicit ei: *Quid tractasti circa salutem tuam?* S. Concordius respondit: *Salus mea Christus est, cui quotidie sacrifico sacrificium laudis; nam tu, & Dij tui in inferno ardebitis.* Tunc iussit eum suspendi in eculeum. Ille autem vultu alacri dicebat: *Gloria tibi Domine Iesu Christe.* Dicit ei Comes: *Sacrifica Ioui Magno.* B. Concordius respondit: *Ego non sacrifico lapidi surdo, & muto, quia habeo Dominum meum Iesum Christum, cui seruit anima mea.* Tunc iratus Comes fecit eum in ima carceris includi, collóque eius & manibus ferrum iniici: & iussit, vt nullus ad eum ingrederetur, volens eum fame perire. Ibi B. Concordius cœpit gratias agere Omnipotenti Deo, & dicere: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce *Angelus ei apparet.* autem nocte media Angelus Domini ei apparuit dicens: *Noli timerere, sed viriliter age, quia ego tecum sum.* Post tres autem dies iussit ad eum Comes media nocte ambulare duos satellites suos, dicens: *Aut sacrificet, aut capite puniatur.* Et venientes satellites ad eum cum statunculo Iouis, dixerunt: Audisti quæ iussit Comes? Sanctus Martyr respondit: *Vos scitis.* Illi dixerunt: *Vel sacrifica Ioui, vel capitalem sententiam excipies.* Tunc B. Concordius gratias agens, dixit: *Coronatur.* *Gloria tibi Domine Iesu Christe.* Et expuit in faciem Iouis. Tum vnus satellitum euaginato gladio, amputauit ei caput, atque ita in confessione Domini emisit spiritum.

Tunc venientes duo clerici, & quidam religiosi viri tulerunt corpus eius, & posuerunt non longè à Ciuitate Spoletanâ, vbi multæ emanant aquæ. Dies natalis *S. Concordij* Martyris celebratur *Kal.* *Miracula.* *Ianuarij.* In loco vbi sepultus est, cœci illuminantur, infirmi sanantur, dæmones expelluntur, orationibus *B. Concordij* Martyris, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hucusque Mombritius. Nos quæ illi defuere subiiciemus. Passus *Translatio in Hispaniam.* est tempore Antonini Imperatoris ad Annum Christi C L X X V. vt ex Ioanne Andrea Gilio, Baronio, & Bollando percipitur. Eius corpus post aliquot temporum curricula, delatum in Hispaniam,

apud

apud *Bisoldunum* in Monasterio S. Petri Diœcesis Gerundensis honorificè adseruatur. Cuius festiuitas ibidem 11. die Ianuarij celebratur, eiusque translatio 6. Iulij.

Hæc sunt acta, quibus non inficiatur *H. Raban. in Martyrol. hoc die*, qui passionem *B. Concordij*, non *Spoleti*, sed *Romæ* accidisse, contendat, sic: *Item eadem die* Romæ *passio* Concordij *Presbyteri, & Martyris, sub Antonino Imperatore, per Torquatum Comitem perpetrata. Qui nolens sacrificare idolis, capitalem sententiam subiit.* Nec minus obstat *Philipp. Ferrar. in Catal. SS. Ital. h. d. fol.* 1. asserens, quod istius Martyris, cum S. Sensij Confessoris corpore, lipsana in propria *Spoleti* Basilica conseruantur: quia postea *in Catal. General. SS.* typis excusso annis XII. post Catalogum SS. Italiæ, fatetur (mutans sententiam) apud *Bisoldunum* asseruari, cum quo transeunt *Bollandus, Dominic.* & plures alij, quorum opinio tanquam inconcussa, & vniuersalis neminem fatigauit, vt refert *P. F. Anton. de Yepes in Chron. Bened. tom. 5. cent. 5. ann.* 978. *c. 2. fol.* 161. *col. 3. & 4.* *H. Rabani error de loco martyrij.* *Ferrarij incuria de loco reliquiarum.*

SPOLETVM. Hodie *Spoleti* Ciuitas est Episcopalis. De eius antiquitate aliqua in medium afferam, vt operis instituto satisfaciam. *Ioann. Ann. Viterbiens. lib. 8. Antiquit.* elucidans fragmentum *Itinerary Anton. Pij fol.* 75. refert hanc fuisse vrbem cognominatam *Spoletum*, deductum nomen *ab expoliendo*, seu *spoliãdo*. Quam etymologiam respuens, prosequitur: *Quoniam igitur* Vilumbrorum *ætate non erat Latina, vel Græca lingua, consequens est, vt* Spoletum, *non dicatur ab* expoliendo, *vel* spoliando, *vocabulis Latinis, sed ab Aramæis, & Etruscis vocabulis,* Polo *Duce, aut* Spolo *auc, cuius auspiciis, condita fuit.* Quidquid sit de conditoribus (eorum originem præ nimia antiquitate ignorare, nobilitas est) vrbis *Spoleti*, illud sine dubio est, quòd fuit *Metropolis*, & vetustissimum *Vilumbrorum caput*, vt ipse refert, *Annius.* Quòd fuit Colonia Romana, *apud Liu. lib. 20. Volaterran. in Geograph. lib. 6. tract. Vmbri, & Sabini. fol.* 169. *Leandr. Albert. in Descript. Ital. Region. 3. fol.* 138. De ea, & eius agro, sic in libro Coloniarum: *Ager* Spoletanus *in iugeribus, & limitibus intercisiuis est assignatus, vbi cultum est: Cæterum insolutus est montibus, vel sublitius, quæ Reip. illi Cessa Censita sunt; nam, & multa loca hæreditaria accepit eius populus.* Tempore *Annibalis* obsidionem cruentam est passa, vt latiùs refert *T. Liu. lib.* 22. Præter hæc, & inter *Colonias*, quæ grauissimis bellorum *Punicorum* temporibus auxilia *Pop. Rom.* præbuere *Spoletanos* fuisse, fatetur *lib.* 27. Illam Theodoricus Gothorum Rex mirificè auxit, adeò quidem, vt *Prætorium* in ea splendidissimum ædificarit; quamquam ab ipsis *Gothis*, vnà cum *Regia* subuersa deinde fuerit; sed *Narsetis* industria *Ducis Cæsariani* restituta, testibus *Sabellico, Volaterrano, & Blondo de Declinat. Imp. Decad.* 1. *lib. 7. fol.* 91. Cladem deinde à *Friderico Ænobarbo* accepit singularem, eo quòd *Alexandro III. Pont. Maximo* fauerat. Et præter alia, quæ militis furor (vi captis vrbibus) designare flagitia solet, *edicto Cæsaris*, quotquot sacræ in cœnobiis deuotæ, Deóque dicatæ *Virgines* erant, omnes stupri pressuram percepere, vt inquit *Leand. Albert.* Denique (teste *Bernardin. Corio Hist. 3. p.*) anno M. CCCXXIV. vltimam passa est calamitatem, cùm *Perusinorum* fraude, & capta, & concremata fuit. Eius situm, partim in plano, partim in colle esse perhibetur; cui & arx insidet munitissima, cæteris Italiæ nobilibus adnumeranda, quæ ex vetusti *Amphitheatri* ruderibus facta, vt inquit *Blond. lib. 6. Hist.* pulchritudinis perhibet exemplum. Magnus, mirabilisque pons ex lapide robusto, ibidem inspicitur, qui XXIV. sustinetur pilis, annectens arcem, & vrbem, tanquam vertebræ vtriusque machinam illaqueantes, de quo *Facius lib. 3. cant.* 10. De Vino Spoletino Martial. *lib. 13. epigramm.* 120. meminit, sic: *Spoleti etymolog. ab Annio.* *Metropolis Vilumbrorum.* *Colonia Romana.* *Ab Annibale obsessa.* *Pop. Rom. auxilia præbuit.* *Theodoricus quæ ædificia extruxerit.* *Quæ Narses Dux Cæsarianus.* *Quas clades perpessa.* *Situs, Arx, & Pons.* *Vina Spoletana quæ?*

De Spoletanis, quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

Et licet *lib. 14. epigramm.* 116. huiusce vini dulcedinem expendat, attamen si cariosis lagenis condiatur, adhuc potui sufficiet. *Athen. in Dymnosoph.* vt refert *Rader. in not.* ad hoc epigramma etiam vinum commendat Spoletanum. Cætera de hac vrbe in aliis require.

BISOLDVNVM. Hodie BESALV in Catalonia Diœcesis Gerundensis. Ioann. Gerund. *in Paralipom. Hisp. lib.* 1. *tract. de vrbib. quæ nom. mutan.* eam Besulam vocitatam fuisse contendit, sic: *Post hos iam nostram intremus Diœcesim, in qua Bisoldunio oppidum est, quondam vrbs quæ* Besula *dicebatur.* Quam fuisse Authetanorum caput, ipsemet refert eod. lib. tract. de Citer. Hisp. Quondam hoc est anno DCCCCXXIX. *Miro Comes Barcinonis* Comitatum *Bisoldunensem* erexit, quem filio *Oliba* cognomento *Cabrera* dono dedit. Huic successit *Bernardus*, quem propter eximias vires *Talaferrum*, seu *Trencaferrum* cognominarunt. Hic fuit excelsi animi Princeps, ex quo Episcopatus nouam erigere Cathedram satagens, obtento fratris *Vuifredi* Sardiniæ Comitis assensu, vt sedem Præsulatus, aut in cœnobio *S. Ioannis Badisano*, aut in Conuentu *S. Pauli Fenolletensi*, seu in Monasterio *SS. Saluatoris, Genesij, & Michaelis Bisoldunensi*, erigi curaret, accepto *Guillielmo* filio, Romam transfretat, & ad visitanda Apostolorum limina, & vt *Benedictus VIII*. Rom. Pont. eius supplicationibus inclinatus Pontificalis Sedis Cathedram (vt desiderabat) erigeret. Quod vltro obtinuit *Bernardus*, & electo primo Episcopo *Vuifredo*, Vuifredi Comitis Sardiniæ filio, qui tunc Abbatiatus in Monasterio *Badesano* infulas induebat, in Patriam repetens, apud *Bisoldunum* Sedem Episcopalem elegit, ex facultate à Pontifice obtenta, licet inter fratres nonnullas interuenisse contentiones propter loci assignationem credatur. Indultum de erectione huiusmodi Sedis à Benedicto concessum, sic se habet.

Besula olim dicta Authetanorum caput.

Fuit Ciuitas Episcopalis, causa, & origo.

Diploma erectionis Sedis.

BENEDICTVS Episcopus, Seruus seruorum Dei, Dilecto in Christo filio Guifredo à Nobis consecrato Episcopo, tibi, tuísque successoribus in perpetuum. Desiderium, quod ad religiosum propositum, & sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua est (Deo auctore) dilatione perficiendum; & quantum in quibusdam eius varietatibus commodis, nostrum assensum, & solitæ Apostolicæ authoritatis exposcitur præsidium, vltrò benignitatis intuitu nos conuenit subuenire, & rati pro integra securitate ex ratione solidare, vt ex hoc ipsis venia, locis salus, & indemnitas profligatur, & nobis quoque lucri potissimum præmium à conditore omnium Deo in sydereis arcibus præscribatur. Quapropter notum esse volumus omnibus tàm præsentibus, quam futuris, quoniam Bernardus Comes cum suo filio Guillelmo, & per hos Guifredus Comes frater eius, suum desiderium demonstrantes (hi omnes derelicti simul sub sola tuitione, & defensione B. Petri Apostoli, suique Vicarij à piæ memoriæ Patre Oliba Comite nobilissimo) Apostolorum adierunt limina, nostrámque præsentiam, petentes suppliciter, vt liceret sibi, nostro consensu, nostróque iudicio, sub quo solo erant positi, pro redemptione animarum parentum suorum, & suorum veniam delictorum, Episcopatum in propria hæreditate perficere in vno loco ex his tribus, quo eis magis placuerit, siue in Monasterio S. Ioannis Riuipollensis, seu in Monasterio S. Pauli Feniorетensis, vel in Monasterio S. Saluatoris, & Genesij, ac Michaëlis Archangeli, quod est infra muros Bisolduni; & liceret eis nostra constitutione ex suis donis, & propriis hæreditatibus Episcopatum ditare, quibus ibidem seruientes viuere, & quietè Deo seruire possint. Episcopúmque in eo consecrari à nobis, flexis genibus suis, cum osculo pedum nostrorum, petierunt. Et quia nostrum cognoscimus ad tale, vel simile opus timentes Dominum, nostra exhortatione inclinare, non desiderantes, hoc, vel simile à suo proposito remouere: eorum sacratissimis petitionibus contraire indignum duximus; sed potius eorum desideriis annuentes, in vno ex tribus prædictis locis, quò sibi magis placuerit Episcopatum fieri, & ditari decreuimus, & in perpetuum Episcopatum esse censemus: Téque Guifredum Episcopum in eodem, eorum petitionibus consecrauimus, eo scilicet ordine, & licentiam, & potestatem habeas tu, tuíque successores Episcopi per totam

illam

illam terram, quam prædicti (Frater venerabilis) Episcopatui obtulerint, vel habere videtur ex proprio dono, & hæreditate, vel alij Christiani in posterum pro redemptione suæ animæ daturi sunt, consecrandi Ecclesias, & consignandi infantes, Clericos, & Sacerdotes benedicendi, & omne Episcopale opus peragendi. Consecrationem verò successorum tuorum nobis, nostrísque successoribus reseruamus in perpetuum. Pro qua sacratione nobis, & successoribus nostris, à successoribus vestris nihil offerri iudicamus, statuta Sanctorum Patrum sequentes, sed ne appareat in conspectu nostro vel successorum nostrorum vacuus qui consecrandus erit, nō pro consecratione (vt diximus) sed pro debita obedientia, & vt subiectum se semper nostræ Ecclesiæ ostendat, post sacrationem suam, vnam libram auri offerri iubemus; similique modo præcipimus, vt contra Christianos arma mouere nulla ratione præsumas: nec aliqua magna, vel parua persona ad hoc vos cogere tentet. Statuentes Apostolica censura &c. Scriptum per manum Benedicti Regionarij Notarij, & Scribæ Scrinij causæ Romanæ Ecclesiæ in Mense Ianuario, Indictione XV.

Hic adsunt anathema, & maledictiones contra infringentes, & alia apponi solita in Apostolicis rescriptis, & diplomatibus.

AERDANÆ SVTRINÆ Episcopus DOMINICVS consensit, & his.
LINDTVS Episcopus.
ROBERTVS Episcopus.
LOHARINES ORTANVS Episcop.
BENEDICTVS CARENSIS Episc.
PETRVS Episcopus Sanctæ Pipernensis Ecclesiæ.
Ego BENEDICTVS Episcopus Portuensis.
IOANNES Episcopus Fundanæ Ecclesiæ.

Dat. VII. Kalend. Februarij per manus, Domini gratia, BOSSONI Episcopi, & Bibliothecarij Sanctæ, ac Apostolicæ Sedis.

Benedictus de Fornell hæc fideliter translatauit III. Iduum Nouembris, Anno Domini M.CC.LVII. mandato Benedicti de Vico Publ. Gerund. Notarij.

Quod sedes hæc Episcopalis erecta fuisset apud *Bisoldunum*, ex vltimo *Bernardi Comitis* voluntatis autographo, liquet, vbi post *Vuifredum*, seu *Guifredum* Episcopum *Bisoldunensem*, elegit filium *Henricum* successorem, & addidit: *Quod si temporum occurrentia prædictus eius* Henricus *filius, ad maiorem peruenerit Ecclesiæ fastigium, tunc ad* Gulielmum *eius in* Comitatu *successorem, tanquam natu maiorem ipsius* Bisoldunensis Episcopatus *electio, seu prouisio pertingat.* Quo argumento P. F. Franc. Diagus, *lib. 2. Comit. Barcinon. cap. 90. fol. 155.* P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Bened. tom. 5. cent. 5. Anno 977. cap. 2. fol. 160. col. 2.* contendunt, probari Cathedram in Monasterio *S. Saluatoris Bisoldunensi* erectam fuisse; quibus libenter subscribo. De Monasterio S. Petri infra agemus, hic dicta sufficiant.

Bernardi Comitis Bisoldunensis in vltima voluntate, seu Testamento clausula.

S. ARTHVAGVS. De hoc sanctissimo Monacho altum silentium apud exteros Martyrologiorum Scriptores, licet apud nostros Chronographos, aliqua, etsi minuta, comperiamus. Ex antiquis M. Maxim. *in Chron. Ann. 584.* sic: *Arthuagus Gothus ex ordine S. Augustini, Monachus Sislæ Toleti, floret sanctitate.* Luitprand. *in Chron. Erat. 670.* sic: *Prima die May moritur sanctè, & compositè Toleti,* Arthuagus *Monachus Augustinianus Scislæ Toleti.* Iulian. Per. *in Chron. Ann. 659. num. 325.* sic: *Hoc tempore* Prima Ianuarij, *moritur Toleti* Arthuagus *Monachus Augustinianus, vir apprimè feruens zelo Dei.* R. P. M. F. Thomas de Herrera *in suo Alphab. Augustin. litt. A. titul. Viri, & Fœminæ sanctit. præst. pag. 3.* sic: Sanctus Arthuagus *Gothus Hispanus, Monachus, & Prior Abbas Monasterij Sislæ Toletanæ diem supremum clausit I. May anno 593. vel 564. vt quidam ferunt: vel I. Ianuarij, anno 633. vel 659. vt alij tradunt. Fuit tamen omnibus Vir doctus, & Sanctus, & D. Isidoro Hispalensi notus, & familiaris, in summáque ab Hispanis veneratione habitus.* De eo præter relatos agunt Corol. & Iord. *in Chron. S. August.* Ambros. de Moral. *Histor. Hisp. lib. 12. cap. 18.*

Scriptores de S. Arthuago.

cap. 18. Padill. *Histor. Eccles. Hispan. Cent.* 7. *cap.* 17. *tom.* 2. P. F. Ioan. Marq. *de Origin. Eremit. S. August. cap.* 11. §. 3. Ludouic. ab Angelis. *in vit. S. August. lib.* 4. *cap.* 20. *fol.* 105. *&* 106. Pennot. *Hist. Canon. Regul. lib.* 1. *cap.* 56. *num.* 1. *fol.* 183. D. Thom. Tamayo *ad Luitprand. fol.* 50. Roder. Car. *ad Maxim. fol.* 202. *litt. Z.* P. Higuer. & D. Laurent. Ram. de Prado, Philippo IV. Regi Hispaniarum Catholico à Consiliis, *ad Luitprandum in Chron. num.* 46. *fol.* 311. & alij non inferioris notæ, à quibus hoc exigere vitæ compendium, licebit.

Nobilitas. ARTHVAGVS ex nobilissima Gothorum familia, tunc apud Hispanias degente, natus, Curiam, & Palatium Regum Toletanum insequebatur, in quorum aliquot aulicis spectationibus iuuentutis annos terens, exercitij, dolosam vitæque fabulam agnoscens, diuersam salutis viam insequi destinauit. Ad cuius intentionis executionem, variè (vt creditur) interpellatus, Domino fauente, vltimum propositi terminum adinuenit. Nam cùm, non procul ab vrbe Regia, Athanagildus Gothorum Rex (Catholicus vt constans opinio est) monasterium ordini Sancti Augustini iam diù dicatum refecisset. in cuius claustris nobilium Deo dicatorum non breuis, vt mundi illecebras diffugeret, phalanx, inhabitabat, portum ibidem solicitè capessere satagebat. *Fit Monachus.* Ergo nunquam Numen bonis deficit consultationibus. Spreto siquidem *Arthuagus* aulicæ oblectamento vitæ, & mundi calcatis errorum insatiabilium itineribus, per angustas, imò augustas religionis, & recollectionis portas intrauit, corrigiam cinxit, & habitum perfectionis accepit. Quot, & quantos virtutum, & bonorum operum manipulos coaceruauerit sanctissimus Monachus, ille cognoscit, qui numerat solis radios, & stellarum cursus agnoscit, Sanctorúmque suorum in albo acta scriptitat sempiterno. Quod autem nobis reliquit temporis inuidiosa aberratio, hoc fuit, nempè *S. Arthuagum* talem in cœnobio vitam egisse, vt ad Priorem Abbatiatus fastigium, virtutibus præeuntibus, deuenisset. *Prior eligitur.* Quo functo munere, demum, ad æternæ beatitudinis perfectissimum peruenit intuitum, Kalendis Ianuarij, Anno Domini D. LXXXIV. *Moritur.* Pontificatum obtinente S. Benedicto I. Rom. Pont. Impp. Tiberio Constantino, & Tiberio Flauio Mauritio Augg. Regnante in Hispania Leouigildo Gotho. Corpus Sanctissimi Patris, postea ad honoratiorem locum translatum est Era, vt perhibetur, DCCCLXIV. Anno Domini DCCCXXVI.

Hæc ex actis, & si non desit, qui huius veritatis compages dissoluere contendit, ex penu. *Respuitur Pennotus.* Ergo Pennotus? Ipse proculdubio, qui non Augustinianum monachum, tantùm, imò nec hominem fuisse, nec in viuis commorasse coniectat; & casu quod fuerit, & quod verum esset, quin vixerit, potius Canonicus Regularis, quàm Eremita S. Augustini censendus erit. Quis inter filios vnius Patris similem litem componet? Meum de monochatu, aut canonicatu, non erit contendere; de essentia, & qualitate hominis, hoc est, quod Toleti vixerit, & quod sanctitatis honore fuerit decoratus instituti est. Omitto S. Maximum, Luitprandum, Iulianum, quos (qualis animi duritiei!) sine ratione respuit. Ambros. de Moral. *d. cap.* 18. sic: *Hoc tempore vixisse fertur* Arthuagus *Monachus Augustinianus, qui cognominabatur* Gothus, *Vir literis, & sanctitate insignis, maximus verbi Dei & Catholicæ veritatis Ecclesiastes, cuius prædicatione haud pauci ex Arianismo ad fidem conuersi ex Gothis fuere. Scripsit Gothorum historiam, quæ si adhuc existeret, non pauca, quæ de illis desunt, supplerentur.* Eadem excripsit *Padilla d. cap.* 17. Et ferè constans de hac re apud Nostros opinio est. Item fertur *S. Arthuagum* Epistolam ad S. Isidorum scripsisse, cuius trasumptum fatetur penes se habere *R. P. F. Thomas de Herrera*, & *F. Ludouicus ab Angelis* tantum Epistolæ huius præsumptionem refert in hunc modum: *Reuerendissimo Domino Isidoro Episcopo Fr. Arthuagus Monachus Abbas S. Crucis*

cis, Salutem. Ergo durè *Pennotus* talem fuisse hominem, negat. O quot introduxit errores vana talium Scriptorum hypocrisis, quorum intentio, non vt charitatiuè corrigat, sed vt appareat hominibus erudita, in varias semitarum calles circumiens, demum præceps erroris, & ruinæ terminum lachrymatur. Verùm enim verò licèt apud Maximum, Luitprandum, & Iulianum in tempore, & die transitus varietur, quod *Pennotus* opponit; Quid nouitatis in Scriptoribus intercedit? Qualis inter sacratiores etiam, computatio iusta, & omnimoda reperitur? Adeat *Pennotus* scripturas euoluat annales, explicet chronica & à culpa nostros eximet scriptores. Ego, vt litem in tempore, & die transitus componam, omnium opiniones referam S. M. Maximus *ad annum D. LXXXIV. floruisse Arthuagum* appingit. Luitprandus apud Tamayo *ad annum DC. XXXIII.* apud D. D. Laurentium Ramir. *ad annum DC. XXXII.* Iulianus *ad annum DC. LIX.* Et si verum amamus hæc Iuliani computatio mihi verior agnoscitur, quia etsi Maximus ad annum D. LXXXIV. de *Arthuago* mentionem faciat, non ibidem de ipsius loquitur transitu, sed de opinione Sanctitatis; ex quo adhuc in viuis fuisse credendum est. Nec de morte est intelligendus locus ille, nam si epistolam scripsit (vt credimus) Isidoro, iam Episcopo, hoc nec accidere potuit ante annum D. XCV. quo Hispalensis Ecclesiæ infulas induit Isidorus, ergo mors *Arthuagi* non anno D. LXXXIV. euenit. Luitprandus, & Iulianus in XXVI. annis discrepant. Iuliano, qui Toletana explicuit archiuia, cohæreo, tam in anno, quàm in die, vt pote peritiori in antiquitatibus Toletanis.

Annus transitus comprobatur.

MONASTERIUM Sislæ, fuit percelebre Eremitarum S. Augustini propè Ciuitatem Toleti, quod, vt refert, *P. Marquez* ex fragmento Dextri conditum fuit anno CCCCXXIV. Post Athanagildus Gothorum Rex illud instaurauit ad Annum D. LX. licèt *à S. M. Maximo* hæc non nisi ad annum D. XCVIII. referatur extructio. Plura, comperitur, habuisse nomina. Titulo *S. Augustini*, apud Maxim. *ann.* 598. Titulo *S. Crucis*, in præscriptione, & subscriptione Epistolæ *S. Arthuagi* ad Isidorum. Titulo S. MARIÆ, apud Iulian. *de Eremit. cap.* 9. Plura de huius cœnobij antiquitate referunt Syguenza *lib.* 1. *Histor. S. Hieronym. cap.* 13. Marq. Tamay. Higuer. Car. & D. Ram. supra allegati & nos dicemus die IX. huius mensis.

Sislæ Cœnobium à quibus constructum, & auctum.

QVARTO NONAS IANVARII, ID EST DIES II.

A. *Apud* Oretum *depositio* S. Siridionis, *seu* Spiridionis *ipsius vrbis Episcopi; qui pro fide multa passus, æternam gloriæ retributionem promeruit.*

B. S. Isidorus *V. C. natus* Hispali *in Hispania, Consul cum Lanato, Episcopus X. Cæsaraugustanus; qui veniens Amphilochiam Gallæciæ vrbem à perfidis comprehensus, variè tortus, tandem pro fide coronatur, corpus in* Minio *sepelitur, & post ad annum repertum Octauum.*

C. Corbeiæ *in Gallia natalis* S. Adelhardi *cognomento* Geneſij *Epiſcopi, vt creditur*, Vrcitani *in Hiſpania; qui à Ludouico Pio Francorum Principe exulatus, propè Carthaginem Spartariam degens, eremitorium ſtruens, Corbeia poſt rediens, ſanctiſſimè diem clauſit extremum.*

D. Bobij *in Liguria depoſitio* S. Badulphi Tarraconenſis *in Hiſpania* Preſbyteri, *qui poſtquam in canonicorum Regularium cœnobio Canonicus Tarracone vitam egiſſet, Italiam remeans, & in Bobienſi Monaſterio cucullum induens, demum virtutibus clarus migrat in cœlum.*

E. Compoſtellæ, *& alibi in Hiſpania feſtum* Exaltationis Fidei *propter victoriam* Illiberi *partam*, Granatámque *vrbem receptam, & à faucibus Sarracenorum ereptam* Ferdinandi, *&* Eliſabethæ *Hiſpaniæ Catholicorum Regum, auſpiciis.*

NOTÆ

A. SANCTVS STIRIDION, vel SPIRIDION.] Huius Sanctiſſimi Epiſcopi memoria adeſt, apud nonnullos Martyrologiorum ſcriptores, inter quos in nomine differentia, in ſede ſilentium, in morte ambiguitas, & in vita, & ſanctitate conſenſus eſt. Molan. in Not. ad Vſuard. & Martyrol Rom. Baronij, ipſum *Stiridonem*, ſeu *Siridonem* appellant, à quibus Martyrol. Luſitan. & Caſtellan. P. Dionyſ. Vaſquez, & Hiſpan. P. Hieron. Rom. de la Higuera M. S. Maurolyc. Angel. Peregrin. & Galeſ. *Spiridionem* vocitant. De ſede Epiſcopali, ſic Baron. *in Not.* ad hunc diem: *Sed cuius fuerit Ciuitatis Epiſcopus, hactenus obſcurum remanet.* De morte nam alij *Confeſſorem*, alij *Martyrem* ſuſpicantur. De vita, & ſanctitate pro omnibus M. R. ſic: *Ipſo die* S. Siridionis *Epiſcopi.* Angel. Peregr. *Ipſo die* S. Spiridionis *Epiſcopi*; cum quo conueniunt *Felicius Maurolycus*, & cæteri. Controuerſia nunc erit cum noſtris Neotericis Hiſpaniæ ſcriptoribus, quos ad conflictum voco, & in literarium agonem interpello. Igitur huic congreſſui cauſam præbuit L. Flauius Dexter V. C L. Hiſpaniæ lumen, qui *in Chron. ann.* 300. hæc formalia conſcripſit verba: *Oreti in Hiſpania Tarraconenſi* S. Spiridion *prius Epiſcopus Oretanus, qui pro Chriſti nomine egregiè pugnauit.* Quorum occaſione P. F. Franc. Bin. *in Not. ad Dextr. com. 2. num. 16. fol.* 332. & Roder. Caro. *fol.* 104. *litt. Z.* nullis aliis interuenientibus coniecturis, nominis ætymo allecti, in furorem rapti, *Dextrum de Spiridione Trimethuntis* Epiſcopo locutum fuiſſe, prodiderunt, licèt ambigens *Rodericus.* Quæ (etſi abſque ratione) vt in manus aliquorum hæc peruenit opinio, protinus taliter recepta fuit, vt à nullo vnquam ablegata, imò nec debitè excuſſa fuerit, ex quo inter omnium volitat ora, tanquam ſecura. At cùm noſtri ſit inſtituti Sanctorum expendere origines, acta conſcribere, & dicendorum rationes appingere; ſæpè ſæpius de huiuſmodi opinionis ſententia dubitaui; donec in manus peruenit meas Codex M. S. *P. Hieronymi Romani de la Higuera* è S. I. in quo breui epitome Sanctorum Hiſpaniæ elogia in forma Martyrologij conſcripta comperi,

ri, beneficio V. C L. D. D. Laurentij Ramirez de Prado. Hic ergo, hoc die, sic, nostro idiomate, elogium perlegi: *Este dia en Corquera cerca de Calatraua la Viesa* S. Siridion *Obispo, que padeciò mucho por la Feè en la persecucion de Diocleciano Emperador con mucha gloria de su nombre.* Latinè sic: *Apud Oretum* S. Siridion *Episcopus, qui multa pertulit pro fide in persecutione Diocletiani Imperatoris, eius nominis gloria exuberante.* Fuit iste Religiosissimus Vir, qui minus pollutum habuit *Dextri* Chronicon, ideóque puriores veritatis ex illo sugillauit vndas: cui in hisce dubiis sine dubio standum est. Eius enim verba cum vero *Dextri* Codice conueniunt; nam illa: *Prius Episcopus Oretanus* apud Caro; vel: *Prius Episcopus Toletanus*, apud Biuar, sine tergiuersatione abundant, ideò inter illos variatum. Nam si *P. Higuera* (vt veri Codicis possessor) talia inuenisset verba, sine dubio expressisset, hoc non expressit, ergo neutiquam in *Dextri* Chronico fuere. Nec huic instantiæ proderit vulgaris responsio, quod in Codice M. S. D. D. Laurentij Ramirez deficiunt illa verba, fortè extractoris incuria, quia respondeo, Codicem illum ex ipsamet manu. *P. Higuera* exaratum esse, nemo est qui nesciat. Secundò meam auxit resipiscentiam, quia nullam in verbis *Dextri* attingo causam impulsiuam, aut compulsiuam, imò nec inducentem ad coniectandum, *Dextrum* locutum fuisse de illo *Cyprio Spiridione.* Si ergo *Dexter* de isto verba fecisset, quis dubitat ampliorem cognitionem Hispanis suis cumularet? At nec per illationem de *Cyprio* quidquam intexuit, ergo vana est ea *Dextro* suggestio. Tertio quia coniectura sumenda est (vt inquit *Cicer. de Inuent. lib. 2. num. 16.*) ex causa, ex persona, & ex facto. *Ex causa* quia inest in persona, illo tempore & loco. *Ex persona*, quia nulla alia illo facto valuit includi. *Ex facto*, quia congruit personæ, tempori, causæ, & loco. Si ergo *Spiridion* Cyprius aliqua *ex causa* Hispanias adiit, primam Ciceronis partem habeamus necesse est. Si nullus præter *Spiridionem* Trimethuntum Episcopum, alius Episcopus inuenitur, de quo Dextri *factum* possit percontari, secundam partem habebimus. Si *Spiridioni* Græco homini *factum*, hoc est, vitæ exitum, Episcopatum Oretanum, eodem anno, ex eadem causa, in eodem loco accidisse probabimus, tertiam, & perfectissimam coniectationis essentiam habebimus, & ex consequenti, intentum, Quis ergo etsi euoluat Ecclesiasticarum rerum volumina deprehendet *S. Spiridionem* Cyprium illo anno Hispanias aduentasse? A quo hæc *Biuarius*? Causam (qua potuit venire) specta: *Suffragatur* (inquit) *quod in Martyrologio Romano de S. Spiridione die XIV. Decembris dicitur, quod nimirum:* Vnus fuit ex illis Confessoribus, quos Maximianus dextro oculo effosso, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnauerat. *Quis autem nescit peracipuas metallorum fodinas, quas Romanum habebat imperium in Hispaniis fuisse? Igitur ad auri vel argenti fodinas Oretanas damnatus fuit S. Spiridion.* Ergo nullas præter Hispanas habuit Romanum Imperium fodinas? Si ergo habuit, à quo didicit Biuarius, *S. Spiridionem* potius ad Hispanas, quàm ad alias damnatum? Secundam inquiramus partem. Non fuit *S. Spiridion* Cyprius, solus de quo *factum* Dextri possit percontari, quia vt in exordio huius notulæ probauimus, alius fuit Episcopus *Spiridionis* vocabulo, cui conuenire possunt factum, & relatio *Dextri*, ego deficit, hæc pars. Tertia absque responsione est, nam *Spiridion* Cyprius nec Hispanias adiit, nec fuit Episcopus *Toletanus*, nec *Oreti* vitam finiuit, ergo non congruit factum. Quòd hæc ita se habeant patet, nam in contextura Episcoporum Toletanorum à *Dextro* protracta nulliter *Spiridionem* inter illos Præsules inclusit, quia post *Melantium* ingerit *Natalem*, excluso *Spiridione*, iste in *Cypro* quieuit, ille apud *Oretum*, de isto sedes ignoratur, de illo Trimethunti insulas induit, ergo facti series abest à coniectura. His sic præmissis crederem (salua Doctiorum sententia) *S. Spiridionem* (de quo apud *Dextrum*) fuisse Episcopum *Oretanum* in cuius exercitio multa pro fide passum, donec Confessionis titulo vitam finiisset. Ideò eius memoria adest in Martyrologiis relatis, sine expressione nominis sedis; Eius acta sic attexere (rescisis improbabilibus) destinaui.

SPIRIDION, seu SIRIDION si nominis contexturam intueamur, ex Græca procedere prosapia fatendum est. Hispaniam

nûm aduentasset, aut ibidem primam vitæ lucem adspexisset, ignotum. In Oretaniæ populis, fertur, vitam virtutibus, & operibus bonis non vacuam, imò plenam, texuisse, & honor oblatus, & onus perlatum manifestam sæculis ingerunt probationem. Ad Præsulatus Oretanæ sedis insulas euectus, curam taliter exercuit Pastoralem, vt non mercenarium, sed de commissis ouibus vere Patrem dici mereretur. Sæuiebat tunc immanium ferox Imperatorum Diocletiani, & Maximiani per Hispanias crudelitas aduersus gregem Dominicum, in cuius conflicti turbulentia, potior Pastorum cura in confortandis fidelium cordibus desiderabatur, ne pœnæ metu imbecillitas perturbaretur humana. Cui Spiridion oneri incumbens, nullis parcens incommodis, ouium suarum afflictiones leniebat, timores sedabat, & in veræ fidei confessione inducebat. Quot nùm in huiusmodi subuentione pericula non inuenit? Quanta incommoda non est passus? Quæ non, patientia, sustinuit? aut constantia certamina superauit? Igitur egregiè pugnans cum visibilibus, & inuisibilibus inimicis, ad vltimum vitæ huius ærumnosæ terminum attingens, animam Deo reddens, æternam beatificæ visionis gloriam adinuenit, IV. Non. Ian. Anno Dom. CCC. Impp. Dioclet. & Max. & Caio I. Pont. Max.

Sic acta, etsi rudiori, quam par erat, exarata, calamo, venio ad articulum de *Toletani* Præsulatus impostura. Fragmentum Chronici *Dextri*, vt ex *P. Higuera* probauimus, nullam de Episcopatu *Toletano* memoriam refert. Duo Codices MSS. alius *D. D. Antonij de Castro*, & *Quirtones* Archiepiscopi Hispalensis, & alius *P. Ioannis Pineda*, è S. I. tantum Episcopum *Oretanum* appingunt, vt refert R. Caro *d. litt.* Z. Qui de huiusmodi quæstione agens, ait: *Nec enim à Dextro hic* Spiridion *in albo Episcoporum Toletanorum refertur, imo Melantio, qui Illiberitano Concilio interfuit, Natalium nullo alio intermisso sufficit, ad annum CCCX.* Huic difficultati occurrere satagens D. Thom. Tamayo *in libell. de Veritat. Dextri*, in *Cathal. Tolet. Præsul. num.* 11. *fol.* 112. tanquam per transitum, relata opinione de *Spiridionis* assistentia in Episcopatu *Toletano*, & aliis quæ de *Cyprio Spiridione* circunferuntur, prosequitur: *Dimittit sine dubio Ecclesiam Toletanam, vt melius pro Domino pugnaret, quia Concilium Nicænum congregatum fuit, anno CCCXXV. ex quo post Melantium inuenio Natalem.* Duo hic consideranda comperio. I. Quod propter Episcopatus dimissionem ab albo *Toletanorum* Præsulum fuit *S. Spiridion* exclusus à Dextro. Quis talia credat? Adhuc. Non solùm ille hoc difficultati reperit (heu quam fatuè!) subterfugium, sed & Autor Primat. Tolet *tom.* 1. *c.* 8. §. 3. *fol.* 97. explicitioribus verbis, hæc fatetur, sic: *Melantio successit* Spiridion, *& licet pòst Dexter referat, quod Melantio successerat Natalis, non ex hoc contradictio, imò certa veritas inuenitur. Quia* Spiridionem *vocauit Episcopum Toletanum, vt electum. Fuit enim eius mors, & passio taliter ipsius electioni vicina, vt merito Dexter* Spiridionem *ablegauerit à catalogo, dicens: Melantio successit Natalis.* Si hoc est, vt profertur, vt quid *S. Eulogio* electo Præsule *Toletano*, & in breui per martyrij coronam sublato, inter veros illius Ecclesiæ Antistites locus datur, & eius nomen à catalogo non respuitur? Insuper quia vt ipse Autor scribit non paucos post electionem vixit annos, vt primo dixerat quin potius vitæ terminos longiores extendit, sic: *Spiridion origine Cyprius, ipsius Insulæ Episcopus Hispanias adiit, & interpellantibus eius literis, & virtutibus Archiepiscopus Toletanus electus fuit. Post zelo fidei Patriam reuertitur. Eligitur Episcopus Trimithuntius, interfuit Conciliis Nicæno, & Sardicensi. Fuit vnus, quos Maximus Imperator dextro oculo effosso & sinistro poplite abscisso, in metalla damnauit, & apud Oretum martyrium consummauit.* Tu docte Lector assue, si potes, hæc tam distantia Pitticia. Illic propter vicinam mortem à Catalogo expulsus. Hic post electionem reuersio in Patriam, electio alterius Episcopatus, assistentia in duabus Synodis, alia anno CCCXXV. alia CCCXLV. demum abscissio poplitis, & effossio oculi, & damnatio in metallum, reuersio in Oretum,

Oretum, & martyrij complementum. Vbi hæc vicinitas? sed hæc, vt commentitia suspendo, & ad secundam considerationem deuenio ex verbis *D. Thomæ Tamayo.* Hæc in tempore consistit, sic: Si fatetur *Dexter*, & ab eo, qui hanc sententiam tuentur quod *Spiridion* de quo in Chron. *ann.* 300. hoc anno vitam exuit, quo miraculo postea in Concilium Nicænum, & Sardicense conuenit? Nisi forte velint, quod mortui viuant. Parcant hi nouatores, quos enumerare recusabam, sed vt ab illis abstineat Lector, appingam. Primus, & opinionis inuentor P. Bin. *ad Dexter. d. ann.* 300. *num.* 16. *Com.* 2. *fol.* 332. D. Thom. Tamayo *in d. vers. Dexter. n.* 11. *fol.* 112. Episcopus Turiasonens. *in Primat. Tolet.* 1. *part. cap.* 8. §. 3. *num.* 97. P. F. Manuel. Rom. *Antiquit. Carmel. elucidat.* 27. *fol.* 194. & In Indic. *verb. Spiridion. fol.* 38. *col.* 2. Roder. Caro. licèt dubiè *d. fol.* 104. *litt. Z.* Ex quibus verisimilior nostra opinio redditur, scilicet, quod iste *S. Spiridion*, de quo in *Dextro*, non ille eximius *Cyprius* Episcopus *Trimethuntis* de quo tot præclara opera apud Eusebium, Rufinum, Cassiodorum, Athanasium, & alios citatos à Baronio, sed alius diuersus *Episcopus Oretanus*, cuius natalem festiuitatem hoc die insinuat Martyrologorum vetustas, vt prædiximus, cætera vt apocripha respuenda, & tanquam sine ratione historica obliteranda; Quibus rationibus inspectis credo à Doctoribus hanc nostram sententiam amplectendam esse, quam istis non visis, meliori calculo incepit meditari Noster amicus M. Franciscus Rus Puerta *Histor. Giennens. tom.* 1. *sæcul.* 12. *cap.* 6. *num.* 3. licèt in fine *R. Cari* opinione arreptus, nostrum, & *Cyprium Spiridionem* confundat.

ORETVM. De antiquitate, ipsius vrbis nonnulla dicemus III. Non. Februarij, itémque istius Ecclesiæ Episcoporum Catalogum concinnabimus. Tantum perpendes Oretum, vrbem fuisse *Hispaniæ Populis* Oretanis nomen præbens. De quo Ptolom. *lib.* 12. *Tab.* 2. *Europ.* sic: *Iis, ac Carpetanis Australiores sunt* Oretani, *& Ciuitates, Salaria, Sisapona* ORETON Germanorum *Æmiliana.* & ibidem Gerard. Mercat. in Tabul. depict. Strab. *in Geograph. lib.* 3. post situm Oretanorum subiicit: *Oretaniæ primariæ vrbes Castulum*, & Oria, quæ pro *Oreto* decurtauit, vt correxit Xilandr. in tabulis depictis. Plin. *lib.* 3. *cap.* 3. extensiorem adiunxit terminum, sic: *Primi in ora Bastuli, post eos, quo dicitur ordine, intus recedentes Mentesani*, Oretani, *& ad Tagum Carpetani*, & postea, sic: *Laminitani, Mentesani, qui &* Oretani, *Mentesani, qui & Bastuli*, Oretani, *qui & Germani cognominantur.* Sequuntur ex nostris Moral. in Antiq. verb. *Oretum*, Nebrisens. Beut. & alij quos refert Rades de Andrad. *Histor. Ordin. Milit. in Calatraua. cap.* 1. De loco, cui hoc tempore respondeat Oretum, dicto die III. Februarij, disceptabimus.

S. ISIDORVS Martyr. Fuit iste Sanctus etiam Episcopus Cæsaraugustanus, Valerij III. successor, natus, & creatus, Hispali, Vir Consularis, & tunc Numanus vocatus. Eius memoriam repetunt *Beda*, Vsuard. Peregrin. Maurolyc. Galesin. Bellin. & Fellicius, qui apud Antiochiam passum commemorant. At Baron. & cum eo Bolland. in act. SS. tom. 1. h. d. fol. 83. nulliter Antiochenum fuisse Episcopum contendunt, ideò dubiè eius sedem conscribunt. P. Anton. Quintanadueñas è S. I. in Hist. SS. Hispalensium fol. 107. profitetur fuisse Episcopum Cæsaraugustanum, qui zelo fidei accensus Gallœciam adiens, vt prædicationis munus obiret, martyrio coronatus est apud Amphilochiam ipsius Prouinciæ vrbem. Hanc ipsam ecphrasim martyrij attexere D. Mart. Carrill. in Catalag. Episcoporum Cæsaraugustæ fol. 226. P. F. Didac. Maurill. Hist. Cæsaraug. 1. part. cap. 26. fol. 223. col. 1. Roder. Car. Hist. Hispal. lib. 1. cap. 11. fol. 70. col. 3. Ludouic. Lop. Hist. Cæsaraug. 2. part. cap. 11. fol. 457. & omnes fatentur, quod eo anno à Iuliano assignato, in Catalogis Ecclesiæ Cæsaraugustanæ nomen Episcopi successoris aberat, ideóque sic beneficio Chronici Iuliani suppletur, quod Chronici elogium num. 244. sic se habet: In Libiza transfertur corpus S. Isidori X. Episcopi Cæsaraugustani, qui veniens Amphilochiam Gallœciæ vrbem ab Arianis occiditur. Missum est corpus nocte in Minium, & ibi sepultum est. Is fuit V. C. natus Hispali in Hispania, Consul cum Lanato, post vocatus Numanus. Post in ipso Chron. n. 228. sic: Floret memoria in Hispaniis S. Isidori Episcopi Cæsaraugustani ab Hæreticis Arianis B.

occisi.

occisi. En iam Isidorus, Hispanus, Hispali natus, V. Consularis, Episcopus Cæsaraugustanus, & Martyr. Nunc duo à nobis exquirenda sunt. I. An iste Isidorus sit, de quo Martyrologi hoc die. II. An detur aliquis Episcopus Cæsaraugustanus, qui tempore Arianorum potuerit occasione prædicationis ab Arrianis occidi. Quibus delibatis, & instituti ordinem explebimus, & D. Martino de Anaya, & Maldonado, qui aduersus P. Quintanadueñas nonnulla conscripsit, fol. 12. responsum præbebimus. Quoad primum, crederem quod iste S. Isidorus Episcopus, & Martyr de quo Iulianus, & Nostri, idem, ac ipse est cum illo de quo apud Martyrologos, & hoc triplici ratione, Prima qui de Antiochiæ, ad Amphilochiam nomenclatura facilis est transitus, & ideò potuit incuria exscriptorum verum vrbis vocabulum vitiari. Cui adhæret Baronij sententia de non reperto Episcopo huius nominis Antiocheno, ergo cùm adest coniectatio tàm euidens de scripturæ vitio, indubie pro Nostris est allusionis euidentia. Secunda quia P. Hieronymus Roman de la Higuera, qui Iuliani Chronicon est commentatus, & apud illustrem D. D. Laurentij Ramirez de Prado Bibliothecam propria manu ipsius Patris exaratum reconditur, ingenue fatetur nostram sententiam; quam etiam alibi ex peruetusto Martyrologio veram agnoscit, vt refert P. Murillo d. cap. 26. fol. 223. col. 1. Tertia, & fortior, & concludens, quia elogium Iuliani Nostri, & relatio amplior Galesini conueniunt. Iuliani verba iam lector accepisti. Calesini perlegito, sic: *Antiochiæ S. Isidori Episcopi, & Martyris, qui Catholicæ Fidei defensor acerrimus*, ab impiis Arrianis *vehementer oppugnatus, demum in summo certamine fortiter se gerens pro Christo Domino sanguinem profudit.* En Noster Isidorus in Iuliano *ab Arianis occisus*; an in Galesino ab *Arrianis confossus*, ergo factum, nomen, & locus (si emendetur) conueniunt, quo constituto, nihil est, vt amplius ambigatur. Ad secundam propositionem deuenio, quæ vt cognoscatur, tempus in quo Episcopatus infulas induebat, inquirendum est. Inter omnes conuenit S. Isidorum ab anno CCCCXL. ad annum CCCCLXV potuisse Episcopatum obtinere, & sic isto vltimo anno eius passionem assignat Iulianus: sed per istud tempus inuenitur Episcopus Isidorus Cæsaraugustanus, qui ab Hilario Papa in Epistola ad Ascanium Tarraconensem Episcopum commendatur, ob egregium Ecclesiasticæ disciplinæ zelum, quo Siluanum Calaguritanum Antistitem obiurgauerat propter consecrationem Presbyteri cuiusdam in Episcopum propria authoritate absque Metropolitæ consensu, factam: de qua Epistola meminit Baron. & Vin. in Collect. Concil. tom. 2. éstque in Concilio Roman. ann. 465. Eo ergo tempore deficit nomen Episcopi Cæsaraugustani in eius diphthicis, ergo credendum est, eum fuisse nostrum Isidorum, vt fatentur omnes. Quibus sic cognitis ad acta pergo.

ISIDORVS ex Hispalensi celeberrima vrbe natus, ab illustrioribus, clarissimísque progenitoribus ortus post primos infantiæ, & iuuentutis flores virilem vitæ, & ætatis gradum ascendens, Consulatum, vel Consularem dignitatem (apud Hispanias à Romanis introductam) adeptus est. Huius muneris probitas, taliter Isidori rectitudinem, prudentiam, & æquitatem demonstrauit, vt non solum sæcularia administrare, sed etiam Ecclesiastica moderari munia dignè promeruit. Quod demonstrauit euentus, nam è viuis sublato Valerio III. Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Antistite, cùm electores Isidori virtutem intelligerent, cuius personæ per omnes Hispaniæ terminos opinio volutabat, protinus dignior ad tantæ Ecclesiæ culmen percipiendum ab omnibus acclamatus, insignes Præsulatus infulas nemine reluctante induit. Quam fuerit prudenter electio executa, ipsius acta ad digitum manifestant. Nam post morum correctionem, quam in propriis quibus seuerissimè disposuit, sciens, quod Syluanus Calaguritanæ Ecclesiæ Episcopus præter Sanctorum Patrum placita, & Canonum decreta, propria authoritate, & absque Metropolitæ consensu, quendam Presbyterum in Episcopum consecrare curaret, ejque Episcopatus vacantis regimen tradere satageret, primo literis,

teris, deinde rationibus à proposito deterrere laborauit, quibus euacuatis ad duriora, & efficaciora remedia processit. At Calaguritanus hæc iustissima respuens consilia, tanquam infestissima abiecit S. Præsulis medicamina, & in suo proposito perseuerans Presbyterum consecrauit, Episcopatum vacantem contulit, & Clerum, & Populum (sine quorum suffragiis euenerat) violenta coërtione ad obediendum schismatico Episcopo compescuit. Quod vt agnouit S. Isidorus, ne cæteri Episcopi in tam peruersi facinoris maculam laberentur, protinus per nuntios, & epistolas de facti veritate rescripsit. Ascanióque Archiepiscopo Metropolitanæ Sedis Tarraconensis seuerius de remedio imponendo sine dilatione instauit, donec omnes Prouinciæ Episcopi, literas Hilario Pont. Max. casum includentes scripserunt. Qui Syluani factum damnans, zelum Isidori, & obedientiam Præsulum commendauit.

His, & aliis actionibus Isidorus feruentem de Dei gloria ignem, qui in eius corde delitescebat, indigetauit, sed gloriosè prorupit, cum zelo defensionis, & propagationis Fidei, propriam sedem deserens, ad remotiores Episcopatus sui vrbes properauit. Vt ergo cognouit, quod per idem tempus, quidam Apostata Ayax Galata, peste Ariana infectus, Sueuos, Regis auxilio, hæretici contagij erroribus imbueret, Amphilochiam adiit, vbi Catholicam prædicans veritatem, continuis ab Arianis incommodis grauabatur; donec crescente in Sanctissimo Præsule verborum vi, & in perfidis furoris insania, ille ab istis tentus, grauiora tormenta perpessus vltimum vitæ halitum, Christi nomine inuocato, & Trinitatis numine implorato, dimisit, IV. Nonas Ianuarij Anno Domini CCCCLXVI. Hilario PP. Pontificatum obtinente, Leone Romanorum Augusto Imperante, Eurico Gothorum Principe Hispanias regente, Ramismundo hæretico Ariano Sueuorum Rege, Gallœciam moderante. Corpus Sanctissimi Præsulis à Catholicis sublatum, primò ad ripam fluminis Minij sepultum, post elapsis VIII annis extractum, & apud Libizam translatum, quieuit.

Duo hîc probanda sunt, quæ à nullo ex nostris scriptoribus fuere animaduersa. I. De Aiace Galata hæretico, an per idem tempus Sueuos Gallœciæ Ariana infecerit peste. II. de vero Anno martyrij S. Isidori. De Primo, patet, nam anno CCCCLXV. quo martyrium impleuit S. Præsul incepit Aiax iste Nefarius virus sui erroris diffundere, vt ex S. M. Maximo liquet, in Chron. Era 503. hoc est Ann. 465. sic: *Aiax homo Galata peste Ariana infectus virus suarum hæresum nocentissimum in incautos Sueuos effundit.* S. Isidor. Hist. Sueuor. sic: *Aiax natione Galata effectus Apostata, & Arianus inter Sueuos, Regis sui auxilio, Fidei Catholicæ hostis emersit; Cuius seductione Sueui à Fide Catholica recedentes in Arianum dogma declinant.* En per illa tempora Sueui commaculati seductione Aiacis Galatæ hæresi Ariana. En causa discessus Isidori, & in Amphilochiam Gallœciæ aditum. En à quibus hæreticis Arianis occisus apud Iulianum, & Galesinum. En in omnium concordia: ergo quid petit D. Martinus de Anaya? Sed ad secundam comprobationis partem accedo, quæ in annorum martyrij computo versatur. P. Quintanadueñas, nescio quo duce, eius agonem ad annum CCCCLXXXVI. extendit, motus, quia in Catalogo Præsulum Cæsaraugustanorum, hic annus assignatur, Vincentio S. Isidori successori. At salua reuerentia tanti Patris, proculdubio errorem contraxit, nam in Catalogo non designatur annus ille, vt immediatus morti, Antistitis Sancti antecessoris, sed vt annus in quo apparet memoria Vincentij. Insuper quia numerus anni illius in margine Catalogi nihil operatur, nam Carrillo qui Catalogum scribit, in corpore, aut litera operis, de illo anno haud meminit, ergo perperam Quintanadueñas amplexus est illum dubium annum, relicto securo & certo Iuliani, qui ad annum CCCCLXVI. martyrium fuisse fatetur. Solum vnica mihi remanet difficultas; si anno relato Isidorus martyrium compleuit, quid

quid est,quod dicat Iulianus anno CCCCLII. in Chron.n.128. *Floret memoria in Hispaniis* S. Isidori *Episcopi Cæsaraugustani ab hæreticis Arianis occisi.* Ergo non occisus ad annum relatum, nec ex consequenti Epistola Hilarij Papæ de hoc Isidoro loquetur? Grauis est difficultas, cui vt succurramus, dicendum est, aut Iulianum hic locutum fuisse per anticipationem, vt solet, aut clausula à suo vero loco auulsa, commutata est. Et hoc verius, nam in margine nullus inscribitur annus. Et patet, nam qua ratione, si occisus fuisset anno 452 ad annum 466. martyrium repeteret.

De Consulatu de quo est mentio in Iuliano, non ita strictè hæc vox intelligenda est, vt credas, S. Isidorum Consulem Romanum fuisse, sed moderamine consuetudinis quæ ad instar Consulum Romanorum, in Coloniis introduxit duos Magistratus, quos Duum-Viros appellauit reuerentia obsequialis. Locus celebris Passeratij in Dictionario, verbo Duum-Vir, sic: *Erant autem in Coloniis, & Municipiis Magistratus, item vt Romæ Consules.* Hócque vocabulo de se ipso loquitur Auson. Epigr. 13. de Burdigalia eius Patria, vbi, vt Romæ Consulatum gessit, sic: *Diligo Burdegalam: Romam colo: ciuis in illa:* Consul in ambobus. *Cuna hic, ibi sella curulis.* De quo videndus Aldrete *in orig. ling. Castellan. lib.* 1. *cap.* 3. *fol.* 24. *& cap.* 12. *fol.* 79. vbi ad propositum pulchrè, cui non inficiatur Ios. Scaliger *Auson. Lect. lib.* 2. *cap.* 23. *fol.* 151. vbi explicans illa verba: *Consul in ambabus:* hoc est, *Romæ, & Burdigalæ,* inquit: *Nam Magistratus Municipales, qui ex ordine Decurionum deligebantur, pro institutis Municipij sui, aliàs* Duum Viri, *aliàs* Consules, *alias Quinquennales nominabantur* Et probatur antiquo marmore apud Antiquarium hodie *Antequera*, vbi Verus Pollio Consul Antiquarensis Vespasiano trophæum pro deuicta Hierosolyma dicat. Vide Roder. Car. in antiquitat. Hispal lib 1. c. 10. Quibus hæc absoluitur nota.

HISPALIS, in qua tanquam princeps primas lucis visiuæ auroras agnouit Isidorus, præponenda est. Hodie SEVILLA maximum totius Orbis emporium, Noui argentea Sedes, gazæ Occidentalis aureum diuersorium, ex quo in omnes Asiæ, Africæ, & Europæ regiones, argentea Americæ transmittuntur spolia. De eius antiquitate, magnificentia, viris illustribus, Ecclesiis, Sanctis, diuitiis, & nobilibus scripsere celebres nostro æuo Tyrones integras Historias, antiquior Morgado, post Caro, Spinosa, & Quintanadueñas. Ab ipsis aliquot grani spicas colligemus, vt instituto pareamus. Non quia tanta ciuitas mea efflagitet mendicata suffragia, quando illius mirabilia encomia compaginare, quid nisi Noctuas Athenas mittere consequemur. Ergo (ab illustrissima vrbe obtenta venia) ad intentum pergo. Varia est scriptorum sententia de origine *Hispalis*, & quis tantæ molis fuisset constructor, adhuc ambigitur. S. Isidorus eius filius origine, Pater in præsulatu, Doctor in lege, Patronus in subuentione, & in affectubus omnis, *in Chron. lib.* 3 ab Hispano conditam fuisse præscribit, sic: *De Tubal verò*, Hispani, *& Itali orti censentur*; *Primus Rex* Hispanorum *extitit nomine* HISPANVS, *qui famosam vrbem condidit, quam ex suo nomine* HISPALIM *nominauit, & in ea solium sibi firmauit, à qua etiam* Hispania *nomen traxit.* Hanc deductionem adhuc admissam nulliter inuenio, alio loco diuersam appingemus. Ad Cæsaraugustam diuertor.

CÆSARAVGVSTA, licet aliis, & perperam CÆSAREA AVGVSTA: vt apud Zurit in not. ad Antonin. itinerar. fol. 535. & 536. scribatur, Ciuitas est Hispaniæ Citerioris antiquissima, & nobilissima in Edetanis; Hodie CARAGOZA, totius Regni Aragonum Metropolis, Curiáque olim Regum splendida; ante Octauiani Cæsaris instaurationem, alij Agrippam, & alij Aurippam vocitauere. De quorum nominum assignatione, breuiter percurremus. De nomine Saldubæ, aut Saldiuiæ, quod aliqui impositum à Tubale coniectant, mentio est apud pænè innumeros Antiquitatum scriptores, vt videre licebit in Hist. Cæsaraug. Lud. Lop. de Stat. Sæcul. c. 1. fol. 7. & 8. Qui in huius nomenclaturæ comprobationem adducit peruetustum numisma ex Goltzio in Thes. Antiq. fol. mihi 144. sic:

Cuius

Cuius nummismatis literas : SAL. AVG. licet nonnulli interpretentur SALVTI AVGVSTI,alij vero,vt Goltzius,& Æneas Vice.à quibus Lud.Lop.SALDVBAM, aut SALDIVIAM AVGVSTAM legunt. Et si errorem contraxerit Lud Lop. tàm in nomine vrbis appellans Saldiuiam, cùm sit legendum Salduba, à vocibus SAL & Tubal,quasi Tubalis vrbs ex Sale, propter plurifarias Salis fodinas ibidem repertas: quam in numismatis effigie, in qua, vt minus benè, effigiem mulieris insculptam refert. Quod Salduba, & non Saldiua legendum erit, adeat Criticus Ortelium *in Thes.Geographic.verbo* Cæsaraugusta,*& verb.*Salduba.Ioann.Franc.Andr de Vltaroz *in Vindit.Patr.S.Laur.cap.3.fol.*41. P.Murill. *de Antiq.Cæsaraug.lib.1.cap.1.fol.5.col.1.* Omnia Superius adducta confirmat Inscriptio ab Ortelio relata his verbis. COL. CÆS. AVGVST. SALDVBA. De aliis originibus postea; hic dicta sufficiant.

AMPHILOCHIA, vrbs peruetusta in Gallœcia fuit, à qua Amphilochij Populi,vt ex Iustino lib.44.sic:Gallœcij autem portio Amphilochi dicuntur.De vrbis antiquitate,& conditore,sic Strab.in Geograph lib.3. fol. mihi 62. Apud Callaicos autem consedisse quosdam, qui Teucrum in bellum fuerant secuti, ibique fuisse vrbes, altera Amphilochia, mortuo scilicet ibi Amphilocho, & sociis vsque ad mediterranea vagatis. Quod etiam notat Abraham Ortel.verb.*Callaici.* & Ludou.Nonn. c.53.vbi hanc vrbem Amphilochiam, Aquas calidas, Aquas Gallinas, Vvarm seè, Auriam,& hodie *Orense* dictam credit.De quibus nominibus suis locis agemus.

S.ADELHARDVS GENESIVS. De Sanctitate huius insignis Abbatis,& vt creditur Episcopi,memoria est apud Molan.in nott.ad Vsuard.h.d. sic: *Apud Corbeiam depositio* S.Adelardi *Abbatis.Eius vitam scripsit S.Ratbertus Abbas VI.* S.Adelardi *in Gallia Corbeiæ successor, qui & Paschasius magis vsitatè dicitur.* Arnald. Vvion, & Hugo Menard.in Martyr.Bened.distinctius, sic: *Apud Corbeiam Galliæ* S.Adelardi *Abbatis, qui Regio genere natus rebus huius sæculi spretis vigesimo ætatis anno fit Monachus: de quo illud legitur,quod quotidie bis saltem manè, & vesperè, sua, aliendque peccata, profusis vberrimè lachrymis,deploraret. Abbas autem creatus, ita in omni virtute floruit, vt* Antonij *Sanctissimi Abbatis nomine illum aliqui appellarent.* Eadem prorsus verba Felicius Italicè, & Galesinus Latinè contexuit. Breuiùs Ferrar. in Catal General. De eo Trithem. lib.3.c.248. Baron. in Annal Eccles.tom.9. ann.771. Ex Gallis Script. Annal. Francor. tom.2.Cœtan.ann.809.c.69.fol.46. Vit. Karol. Magn. incert. Auct. eod.ann.fol.64. Engolism. in ipsius vita c.21.fol.84. Eginhard. de Gest. Ludouic. Pij ann.821.& 822.fol.265.Anonym.in vit.& act. eiusd. Lud. ann.821. fol.301. libell. de Construct. Monast. Nouæ Corbeiæ. in princip fol. 345. Hincmar. Remor. Episcop. in quad.epist.c.12.fol.490. Annal. Franc. Fuldens.ann.809.fol.541.& ann.858.§.3. fol.554.omnia tom.2. Scriptorum Gallic. per du Chesne Recollectorum. Bartinian. in Annal.Franc.ann 809 fol.167.tom.3.Script. Andr. Suass. in Martyrol. Gallic. h. d. & Aubert.Miræus. in fast. Belg. ipso die. Ex nostris Hispan. Luitprand. Era 856.vbi P.Higuer.& D.D.Laurent.Ram.Iulian. in var. loc. Chron. & Aduers. infra referend. P.F.Melch. Huelamo in eius vita,hispanè conscripta.D.Francisc.Cascales in Histor. Murtiæ discurs. fin. cap.7. fol.451. P. Bolland. in act. SS. tom.1. fol.111. Sur. tom.1. S.Gerard Abbas Siluæ-Maioris, cuius scripta transcripsit Bollandus. Ex quibus vitæ acta compaginare decreui, licet primò ex peruetusta Nostrorum traditione, quid de ipso senserit antiquitas apud Carthaginem Spartariam,ex Codicibus MSS.Camarini humanarum literarum Magistri apud Murtium olim emeriti, à Huelamo relatis, latinitate donatis,referam; sic:

ACTA SANCTI GENESII ex antiquo Cod. MS. à Camarino Humanarum literarum apud Murtiam emerito Magistro, hispanè conscripta.

GENESIVS cognomento Francus, quia à Francis originem trahebat, ex regio sanguine, benè & prosperè natus fuit, quia Caroli Magni consobrinus creditur, & Rolandi frater. Patres Genesij aliquot annos sine prole viuentes, demum orationibus, eleemosynis, & aliis bonis operibus à Domino Genesium acceperunt. Qui ab infantia taliter vitam gloriosam texuit, vt non nisi Sanctis, & laudabilibus exercitiis, circumspectis moribus, Deo seruiens, & eleemosynis diues, ingeniíque claritate pollens, primos transigeret annos. Post primam ergo iuuentutis ætatem, Palatium Francorum Principum aulicus collustrauit, quo tempore sacris, & prophanis literis imbutus, & vitæ aulicæ perditione perterritus, à Patribus (vt instituti periculosi præcipitium effugiat) continuis efflagitationibus expostulat, vt ad inuisendum Sacratissimum B. IACOBI ZEBEDÆI Apostoli apud Compostellam in Hispania nuper repertum, ei licentiam concedere dignarentur. Renuebat hoc Parentum amor, nam cùm Genesius tot lachrymis, tot orationibus à Deo habitus, & natus fuerit, Paternus dubitabat licentiam concedere affectus. At Genesius, cuius in Domino, & in cœlestibus inhabitabat ardens desiderium, vt mundi illecebras subterfugiens, purioris vitæ excoleret institutum, & Parentibus copiosam, Domino annuente, promittens prolem, ab ipsis desiderata efficaçioribus, & sanctissimis persuasionibus adeptus est. Nauem bene instructam, & vt par erat, ornatam conscendit, Hispaniam adiit, Compostellam deuenit, & promissione soluta, dimissis seruulis, & domesticis, nouam vitæ normam in solitudine quæritauit. Sed inspirante numine, ne à propriis Patrum singultibus inueniretur, notitia loci, quo remanebat, profundiorem secessus in regionis illius latebris spelæum inquirere coactus est. Nec mora. Illico secundo mari se fidit, quod nouum in humeris Anachoretam accepit, sed vix (heu quam fallax vndarum lætitia) Mediterranei sinuosa Nauicula conspexit vada, cùm horrore subito cœlum, terra, & vndæ contremiscunt, nam Eurus, Notúsque ruentes procelloso clangore maris vndas conglomerant, vastósque voluunt ad litora fluctus. Intendunt se flammeæ nubes, & lucido quodam horrore totum illud aëris spatium circumuestiunt, mugiunt tonitrui fragores, præmicant fulgura, volitant procellæ, strepunt fulmina, immixtíque grandini horridi depluunt carbones. Iam iam ab oculis nauigantium discedit cœlum, mare fumigat, vndæ feruent, & terrore percussi Nautæ omnia confundunt, nihil prodest nautica doctrina, aberrat index magneticus, clamor superest, rudentum stridor, & arboris, scissura totum spei subsidium omnibus interemit. Adhuc nec ventorum, coniuratio dissoluitur, quin potius arrepta carina, omnes in vltimum scopuli præcipitium immergit. Iram Dei scrupulosi tunc nauarchi fatentur. Inter eorum magnates (vt tempestas permisit) de temperando Numine conuenitur. Omnium concors opinio concipitur, quod in nauicula adest insignis peccator, cuius delicta vix mare sustinere, nec audet: in expiationem omnium vt fiat vnus peripsema, sancitur: ad sortes deuentum. Quod cùm agnouisset Genesius, qui toto tempestatis tempore sub Nauiculæ integumento delitescens, Deum lachrymis, & orationibus, pro omnium salute deprecabatur,

deprecabatur, sursum adscendens, his, Nauiculariis, affatur verbis: Deum offensum conspicitis, eius sedare iracundiam vultis, hoc immissione vnius ex nostris in mari expiatum creditis, ne alicui fiat iniuria ad sortes properatis: intentum suspendat exhortatio mea. En quem quæritis peccatorem, vt salui sitis me in profundum maris immergite. Annuit dictis afflicta caterua, & Genesius, ad Deum precibus effusis, super clamydem stratus, & in vndas proiectus, velociter Mediterranei vndarum globulos pertranauit. Portum præbuit nouo Ionæ Scombraria Insula, quam vt lustrauit, montem horridum, licet Syluestribus vmbrosum frondibus conspexit, omnium Auctori exhibitis profusè, & solutis deuotè gratitudinibus, & propter receptam de vitæ liberatione mercedem, & de loci opportunitate misericordiam, protinus ad heremiticæ contemplationis silentium, necessarium & proprium incepit situm feruidus quæritare. Nec longius Insulæ viscera penetrauit, cùm in cœnobium Sanctorum quorumdam deuenit Monachorum, qui Deo in solitudine seruientes, Angelicam procul à sæculo vitam peragebant. Quo alacrior factus, illuc ingreditur, Abbati sui causam secessus exponit, & intentum explanat. Abbas nouum humanè recepit Eremitam, à quo & nobilitatis specimen, & virtutis exemplar, propter vultus speciem, & aspectus decorem, didicit. Ibidem aliquot dies cum Monachis egit Genesius, vitam silentioso virtutum apparatu componens, donec maioris perfectionis intuitu, Abbatis permissu, secretiora Mineralis saltus selegit spelæa. Huius per deuexa obliqua, qua saxis asperrimis, & ob id inaccessis, cingitur, conualles, caueæque spinetis aggeratæ, & quaque versus repositæ naturalem tutelam præbentes ambiunt. Hic grandis patet hiatus, cuius ostium littori appositum, alte demissum, & quantum dimittitur, amplior, viret lucis pubentibus vndique, & totum se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo mirificum, vt mentes accedentium primo adspectu consternat, vbi contemplati durauere; non satiet. De summo vertice fons affluens, bullis ingentibus scaturiens vndas argenteas, inque riuulis pluribus dispersus, valles illas, ac amnibus stagnantibus irrigans, in modum cohibet stipati maris cuncta lasciuiens. Vnus in eum descensus est, angustus, cuius margines amœnas ingerunt vmbras, licet opacitate silentij, sæpius aëris volubilitate, syluæ quid agreste resonent folia. Hic Genesius ita vixit, vt ab ipsis Monachis, Eremita sanctus, fuerit compellatus, cuius vestis fimbriam deosculantes, illis erat parœmia: Iam domum deserens in montem ascendit Antonius, illam odoribus plenam cœlestibus derelinquens. Hæc sancta igitur sæpius multiplicans exercitia, per XXV. (vt asseritur) annos eremum excoluit; donec Parentum inueteratus amor Rolandum filium, & Genesij fratrem impulit, vt filium, & fratrem exulem per orbis Hispani plagas, aut quia Carolus Magnus prole orbatus vltimam complebat senectutem, cuius Genesius, vt natu maior, & sanguine propinquior, Regnorum erat aiunt hæres designatus, aut quod verius est, quia Parentes ante ipsorum obitum filium Genesium vltimum vale dicere concupiere, quæreret, & inuentum, ad Parentum desideratos perduceret amplexus. Patrum Rolandus annuit votis, & Hispaniæ littoribus penetratis, portubus lustratis, Compostellam deuenit, nec illic de fratre quidquam prouidus inuenit speculator. S. Apostolo Parentum obtulit vota, & quo fratrem exulem possit conspicere lachrymabundus à IACOBO efflagitat, qui interius viscera Rolandi commouens, ab Altaris Apostolici Rolandus confortatus discessit adspectu, & nauem conscendens, post Oceani diluuium, & Mediterranei angui-portum pererratum, demum, magnis laboribus

exantlatis ad Carthaginensem Hispaniæ sinum, quò nunc caput Rolandi (fortè ex hoc tempore,& origine) dicitur, peruenit. Hic soluta carina, portum arripit, Insulam lustrat, & ad Mineralis montis cacumina accedens, dum se se per aspera obliqui nemoris tesqua euanescit, itineris confusione ramorum semitam penitus aberrauit. Tunc tuba cecinit, ad cuius sonitus tinnitum Genesius arreptus, protinus insurgens sonoræ vocis halitum per condensos arborum frutices, auctorémque buccinæ quæritabat. Inuenit Rolandum Genesius, & dispositione diuina, vterque alterius conspectu obmutescens, ille fratrem agnouit, iste germanum inuenit. Aduentus causas retulit Rolandus, illis se opposuit Genesius, & post longam de status sui perseuerantia disceptationem, demum Rolandum dimisit. Qui Parisios rediens, Parentibus, & Carolo Magno vltimam Genesij voluntatem aperiens, omnia de loco, instituto, & moribus Sancti Eremitæ conducibilia recensuit. Vixit ergo aliquot annos ibidem Genesius, donec resolutionis eius tempus peruenit, quo receptis Ecclesiæ Sacramentis, creatori animam purissimam commendauit,ad annum Domini DCCC.Imp.Carolo Magno.

Hæc sunt per epitomen acta,quæ ex traditione maiorum, & M S. Codice Camarini, à Huelamo recensita hispano sermone, & per nos latinè facta, deprehendimus. Quantum absorbeat tempus, fatebitur quisquis, & si seuerioris censuræ scrupulus. Quam parùm hæc à veris distent,ex collatione vtrorumque, patebit, quod vt ne longius protrahatur,ad vera pergo.

ADELHARDVS GENESIVS secundum totius generositatis genelogiam ab ingenuis Francorum Regibus deducens natiuitatis lineam, natus fuit ex Patre Bernardo Milone de Anglesia, Fratre Pipini Regis, Caroli Magni fuit consobrinus, & ex Berta illustrissima fœmina filia Pipini fratris sui Hoc natus illustri genere in Curia (vt moris est Proceribus versabatur inter Magnates, & Pares Galliæ. Porrò cùm quid præter æquitatem à Carolo factum putaret (de repudio Caroli intelligitur) iustitiæ zelo succensus vigesimum iam agens annum, maxima animi virtute, regni opes spreuit, & ad Corbeiense cœnobium, velut Moyses in eremo, Dei fruiturus alloquiis commigrauit, vbi breui temporis spatio rarum eximiæ humilitatis & cœlestis vitæ specimen præbuit; adeóque ad spiritualium rerum contemplationem inflammatus est, vt minimè dubitarit, parentum, ac cognatorum visitationes declinare, nudúsque, & omnium egenus, bona Abbatis venia, per vasta, & occulta eremi, loca Montem Cassinum petere. Sed inde Regiis Nuntiis ad Patriam reuocatus, non multò pòst summo Præsidentis Monasterij assensu, successor eligitur, Abbasque Corbeiensis mira omnium gratulatione, pronuntiatur. Quod ille munus tàm insigni prudentiæ, & iustitiæ significatione moderabatur, vt eius consiliis, non modò Francia, sed & omnium fidelium regna, submissa forent, maximè Italia. Quæ ita omninò ei concredita fuit, vt & Regnum, Pipinus iunior, eius potissimum disciplinis, ad statum Reipublicæ, & Religionis cultum informaretur. Vnde tantam promeruit laudem, vt à quibusdam (vt fertur) non homo, sed Dei Angelus prædicaretur. Iustitiam siquidem omnibus, tanta æquitate, vir Sanctus, administrabat, vt animi eius integritas, aureo (vt assolet) pugno, nunquam expugnari potuerit. Erat præterea viduarum patrimonium, pater orphanorum, brachium infirmorum, & fortè flagrum superborum.

Hoc tempore agitata est quæstio de processione Spiritus Sancti, quam primo mouit quidam Ioannes Ierosolymis, super qua Carolus Magnus ad vrbem Aquas Concilium indixit, sed quia altiorem

causa

causa requirebat authoritatem, Adalhardus Genesius cum aliis Episcopis à Carolo Augusto Romam ad Leonem Pont. Max. Legatus missus est. Tanto ibidem à Pontifice exceptus est, humanitatis officio, quanto ante ipsum nemo. Et quamquam omnibus esset virtutibus ornatus, omnium tamen piè, & sanctè viuentium vitam, moresque contemplabatur, & si quid in iis imitatione dignum inueniebat, id summo mentis studio, viua in se imagine exprimere nitebatur. Post multa à Carolo bello, paceque patrata negotia in Ierosolymorum expeditionem arma conuertere tentat, ideo instructo, pro recuperatione Sanctorum locorum, exercitu progreditur, cuius vestigia insequitur Adalhardus Genesius, qui Carmelitanos fouens, & fauens, ab oppressione, qua tenebantur, reddidit liberos, quorum institutum, non pauci ex militibus exercitus desertis, arripuere vexillis. Huius expeditionis exitus, vt fatalis Carolum & militem compulit, vt relicta Iudæa in proprios aduentare properaret lares. Reuersi Galliam Adalhardus Genesius à Carolo Magno instructus, Hispanias exlegauit, vt Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum Episcopos ab hæretica de Christi D.N. adoptionis opinione, dimoueret. Quod vt in causa fidei Adalhardus Genesius sine intermissione peregit, & instructa cum Elipando disputatione, demum ad veram fidei regulam Toletanum Antistitem, validissimis traduxit rationibus, Felicem, vt proteruum in sua relictum hæresi, damnans. Corbeiam reuertitur Abbas, quo extans pauperum consolator, frequenter sanè tanta eis promptitudine succurrebat vt se suósque ad quamdam egestatem reducere videretur. Sed tunc præcipuè maximo spiritus gaudio, hoc sæpius repetebat: *Vtinam vel in modico paupertatis Christi participes efficeremur.* Erat præterea tanta erga calamitosos commiseratione, vt non secus continuis lamentis, illorum casus, quam proprios deploraret.

Sed cùm per id tempus Alphonso Asturicæ, & Legionis in Hispania, cognomento Casto, Rege, Carolus in expeditionem Prouinciæ à Sarracenis occupata, aliqua non ignobilia submittere subsidia destinasset, Bernardum Milonem de Anglesia Patrem Adalhardi Genesij, & Comitem Andegauensem, & ipsum concessit Adalhardum. Qui Hispanias adeuntes, Alphonso illustria subsidia præbuere. In quorum gratificationem sacra S. Leocadiæ V. & M. Toletanæ, apud Ouetum ex Toleto in Saracenorum excidio allata lipsana Comiti Andagauensi portanda permisit Alphonsus. Quo cum pretioso Virginis thesauro, in Gallias reuersi, post ad Suessiones in Cœnobio Benedictinorum S. Medardi vocabulo, adnotato, sanctum corpus redactum, ibi per aliquot sæcula honorifice requieuit, donec ad propriam vrbem temporum decursu, vt suo loco dicemus, relatum est.

Cum ergo inter mundi discrimina, huc, illúcque S. Abbas pro Ecclesiæ negotiis cogeretur quandóque discurrere, vt visum est, nunquam tamen est agnitus suæ regulæ instituta deserere. Pro lectione vacabat fletibus, & pro reliquis Officiis, mentis iubilo Domino famulabatur. Semper vno erat, eodémque vultu, semper hilaris, semper mitis ac lætus inueniebatur, impatientia nunquam turbabatur, longaminis, & benignus in omnibus habebatur. Erat enim filius pacis, charitatis cathena, vt fraterna sibi viscera inuicem cohærerent. Nouit hoc Spoletum, & Beneuentum, qui cum hostili gladio, nimis acriter in se inuicem sæuirent, ille se medium interponens, tanto eos pacis fœdere coniunxit, vt positis inimicitiis maioribus se mutuo beneuolentiæ signis, iam complecterentur, quam antea immani odio se prosecuti fuerant.

Carolo namque vita functo, Ludouicus eius filius in regnum successit, sub cuius imperio, solitis prauorum insidiis, veritas agitari, iustitiáque stultorum criminibus, lacerari cœpit. Sed cum Christi seruus, illorum conatibus, intrepidè sese opponeret, nihil non excogitauere impij quatenus eum, ceu Danielem, à Regis latere amouerent, vt iustitia defensore destituta, iniquitas dominandi locum reciperet. Tandem igitur peruersi, & improbi, dolo, & inuidia accensi, sine accusatore, sine congressu, sine iudicio, omnibus eum bonis exutum, vulgíque existimatione fœdatum, exilio mulctari curarunt. Et si adsit qui dicat, hoc verisimilius accidisse, ex eo quod incestas Ludouici Imperatoris nuptias Adalhardum publice reprehendere nulliter erubescebat. Tulit exilium Vir Sanctus non modo forti inuictóque animo, sed gratias etiam Deo egit, quod dignus inuentus esset pro veritate contumeliam pati. Fratres autem, & Sorores, qui eumdem casum subire coacti sunt, nunc blanditiis, nunc Sanctorum exemplis, ad mentis constantiam hortabatur; Cæsaris verò iniquitatem, apud omnes passim tegere, & excusare nisus est. Interea boni omnes, quibus magnum sui desiderium relinquebat, multis lachrymis absentiam eius deplorare, assiduísque precibus Imperatoris animum, vb ab iniquo, tantæ Sanctitatis virum exilio reuocaret, fatigare, cœpere.

At S. Adalhardus Genesius cùm ad locum exilij (Insulam nempe Herus, seu Ebusum vocitatam in solo Aquitanico, vel potius Hispanico apud Carthaginem Sparthariam) deuenisset, audito de inuentione Corporis sanctissimi IACOBI ZEBEDÆI Apostoli apud Compostellam in Hispania, rumore, vt tanta inuiseret pignora, illico, relicta Insula (vel Hero, Ebuso) Compostellam deuotionis, seu promissionis vinculo transfretauit, ibidem Venerandum Sancti Apostoli, & Hispaniarum Doctoris, & Patroni, deuote, & affectuose veneratus Mauseolæum, apud illud aliquot creditur dies esse diuersatus, donec, ne illic à Peregrinis Gallicis, quos continua deuotio illinc perduxerat, agnosceretur, in locum à commercio gentium alienum secedere coactus fuit. Hoc S. Abbas proposito imbutus nauem conscendit, & tempestate suborta in Scombrariam Insulam (vt ex Camarino retulimus) prope Carthaginem Sparthariam Hispaniæ soluens, illud (de quo diximus) insigne Monasterium adinuenit, vbi tanta morum venustate, tantis sapientiæ documentis, tantáque virtutum sublimitate, inter sanctos illos fratres, sub quorum obedientia degebat, conuersabatur, vt eum cuncti summo honore prosequerentur, donec extructo Eremitorio iuxta altæ rupis basim, ab illis separatus per Septennium vitam admirabilem egit. Quo tempore euoluto ad pristinam recipiendam dignitatem à Cæsare reuocatur. Quare Clerus ineffabili iucunditate resultare, Monachi sibi inuicem congratulari, populi concursus vndique fieri præ lætitia, cœpereisicque factis omnium acclamationibus, longa corporis macie attenuatus, Vir Beatus, tandem ad Palatium peruenit. Ibi à Proceribus maximis, beneuolentiæ indiciis susceptus est. Omnes supplices sese ad eum demisere, ipséque Imperator, Theodosij exemplum imitatus, & pro isto, ac nonnullis aliis reatubus publicam pœnitentiam suscepit, factus omnium humillimus; quatenus quorum mentes palam delinquendo offenderat, easdem publica satisfactione sanaret. Postea Beatus Abbas à Monasterij sui filiis inenarrabilibus exultationis, charitatísque signis, inductus, & in pristinum dignitatis gradum, Cæsare iubente restitutus est. A quo, vt se exuere, animóque curis soluto, cœlestium rerum considerationi totus vacare posset, iugiter laborabat. Pro Orphanis,

phanis, & debilibus Xenodochium instituit, quibus tanta pietate ministrabat, vt huius officij ministros, velut Medicus sæpe instrueret, quo artificio cibos, quibus eorum sanitas constabat, pararent. Necnon Regi, & Proceribus, quando eum inuisebant, mediocriter omnia suppeditabat. Cùm autem toto vitæ annisu, omnibus prodesse satageret, charitatis negotiis oneratus, vsque ad Saxoniæ fines peruenit, vbi in loco quodam amœnissimo propè Vvisiram fluuium à Rege illi concesso, & multis postea ab eo beneficiis aucto insigne Cœnobium erexit: Quod Corbeiam Saxoniæ, alterius Corbeiæ, Galliæ, vt pote de nomine indigitauit, vt signum esset in posterum à quo prius illud esset fundatum. Illic nouos instituti piis monitis iugiter fouebat alumnos. Demum Vir Sanctus ad Corbeiam Gallicam rediens, diuino amore, ac spiritali gaudio totus perfundebatur, hinc inde exultans Deum Omnipotentem non in vna Regione, à suis glorificari; Omnia vtrisque omnibus factus, vt omnes Christo lucrifaceret. Instante igitur Dominici Natalis solemnitate, triduo ante, dùm pro consuetudine in Æde sacra, nocte concubia, precibus, lacrymísque vacat, validissima febre corripitur. Proinde luce sequenti conuocatis in vnum fratribus, ita ferè eos est allocutus: *Ego quidem, dilecti Fratres, breui migraturus, de creditis mihi ouibus, rationem reddere cogor; vos autem paulo post eodem vocandi, de obedientia, & rebellione sententiam excepturi estis. Quare attendite animis. Mementote nos vni quandoque, eidem iudici sistendos, singuli pro se rationem reddituri. Ego si fortè sciens, aut ignorans, Offendiculo vobis fui, quæso indulgete: equidem vicissim, si quid vobis indulgere, ex me necessarium, Christi vice, lubens relaxo.* His ita præmissis, se totum ad æternitatis considerationem comparauit: & in Oratorio S. Martini, Sacris indies, astitit, cœlestíque epulo quotidie se pauit, & denique à B. Hildemanno Bellouacensi Antistite, sacro Oleo inunctus fuit. Sicque demum visibili primùm Christi Domini apparitione solatus, postridie Octauarum Natalis eiusdem, omnibus iam Sacrosanctis munitus Sacramentis beatam Creatori reddidit animam. Anno DCCC. XXII. Imp. Ludouico Pio. Pontificatum Maximum tenente Stephano Papa V. Hispanias dominante Alphonso cognomento Casto. Corpus B. Abbatis fuit magno pietatis affectu, fratribus ingenti id luctu, profundisque gemitibus, prosequentibus in Basilica B. Petri Apostoli tumulatum, sub miri artificij polito lapide, hisce versibus exornato:

Hic iacet eximius meritis Venerabilis Abbas
Noster Adelhardus, dignus honore Senex.
Regia prosapies, Paradisi iure Colonus:
Vir charitate probus, moribus, atque fide.
Quem dùm sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es; Quid eris: Mors quia cuncta rapit.
Nam post Octauas Domini, hic carne solutus,
Succedente die, Astra petiuit ouans.

Post ad Annum DCCCLXXXVI. eius sacra lipsana allata fuere ex Corbeia Galliæ ad litus Carthaginense Hispaniæ, & in antiquo illo Eremitorio ab ipso dum, dum illic exularet, constructo, reposita, adhuc veneratione debita coluntur; Quorum mi-

racula inſigniora veritatem depoſitionis iugiter manifeſtant. Acta, & huius tranſlationis, & depoſitionis epigraphen his ſeptem dictichis cecinit Camarinus, à quo vitam exſcripſimus, & in principio repoſuimus.

PRO D. GENESIO
Eptaſtichon.

Sat memor in terris, quàm ſint mortalia cuncta,
Fluxa, caduca nimis, quàm peritura breui.
Regum, & Imperium moriturum ſpontè reliqui,
Rectius vt poſſem, ſic meruiſſe Deum.
Aſpera Montis erant noſtri domicilia lecti,
Diſceret vt corpus dura ferendo, pati.
Hiſpida membra gelu, contexit dura melote,
Præbuit, atque dapes herba reuulſa manu.
Potus erant lachrymæ contriti flumina cordis,
Quas ego ſæpe bibi, nocte, diéque gemens.
Scilicet, vt poſſem flendo penetralia cæli
Rumpere: Nam lachrymis flectitur ipſe Deus.
Oſſa ſepulta iacent tumulo, ſub Monte Larino:
Aſt anima in cælis conſidet Empyreis.

En acta integra prout ſcripta ab exteris, & noſtris inueniuntur Scriptoribus, quæ à primis differunt in exordio, exulatui, reuerſione, & morte. Conueniunt verò in origine, in ſeceſſu, in vita eremitica, in voto ad Diuum IACOBVM, & in vitæ ſanctitate. In Mortis anno haud breuis eſt diſtantia, Nam, Camarinus, qui ſola populorum, & maiorum traditione nitebatur, ſuſpenſiuè annum retulit. Aliquas clauſulas à nobis interpoſitas in actis proximè relatis, quas haud inueniet in recollectione Surij, Bollandi, & Graſſij ſcrupuloſa indagatio, elucidare conabor, vt veritatis contextura, etiam ab ipſis Gallis omiſſa cognoſcatur.

De Cognomine Geneſij. Iulian. Perez. aduerſ. 257. *Milo Angleſius, dictus Bernardus, Frater Magni Pipini, duxit vxorem Bertam, filiam fratris ſui Pipini ex qua genitus eſt* Geneſius, *Rolandus, & alij duo fratres, & duæ ſorores.* Clarius in Chron. num. 420. *Corbeta in Gallia* S. Abelardus, *cognomento* Geneſius, *cognatus Caroli Magni, & Ducis Rolandi frater.* Luitprand. in Chron. num. 275. D. D. Laurent. Ramir. in eius Not. fol. 341.

De transfretatione in terram Sanctam. Iulian. aduerſ. 264. ſic: *Ferunt paulopoſt annum DCC. LXXIX. Carolum Magnum ad terram ſanctam à Barbaris oppreſſam, aſſerendam cum exercitu traieciſſe, & eum ſecutum fuiſſe* Geneſium *Abbatem Corbeienſem, qui nimis fauit Hieroſolymis fratribus Carmelitanis, miſerabiliter oppreſſis, & eius cauſa multi viri militares, relicto militia cingulo, vitam illam ſecuti ſunt.* Cui alludit Robert. Monach. lib. 1. de Bello Sacr. qui Vrbanum II. in Concilio Claromontano Principes Franciſcos alloquentem introducens, ſic affatur: *Moueant vos, & incitent animos veſtros ad vtilitatem geſta prædeceſſorum, probitas, & magnitudo Caroli Magni, qui regna Turcarum deſtruxit, & in eis fines Sanctæ Eccleſiæ dilatauit.* Et vt ne hoc ſuſpicionem falſi excitet, Huldric. Murius in Chron. German. lib. 8. debitum veritatis exoluat, ſic: *Sunt authores quoque qui ſcriptum reliquerunt, poſthac tenus omnia dicta, ab eo petiiſſe auxiliatores copias, & Concilium, Conſtantinum, Conſtantinopolitanum Imperatorem aduerſus Turcam. Ipſúmque Carolum*

lum collecta, vndique ex Germania, Gallia, Hispaniis, & Italia manu, in Asiam profectum, Turcos frequentibus prælijs victos profligasse, & in ea expeditione vsque Hierosolymam peruenisse incolumem, incolumique exercitu, multas illinc secum adsportasse reliquias, quæ adhuc hodie in quibusdam Germaniæ, & Galliarum Ecclesiis maioribus ostentantur. Vbi rediit ex Hierosolyma in regna sua, exceptus est cum omni, quæ ab homine excogitari potuit, reuerentia. Eadem (licet diuersa ex causa) Gotfrid. Viterbiens. in Chron. Part. 17. in Carolo Magno. fol. 457. tom. 3. Script. German. Quibus nostrum Iulianum, non sine opinione locutum, comperimus.

Quod venerit Legatus S. Genesius in Hispaniam pro reductione ab hæresi Episcoporum Elipandi Toletani, & Felicis Vrgellensis, expressus est locus ipsius Iuliani aduers. 265. Cuius hæc sunt verba: *Nec multo post iuit in Hispanias* (Adelardus Genesius) *missus à Carolo Magno ad Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum in negotio adoptionis Christi. Retulit epistolam Caroli ad Elipandum, cum quo disputauit, & eius rationibus, & precibus Elipandus resipuit, manente in sua perfidia Episcopo Felice.* Breuius aduers. 439. sic: *Imperator Karolus Magnus misit* Adelardum, *cognomento* Genesium *Abbatem Corbeiensem, Legatum ad Helipandum Toletanum Pontificem.* Hæc potest elucidari clausula ex Aimon. lib. 4. de Gest. Francor. cap. 83. & cap. 85. in quibus de Elipandi, & Felicis Episcoporum hæresi, extirpanda & damnanda in Synodo à Carolo Magno Francorfundensi agitur, & ex Eginhardo in Chron. ann. 792. tom. 2. Script. Gall. fol. 246. & ibidem ex fragment. Chron. fol. 207. Item ex epistol. 97. Adrian. Papæ conscripta omnibus Episcopis Hispaniæ, quæ adest excussa tom. 3. Script. Gall. fol. 818. Cuius initium: *Adrianus Papa Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectissimis nobis omnibus Orthodoxis Episcopis per vniuersam* Hispaniam *commorantibus.* Et infra: *Porrò & de partibus vestris peruenit ad Nos lugubre capitulum, quod quidam Episcopi ibidem degentes, videlicet* Elipandus, *& Ascaricus, cum aliis eorum consentaneis,* Filium Dei adoptiuum confiteri, *non erubescunt, quod nullus è qualibet hæresi antea talem blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestorius, qui purum hominem Dei confessus est filium.* Cætera ibidem reperies.

De migratione Genesij cum patre Milone, & Andegauensium comite nullum reperio, nisi Iulianum authorem. Qui aduers. 450. sic loquitur: *Comes Bernardus Milo de Anglesia venit in Hispaniam cum filio* Abdelardo *cognomento* Genesio, *Abbate Corbeiensi, & Episcopo quondam Legionensi, rectéque Regem Alphonsum, dictum Castum adiuuit; ab eóque Comes Andaganensis Comite Genesio corpus S. Leocadiæ suscepit, quod tunc erat Oueta. Hæc Virgo Martyr sub Daciano Præside Hispaniarum, Ciuis Toletana fuit; & in Galliam detulit ad Suessiones, & rogatu Monachorum Benedictinorum S. Medardi, in eorum cœnobio reliquit.* Eadem fere verba Luitprand. *in Chron. an.* 799. Quo loco plura compaginauit. *Nost. D. Thom. Tamayo à fol.* 175. *vsque ad* 180. Quibus addo Aubert. Myreum *in Fast. Belgic. die IX. Decemb. fol.* 729. sic loquentem: *Sarracenis Hispaniam deuastantibus, cum fideles ad munitiora loca confugerent, secúmque complures Sanctorum reliquias pio deuotionis affectu deferrent, corpus quoque* B. Leocadiæ *Virginis, ac Martyris Toletanæ, primo Ouetum, deinde Hannoniam translatum, in vetusto. ac nobili Monasterio S. Gisleni in Cella Monachorum Benedictinorum quod est in Diœcesi Cameracensi, decenter repositum, magnam apud loci habitatores, vicinósque venerationem habuit, per annos supra quadringentos.* In reliquis consule Scriptores à Tamayo obseruatos.

De causa exilij S. Adalhardi, ex eo quod incestuosas nuptias Ludouici Imperatoris reprehenderet; licet inter Scriptores, quos viderim, nullum de hoc penè verbum inueniatur, attamen Iulian. aduers. 437. sic asserit: *Verosimile est Sanctum Virum* Genesium *Abbatem Corbeiensem, & Episcopum missum in exilium, propterea quod* incestas nuptias *Ludouici Imperatoris reprehendebat; qui cum consanguinei essent, sine dispensatione S. P. R. vitam ducebant coniugalem, & impositum est illi, quod conaretur contra Ludouicum Imp. coniurare.* De hoc nec disputo, veritas in suo insit vocabulo.

De aduentu S. Genesij in Compostellam, vt corpus sacratissimum S. IACOBI visitaret, nuperrimè repertum, sic Iulian. aduers. 436. *Hic quidem* Abbas *inuisit*

corpus

corpus S. Iacobi in Hispania non multo prius repertum. Consonat vetusta traditio ex Camarino supra, sic: *A Patribus expostulat, ad inuisendum sacratissimum B. Iacobi Zebedæi Apostoli, apud Compostellam in Hispania nuper repertum ei licentiam concedere dignarentur.* Post voti solutionem in Scombrariam Insulam, prope Carthaginem Sparthariam secedit, deuicta miraculose Mediterranei tempestate, vt ex Camarino retulimus, quò recidit Iuliani sententia d. aduers. 436. sic: *Et quandam in mari passus est tempestatem, à qua viri, nauisque liberata est precibus Sanctissimi Viri Episcopi, & Abbatis Genesij.* In eo discrepantia inter nostros, & Gallicos Scriptores, nam isti ad Insulam Hero in Aquitania exulasse, quod & nostri concedunt: sed post ex hac Insula Compostellam adiit, Scombrariam demum peruenit, & hoc nondum percepere Gallici, sic Iulian. in Chron. num. 420. sic: *Corbeiæ in Gallia* S. Abdelardus, *cognomento* Genesius, *cognatus Caroli Magni, & Ducis Rolandi Frater, qui prius* Enesi *exulat, vel* Ebusi; *secundo prope* Carthaginem *in Hispania.* Ex quo omnium ecphrasi datur locus.

His sic prælibatis, cætera quæ ad translationem spectant, videnda sunt die XXI. Maij, quod creditur ad Nostros peruenisse sacra pignora, vt ibidem demonstrabimus. De Episcopatu Lugdunensi, seu Leugionensi in Gallia, & Vrsitano in Hispania authores sunt Iulian. aduers. 254. & 386. Luitprand. in Chron. n. 297. Quid tenendum? Docti videant. Quod interfuerit aliquibus Conciliis apud Gallos congregatis apparet ex collect. Concil. Gallic. à P. Iacobo Syrmond typis euulgata. tom. 2. vt videbis per adducta à D. D. Laurent. Ramir. ad Luitprand. num. 301. fol. 341. Pro coronide en à quodam Monacho Corbeiensi in Saxonia summatim vitam Sancti Adelhardi Genesij breuibus exaratam carminibus, quam vt reconditam, exhibeo.

O Pater eximie, Monachorum dux Adalharde,
Regia stirps alte Francorum, dum genuit te,
Mundum spreuisti, pauper pro nomine Christi,
Annos ætatis dum bis denos habuisti,
In Corbe veteri Benedicti iura subisti,
Inde noua Corbe nostra, pro Patre petisti,
Annis bis binis; Post in Patriam rediisti,
Ac inibi plenus ætate, fidéque decorus,
Vitam finisti sanctam, Pater inclyte Christi
Lux octaua fuit, dum nonáque crastina luxit,
Hora qua Christus moriens est in Cruce fixus;
Quem prece sincera pro nobis iugiter ora,
Vt pietate sua, nobis det gaudia vera.

In quanto haberetur olim pretio memoria Sancti Adalhardi Genesij in Hispania, & præcipue apud Carthaginem Sparthariam, indicant Luitprandi verba in Chron. num. 275. sic: *Carthagine Spartaria habetur in pretio memoria Sancti Abbatis, & Episcopi* Abhelardi, *cognomento* Genesij, *ex Genere Caroli Magni Imperatoris.* In quanto hodie sit nostrorum Scriptorum historiæ testantur, quorum catalogum in huius notulæ apposuimus exordio. Miracula quæ interuentione ipsius sanctissimi Abbatis patrantur nonnulla refert Huelamo in integra huius Sancti historiola. Monasterium Ordinis S. Francisci, eiúsque descriptionem luculentissimo sermone prosequitur D. Francisc. Cascales in hist. Carthag. discurs. vlt. cap. 7. fol. 451. in quo de situ loci vbi sacras recondit reuerentia glebas. Locorum conuicinorum quanta sit deuotio, tam in votis, quam in appositione, & gestatione nominis Genesij, depingit. Quibus remissum Lectorem volumus.

Denique vt omnibus pateat, quanta adhuc sit ad huius Sancti Genesij (sic Hispani vocitant,

vocitant, quem Galli Adalhardum) cumulum affectio, non abs re erit, diploma perpetui Iubilæi à Sanctiss. D. Clemente PP. VIII. concessum pro Confratribus ipsius inserere Abbatis sanctissimi, à Huelamo fol. 198. col. 2. recensitum.

BVLLA IVBILÆI PERPETVI pro Confratribus Sancti Genesij, vulgo de la Xara.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad Perpetuam rei memoriam.

CVM sicut accepimus in Ecclesia Sancti GENESII de la Sciara Carthaginensis, vna pia vtriusque sexus Christi fidelium Confraternitas, non tamen vnius artis, specialis Cordigerorum S. Francisci nuncupatorum, canonicè instituta existat, quæ se in bonis operibus exercere consueuit. Nos vt Confraternitas prædicta, maiora indies suscipiat incrementa, De Omnipotentis Dei misericordia. ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius, authoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem de cætero ingredientur, die primo eorũ ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Indulgentiam plenariam, & tã ipsis in posterũ scribendis, quàm iam descriptis in ipsa confraternitate Confratribus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter verè pœnitentes, & confessi, sacráque Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem vere contriti, nomen IESV ore, vel corde deuotè inuocauerint, etiam plenariam. Datis Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris. Die IV. Decembr. M. D. XCIX. Pontificatus Nostri Anno VIII.

Cætera, quæ de diplomate desunt, omittimus, vt communia. Et licèt ibidem festiuitas S. Genesij ad diem XXV. Augusti referatur, non ex hoc nostram conturbat ecphrasim. Quia cum maiores nostri penitus S. Adalhardi acta perdidere, nec quid tenendum fore, quoad diem transitus cognouere, attracti ex sinonome nominis S. Genesij Arelatensis, cuius illo die festum concelebrat Ecclesia, ideò eius itidem appinxerunt; cum re vera hodie indicendum sit.

CORBEIA. Celebris est in Gallia huius Monasterij memoria, ex quo & in Saxonia aliud deductum à nostro S. Adalhardo Genesio conspicimus. Vtrius chorographiam expendemus, vt instituto satis nostro faciamus. Gallica ergo, quæ nunc CORBYE nuncupatur iacet in Gallia Belgica ad Somonam fluuium inter Ambianum, & Peronam, ab eis ad IV. M. P. Gall. dissidens inter Oppida Picardiæ non obscurum. Huius Cœnobij à primo lapide instructrix fuit Sancta Bathildis, Clodouei II. Francorum Regis vxor, quod SS. Apostolorum Principibus Petro, & Paulo dicauit, vt ex ipsius vita ab Anonymo eius æquali scripta, & apud Sur. tom. 7. recensita, & in Scriptor. Gall. tom. 1. fol. 667. transcripta, apparet. Et integrius à Nicolao I. Pontif. Maximo in quadam Decretali Epistola à P. F. Anton. de Yepes in Chron. Bened. tom. 2. in Append. fol. 2. Script. 1. relata, sic: *Nos igitur considerantes religiosam esse petitionem tuam, & nihil noui nos constituturos, si prædecessorum nostrorum decreta sequamur: Pastoralis quoque pariter esse Officij seruorum Dei ingiter vtilitati, commodisque prospicere: decernimus vt Monasterium* Corbeiæ, *quod ad laudem Dei, in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, ac Pauli constructum esse dignoscitur, & à* Baltilde Regina Francorum, *filióque eius* Lothario *à principio fundatum, & donariis, rebúsque necessariis locupletatum, quod est in pago* Ambianensi *super fluuium* Sumna *situm, rerum suarum in omnibus habeat, disponendi regulariter*

regulariter potestatem. Cætera quæ de huius cœnobij antiquitate, diuitiis, Principum fauoribus, Pontificum indultis, videnda apud Yepes d. Chron. tom. 2. ann. 662. c.2. fol.281.

CORBIA Saxoniæ in Vuestphaliæ sita est confinio ad Visurgim fluuium à S. Adhalardo Genesio nostro ad Corbiæ Gallicæ similitudinem constructa, Hamelæ, Casellæ, & Padebornæ vrbibus finitima. Anonym. Antiquus Script. tom. 2. Script. Gall. fol. 334. de eius constructione libellum integrum conscripsit, quem, ne repetam, poterit quiuis perlegere.

Monasterium verò quò apud Carthaginem Spartariam corpus *S. Genesij* reconditum, veneratur, à principio humilis domus, seu Ecclesia fuit, donec *D.D. Didacus de Arze* Episcopus Casanensis, post electus Tudensis à fundamentis templum, oratoria, & eremitoria construxit, quæ affectum *S. Genesio* ipsius Præsulis demonstrant, vt inquit *Cascal. Hist Carthag. discurs. fin. c.8. fol.*454. Huius loci situs amœnitatem eructat, ad Orientem, & meridiem collum erigit mons *Larinus*, hodie *Atalayon* vocitatur, cuius viscera in dies Africani percurrunt. Orientem versus inspicitur *Scombraria Insula*, quo turris eximia perseuerat, militum munitione firmata, & ibidem situs, quò *S. Adhalardus Genesius* soluens, terram accepit, inuisitur. Ab ipso intra maris ostia incipit continentis zona, quæ percurrens Austrum versus, quasi quinque leucis, finem accipit in *Pinneto Murtiæ*, quò denuo terram amplectitur. Istius zonæ terrestris latitudo, vbi amplior est per mille, communiter per quingentos, vbi strictior per trecentos passus extenditur. Adest ad radices montis sinulus angustus vix duas capiens galeotas. Ab aduerso latere in mari minori apparent *Insula ceruorum*, & quæ *Redondela* communi nuncupatur vocabulo: inferius Insula *Cunicularia*, & *Perdiguera*. Vlterius peruenitur ad turrim *Estatij*. Ad ipsius latus in mari maiori conspicitur *Insula Grossa*, Piratarum spelunca. Post Insula *Canizada*, & demum in zona *Turris Pinatensis* ad tramontanam. Per illius oram maritimam, vallis inspicitur fertilitate conspicua, carminum, seu domorum, & turrium assiduitate mirabilis. Ibidem Romani auri, & argenti fodinas habuisse ex *Polybio* dignoscitur. Marmorum serramenta pulcherrima, ibidem contuentur, denique & ad vitæ contemplationem, & ad solatij applicationem perelegans situs. A vero discessit P. F. Ioannes Marquez *in Orig. Eremit. S. August. c.*15. §.7. *fol.*288. & eum sequutus R.P.F. Thomas Herrera in *Alphabet. August. tom.*1. *lit. C. tract. Monasteria Virorum. fol.*154. qui credunt hoc monasterium primò fuisse possessum ab Eremitis Augustinianis, & his abeuntibus successisse Fratres Minores. Quia vt inquit Cascales *d. c.*7. *fol.*453. *col.* 2. Nulliter cœnobium istud paruit Augustinianis, nisi Benedictinis. Ratio est, qua Marquez, & Herrera contendunt S. Genesij cœnobium Eremitis subiacuisse, quia ab eo Toletum peruenere fratres Eremitæ, & ibidem cœnobium construxere, sed hoc suppositum claudicare conspicitur, quia vt ex peruetusto priuilegio, quod adhuc fratres Eremitæ S. Leandri Carthaginis asserebant, sub Era M.CCCX. concesso per Regem Alphonsum, cognomento Sapientem, constat ipsis fratribus Eremitis donasse domum S. Ioannis, quingentos à Carthagine passus distitam super maris litus, cum aliis possessionibus, & donariis, quibus vitam regulariter ducerent, quam aliquot habitasse annos conspicitur, donec ad præsentem peruenere situm. Ex hoc S. Ioannis cœnobio fluxere primi illi Eremitæ, qui apud Toletum in vineto Monialium S. Clementis vbi oratorium S. Stephano dicatum erat, iuxta Tagi æstuaria, nouum construxerunt cœnobium, ex quo si hoc diploma vidisset Marquez ab ista discederet opinione.

D S. BADVLPHVS. Huius sanctissimi Monachi memoria est apud aliquos Martyrologiorum scriptores. Vsuard in edit. Coloniens. ann. 1490. & 1521. Maurolyc. Kalend. Benedict. Vvion Felic. Ferrar & Hugo Menard, & Galesin. qui omnes breuiori calamo acta percurrunt, distinctius Baron. Annal. Eccles. tom. 8. ann. 626. n. 31. Bolland. in Act. SS hoc die tom. 1 fol. 93. Pennor. Hist. Canon. Regul. lib. 2. c. 31. §. 7. fol. 351. Ioann. de Nigrauall in eodem tract. à quibus hæc vitæ acta compagino.

BADVLPHVS genere Hispanus Tarraconensis, à Parentibus vt creditur nobilibus, optimis disciplinis imbutus est. Quibus ad discretiores attingens annos vitæ normam melioris quæritans, de-

mum

mum monastica flagrans cupiditate in Canonicorum Regularium Canonici cœnobij famulatum adscribi postulauit. Voto successit euentus. Nam Patris Augustini nomen, & omen regulariter ebibens, tam ardenter studio pietatis incubuit, vt parum esse putaret si totas noctes in hymnis, & canticis, & rerum diuinarum contemplatione traduceret, nisi talentum à Deo sibi concessum in proximi salute procuranda, quàm diligentissimè expenderet. Cum autem procedente tempore, ad ætatem peruenisset virilem, fuit Presbyterij honore illico decoratus, & monasterio Præfectus. At postea in Italiam profectus in S. Columbani cœnobio Bobiensi cucullum induit, vbi bonis operibus insudans, & fluxos mundi honores despiciens, præclaram illam à Deo misericordiam ad eius defensionem promeruit. Nam cùm aliquo tempore Badulphus Presbyter, eiusdem Bobiensis Monasterij Monachus à B. Patre Attala ad Ticinum vrbem directus esset, ibique peruenisset, obuium habuit Arioualdum Regem Longobardorum Arianæ sectæ credulum. Is ergo cùm vidisset Badulphum Presbyterum ait ad suos: De Columbani Monachis iste est, qui nobis salutantibus apta denegat respondere. Cúmque iam haud procul abesset Presbyter, salutauit eum Rex, ironicè tamen. Adhæc Badulphus: Salutem optarem tuam, si tu seductoribus tuis non faueres, & alienis à veritate Christi doctrinis animum non accommodares. Iustum enim esset, ineffabilem Trinitatem vna Deitate confiteri, non tres potestates, sed tres personas: nec vnam trium nominum personam, sed tres in veritate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti personas, vna voluntate, potestate, & essentia.

Hæc paulisper audiens Rex, cùm progressus fuisset, iracundia succensus, questus est, se non habere ministros, qui obruente noctis caligine Monachum illum, ita contumaciter in conspectu suo locutum sollicitarent, & fustibus, ac sudibus conscissum morti traderent. Tunc vnus vesanior cæteris, ad hoc patrandum se respondit esse paratum. Dicit ei Rex: Si voluntati meæ satisfeceris in hoc, muneribus te mox, illuscescente die crastino, ditabo. Progressus itaque pessimus ille, alium sibi sceleris socium similem sibi assumit, & obortis tetris tenebris, viam quà Monachus à cœna cuiusdam Christiani; qui inuitauerat eum, ad hospitium regredi debuit, vigilanter custodit. Cùm ergo Monachus inopinatè venisset ad locum custodiæ, percussus in cerebro, & omni compage corporis collisus, pro mortuo cadauere relictus est ab ipsis satellitibus, nullo de populo id sentiente: erat enim abditus locus, sed nec vocem dare quiuerat, anticipatus loco, & immanibus ictibus. Porrò is ad cuius locum metatus fuerat, nesciens quidem euentum rei, sed tamen suspicatus hoc ipsum, quod euenerat (erat enim & ipse Presbyter) arrepto baculo, venit ad locum, reperiénsque iacentem, ac si somno repressum, excitare conatus est. Ad cuius ille vocem, velut ab stratu incolumis surgit, nec plagarum vestigiis apparentibus, cum eo pariter ad hospitium pergit, indicans qualiter à latronibus quibusdam comprehensus, dirissimis plagis mactatus fuisset, nec tamen aliquid inde sensisset. Peractis deinde causis pro quibus exierat, ad Monasterium repedauit, vbi post virtutum, & bonorum operum lucrata talenta, à Patre familias vt de eorum sibi commissorum rationem redderet interpellatus, exuta corporis compagine seruus fidelis in gaudium Domini ingredi meruit IV. Non. Ianuar. vt creditur Anno Domini DCXXVI. Imperante Heraclio Augusto, Pontificatum Maximum obtinente Bonifacio V. PP. At percussor pœnas non euasit. Nam post S. Monachi discessum, à dæmone corripitur, & diuersis pœnarum incendiis flagellatur, ex quo commissum facinus exitiabiliter confitetur.

Vniuerſus autem populus in eius cruciatibus, timore compulſus clamans, dicebat: Quicumque Bobienſibus Monachis malum aliquod intulerit, ſimili vltioni ſubiacebit,& qui Arianorum perſuationibus acquieſcit, tales iras iuſti Iudicis meritò ſuſtinebit. Videns facinus ſuum infelix Arioualdus diuinitus manifeſtatum, confuſus indè, & metuens ne ſibi tale quid eueniat, ipſum quem vis horrida torquebat, cum conuiatoribus ad B. Attalam dirigit, poſtulans, vt commiſſum malum ignoſcat, ſpondens ſe multum eius obſequio paratum fore, ſi ſua dona dignaretur accipere. B. Pater Attalas reſpondit, ſe nunquam in perpetuum Ariani hominis dona recepturum. Rogat autem vniuerſos fratres, vt pro peſtifero, qui adductus fuerat, orationem ad Dominum fundant. Quibus attentius orantibus, peſtifer ille ſanitati redditur, ſed vitæ lucris non diù potitur. Nam cùm ad propria redire deſideraret, correptus igne febrium, inter pœnales incendij calamitates, vita priuatus eſt. Quem nequaquam iuxta aliorum ſepulchra ſepelire auſi ſunt, ſed procul ab hominibus in quodam conſpicuo loco poſuerunt, quò prætereuntes dicerent: *Hic iacet ille miſer humatus, qui Bobienſibus Monachis crudelitatem ſuam oſtendit.*

Hæc acta. Sed quo titulo Hiſpanum Tarraconenſem appingo Badulphum, ſæpè ſæpius inquiret curioſitas. Cui vt faciam ſatis teſtem nullum Hiſpanum ſubiungam; Ioann. de Nigrauall. in Catal. SS. Canon. Regul. à quo Gabriel Pennot. in eius Hiſt. d. fol. 351. ſic: *Tarraconenſis Eccleſia Metropolitana, quæ ab initio fuit Regularis, vt ex Prouinciali Romano, & ex vetuſtis illius monumentis habetur, nunc etiam inſtitutum Canonicorum Regularium tenet. Habuit Eccleſia Tarraconenſis Viros Sanctiſſimos, tum Epiſcopos, tum etiam Canonicos, quos Ioannes Nigraualle Apoſtolicus Bibliothecarius in album Sanctorum Canonici Ordinis reponit, videlicet S. Fructuoſum Epiſcopum, S. Æmilianum Canonicum, &* S. Badulphum, *quem nominat Abbatem Canonia Tarraconenſis.* Iſte poſt in Italiam ſecedens Bobienſe Monaſterium ingreſſus eſt. Cui (vt credo) factum Arioualdi accidiſſe compertum eſt. Nam nullus qui acta illius ſcripſerit Monachi, originem ſcripſiſſe cognoſces. Nam Berthulphus ille S. Arnulphi Epiſcopi Metenſis, propinquus, de quo apud Ferrar. die XIX. in Catalog. SS. Italiæ. fol. 524. longè diuerſus à noſtro eſt, vt ex illius actis,& nomine apparet. Ex quo dubio procul, cuius Nigraualle, Pennotus, Ionas Abbas, Baronius, & Martyrologi meminerunt de noſtro Badulpho Tarraconenſi credere locutum non ambigam, cùm in contrarium nec ſit apex, nec codex.

BOBIVM. Ciuitas eſt Epiſcopalis Liguriæ, intra Apennini montes in valle ad Treuiam flumen ſita, medio itinere inter Placentiam,& Dertonam, ſi per montes incedas ab eis XXV. M. P. diſtans. Media quoque inter Ticinum, & Genuam, ſi per montes ire libet, vtrinque XXXV. M. P. diſſidens. Hodie BOBIO, quæ ad Mediolanenſem ſtatum ſpectat. De Antiquitate huius vrbis in duas itum eſt ſententias. I. eſt Dom. Nigri, qui credit eam fuiſſe antequam Libarnam, de qua apud Ptolom. Plin.& Antonin. in Appennino ſitam, licet Georg. Merul. aliter ſentiat, de Libarnæ ſitu. II. & vera opinio eſt, ſi Leandro Alberto fol. 580. Flauio Blondo fol. 359. & Raphaël. Volaterrano fol. 120. credimus, ex Paul. Diacon. Hiſt. Longobardor. lib. 4. hanc vrbem eſſe factam poſt Monaſterij extructionem. Quam à primo lapide erexiſſe Theodolindam Reginam Longobardorum referunt idem Blondus,& Volaterranus. Duas fuiſſe huius nominis vrbes, ſomniauit, qui ſitum non agnouit. De cuius errore conſulat Geographus Leandrum, à quo quidquid de hoc deſiderat, accipiet. Ego ad vlteriora pergo.

TARRACO. Celebre Hiſpaniæ trophæum, validiſſimum Iberiæ propugnaculum, totius regionis encomium,& Romanæ magnificentiæ inſigne monumentum. Ciuitas eſt Archiepiſcopalis Orbis Hiſpanici Citerioris, Thulci fluuiolo irrigata, in Mare inſtar Inſulæ porrecta. Media inter Barchinonem,& Derthoſam, vtrinque XII. M. P. Hiſp. plus minus diſſidens. A Barchinone in Auſtrolibycum ſecedens, ab Ilerda

in ortus hibernos totidem, à Valentia in Aquilonem, & Cæciam ad XXXVII. à Maiore Beleare in Occidentem æstiuum ad XXX. Quis primum in eius fabrica iniecerit lapidem, haud scitur. Omnium sententias in medium coniungemus, sed non omnes vno contextu, sed vt moris, diuersis interponemus diebus. Prima opinio prodiit à Ioann. Socarrats fol. 342. n. 21. Tomich. in Chron. c. 6. Gerundens. in Paralipom. lib. 5. tit. de Tarracona vrbe, quos congessit Ludouic. Pons de Icart. Hist. Tarrac. c. 8. fol. 72. Pujad. hist. Catalon. lib. 1. c. 22. fol. 20. col. 3. qui nonnullos alios refert. Omnes scribunt Tarraconem ab Hercule conditam, & à filio Tarracone cognominatam; sed qualis ista sit opinio apud Icart, & Pujades reperies, quorum ad veritatem scripta perleges.

E FESTVM EXALTATIONIS FIDEI. Huius festiuitatis anniuersario recolebatur cultu memoria in nonnullis Hispaniæ Ecclesiis, propter victoriam susceptam à Mauris, & vrbis Granatæ recuperationem, instantibus Catholicis Hispaniæ Regibus Ferdinando, & Elisabetha. De illo festo meminit antiquum Compostellanæ Ecclesiæ Breuiarium, sic:

EXALTATIONIS FIDEI festiuitatis in Hispania ecphrasis ex Antiq. Breuiar. S. Eccles. Compostellan.

CHRISTI Seruatoris nomine per Orbem propagato, iam ferè per DCXX. annos, Machumetus acerrimus hostis, velut alter Ieroboam, repente prodiit, & tàm perniciosè per Christianam religionem est grassatus, vt nondum peracto centum annorum spatio Asiam penè, & Africam occupauerit: & quod magis dolendum est, vniuersam etiam Hispaniam à Fide auerterit, præter vrbes quasdam Celtiberiæ, & Gallæciæ ad Oceanum sitas, ad quas nomen Christianum in horrenda Gothorum persecutione, & in ea totius fermè Hispaniæ gentis clade, tanquam ad arcem videtur confugisse. Idque tanta fidelium trepidatione, vt qui euasissent, præruptos Asturum montes, & Alpium cacumina fuga peterent, ac inter syluas, & specus in magna frondium, & nemorum vastitate delitescerent, nec se ibi sat tutos fore arbitrarentur. Rebus autem Christianis in tantas angustias redactis, suscitauit Dominus germen iustum, & spiritum Heliæ, Pelagium nimirum, genere clarum, armis strenuum, omníque laude dignum: cuius auspicatissimo principatu religio felicissimè instaurari cœpit. Atqui ab hoc diuino Principe Reges Legionis, & Castellæ manarunt. Qui omnes numero XLIII. sibi inuicem origine, & ordine succedentes, fide pugnarunt, fide vicerunt, fide regna amissa recuperauerunt DCCXLII. annis. Talibus igitur parentibus orti Ferdinandus, & Isabella Castellæ, Legionis, Aragoniæ, & Siciliæ Rex, & Regina Clarissimi (quorum tanta fuit pietas, clementia, & diuini cultus studium, vt omnium consensu Catholicorum Regum cognomentum promeruerint) anno salutis M. CCCCXCII. Quarto Nonas Ianuarij, Innocentio huius nominis VIII. Pontifice Maximo, Granatam opulentissimam vrbem (quæ quondam Illiberis dicebatur) Christo restituerunt. O victoriam optatissimam, & faustissimam. O felicissimos, & Catholicissimos Principes, assertores religionis, Columnas fidei, Hispaniarum numina. O aurea sæcula. O fortunatissimos Hispanos sapientissimorum Regum consiliis administratos, & nobilissimæ gentis diuitiis, & commerciis auctos. O B. IACOBVM Hispaniæ Patronum, cuius ope, & fauore amplissimos triumphos Ferdinandus, & Isabella reportarunt, florentissimum Regnum fidei reddiderunt, & Machumeticam sectam longè à Bætica propulsarunt. Omnes ergo Hispaniarum Prouinciæ exul-

tent,& iubilent, omnes plaudant manibus, & Deo gratias agant, qui talibus Regibus Hispaniam illustrauit.

Hactenus Lectiones Breuiarij Compostellani anno 1569. editi, in cuius officio illustria pro huius festiuitatis trophæo referuntur encomia Catholicorum Regum. Et ne pereat in totum hoc solemnitatis officium, en hymni & orationes ipsius.

HYMNI, ET ORATIONES de hac Exaltationis Fidei festiuitate ex eodem Breuiario Compostell. Antiq.

AD VESPERAS.

In cantico lætitiæ
Applaudat terra gaudio
Christicolarum gloria
Felicium eximia,
Et orbis cosmi integer
Exultet, & salubriter:
Nostrum clima præcipuè,
Illiberis solumine.
Quæ longo postliminio,
In compedibus insita,
En ipsa iam nunc libera.
Ferdinandi supposita.
Elisabeth consortio
Iliúsque præsidio:
Quibus Deo quàm Maximo
Laudes dantur in numero.

AD MATVTIN.

Surgamus arcti latria
Athanato reddita:
Canamus in lætitia
Regali pro victoria.
Trophæa Regum pangimus,
Quibus Deo perpendimus,
Laudes enixè debitas
Nostris psallentes vocibus.
Nam si duliam mortalibus
Nostro debemus tempore,
Nullis dicamus iustius,
Hesperiæ quàm Regibus.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Post hymnorum huiusmodi recitationem in Primis, & Secundis Vesperis adest Antiphona, & Versiculi tàm pro festo, & in commemorationem B. Iacobi, quàm pro actione gratiarum, sic:

ANTIPHONA AD VESPERAS.

Gaude Hispania oppressione libera; Lætare ciuitas quondam Illiberis, nunc Granatensis Metropolis, quæ iam fulges Ecclesiis.

℣. *Omnia per Christum facta sunt.*

℟. *Et sine ipso factum est nihil.*

ORATIO.

Omnipotens Sempiterne Deus, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui famulorum tuorum FERDINANDI, *&* ELISABETH *Regis, & Reginæ ministerio, parta victoria, Hispaniam à Machumetica secta mundasti, concede propitius, vt qui tua fide, & nomine gloriantur, tecum sine fine lætentur. Per Dominum.*

De B. Iacobo Apostolo Antiph.

Decus Hispaniæ Sanctissime Iacobe, Patrone singularis esto nobis protector, & præsidium.

℣. *Apostoli Iacobi commemoratione lætemur.*

℟. *Cuius patrocinio, & ope munimur.*

ORATIO.

Deus qui Ramiro Regi in Clauigio B. Iacobi Apostoli tui meritis, & precibus subuenisti; eidémque Populo Hispaniæ patrocinium contulisti: da quæsumus, vt quem habemus patronum in terris, consortem habere mereamur in cœlis.

Pro stabilitate Ciuitatis, & Regni, Antiph.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra sunt qui custodiunt eam.

℣. *Dominus custodiat te.*

℟. *Dominus protectio tua.*

ORATIO.

Deus sine quo nihil est validum, nihil firmum, & præter quem omne mobile, & instabile est; custodi ciuitatem, & regnum tuorum sanguine & strage quæsitum, vt tuo sancto nomini semper dedicatum existat.

De præclara Catholicis Regibus à Deo concessa victoria, passim à Nostris, & exteris Scriptoribus mentio est. Quorum catalogum si hîc subiicere curaremus, & in infinitum procedere & extra institutũ codices occupare videremur. Tantum hic annectam ab omnibus illis sub silentio interclusam illustrem huius victoriæ causam, quam referunt infra citandi. Hæc sic à P. F. Bernardino Busti in suo Mariali serm. 9. de] Concept. fol. 37. ita refertur: *Nam cùm Serenissimus Rex Hispaniarum per multos annos elaborasset pro captione inclytæ, & inexpugnabilis vrbis* Granatæ, *tandem ad purissimæ* Virginis *adiutorium confugiens deuote vouit cum serenissima Consorte sua Regina, quod si eis de prædicta vrbe victoriam præstaret, templum ipsius vrbis primum ad honorem suæ* Immaculatæ Conceptionis *dedicari facerent, atque consecrari. Quo facto voto gloriosam de ipsa* Ciuitate *victoriam Virgo illis intemerata concessit.* Huic opinioni subscribunt Carthagen. Lezan. de Concept. in Apologet. cap. 15. fol. 70. Vincent. Iustin. Antist. in addit. ad vitam B. Ludouic. Bertrand. fol. 160. Moreno de Concept. fol. 394. Guerr. de Concept. diuers. 15. fol. 189. col. 2. Qui etiam asserit: Confraternitatem in obsidionis tempore instituisse Reges Conceptioni V. M. in qua ipsi primi adscripti fuere. Cuius codex adhuc asseruatur in Monasterio S. Francisci ipsius vrbis, vt idem fatetur. P. F. Christophor. Moren. de Concept. fol. 394. P. F. Francisc. de Torr. de Concept. cap. 9. fol. 202. col. 2. Ego in vit. S. Epitatij. cap. 5. in Chronolog. Antiquit. festi Concept. Ann. 1592. fol. 278. Nec me latet, P. F. Marcum Olysiponens. in Chron. Franciscan. 3. part. lib. 8. cap. 2. à quo P. F. Ioannes Niño, in Compend, tom. 2. lib. 35. 1. part. fol. 413. cap. 6. in vit. F. Ioannis Hortelano, scribere, hoc votum Incarnationi præstitisse Reges Catholicos. Nam extra quod prima opinio, & antiquior, & receptior est; Ciuitas Granatensis taliter Conceptionis strenua defensatrix mysterij extitit vt credendum erit, hanc à recuperatione deuotionem, ebiberit vt testantur de hoc in illa insignia Conceptionis trophæa.

GRANATA. Ciuitas nunc est Archiepiscopalis, cuius regio media est inter Bæticam prouinciam, & Carthaginensem, vel potius pars vtriusque, eiúsque longitudo est CC. M. P. & latitudo C. M. P. patétque circuitus ad DCC. M. P. Longitudo à Ronda, vsque ad Oscam; latitudo à Cambili ad Mediterraneum mare, & potum Almugnecarense. Quæ ad meridiem spectant ex vna parte planicies habet amplas & fertiles campos, ex altera Basteranos montes profundos, & ascensu difficiles. De Nominis ætymo multa multi dixere, quorum opiniones referendas hic censui, cùm de illa (hoc nomine) amplius verba haud facienda sunt. Operam præstet Luc. Marin. Sicul. de Reb. Hispan. lib. 20. cap. 4. titul. de Nominibus vrbis Granatæ, sic: *Nunc itaque de nomine, quod alij fabulantur, & quod ego sentio breuiter enarrabo. Loquuntur enim multi non* GRANATAM, *sed* GAR-NATÆ *dici debere: propterea quod (vt ferunt) Punica lingua, quam vocant Arabicam,* GAR *antrum significat, quod in ea vrbe à Nimpha nomine* NATA *colebatur. Sic itaque nomen vrbis* GAR-NATÆ, *hoc est antrum, & speluncam Natæ Nymphæ fuisse volunt.* Ioan. Episcop. Gerundens. in Paralipom. Hispan. lib. 1. titul. de vrbib. quæ nom. mutau. aliam nominis refert deductionem, sic: *Consueuere arborum fructus appellari à regionibus, vbi iidem fructus ab initio sunt reperti, vt ait Hieronym. in Epistol. ad Eustochium, dicens: Cerasa ex eo sic appellari, quòd primùm Luculus à prouincia Cerasa Romam veniens, detulisset, sic à Perside, Persica.* Granata *mala Punica dicta sunt, quia ij fructus apud Pœnos primùm reperti sunt. Cùm verò Hispania diutius sub Pœnorum fuerit potestate, perfacile fuit, vt illius generis arbores de Africa translati sint in Hispaniam, & ea vrbs, à qua forte per Hispaniam translati sunt, ab eorum fructu conuersionem nominis fecerit, vt* Granata *dicatur, Hispano siquidem nomine Mala Punica.* Granata *appellantur.* Anton Sabellic. tom. 2. Ænead. 9. lib. 8. Raphaël Volaterr. lib. 2. Geograph fol. 15. Guid. Pancyrol. in Comment. ad Notit. vtriusque Imper. in Occident. cap. 67. fol. 155. col. 3 versic. Bætica mari Ibero. credidere dictam fuisse *Granatam* ex eo quod illa regio multitudinem cocci offerebat, quod Hispano idiomate GRANA-DA. hoc est Coccum dat; Nam hispanè idem est Grana, quod Coccus. Alij à Regina huius vrbis, quæ magnos tritici aceruos collegit, & præ nimia Granorum cumulatione Regina Granorum nuncupata, & ab ipsa, vrbs *Granata* vocitata fuit. Alij propter similitudinem quam habet hæc ciuitas in situs dispositione, ad malum Punicum, quod vt diximus à nostris *Granada* dicitur. Nam ita vt Malum Punicum, cùm temporis opportunitate discinditur, & intra fructus corticem tripartitæ granorum cellulæ visuntur, vnaquæque suo diuisa tegumento, sic vrbs *Granata* in tres separata, vicos & vnusquisque diuerso munita vallo, speciem mali punici oculis repræsentat, sic Marm. in Rebell. Granat. lib. 1. cap. 6. Plures alias ipsius nominis ætymologias congessit doctissimus D. Franc. Bermudez de Pedraza in Hist. Granatens. 1. part. cap. 18. qui hoc nomen, etiam in peruetustis illis Phœnicum Hispanias occupantium sæculis, huic fuisse ciuitati impositum probare conatur, Cuius indagationem (quæ meo videri magis subtilitati quam veritati paret) breuiter referam. Asserit enim hanc vrbem proprio nomine *Illiberiam* dictam, & cognominatiuè *Municipium Florentinum*, ad cuius comprobationem aliquot marmorum inscriptiones delineat. Post exponens illud verbum Municipium Florentinum, vertit hispanicè *Ciudad, Concejo, o Cabildo de Granada*, tanquam si *Florentini* vocabulum correspondeat *Granatæ*, aut à *Granada*. Et ideò *Municipium Florentinum Illiberitanum* apud Latinos idem erit quod apud Hispanos: *Municipio Granado de Ilibera:* & *Ciuitas Florentina Illiberia*, hispanè: *La Ciudad Granada de Iliberia.* Huc Critici, quid identitatis habet verbum florere, à quo Florens, & Florentinum, cum verbo hispanico *Granar*, aut cum Latino *Granata*. Quis ex vobis talem inuenit significatum. Flores ad fructum præuenit natum, sed flos & fructus identitatem habere, & vna eadémque gemma connasci, haud per errorem adhuc agnouit experientia. Per translationem nec forsitan locus erit, in quo præter vigere, enitere, eminere, & clarescere, verbum floreo comperiet seueriori speculatione laxior Grammaticus; ergo perperam Florentina Ciuitas, *Granata*, aut *Granada*, Latine, & Hispanice vertitur. Ex quibus nec dum doctissimo assentior Bermudez in hisce illustrissimæ vrbis versionibus.

Conuenio

Conuenio attamen secundæ interpretationi, ex HEZNA-REMON deductæ, ex qua Arx, seu Castellum Granatæ, nomen accepisse aliquibus probat. Sed an turnis Hezna-Remon, aut Roman, à tempore Reginæ Illiberiæ perseuerauerit, dubitabunt seuerioris intelligentiæ censores, quando nihil extra coniectationem propriam appingit. Nec me mouet exemplar SAOB-ROMAN. hoc est Nemus Granatæ quia cùm dissimilia sint nomina nec suis conuenire fatendum erit. At hæc coniectatio quanta sit doctis relinquo. Quatenus ergo quod *Granata* huiusmodi nomen sortita fuerit, etiam ante tempora Iul. Cæsaris, vt asserit Iulian. Per. aduers. 163. & aduertit Bermud. libenter annuo, etsi P. Martino de Roa inscriptionem à P.F. Roder de Yepes in histor. S. Florent. adductam apocrypham credat. Quoad alia pertranseo, ne in hoc minus vtile, tempus teramus.

TERTIO NONAS IANVARII. HOC EST, DIES III.

A. *In Canaria vna ex Insulis Fortunatis patitur* SANCTVS AVITVS *Presbyter, discipulus Beati Marci Marcelli Eugenij Episcopi Toletani, dum zelo ampliandi fidem, & prædicandi Euangelij Insulas inuisens, illic martyrio coronatus est.*

B. *Murtiæ prope Carthaginem Spartbariam Hispaniæ Citerioris natalis* S. THIESTIS *Episcopi Bergeriensis, qui ibidem accedens à Sarracenorum cruenta malitia tentus, demum ab ipsis occisus agonis trophæum adeptus est.*

NOTÆ.

A. BEATVS AVITVS. Eius memoriam vix comperit antiquorum Martyrologorum sedulitas, in aliorum Scriptorum Ecclesiasticæ historiæ suppetias quærites. Primas obtulit L. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 105. hisce verbis: *Post aliquot annos ab aduentu suo S. M. Marcellus Eugenius rem Primatus Hispaniæ confert cum viris Sanctis, & primariis Epicteto Cæsaraugustano, & Philoteo socio peregrinationis suæ, Legato etiam S. Clementis, Vitalique, &* Auito *qui profectus post Insulas Fortunatas, Martyr; fuit Aul. Cornelio Palma, & P. Turano II. Vir. Toletanis Catholicis viris, multisque Carpetaniæ, & aliunde Episcopis coactis.* Nec minùs Luitpran. in Chr. n. .... sic: *Patitur* S. Auitus *in Canaria, & in Insulis adhuc durat eius memoria.* Vtrosque sequutus est Prim. Cabilonens. *in Topograph. verb. Canaria*, sic: *Canaria Insula in Oceano Atlantico, huc delata est Christi fides, hic* Auitus *Martyr.* Ad hunc diem eius martyrium refert P. Higuera in *MS. Martyolog. Hispano*, sic: *En Canaria vna*

de las Islas Fortunadas en el Mar Oceano de España la memoria de S. Auito Presbytero de Toledo, discipulo de S. M. Marcello Eugenio, que por la predicacion de la Feè passo el Mar, y alli fue por los Idolotros martyrizado. Latinè sonat, sic: *Apud Canariam, quæ vna ex Insulis Fortunatis in mari Occiduo Hispaniæ existit, memoria S. Auiti Presbyteri Toletani, & S. M. Marcelli Eugenij discipuli, qui propter Fidei prædicationem mare transfretans, illic ab Idololatris martyrium consummauit.* Agunt de eo *P. Biu.* & *Roder. Car. in Not. ad Dextr.* Amicus Noster M. Ruspuerta *Hist. Giennens. tom.* 1. *sæcul.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. Episcop. Turiasonens. *tom.* 1. *Primat. Tolet. cap.* 7. §. 2. *fol.* 71. *litt. B.* Ex quibus actorum vitæ compaginem hisce annectemus clausulis.

AVITVS (& vt coniector) cognomine STERTINIVS ex vrbe Toleto Hispaniæ oriundus, prosapiam quoad sæculum deduxit nobilem; & honestam. Post primos ætatis teneræ anfractus Romam transcendit, vt politiora vitæ, & doctrinæ studia ab illis philosophiæ Patribus, quos imperij caput alebat, ebiberet. Hic Marcum Valerium Martialem amicitiæ (vt creditur) implicatus, illius erat epigrammatum vt cúmque infatigabilis spectator in tantum, quod in eius Bibliotheca imago Poëtæ lepidissimi ad viuum depicta cerneretur. Sed cùm hæc vanitatis agnosceret Offendicula, quia Christi iam verè insequeretur insignia, & sub viuificæ Crucis vexillo miles Catholicus baltheum indueret, posthabitis falsis Gentilitatis erroribus, Ecclesiæ intrepidus Agonista insectabatur vestigia. Sed cum B. Clemens I. Pontifex M. Marcellum Eugenium, Philotheum, & alios ad opus Euangelicæ prædicationis, in Gallias, & Hispanias destinasset, eorum comes Auitus zelo fidei exhibetur incensus. Cuius Sancti Viri libentissimo societatem amplectentes affectu, sine mora, accepta Pontificis benedictione Apostolica, in loca illis commendata peruenere. At M. Marcellus qui Toletanæ Sedis Præsul extiterat, animo inuoluens, quot erant in dispositione Sedium Hispaniæ innumera necessaria, vt omnia componeret, & in melius redigeret, secundum Apostolorum decreta, Concilium apud Toletum indixit, in cuius congressu nonnulli ex Hispaniæ prudentissimis viris, & inter eos Auitus, inuenti sunt. Post cuius discessum Auitus, vt fidem Euangelicam in omnium corda diffunderet, peragratis Vettoniæ, & Bæticæ aliquot vrbibus in Oceanum Atlanticum deuenit, vbi præparatam inueniens nauiculam, quæ in Insulas Fortunatas iter peragebat, in ipsam conscendens, & in Canariam soluens, illicò vt electus Christi Minister, fidei Catholicæ dogmata prædicauit. Audiuit turbulenta Gentilium caterua Sanctum Apostolum, at in ipsorum corde semen non permanebat Euangelicum. Erat enim petra, voluntas, & difficilè radices in silice verbum agit. Auitus ministerium implebat, & collectis aliquibus discipulis, Insulam perlustrauit, donec communicato consilio, barbarica in sanctum irruptione Gentiles, ipsum apprehendunt, & tormentis præcedentibus, demùm illustrem sui Apostoli vitam diabolico adimunt vlulatu. Quo Sanctissimus Martyr ad coronam peruenit. Tertio Nonas Ianuarij Anno Domini C VI. Imperante Traiano.

Post eius agonem, taliter in Canaria fides Catholica creuit, vt Anno Domini DC XXXII. adhuc Christianorum numerus non inferior conseruaretur.

Acta quæ potuimus excerpere, hæc sunt. De amicitia ad nostrum *Martialem* en coniectatio P. Franc. Biu. *fol.* 211. Forsan *ille Auitus, quem Martialis sæpe alloquitur, lib.* 1. *Epistol.* 16. *lib.* 9. *in princip.* & *lib.* 10. *epig.* 96. Sed licet doctissimus Pater huius coniectationis suæ probationem in hisce remissionibus reliquerit, Ego altiorem

altiorem indagationem exquirens, & ad probationem accedens, fortè coniecturam, in veritatis symbolum transmutabo. Duo hîc probanda sunt: & quod Auitus, qui etiam Stertinius dicebatur, erat amicus Martialis, & quod Turanus comes Auiti in Concilio Toletano, etiam Romæ coniunctione familiaritatis deuinctus erat, & Martiali necessarius. Quo, & nostri *Flau. Dextri* relatio elucidabitur. Venio ad probationem. Martialis libellum Epigrammatum, quem extra ordinem scripserat, dicauit Auito. Et ne Turanus ignoraret cui fuisset dicatum, similem Turano scripsit epistolam:

AVE mi Turani *frater Charissime, Epigramma, quod extra ordinem paginarum est, ad* Stertinium *Clarissimum Virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in Bibliotheca sua voluit. De quo scribendum, tibi putaui, ne ignorares,* Auitus *iste qui vocaretur. Vale, & hospitium para.*

Quo loco Domit. Calderin. in Not. ad Mart. in summ. lib. 9. sic expressit. *Ad* Turanum *amicum hoc Epistolium* Martialis *scribit, quo eum de quodam extraordinario ad* Auitum *Epigrammate monet. Hic planè* Auitus *Martialem ad Poëseos excellentia adeò amabat, vt eius imaginem in Bibliotheca sua posuerit. Putauit igitur scribendum* Turano, *de* Auito, *ne fortasse latuisset eum, quis nam hic esset* Auitus. *Binominis enim erat; nam &* Auitus, *&* Stertinius *dicebatur.* En de Auito & Turano memoria apud Martialem. Supra de ipsis à Flau. Dextr. coniunctim in exordio de ipsis anamnesim retulimus; ergo non extra rem erit si ipsos, quos refert Dexter, & quorum meminit Martialis, fuisse eosdem credamus. En Martial. Distich.

Non te celabis sublimi pectore vates,
Cui referet seruus præmia digna ciuis
Hoc tibi sub nostra breue carmen imagine viuat,
Quam non obscuris iungis AVITE *viris.*

Alia quam plura Auito inscripta vers. lib. 6. Epist. 84. lib. 10. Epist. 96. & 102. & lib. 12. Epist. 24. & nonnulla nomine Stertinij. De Conseruatione fidei Catholicæ ad annum DC. XXXII. Luitprand. in Chron. eo ann. num....... sic: *Fides Christi à discipulis S. Iacobi primo Centenario prædicata* Canariæ, *crescit.* Quid mirum, si quælibet Martyrum sanguinis gutta innumeros parit Christo fideles, vt Prudent. Nost. Od. 4. sic:

Nec furor quisquam, sine laude nostrûm,
Cessit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.

De Origine *S. Auiti* ex vrbe *Toletana*, iam à *Dextro* accepimus, vt in exordio huius notulæ appinximus. Alia nec dum agnouimus, temporum cursus omnia subripuit.

CANARIA quæ vna, & prima est ex Insulis Fortunatis, à qua cognomen omnibus, vocatúrque *Islas de Canaria.* apud Ptolom. Flor. de Ocamp. & Hortel. in mari Atlantico sita est. Sex sub Fortunatarum vocabulo, authoritate Iubæ enumerat Plin. lib. 6. cap. 32. hisce nominibus: Ombrio, Iunonia maior, & minor, Capraria, Niuaria, & Canaria. Solinus ea ferè vocabula repetit, nec inficiatur Martianus Capell. Carol. Stephan. & Hortel. Porrò Martian. in hoc differt, nam de duobus Iunoniis, vnæ relicto nomine, aliam *Theode* vocitat. Ptolom. lib. 4. c. 6. totidem enumerat, etsi diuersis nominibus sic: & Fortunatæ Insulæ sex numero. Aphrositus, vel Inaccessibilis, Heræ, hoc est, Iunonis, Pluritana, Casparia, Canaria,

& Pinturia. Hodie sub Canariarum appllatione Septem Insulas agnoscunt omnes, his Hispanis nominibus: Lanzarote, Forteuentura, Gran, CANARIA, Tenerife, Gomera, Fierro, Palma. Vocatæ fuerunt Fortunatæ ob insignem aeris temperiem, vt inquit Strab. lib. 3. sic: Aeris enim salubritas, & suauis Zephiri spiritus, ei regioni peculiaris est, quæ in Occasum vergens, nunquam tepore caret. Pulchrè Pompon. Mel. lib. 3. cap. 11. Vbi Hermol. Barb. Pint. & Scoth. in Not. De illis memoria est apud Plaut. in Trinumm. sic:

Sicut Fortunatorum memorant Insulas,
Quò cuncti, qui ætatem egerunt castè suam,
Conueniunt.

Earum elogium hoc Octasthico descripsit eruditè Noster Tribaldus in Epœnes. Iberica fol. 56.

Alcidæ quamuis procul arctâ à fauce, profundis
Dicamur sedis Manibus Elysiæ.
Quod nobis passim tàm sint felicia rura,
Vt viua, & fato corpora functa beent:
Fortunatorum dictæ sumus Insulæ: Iberum
Nam fortunato subsumus Imperio.

Hodie Canaria Ciuitas est Episcopalis, de cuius exordio cum Catalogo Episcoporum agemus die XX. Nouembris, quo dedicationis illius Ecclesiæ festiuitas celebratur.

B. S. THIESTES. Episcopum Bergeriensem, & Martyrem Murcitanum fuisse diximus in Elogio. De eo, vix inter tantos, qui Sanctorum flosculos collegerunt, breue folium inuenies. Eius nomen aduersus temporum inuidiam præseruauit Luitprandus *aduers.* 8. apud Tamayo *: num.* 9. apud D. D. Laurent. Ram. hisce verbis: *Quam Latini* Murciam, *Gothi vocauerunt* Bigastrum, *Mauri* Achata, *Anno* DCCCC. *venit illo (vt coniicitur) Episcopus Bergere* Thyestes, *éstque ibi martyrizatus.* P. Hieronym. de la Higuer. *in Chron. n.* 38. *fol.* 304. *Restem* hunc vocitat *Martyrem*, & hoc die in suo M S. Martyrologio Hispano his clausulis eius agonem assignat: *En Murcia, a quien los Latinos llamaron assi, los Godas* Bigastro, *y los Moros* Acàta, *el Martyrio de* S. Tiestes *Obispo* Bergeriense, *que otros dicezen* Reste, *que preso por los Sarrazenos, y a tormentado dio el espiritu a sucriador.* Latinè: *Apud* Murciam, *quam sic Latini, Gothi* Bigastrum, *Mauri* Achatam *vocauere, passio* S. Thyestis(*quem alij* Restem *cognominant*) *Episcopi* Bergeriensis, *qui à Sarracenis in carcerem coniectus, & tortus, spiritum Creatori reddidit.* Eius acta, vt breuitas scripturæ permittit, sic formari valebunt.

THYESTES, vt nominis vocabulum manifestat, Græcam originem demonstrat, Quem fuisse ex Africana prosapia crederem propter sedis titulum, & Ecclesiam. Is Berceriensis, aut Berceritani in Africa Præsulatus fastigium adeptus, cùm Sarracenorum felicitas (nostris deposcentibus delictis) pænè totam Asiæ, Africæ, & Hispaniæ zonam armis victricibus circumcinxisset, ipsarúmque Prouincias strenuò milite comparasset, adeò vt vix locus Præsulibus remaneret, quo sacra fidei Catholicæ munia exercitationi mandarent, euenit vt Sanctus Antistes (forte ouibus carens) alienum quæritans gregem, nostras deuenit, & Carthagine Spartaria soluens, Murciam inuisit, vbi Christi fidem Barbaris prædicans, ab illis (qui nihil fastidiosius audiunt) arreptus, in carceris ergastulum sanctissimum Pontificem furore sæuissimo manciparunt. Quo

variis

variis tortus cruciatibus, fame, & ferro consumptus, tandem supplicio affectus æternam martyrio coronam adinuenit. Tertio Nonas Ianuarij, Anno D.CCCC. Imperante Ludouico IV. Arnulphi F. Pontificatum obtinente Benedicto IV. Hispaniarum Rege.

Quid notem ignoro, nam quidquid in actis insertum agnoscit obtutus, sine dubio est. De Tyrannide Sarracenorum per hæc tëmpora, nihil communius, videndus Lonic. Hist. Turcic. ad ann. 868.

BERGERA. Si credimus Stephano, & Hortelio est Thraciæ vrbs. Si Ptolom. fuit Macedoniæ, si Antonino Africæ. En Itinerarium apud Vincent.

A Carthagine Marcomadibus.
Lepti Magna Colon. M.P. XXIX.
Seccera. M.P. XX.
BERGE. M.P. XXIV.
Tabunte. M.P. XXX.

Licet apud Zuritam *fol.* 230. post Leptim *Seggera*, & non *Seccera* reponatur. De quibus istis vrbibus Thraciæ, Macedoniæ, aut Africæ Episcopus fuisset *S. Thyestes*, nondum diuino. Crediderim ex Africa potius deuenisse, vt viciniori, quam ex aliis, Macedoniæ, aut Thraciæ ciuitatibus. Sed cùm nulla ex relatis vrbibus sedem Episcopalem habuerit, proculdubio textum Luitprandi, aut mendosum, aut suspectum credideram, donec in manus peruenit meas *Geographia sacra Episcopatuum orbis* Caroli à S. Paulo Abbatis Fuliens. qui *lib.* 4. *de Africa:* inter Episcopatus *Numidiæ fol.* 96. hæc annectit verba: BERCERA. *Notitiæ Africæ, in qua Felix Episcopus* Berceritanus *recensetur.* Quo animum mutauit meum, & Bercerensem non Bergeriensem Episcopum S. Thyestem fuisse conscribo, nam in MS. Codicibus Luitprandi facilis fuit error, aut scripturæ, aut lectionis.

MVRCIA. Ciuitas est Hispaniæ antiquissima, Episcopatus Carthaginis Spartariæ præcipua, hodie caput Regni in ciuilibus, & in ipsa Cathedralis existit Ecclesia, cuius Episcopus Carthaginensis, & Murcitanus appellatur. In relato Luitprandi Codicis textu trinominis diuersis temporibus fuisse constat. Nam apud Latinos *Murciam* dictam contendit. Quod ex Plinij codice peruetusto probat Pintian. in Comment. ad Pompon. Mel. *lib.* 2. *c.* 6. *fol.* 61. sic: Vrgi in sinu Vrgitano: *Ptolomeus* VRCE. *Plinij vetus Codex.* MVRCI. *seruante adhuc populo priscum nomen, & si longius aliquanto submoto à mari.* Et bene, nam etiam hodie cognominatur MVRCIA. Et in hoc antiquo nomine persistit *D. Franc. Cascales Hist. Murc.* Apud Gothos dictam fuisse *Bigastrum* refert *Luitprandus*, quem sequitur *Iulian.* variis in locis, Aduers. *n.* 80. 86. 192. 193. 373. 461. *&* 470. Ex quibus liquet, male coniectasse *Gars. Loays. in Concil. apud Luc. fol.* 151. *n.* 20. à quo Miræus *in Geograph. Eccles. verb. Bigastrum. fol.* 266. credentes *Bigastrum* fuisse, quod hodie *Biluestre* in confinibus Portugalliæ; à quibus deuiauit *Carol. à S. Paulo in sua Corograph. sacr. lib.* 7. *fol.* 185. appingens cathedram sine conuersione nominis. Variè à nostris & exteris hæc fuit ciuitas nominibus compellata. Nam extra prædicta Marieta, Moletius, & Hortelius antiquam *Menlariam* fuisse *Murciam* expromunt. Carol. Clusius, eam *Murgim* vocat. Roderic. Ximen. Archiep. Toletan. *lib.* 3. *c.* 24. *Oreolam* credit. Florian. de Ocamp. *lib.* 1. *c.* 34. *Ormelam* autumat. & Luitprandus *Acatham* tempore Mauorum agnoscit. Qui de hac vrbe multa desiderat, videat D. Franc. Cascales in suo *de Antiquit. Murcitanis* opere, & D.D. Laurent. Ram. *ad Luitpr. fol.* 305. A Maurorum faucibus fuit hæc vrbs erepta anno M.CC.LXV. à *Iacobo* Aragoniæ Rege, ex Indic. rer. gest. ab Aragon. Regibus *lib.* 2. *Era* 1303. Bernard. Gomez. *lib.* 20. Zurit. *lib.* 3. *c.* 71. *p.* 1. Cascal. *disc.* 2. *c.* 4. Ex quo apparet *S. Thyestem* (ex eo quòd anno DCCCC. martyrium pertulit) à Maurorum Murcitanorum insidiis interemptum fuisse.

PRIDIE

PRIDIE NONAS IANVARII, DIES IV.

A. S.Titvs *cognomento Iustus, Episcopus factus sequutus primò S.Paulum, post B.M.Marcello Eugenio Toletanorum Episcopo adhæsit, in Hispanias aduentat, vbi totam ferè Carpetaniam perlustrat, fidem populis prædicat, illic eius memoria, & mirabilium recordatio in pretio fuit.*

B. *Romæ* S. Daphrosa *vxor B. Flauiani ex Hispalensi Baticæ vrbe oriunda, maritum Romam insequitur cum Bibiana, & Demetria filiabus, vbi pro Christi confeßione conuicta, variè cruciata sub Aproniano crudelißimo vrbis Præfecto, Iuliano Imper. capite truncata, Martyr effecta, in cœlum conscendit.*

NOTÆ.

A. Sanctvs Titvs. Qui fuit à B.Paulo Apostolo creatus Episcopus Cretensis. Eius memoriam recolunt, tàm antiqui, quàm moderni Martyrologi Latini hoc die, vt *Beda, Ado, Vsuard.* & cæteri, Equilin. *lib.7.c.*118. Licet *Græci in Menolog.* ad diem XXV. Augusti eius exponant festiuitatem. Nec minus Scriptores Ecclesiastici ipsius meminere. *S. Paulus* vnicam ad *Titum* conscripsit Epistolam, & in aliis de eo frequens mentio est. *S.Ignatius in Epist.ad Philadelph.* Euseb. *Hist.Eccles. lib.*3.*c.*4. Hieronym. Theodor.& Chrysost. *in Comment.ad Epist.Titi.*& alij relati à *Baronio* in hisce notulis, *lit.A.* & Annal. Eccles. *tom.*1.*ann.*44. *&* *ann.*51. Flau. Dext. *in Chron. ann.*220. vbi P. Biu.*n.*3. Roder.Caro.*fol.*68.*lit.C.* Surius, Graff. Bolland & infiniti alij. Ex quibus & ex Menæis Græcorum hanc vitæ ecphrasim congerere, visum fuit.

ACTA S. TITI EPISCOPI Cretensis B. Pauli Apostoli Discipuli ex Græcorum Menæis.

Titvs ex Miroy Cretensium Regis stirpe Oriundus erat, vt testatur Zenas Iurisconsultus, qui vitam ipsius perscripsit. Primos igitur ætatis annos adolescens litteris prophanis, quæ apud Græcos in magna sunt admiratione consecrauit. Vicennis iam, accepit è cœlo vocem, quæ, *Tite* (inquit) *hinc tibi migrandum est, vt animam serues; parum enim tibi hæc eruditio Græca, & prophana proderit ad salutem.* Cupiebat Titus hanc vocem denuo audire: norat enim ex Idolorum statuis subinde voces superstitiosas mitti. Itaque totum

annum

annum substitit. Tum iussus est per visum, Hebræorum volumen legere. Ergo cùm Isaiam aperuisset, incidit in hanc sententiam: *Innouamini ad me Insulæ multæ. Israël saluatur à Domino salutem sempiternam*; & quæ sequuntur. Igitur Proconsul Cretæ, & auunculus S.Titi, cùm audisset de Christi Domini salutari Natiuitate,& miraculis,quæ Hierosolymis, & alibi patrabat; ex virorum primatiorum consilio misit Titum Hierosolymam: hunc enim existimarunt aptum fore, qui audiret, & loqueretur cum Christo,& sibi renuntiaret,quæ audisset ipse. Titus autem, cùm venisset Hierosolymam, & vidisset,& adorasset Christum Dominum, mansit Hierosolymis, & miraculorum eius speculator præsens factus, vidit etiam salutarem eius Passionem, & Sepulturam, & Resurrectionem, & diuinam Assumptionem,& Spiritus Sancti in Apostolos aduentum,& descensum, credidítque, & centum viginti tribus millibus accensus est, qui ex prædicatione S. Petri Principis Apostolorum crediderunt in Christum.

Deinde consecratur Apostolus,& mittitur cum Paulo ad docendum, & consecrandum alios, quos visum est Paulo: Venítque cum eo Antiochiam, transítque Seleuciam,& Cyprum, & Salaminem, & Paphum,atque inde proficiscitur Pergen Pamphiliæ,& Antiochiam Pisidiæ, & Iconium ad Onesiphori domum; deinde Lystram, & Derben: & vbique cum Sancto Apostolo Paulo, ideóque cum illo Gallias,& Hispanias lustrauit verbum Dei prædicans. Rustilo ergo sororis marito iam alterum annum Cretæ Præsidem agente,appulerunt in Cretam Paulus,& Titus, ibíque templum ædificarunt: indéque digressi venerunt in Asiam,atque ex Asia peregrinatur cum illo Romam vsque,quoad Paulus à Nerone sublatus est.

Post Magistri Sanctissimi necem aliis fidelibus adhæsit, M. que Marcellum Eugenium in Hispanias comitatur,cum eóque Toletum deuenit, ibi fidem prædicat, & ne Carpetaniæ populi tanto fraudarentur Apostolo pænè totam inuisit,verbum Dei expressit,& Euangelici seminis in multorum cordibus grana diffudit. Inde reuersus in Cretam,vbi gratiosè de fide Christi disputans, cùm increduli persisterent,orauit ad Dominum,statímque Idolum Dianæ, quod colebant, cecidit, & in puluerem redactum est, & mox crediderunt animæ quingentæ in Christum, & baptizatæ sunt. Consecrauit autem Titus Presbyteros, & Diaconos, ipse vero Metropoli præsidebat. Cùm die quadam transiret ante Palatium,quod Secundus Proconsul iussu Imperatoris in Iouis nomine construebat, maledixit illud; & statim opus funditus dissipatum est. Tunc Secundus venit ad Titum cum lachrymis rogans se indemnem ab opere conseruari. Cui Titus imposuit, vt opus in nomine vnius Dei Christianorum inciperet, & sic opus perficere posset, quod & factum est. Completo vero opere Secundus cum filio suo baptizatus est. Dum igitur B.Titus morti appropinquaret,vidit Angelos ad se missos, & resplenduit facies eius sicut Sol: qui spiritum suum, & plebem sibi commissam Domino commendans in pace quieuit annorum nonaginta & quatuor eius ætatis, VIII. Kal. Septembris, Anno CV. Imperante Traiano. Sepultúsque est in Metropoli Cretæ, vbi & quiescit miraculis coruscans.

En acta ex Menæis,Fl.Dextro,& Petro de Natalibus.Ex quibus liquet Hispaniam perlustrasse S.Titum, & cùm S.Paulo primò, & cum S.Marcello Eugenio. Quo sic cognito ad probationem aliquorum,quæ in actorum ecphrasi referuntur,pergo.

Vt primum ergo Titi aduentus probetur, S.Pauli in Hispanias transitum firmandum esse cognosco, huius rei veritatem, quis inficiabitur? quando præter Hispaniæ,

& Galliæ traditionem, tantis hæc Doctoribus arrideat opinio, quorum meminere P.Biu.*ad Dextr.fol.*272.*&* 273.Roder.Car.*fol.*68.& expresse in *Breuiario* peruetusto *Hispalensi* legitur in festo *S.Pauli Narbonensis* Episcopi, his scilicet verbis: *Titum B.Paulus Apostolus ordinauit, eidémque vrbi destinauit Episcopum. Quique cum eodem Apostolo prædicandi gratia in* Hispaniam *pergit.* Multa de hoc, suo loco dicemus. Quo supposito si Sanctus omnia peragrauit loca, quæ S.Paulus, vt inquiunt Menæa Græcorum, ibi: *Et vbique cum S.Apostolo Paulo.* Et Petr. de Natal. ibi: *Post duos autem annos* (quibus fuit Paulus in carcere Romæ) *Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo, & fuit, vsque ad interfectionem eius à Nerone, corpúsque ipse, vnà cum Luca Euangelista sepeliuit.* Ergo à fortiore cum *S.Paulo* primo Hispanias peragrauit.

De Aduentu cum *S.M.Marcello Eugenio* Episcopo Toletano, expresse Flau. Dext. *in Chron.anno* 220.sic: *Titus cognomento Iustus Episcopus factus, sequutus primò Paulum, mox Eugenium, prædicat in* Carpetania, *vbi eius memoria, & magnitudo miraculorum celebratur.* P.Bollando hæc Dextri opinio *tom.*1.*Act.SS.h.d.fol.*164.*n.*13. arrisit, sed cur Titi meminerit Dexter ad annum C C X X. non videt. Facilis (meo videri) erit cognitio, si vltima periodi relati verba ruminet. Loquitur *Dexter* hoc anno non de vita, non de morte, sed de memoria, quæ tunc temporis, hoc est, illo anno C C X X. in pretio apud Hispanos erat magnitudinis miraculorum à *Tito* per *Carpetaniam* perpetratorum: tamquam si diceret: *Apud* Carpetanos *memoria est anno C C X X.* S.Titi *cognomento* Iusti, *qui venit in* Hispaniam, *vt socius Pauli, mox iterum ipsam regionem lustrauit cum Eugenio, pérque* Carpetaniam *prædicauit, vbi eo anno eius magnitudo miraculorum celebrabatur.* Quo a dubia Dextri relatione discedet.

Nec minus est, cur de *Secundi* Martyris apud *Nouocomium* agone, quem Dexter *Plinium Secundum* extendens compellat, dubitet. Nam ratio à *Bollando* præscripta, in totum claudicat. Eius hæc sunt verba: *Sit ne* Plinius Secundus *à* Tito *conuersus non disputo. Non est saltim ille* Secundus, *qui V I I. Augusti Comi colitur, quem constat ex Legione Thebæa militem sub Maximiano subiisse martyrium.* Huic dubitationi causam præbuit Bollando Dexter, qui in relato loco, sic prosequitur: *Is* Titus *conuerterat ad fidem* Plinium Iuniorem *ex Bithynia, Pontóque redeuntem, in Creta Insula, vbi iussu Traiani Ioui templum erexerat. Nec desunt qui putent V I I.Sextilis ad* Nouocomum *esse passum.* In cuius Dextri epigraphe, duo consideranda sunt. Primum, quod *Dexter* affirmatiuè asserit *S.Titum* ad fidem reduxisse *Plinium Secundum*, id est *Iuniorem*, in discrimen *Plinij* auunculi, qui naturalem conscripsit historiam. Secundum, quod opinatiuè de martyrio apud *Nouocomum* loquitur. Ceu etiam Iulian. Perez in Chron. n.108.sic: *Celebris est memoria* Plinij Secundi, *quibusdam* Nouocomi *Martyris.* Et ipsa ambiguitate intelligendus est idem Iulianus *n.* 298. cum de ipso in hæc verba prorupit: *Celebris est memoria* Plinij Secundi, *cuius bona mens, qua Christianorum causas fauit, creditur in causa fuisse, vt à* Tito *Cretensi Archiepiscopo conuersus ad fidem, post aliquot annos* Nouocomi *cum aliis, capitis obtruncatione in persecutione Adriani martyrium passus esset.* De Prima consideratione Equilinus inficias iit, nam quendam *Secundum*, Palatium iussu Imperatoris Iouis auspiciis construentem à S.Tito baptizatum apertè perhibet. An iste *Secundus* fuerit *Plinius*, quousque Dextri Chronicon illuxit sub silentio fuit. Iam tenebras antiquitatis pellens fuisse *Plinium* absque dubio erit. Nec sine imitatione. Adeat lector eius epistolas, ferè semper *Secundus* sine *Plinio* vocitatur. Martial. *lib.*5.*epig.*77.apud Raderum *fol.*427.illum non *Plinium*, sed *Secundum*, tantum compellat, quo loco, idem *Raderus*, super illa verba: *Cum diserto Secundo*, asserit: *Quis hic* Secundus? *An* Plinius Iunior, *cui nomen* Secundus. *Et passim* Secundus *audiebat potius, quam* Plinius, *quod Epistolæ Traiani Imperatoris ostendunt, in quibus Traiano semper* charissimus Secundus *appellatur.* Ergo quem Equilinus *Secundum* compellauit, is est, quem Dexter *Plinium* cognominat. Quoad secundam considerationem iam constat Dextrum, nec Iulianum credidisse apud Nouocomum passum, sed sub dubio expressisse opinionem. Fallitur *Bollandus* asseuerando illum *Secundum* Martyrem *Nouocomensem*, extitisse ex militibus Legionis Thebææ, quia si attentè Philippum inspiciat *Ferrarium in Catal.SS.Ital.die* 7.*August. fol.*492. ab errore discedet, & à proposito resiliet, cum neque in actis, nec in Breuiariis tale quid reperiatur.

CARPETANIA. Hispaniæ celebris prouincia est, totiúsque regionis vmbilicus, quam

quæ hodie REYNO DE TOLEDO dicitur. De Carpetanis Populis mentio est apud *Strabon. lib.* 3. sic: *In superioribus autem partibus* Carpetani, *Oretanique, & Vettones frequenter habitant.* Et paulò inferius *fol.* 106. prosequitur: *Vicina verò Tago cæterorum opulentissima sunt oppida; amnis quidem piscium feracissimus est, ostreorúmque redundans; ex Celtiberiis autem originem habens, per Vettones, &* Carpetanos, *& Lusitanos in æquinoctialem labitur Occasum aliquantisper, spatio pari ab Ana, & Beti fluuiis distans.* Ptolom. apud *Non. c.* 45. eorum terminos, sic describit: Carpetani *à Septemtrione Vaccei, ab Oriente Celtiberi, à Meridie Oratani, ab Occidente verò Vettones habent.* Polyb. *lib.* 3. T.Liu. *lib.* 21. Plutarch. *in Hannibali.* Plin. *lib.* 19. *c.* 8. Ex nostris Flor. de Ocamp. *lib.* 4. *c.* 23. Moral. *lib.* 6. *c.* 8. Ioann. Gerund. *in Paralip. lib.* 1. & pænè omnes qui de Hispania scripsere. In nominis scriptura varietas apud Geographos, & Scriptores circumfertur. Alij *Carpetani*, alij *Carpentani* appingunt. Polyb. *Carpesii.* Morales credit sic hanc Prouinciam CARPENTANIAM vocitandam esse à multitudine curruum *Carpentatorum*, quibus ibidem maximè vtuntur Oppidani. Quorum formam, & vsum etiam Romanæ deliciæ cognouerunt. L. Flor. *lib.* 1. *c.* 7. de Tullia: *Nec abhorrebat moribus vxor* Tullia, *qua vt virum Regem salutaret, supra cruentum patrem vecta* Carpento, *consternatos equos egit.* Et *lib.* 3. *c.* 2. *Nihil tam conspicuum in triumpho, quam Rex ipse Bituitus discoloribus in armis, argenteóque* Carpento, *qualis pugnauerat.* Et non solum in triumphis hæc *Carpentorum* consuetudo inoleuit, sed in ludis. Suet. *in Caligul. c.* 15. sic: *Instruit Matri Circenses, &* Carpentum, *quo in pompa traduceretur.* Quo loco *Labin. Torrent. fol.* 203. exponit, *vt illo vteretur in Circensi pompa inter Deorum, & Heroum fercula.* Licet Ioan. Hemelar. *in not. ad Numismat. Carol. de Croy tabul.* 5. *fol.* 18. contendat *fuisse vehiculum quod Mulis vehebatur, Matronis dicatum, quod solebat in defunctæ honorem cum illius imagine per circum duci*, in cuius comprobationem hæc *Suetonij* verba referat, & Agrippinæ *Carpentum*, cuius effigiem describit Torrent. *d. fol.* 203. quam hic dabimus, ex Numismate.

Decernebatur *Carpentum* honoris gratia aliquibus, quod & fuit maximum fauoris munus, vt apud *Trebell. Pollion. in Tyran. c.* 20. sic: *Postquam cæteri consulti statuam inter triumphales, &* Carpentos *currus quadriiugos Pisoni decreuerunt.* Æl. *Lamprid. in Alexand. Seuer* Paul. *Carm.* 31. *ad coniugem.* Ouid. *lib.* 1. *Fast.* in quibus de *Carpentis* Matronis decretis, & alia comperies: Quæ vox licet ex *Morales* ita se habeat, attamen locutio inter Scriptores nostros est in contrarium, vt ex *Dextro, Maximo, Luitprando, Iultano,* & aliis liquet, in quibus adhuc *Carpetania*, non *Carpentania* legitur.

B S. DAFROSA. Nobilissima, & Sanctissima Matrona, quæ meruit à Domino non solum stemmatibus temporalibus illustrari, sed quod splendidius est, cœlestibus, & æternis totam ipsius domum, & familiam diadematibus honorare. Nam maritus Flauianus, & Bibiana, Demetriáque filiæ, omnes pro fidei confessione martyrio coronas percepere. De S. Dafrosa, cuius dies natalis hodie colitur, Vsuard. sic: *Item Romæ* S. Dafrosæ *vxoris Fabiani* (lege Flauiani) *Martyris, quæ post interfectionem ipsius primùm relegata exilio, deinde à præfato Principe iussa est puniri.* Eadem Beda, Ado, Nokerus, Bellinus, Maurolycus, Gallessimus, Peregrinis, Martyrol. Lusitan. & Castellan. P. Dionys. Vasq. Italicum Philipp. Ferrar. Equil. in Catal. lib. 2. c. 42. Iulian. Perez in Chron. n. 165. Quintanaduen. Hist. SS. Hispal. fol. 100. Roder. Car. Hist. Hispal. in Chorograph lib. 2. c. 11. Baron. tom. 4. annal. Eccles. ann. 362. n. 265. fol. 97. Ex quibus hanc vitæ ecphrasim concinnabimus.

DAFROSA præclarissima fœmina vxor fuit gloriosi Martyris Flauiani, vterque ex Hispalensi vrbe Hispaniæ oriundus. Cùm verò sanctissimus maritus, aut à Principe euocatus, aut interpellantibus

grauibus negotiis Romam pergere proposuisset, collecta vxore, & re familiari cum Sanctissimis virginibus Bibiana, & Demetria iter arripuit, in vrbémque peruenit, vbi conducta domo, protinus domicilium, & sedem ibidem collocauit, ex quo deinceps vt Romanus ciuis habitus, ad obeunda Reipublicæ munera aptus, eius efflagitantibus meritis ad Expræfecturæ vrbis fastigium euectus est. Qui sub Iuliano Imper. impiissimo Apostata, pro fidei confessione, vt seruus notatus, ad aquas Taurinas deportatus, martyrium consummauit, vt die XXII. Decembris copiosiùs dicemus. Ergo Dafrosa licèt sine Viro, attamen cum filiabus, orationibus, ieiuniis, eleemosynis vacans, vidualem in secessu domus, vitam agebat, donec ferus ille Apronianus Romæ Præfectus, cùm Sanctarum Matris, & Filiarum veneranda opera recognosceret, illicò vinculum, illud virtutum intercidere satagens, Dafrosam à consortio Virginum dimouens, primò fame in domum inclusam perituram decreuit. Quod Faustus eius cognatus intelligens, sibi persuadens, vt sibi nuberet, & Diis sacrificaret, Dafrosam in domum recepit suam. Illa verò, tot, & tantis conatibus Fausto fidem suasit catholicam, vt veritate victus, & salutaribus mysteriis imbutus, à Ioanne Presbytero fuerit baptizatus. Quo cognito, & quia in Tyranni præsentia incessanter Deum Christum confiteretur, iussu Iudicis in ipso Tribunalis solio vitam Martyr finiuit gloriosus, vt æternam initiaret. Corpus S. Fausti exanime canibus expositum. Dafrosa noctu collectum, veneranter tradidit sepulturæ. Mox Sanctissima Vidua extra vrbem relegata à S. Flauiano Viro suo euocata in somnis post quinque dies capite plexa est. Pridie Nonas Ianuarij Anno Domini CCC. LXII. Imperante Iuliano Apostata. Pontificatum obtinente Liberio PP. Cuius sanctum corpus post VIII. dies in cœmeterio Palatij Liciniani S. Ioannes Presbyter honorifice condidit.

Vt hæc relatio historiis ecclesiasticis adaptetur, eius dubia recensendo adæquabimus. In compositione Nominis hæsitatur. Quidam Darfosan, vt Maurolycus. quidam Affrosam, & alij Danfrosam, vt Peregrinis, sed omnes isti perperam; nam proprij nominis vocabulum Dafrosa fuit. Sic in vetustis, & nouis Breuiariis, sic in approbatis authoribus, sic Vrbanus PP. VIII. in epigraphe restaurationis templi S. Bibianæ in vrbe, Anno M. DC. XXIV. vt refert And. Taurell. in Panegyr. ad Vrbanum fol. 25. quod quia præ manibus non habetur, accipio.

ÆDEM HANC AB OLYMPIA MATRONA. SANCTISS.
IN HONOREM SSS. BIBIANÆ. DEMETRIÆ. ET DAFROSÆ.
PRIMVM EXCITATAM.
A SIMPLICIO P.P. DEINDE. RESTITVTAM.
AB HONORIO III. CONSECRATAM.
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
INSTAVRAVIT. ET ORNAVIT.
ANN. IVBIL. PONTIF. II.

Nec minus aberrauit *Galesinus*, qui tempore Decij Imperatoris agonem expletuisse *Dafrosam* credidit, cùm integro post sæculo vixerit; Cuius error, & *Equilini* (qui vxorem *S. Fabiani Papæ* somniauit) in eo fuit, quia cùm *Fabiani* nomen scripsere (ignorato *Flauiano* martyre) potius ad Pontificem, vt Romæ passum matrimonij vinculum adaptarunt; ex eóque tempore Decij passam (vt Fabianus Papa.) Dafrosam scripsere.

Nunc

Nunc ad congressum cum nostris, & exteris conueniamus scriptoribus. Sanctam *Bibianam* fuisse *Hispanam* affirmat *D. Laurent. de Padilla*, à quò *Vasseus* in Chron. *ann.* 306. Garibay *in Compend. Hist. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 47. *fol.* 221. Caro. *lib.* 2. *Chorograph. cap.* 11. Quintanad. *d. fol.* 100. Ergo si hæc fuit Hispana, ergo & *Demetria* eius soror, & fortè *Dafrosa* eius mater. Cui adiicio locum expressum *Iuliani* Archipresbyteri S. Iustæ *in Chron. d. num.* 163. sic: *S. Bibiana S. Flauiani Hispalensis Hispani filia, Romam petit, ibique martyrium patitur patienter cum matre, & sorore:* ita exscripsit *P. Quintanadueñas* diminutè, cùm Iulianus scripsisset: *Cum Patre Romam petit.* Innuens *Dafrosam* quoque *Hispalensem* fuisse. His authoritatibus se opponunt aliqui, quibus occurrere satagam. Laurentio de Padilla in Catalog. SS. Hispaniæ, & suis sequacibus, arma mouet Ambros. de Morales *lib.* 10. *c.* 29. D. Franc. de Padilla *in Hist. Eccles. Hispan. tom.* 1. *cent.* 4. *cap.* 34. *fol.* 207. *col.* 2. D. Martin. de Anaya contra P. Quintanad. *fol.* 22. *col.* 2. Qui enixè contendunt S. Bibianam non fuisse Hispanam, ratio ex Ambrosio est, à quo cæteri: *Quia communi omnium consensu, tàm ex Breuiariis, quàm ex historiis continuo ciuis Romana vocitatur, ideòque neutiquam Hispanam fuisse credendum est.* Cui obiectioni facillimo negotio fecit satis idem P. Quintanadueñas, sic: *Aliqui* S. Bibianam *Ciuem* Romanam *appellant ex antiquis Officiis, & ex nouissimo Vrbani VIII. quibus Virgo* Romana *vocitatur, sed hoc intelligendum fore, respectu domicilij.* Romanus ergo vocatur, qui è Roma est, vel qui Romam inhabitat, vt ex *Thesaur. Linguæ Latin.* colligitur. Ex hoc ergo capite *Christum Dominum* Euangelistæ *Nazarenum* vocauere; præcipuè *Matth. c.* 2. sic: *Veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur* Nazareth, *vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam* Nazaræus *vocabitur.* Cui S. Iustin. Mart. *quæst.* 5. *de Christ. Relig.* adiecit: *Ipse Saluatur à domicilij loco* Nazarenus *est dictus.* Eadem dixere *Chrysostom. Origen.* & *Iansen.* Vocabantur *Romani*, omnes Ciues, qui ex priuilegio Romani Imperij Colonias inhabitabant, licet nec ex origine Romana essent, nec Romam vidissent, vt ex Carol. Sigon. *de Iur. Rom. lib.* 4. *cap.* 1. Rosin. *Antiq. Rom. lib.* 10. *cap.* 22. *& lib.* 1. *cap.* 15. Exemplum irrefragabile, & fidele in *Diuo Paulo*, quem natum ex *Tarso Ciliciæ*, ex Act. Apostol. *cap.* 22. credimus, nec minus Romam vidisse, donec Cæsarem appellauit agnoscimus. Et tamen eodem *cap.* 22. sic priuilegium nobilitatis originis ex Colonia allegans, ait: *Sic hominem Romanum licet vobis flagellare?* Et postea *cap.* 23. *Cognito quia Romanus est.* Ergo perperam ex voce: *Virgo Romana* desumitur argumentum ad contradictionem nostræ sententiæ, cùm talia exempla sunt in contrarium. Prætereà *Ambrosius de Morales*, & *D. Franc. de Padilla* nondum *Iuliani* Chronicon inuiserant, quod si in eorum manus deuenisset, non est dubium, quin sententiam deponerent. Quod ægrè admodum toleratur, me hercle, *D. Martini de Anaya* leuitas est, qui post inspectionem *Iuliani* antiquorum nugas sectando, tantarum Martyrum origines releget, nulla addita ratione, nisi quod *Iulianus* testis est singularis, & nulliter contra tot antiquissimorum testimonia, vnius dictum valebit. Quæ testimonia, mi Martine? ipse OEdipum soluit: *Virgo Romana Bibiana*, vocitatur, ergo & Mater? iudicent Docti: Sed vt P. Quintanad. comprobationem extendamus, & contrariorum *αντιπαθειαν*, seu repugnantiam ex actis S. Bibianæ concordemus, & ne quia *Virgo Romana* compellatur ab alio, hoc est, Hispano origine repellatur, hic aliqua inserere documenta, & exemplaria contexere non pigebit, ex antiquitatis desumpta membranis. Inter omnes conuenit, omnes Prouincias Imperio Romano subiectas, ciuitate donatas à tempore Antonini Pij Imperatoris anno Domini CXL. sic Vlpian. in l. in Orbe ff. de statu hom. *In Orbe Romano (inquit) qui sunt, ex constitutione Antonini Imp. Ciues Romani effecti sunt.* Ita ex originalibus Florentinis D. Anton. August. in l. 6. de excus. Tutor. Alciat. lib. 2. Dispunct. cap. 21. Oroscius in d. l. in Orbe. Iustin. in Authent. vt liberi de cætero §. 6. collect. 6. sic: *Sicut enim Antoninus Pius cognominatus (ex quo etiam ad Nos appellatio hæc peruenit) ius Romanæ Ciuitatis, priùs ab vnoquoque subiectorum petitum, & taliter ex his, qui vocantur peregrini ad Romanam ingenuitatem deducens, hoc ille omnibus in commune subiectis donauit.* Qui verò illarum Ciuitatum Imperio Romano subiectarum accolæ fuissent, Ciues Romani dicebantur. D. August. de Ciuit. Dei. lib. 5. cap. 17. *Nonne*

Romanis (ait) *& caeteris gentibus vna esset, eadémque conditio? Praesertim si mox fieret, quod postea grauissimè, atque humanissimè factum est, vt omnes ad Romanum Imperium pertinentes societatem acciperent Ciuitatis*, & Romani Ciues *essent*, *ac esset omnium, quod erat paucorum tantum.* Sed Hispania Imperio Romano paruit, vt est notum. Ergo & Ciues Coloniarum, & Municipiorum Hispaniae, Ciues quoque Romani vocandi erunt. Elegans locus Iosephi Hebraei lib. 2. contra Apionem, sic: *Romanorum verò clementia cunctis non paruulum donum appellationis suae concessit, non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi*, Hispani *denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini*, Romani *vocantur.* Sed ne ex Theorica tantum comprobatio sumatur practicè huius demonstrationis instantiam describamus. Quis vnquam Paulum Orosium Hispanum negauit? Eia audi ipsum de se loquentem *lib.* 5. *cap.* 2. *Latitudo Orientis, & Septemtrionis copiositas, Meridiana diffusio, magnarum Insularum largissima, tutissimáque sedes mei iuris, & nominis sunt, quia ad Christianos*, & Romanos, *homo Christianus*, & Romanus *accedo.* Et paulò inferiùs: *Inter Romanos* (*vt dixi*) Romanus; *inter Christianos, Christianus; inter homines, homo: Legibus imploro Rempublicam; Religione conscientiam; Communione naturam.* Quid expressius? Prudent. contr. Symmach. reddit rationem huius nominis, sic:

Hanc fraenaturus rabiem Deus vndique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus iisdem,
Romanósque omnes fieri, quos Rhenus, & Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Iberus.

Quis L. Cornelio Balbo originem Gaditanam detraxit, etiam in ipso accusationis conflictu, de quo apud Ciceronem Orat. 35. tom. 2. & nihilominus ab ipso Cicerone passim Ciuis Romanus vocitatur. Plura alia adduci potuerant in huius rei comprobationem, sed ne longius haec protrahatur apodixis, lectorem ad eruditissimum Bernard. de Alderete in Origin. ling. Castellan. lib. 1. cap. 5. & 6. missum facere proposui, vbi ex Saluiano, & ex legibus Gothorum Fori Iudicum hanc nostram elucidat opinionem.

His sic probatis perperam contrariae opinionis fautores, ex solo verbo *Ciuis Romana* contendunt S. Bibianam, Demetriam, Flauianum, & Dafrosam fuisse Romanos origine, & domicilio: cum licèt illic Romani dicerentur, potuere ex rationibus relatis esse Romani nomine, & domicilio, & Hispani origine. Et eò fortior hodie insurgit haec opinio, quia Iulianum habet Patronum, vt diximus. Nec valebit D. Martin. de Anaya scrupulus, dicentis Iulianum in hoc fuisse singularem, cui non esse credendum. Nam; si Historiarum volumina euoluat, passim ex vno teste similia inueniet exempla. Ab vnius dicto vndecumque tam in saecularibus, quàm in ecclesiasticis opinio cuiuslibet rei incepit, ab eo alij, ideóque ex multorum congerie firmantur approbantium dicterium. Quanto magis haec Iuliani propositio, quae à tantis comprobatur Historiographis, etiam non viso Iuliano.

HISPALIS. Quam hodie SEVILLA diximus die secundò huius Mensis, agentes de S. Isidoro Episcopo Caesaugustano, vbi primam de Origine huius inclytae appinximus vrbis sententiam. Nunc ad secundam opinionem pergo, quam Roder. Tolet *Hist. Hisp. lib.* 1. *cap.* 5. affert hisce verbis; *Inde procedens* (Hercules) *ad Baticam, in planitie, quae Bati flumine irrigatur, ciuitatem* HISPALIM *erexit, nomen adaptans, eo quod, prima habitacula, palis suppositis tegmen susceperunt, & in ea Spalos, qui secum de prope Scythiam venerant, accolas collocauit.* Quem sequitur Gerundens. *in Paralip. Hispan.* sic: *Post Gadem*, Hispalum *est. Hanc vrbem multi ferunt ab* Hercule *conditam, sícque vocitatam, siue quia palis suppositis condita est.* Vterque nominis aetymon à D. Isidoro *lib.* 15. *Etymolog. cap.* 1. mutuauit, sic: Hispalis *autem à situ cognominata est, eo quod in solo palustri, suffixis in profundo palis locata sit, ne lubrico, atque instabili fundamento caderet.* Ex opinione hac sine aspiratione *Spalis* fortè scribi coepit, nam apud nonnullos antiquos Scriptores, & Conciliorum collectores, absque aspiratione, & I litera reperitur, vt ex Roder. Car. *lib.* 1.

Antiq.

Antiq. Hispal. cap. 2. liquet. Qui nominis vnius formationem ipsius vrbis, aut ignorauit, aut contempsit, quare ne tantæ vrbi meum hoc additamentum deficiat, subiungam. Philostrat. Lemn. *in vita Appollonij lib.* 5. *c.* 3. agens de nunciis missis ad Gaditanos pro supplicatione victoriæ à Nerone partæ in Olympiis, calamum conuertit ad relationem cuiusdam histrionis, qui per Hispanias diuagabatur mendicus, & populos facetis nugis illudebat. *Qui igitur* (prosequitur) ISPVLA *incolebant* (*ea verò Bæticæ prouinciæ ciuitas est.*) *aliquid ab histrione tragico passi sunt.* Et paulò inferiùs annectit. *Is igitur* ISPVLA *veniens, terribilis primo aspectu visus est, donec in scæna tacitus perstitit.* En aliud istius ciuitatis nomen, cuius nec meminere, eius Historici; quoad institutum transeo.

NONIS IANVARII,

HOC EST DIES V.

V. IANVAR.

A. *In cœnobio S. Michaëlis de Cussano Ordinis B. Benedicti, Diœcesis Hellenensis depositio* S. FLAMIDIANI *Martyris, qui Hispanus, vt creditur, ibidem XXV. die Decembris, quo Christus Dominus (pro cuius confessione præliauit, terras intrauit, vt nos eueheret ad vitam, hic cœlum adscendit, vt nos inuitaret ad coronam. Cuius festiuitas ad hunc diem translata est, propter illius ab Ecclesia singularem lætitiam.*

NOTÆ.

A. SANCTVS FLAMIDIANVS. Istius Sanctissimi martyris agonem referunt nonnulli ex Nostris, & aliqui ex exteris Scriptoribus, sed quo anno, à quo Iudice, & quæ perpessus sit tormenta, penitus obliteratum. Memoria tantùm adhuc in sacris perseuerat factis. De eo sic Philipp. Ferrar. in Catalog. SS. In Territorio Helenensi S. Flamidiani Martyris. Et in Not. fol. 9. sic: Ex Hist. SS. Cataloniæ à F. Antonio Ordin. Prædicat. ann. 1602. edita Barcinonæ. Passus est VIII. Kal. Ianuarij. Festum tamen in hanc diem transfertur. Corpus Cussani Oppid. Helenensis Diœcesis requiescit. Eadem pænè Bolland. in Act. SS. tom. 1. hoc die. fol. 288. Anton. Vincent. Domenec. Hist. SS. Catalon. lib. 1. fol. 36. P. F. Anton. de Yep. in Chron. Bened. Cent. 3. Ann. 745. cap. 4. fol. 126. Andr. Suassay. in Martyrol. Gallic. tom. 2. in Supplem. fol. 1075. nescio à quo, & Gallum Narbonensem appingit, & sub Maximiano martyrem assignat, sic: In Gallia Narbonensi, territorio Helenensi, propè Perpinianum, natalis S. Flauidiani Martyris, ibi sub Maximiano coronati. Passus est autem VIII. Kalend. Ianuarij, quo ipso die Christus natus est. Vnde natalis huius Martyris, in hanc diem transferri consueuit. Quidquid ergo de huiusmodi Monasterio, & de S. Famidiani memoria à F. Anton. Vincent.

hispano scriptum est sermone,ab antiquissimis cœnobij schedis extractum,hic latinè dabimus,ne tanti pereat monumenti compago.

DE COENOBIO S. ANDREÆ, post S. Germani, denique S. Michaëlis de Cussano, Diœcesis Helenensis, Ordinis S. Benedicti in Catalonia Hispaniæ, & de S. Flamidiano Martyre, ex lectionibus,& schedis ipsius Monasterij à F. Antonio Vincentio Domenec,in hist. Sanctor. Cataloniæ.

Tradunt Ecclesiæ Vrgelitanæ,quæ perlustraui monumenta, eam vrbem annis dumtaxat XII. & dimidio fuisse in Maurorum potestate. Cùm enim excessisset è viuis Dotila Episcopus, eam mox Barbari occuparunt, sed Christianis XII.annis, ac semestri post denuò cessit; creatúsque ibidem Antistes Sisebutus eo nomine I. Quæ res insignem Fidei in ea vrbe, eiúsque pomœrio antiquitatem testatur. Anno porrò DCCXLV. cùm Hildericus Galliæ principatum teneret, & Pipinus Maiordomus præesset, eiúsque filius Carolus, post Magnus appellatus,tres vix dum natus esset annos, die XIII. Septembris,Sacerdotes quidam diuino afflati instinctu,ex Vrgelitana Diœcesi, ad principium vallis Confluentiæ, cui nomen Exalada, profecti, illic iuxta fluuium Tethin ex suis facultatibus Monasterium construxere, quod Dei, Sanctique Apostoli Andreæ honori, sacrum esse voluerunt, ac S.Benedicti regi instituto. Euersum verò deinde est eiusdem fluminis eluuione, Abbate, ac Monachis plerisque suffocatis. Quinque dumtaxat superstites fuere: hi ad Protasium Vrgelitanum Archidiaconum, cui sacra illa congregatio, quadam erat spiritualium, ac temporalium rerum participatione deuincta, adiere. Qui funestum illum casum miseratus,cum ipsis Caroli Magni Regis aulam XXVII.Decembris,anno DCCXCIV. petiit, ac Monasterij tristi excidio commemorato, facultatem postulauit, aliud in Cusana valle reædificandi. Libenter, quod rogabatur, concessit religiosissimus Princeps,eos iureiurando contestatus,vt B.Germani Antisiodorensis id nomini dicarent. Atque eius loci in quo hæc gerebantur, Episcopo præcepit, vt Protasio manum S. Germani, dentémque S.Amatoris largiretur. Protasium deinde secum Romam deduxit, egítque cum Adriano I. Pontifice, vti hic Protasium Sacerdotio initiaret, & construendi Monasterij crearet Abbatem. Rediit inde in Hispaniam Protasius cum suis,Monasteriúmque construxit,ac S.Germano dicauit,vt Carolus iusserat.

Multi ei loco post Protasium præfuere Abbates, Hembertus, Adasimundus, Amatius, Guntida, Blandericus, Adalardus, Ainardus, Raynardus,& Gondefrenus: hic ab Agapeto II. exemptionis diploma suo Monasterio impetrauit Huic Pontius successit,qui Monasterium vetustate nonnihil labefactatum restaurauit, Sanctíque Archangeli Michaëlis patrocinio commisit, Guifredo Comite Barcinonensi fauorem in eam rem suum, sumptúsque per amplos præstante, qui tunc ferè virorum Principum mos erat. Vniuersa hæc in choro, vt vocant Basilicæ S.Michaëlis Cusani asseruantur ex variis diplomatis, atque aliis certissimæ fidei monimentis à F.Vincentio Pasano collecta, quæ indubitatam cœnobij illius antiquitatem testantur.Nam & si sæpius reparati sint parietes,noménque mutatum, eadem tamen permansit religiosorum congregatio. In hoc igitur nobilissimum cœnobium, atque omnium quæ in Catalonia à prima

institutione

institutione non interruptam retinuere religiosam disciplinam, antiquissimum S. F L A M I D I A N I Martyris sacræ sunt exuuiæ deportatæ, præsens ad religiosi brauij prosecutionem incitamentum futuræ. Is martyrio coronatus memoratur XXV. Decembris, ipso Christi natali die, quo eius in Missâ memoria agitur. At postridie Octauæ Innocentium festum eius ritu duplici celebratur, atque eius in Officio, & Missa recitatur nomen. At nihil extat præterea. Nam quas vsurpant antiquas lectiones, ex nihil ad vitam pertinent, nudi Patrum sermones. Hactenus Domenec.

Nunc in admirationem rapior, de Andreæ Suassay deliberatione, in scribendo S.Flamidianum fuisse à Maximiano occisum, cùm nulla inueniatur de huiusmodi coniectatione scriptura, nec à quo desumpserit ostendat. Et quod insignius est, quod Monasterio S.Michaëlis de Cusano inter Galliæ terminos includat, cùm vt notum est, in Hispaniæ circulos contineatur, vt notum est, & ex ipsa Domenec relatione colligitur, ibi: *Rediit inde in* Hispaniam *Protasius cum suis, Monasteriúmque construxit.* En apud Hispanos Monasterium, ergo perperam in Gallia ipsius appingit situm Suassay. Videndi Ferrar. in General. Catal. fol. 9.

H E L E N E N S E Territorium, quo situm est cœnobium elucidare compellimur. Fuit Helena, & adhuc est Ciuitas Episcopalis, hodie E L N A, in Hispania Tarraconensi Cataloniæ, & Comitatus Ruscinonensis, in ora litoris, apud Perpinianum, & Galliæ Narbonensis limes: A Perpiniano X I. à Barcinone verò X X V I I. M. Hispan. in Arctos recedens, Caucoliberi proxima. Miræus in Geograph. Episcop. lib. 4. verb. Elna. Carol. à S. Paulo in Geograph. sacr. lib. 5. fol. 155. Quæ licet quando Gallia Narbonensis Gothis Regibus parebat, Archiepiscopo Narbonensi suffragabatur, postea cum Prouincia Tarraconensi subiecta fuit, & nunc Regi Hispaniæ Catholico, vt Ruscinonis Comiti submittit fasces. De ea meminere Zosim. Aurel. Vict. D. Hieronym. Paul. Oros. & Episcop. Gerund. in Paralipom. Hisp. tit. de Terra Ruscellionis, sic: Eisdem temporibus Helena ciuitas (quæ à modernis Helna dicitur) condita est, siue ab ipsa Helena, siue à Constante nepote, in S. Auiæ Helenæ honorem. Ioann. Vass. in Chron. c. 20. & Mir. & Carol. à S. Paul. Franc. Tarafa de Reg. Hisp. in Hauido. Ann. ant. Christ. nat. 1122. non ab Helena conditam fuisse, sed à Græcis: De quo infra suo loco dicemus, ne in vno totum pensum atteramus.

S. P R I S C I L L I A N V S. Inter Hispaniæ Martyres hoc die apud Carthaginem Spartariam annumerat Philipp. Ferrar. in Catal. General. SS. fol. 9. hisce verbis: *Carthagine in Hispania* S.Priscilliani *Martyris.* Et in notarum scintillis hæc: *Ex tabulis Ecclesiæ* Carthaginensis *hac die. Nescio an sit, qui* Romæ *passus refertur in Martyrologio Romano die præcedenti.* Bolland. *in Act. SS. tom. 1. die IV. Ianuarij fol.* 165. sic: *Colitur* Carthagine *in Hispania V. Ianuarij* S.Priscillianus *Martyr, Officio duplici. Dubitat* Ferrarius, *an is sit, qui hic* Romæ *passus dicitur.* Eadem repetit *in Prolegom. huius diei.* Quod verum est ex Annuali Officij Ecclesiarum Hispaniæ, vbi eius festiuitas assignatur. Alia (licet peculiariter ediscere curaui) penitus euanuere.

OCTAVO IDVS IANVARII, HOC EST DIES VI.

A. *Epiphania Domini, quæ ab Hiſpanis diu culta, & repetita honore debito celebratur.*

B. *Rhemis in Gallia depoſitio, & tranſlatio S.* MACRÆ *Virginis, & Martyris, quæ ab Auguſta Hiſpaniæ vrbe Oriunda, à Rictiouaro Præſide pro fide tenta, & in carcerem incluſa, primò in ignem coniecta, eius euaſit flammas, poſt mammillarum abſciſione percuſſa, horrendi ergaſtuli ſqualore concuſſa, & in acutiſsimis teſticularum aculeis, prunarúmque carbonibus volutata, demum animam Martyr Domino commendauit ſtrenua.*

C. *Barcinone in Hiſpania S.* RAYMVNDVS *de Peñafort Ordinis B. Dominici Generalis III. zelo religionis plenus, pietate inſignis, doctrina illuſtris, mirabilibus ſingularis, poſt varias in Eccleſia Catholica functiones peractas, & huius ſæculi dignitatum onera deſpecta, ipſo Epiphaniæ Domini die Confeſſor clarus obdormiuit in Domino.*

NOTÆ.

A EPIPHANIA, ſeu THEOPHANIA DOMINI. Huius ſolemnitatis antiquiſſima temporum reuolutione apud Hiſpanos feſtiuitas numeratur. Noſter S. Iſidor. *lib. 1. de Eccleſ. Offic. c. 27.* ab Apoſtolis hanc fuiſſe ſolemnitatem introductam refert: *Epiphaniorum* (inquit) *diem proinde feſtæ ſolemnitati viri* Apoſtolici *ſignauerunt, quia in eo eſt proditus Stella Saluator, quando inuenerunt Magi Chriſtum in præſepi iacentem.* Vbi etiam de cultu ipſorum apud occiduos meminit. Inter quos & Hiſpania locum tenet præcipuum. Comprehendit hoc feſtum triplex myſterium, ſcilicet: *Magorum adorationem, Chriſti Baptiſmum, & ipſius primæuum miraculum.* Sic *Iſidor. Noſt. d. c. 27.* hiſce verbis: *Epiphania enim Græcè, Latinè apparitio, vel oſtenſio dicitur.* Tribus autem ex cauſis hic dies, hoc vocabulum ſumpſit: ſiue quod tunc in Baptiſmo ſuo Chriſtus populis fuerit oſtenſus: ſiue quod ea die ſyderis ortu Magis eſt proditus: ſiue quod primo ſigno, per aquam in vinum verſam multis eſt manifeſtatus. Quod & Eccleſia Catholica in hymno Veſpertino huius feſtiuitatis canit. Pulchrè, & breuiter Magorum aduentum deſcribit Noſter *Iuuencus lib. 1. Euangel. Hiſt.* ſic:

Gens

Gens est vlterior surgenti conscia soli
Astrorum solers, ortúsque, obitúsque notare;
Huius Primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti proceres, Solymas per longa viarum
Deueniunt: Regémque adeunt, oránt que doceri,
Progenitum, sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitus venisse viam, quo supplice dextra
Exortum terris venerabile Numen adorent.
Ecce iteris medio stellam præcurrere cernunt
Sulcantem flammis auras, quæ in culmine summo
Restitit, & Pueri lustrata habitacula monstrat.
Gaudia magna Magi gaudent; sydúsque salutant.
Et postquam Puerum videre sub vbere Matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram:
Submißique simul, mox mystica munera promunt.
Aurum, thus, myrrham, Regíque, Deóque, Hominîque.
Dona ferunt.

Aluarus Gomez Dominus de Pioz, cuius ingenium (fuit enim Toletanus) omnes sui temporis acutissimos superabat Poëtas, in *Thalichristia lib.7. fol.52.* heroico panxit carmine Magorum adorationem, quod quia laxiori ecphrasi mysterium depinxit, non omne exscribemus, sic:

Interea claro deducti sydere Reges
Aduenere Magi, prauisáque signa fatentur.
Ecce Stella nitens cælo supereminet alto:
Dux erat illa Ducum: Regésque hortatur ad ipsam
Festinare viam: Nonque illos tarda moratur
Segnities, properant. Hominem verúmque, Deúmque
Conspexere. Sacris manibus rubicunda fouebat
Hunc Genitrix, sanctóque metu, sanctóque pudore
Lumina in hoc Puero retinens externa creato,
Atque interna Deo, liquefactis sensibus, ipsi
(Sic animos Fides alta tenet) reuerenter adorant
Vt Dominum, quem carne virum, labrísque prementem
Candida lactigeræ cernebant vbra Puellæ.

Post vniuscuiusque Orationem limpidissimis verbis describit, & Virginis gratitudinem, & Angelorum gratulationem extendit. *P. Emanuel Pimenta in lib. 3. Poëmat. fol.75. de Adorat. Magorum*, sic paraphrasticè huius diei Euangelium exponit.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. *Matth.c.2.*

Quis trahit Eoos sacra ad cunabula Reges?
Præuia non soliti luminis astra monent.
Maiestatem animi pietas substernet: & ardens
Thesauros aperit gratia, donat Amor.

Quanta

Quanta fides lateat, diuino in pectore Regum:
Lingua vbi conticuit, munera terna docent.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?

Sceptra manu tenera, Puer ô molire: laborum
Primitias, Regni iam graue monstrat onus.
Ne te pœniteat tam vastam attollere molem:
Hæc est tanta humeris, sarcina digna tuis.
Quo plus Regnorum tanta sub mole laboras,
Plus tibi mercedis,, plus tibi laudis erit.
Quod si te faciet succumbere pondere moles:
Hoc onus immensum, tunc tibi tollet onus.

Herodes Rex turbatus est.

Ne Rex saui animis; Pueri quid nomina turbant?
Quid stabulum metuis? quid noua sceptra times?
Qui cœleste dedit Regnum, mortale requiret?
Aurea qui donat sydera, regna petet?
Pone metus: non te blandis vagitibus Infans
Sollicitet: nullus qui tremit, hostis erit.
Non opus est ferro, non bellatrice phalange:
Quem fingis, pectus molle Tyrannus habet.
Plus tibi te timeo, quam vim, quam fulmina; Tantum
Herodi Herodes par, reor, hostis eris.

Intrantes domum inuenerunt Puerum cum MARIA matre eius.

Nil minus ornatum est, quam Natus, & aurea Mater,
Nil magis ornatum est, dum videt antra Magus.
Ornat ouans Mater tenerum intra brachia Natum:
Exornat Matrem ceu rubra bacca, Puer.
Elysius Matri flos est pulcherrimus Infans:
Fit Nato Genitrix, & Rosa pulchra suo.
Colla velut gemmis, materna ardentibus ambit
Filius hæc Nato fit noua gemma suo.
Virginitas Matris Nato decus additur illi
Maiestas Nati stemmata summa dedit.
Præstitit hic dulci decoris genus omne Parenti,
Hæc decoris Nato dat genus omne suo.
Ornamenta Magus non his maiora requirat;
Solum oculos, queis sint ista videnda, petat.

Et procidentes adorauerunt eum.

Dum Magus Infantis cunabula pronus adorat,
Non sibi desipuit, sed sapit inde magis.
Regia maiestas, ingens, sapientia gaza,
Imperij solium grande, supremus honor:
Ne poßint solita subito cecidisse ruina,
Ante decet Pueri procubuisse pedes.

Obtulerunt ei munera.

Sidere monstratur sidus: lux luce refulget:
Ante fidem fidei signa dedere Magi.
Tres tria dona ferunt, & Trinum Numen adorant?
Tres titulos Aurum, myrrhâque thúsque notant.
Pro linguis, Regum regalia dona loquuntur:
Dicturæque manus, si loquerentur, erant.
Ditius hoc aurum nunquam fuit; addidit illi
Dantis amor pretium, suscipientis honor.
Utiliter donant, Puero donante; reportant,
Significant quantum regia dona, Magi.

Aurum.

Si donum aspicitur, non est prægrande: voluntas
Si mea, muneribus par mihi nullus erit.
Non tàm materies grata est tibi fulua metalli,
Significat pretio quàm quod opima suo.
Sæcula quod condis felicibus aurea Regnis
Fortunata iugum gens subitura tuum!
Aurea secla aliis, condis tibi ferrea, ferro
Ferrea transfiget lancea dulce latus.
Ferrum etiam geminas palmas, vestigia ferrum
Rumpet: mors dura ferrea sortis erit.
Saucius est ferro, ferro mactaris: & orbi
De ferro veniunt aurea secla tuo.

Thus.

Dum dat thura Magus, donis hæc insuper addit;
Thura, Sacerdotium te fore, nostra docent.
Crux erit ara tibi: placabitur ira Tonantis:
Victima cum propria sub nece, cæsa cadet.
Tunc te purpureo de sanguine vestiet ostrum:

Cor dabit ardentes ad ſacra thura faces.
Fidite mortales, veniam feret iſte Sacerdos:
Thura litant; flectet victima, & Ara Deum.

Et Myrrham

Myrrha quid hac ſignet noſti Puer: aurea nouit
Mater, & attonito, qui iacet ore Senex.
Noui ego: ſed Myrrham, cælo monſtrante, recepi;
Ad deſiderium ſat facit illa tuum.
Do tibi quod poſcis, quòd nollem offerre: futura
Indicium mortis, quòd tibi triſtis erit.
Quantum oculos hilarat facies pulcherrima, tantum
Horrificat mortis triſtis imago tua.
Qui te cúmque manent tanto in diſcrimine caſus,
Et me, crede manent: mors mea iuncta tua eſt.
Accipe nunc myrrhas lachrymatas cortice: Mortem
Cerne tuam in noſtro munere, cerne meam.

Hactenus ſuauiſſima *P. Emanuelis Pimenta Luſitani* Muſa. De hoc Magorum aduentu plura à SS. Patribus, Oratoribus, expoſitoribus, & Poetis ſacris ſcripta, excogitata, & dicta reperies. Eorum longum eſſet referre cathalogum, quem & varias de huius myſterij quæſtiones reſcribere, nec inſtituto adæquauit. Hic tantùm de Patria Magorum (provt in Hiſpaniæ noſtræ ſplendorem redundat) *P. Ioannis Caramuel Lob-Kovvitz in Hiſpano-Stemmat. c. 2. meditat. 4. fol. 36.* opinionem

Reges Magi ex Hiſpania orti.

aſſuam, hiſce verbis, quæ ex Hiſpano in Latinum idioma vertam. *Variè apud varios diſceptatur expoſitiones circa Patria horum Regum indagationem. Et ego (ſi non fuiſſet adeò communis Patrum, & Expoſitorum ſententia, quæ ex Aſia deueniſſe proclamitat) dicerem ex* Hiſpania *Hieroſolymam, indéque Betlemum aduentaſſe. Sed ne à communi diſcedam indicto, ne nunc affirmitatiue procedant, licet rationes aliquot appingam,*

Ratio 1.

quæ meum rapiunt animum, vt à communi diſcedere ſententia cogar. 1. Quia videtur diffinitum, quod iſti deuoti Reges, Hiſpani *fuere, cum in ſacris dicatur literis:* Reges *Tharſis* & Inſulæ munera offerent. *Quæ verba continuò pro iſta feſtiuitate vſurpantur, ipsiſque S. vtitur Eccleſia in pſalmodia huius ſolemnitatis: Si ergo, vt hoc prodit teſtimonium, alius Regum ex* Tharſi, *alius ex Arabia, & tertius ex Saba fuere; quæ hæ vrbes? Tempus nomina mutat, idéóque difficilis erit eius inueſtigatio. De primo quoad minus,* Hiſpanum *quod fuiſſet agnoſco. Nam* Tharſis Hiſpaniæ *Prouincia fuit, vt ſuo loco probabimus. Cæteri à fortiori ex aliis* Hiſpanicis *regionibus, aut ad minus, non longe diſsitis fuiſſe conuincitur, quia omnes coniunctim perrexere. Porrò quia vt ex ſacris literis liquet* Tharſis Arab, *&* Sab, *ſub vnico regionis circulo ſtetere. Ratio eſt in promptu, quia poſt Regum horum adorationem* Regi *ſupremo licet paruulo factam, inquit Euangelium:* Reuerſi ſunt in regionem ſuam. *Non Regiones. Ergo vnica, aut contigua fuit eorum Prouincia.*

Ratio 2.

Ratio ſecunda, & fortior, quia in editionibus Hebraica, & Syriaca huius S. Matthæi Euangely hoc clare patet, & nihil de vulgata editione à parte contradicit. Nam in textu Hebræo aſſeritur: Quod Magi venere מקום per Gades *Expreßior Syriacus:* Venerunt מקלמה per Gades-Malis. *quod celebre* Hiſpaniæ *eſt emporium. Ex quo intelligitur, quod Sancti Reges ibidem nauem ingreßi, felicibus auris, praeunte ſtella Paleſtinam deuenere, qua luſtrata Hieroſolymam adeunt, indéque Betlemum pergentes percurrere, quò Homo-Deus grati animi memoriam ſuæ* Hiſpaniæ *ſpectabat. His dicet aliquis, hoc eſſe contra mentem Euangeliſtæ, nam in eius lectione expreſsè aſſeritur:*

ritur: Ecce Magi *ab Oriente* venerunt. *Ergo non* ab Occasu, *quo situatur* Hispania. *Nam respondetur, quod Author vulgatæ non exprimit, cuius hic* Oriens *erat, an* Oriens Christi, *an* Solis. *Sed si* analogum per se sumptum, supponit pro illustriori significato, *ab* Oriente Christi *venerunt, non ab* Oriente Solis, *& si ab* Oriente Solis, *non ab ortu* Solis materialis, *sed à tempore, quo Mundo ortus est* Sol diuinus Christus, *& tunc* Ecce Magi venerunt *hoc est iter arripuerunt, vt* Ortum Solem Christum *viderent, adorarent, & illi munera offerrent. Qua sic explanata doctrina, sacræ historiæ clausulam intelliges, si sic legas:* Cum natus esset IESVS in Bethleem Iudæ, ecce Magi ab Oriente (vel *Ortu* puta *ipsius*) venerunt Hierosolymam dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente (*vel* ortu) & venimus adorare eum. *Eius in* Oriente *dicunt, vt sciamus, quod ille* Oriens, *vt* Natiuitas, *non* Solis, *sed* Eius *scilicet* Christi Domini. *Quod euidenter confirmatur ex illis* Isaiæ *verbis ad Christum:* Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore *Ortus* tui. *En* Ortus *non* Solis, *sed* Christi. *Ergo pariter in Matthæo.*

Præterea, & sit Ratio III. Stella illa (quæ his Regibus apparuit) vt illos in Bethleem perduceret, & non alibi à Deo ministerium accepit. Ipsi primum Hierosolymam deuenere; ergo hæc Ciuitas medium inter Bethleem, & Patriam Regum tenebat. Sed Hierosolyma non est ad Orientalem *Bethlehemi partem, ergo non ab* Oriente Solis *venerunt. Iacet ergo inter* Orientem, *&* Meridiem, *ergo ab aliqua ex regionibus* Europæ *conuenere. De aliqua extra* Hispaniam, *nulla est ratio qua persuasio insit. De* Hispania *plures, & efficaciores insurgunt; ergo credendum est hos Reges ex* Hispania *perrexisse.* *Ratio 3.*

IV. Et vltima ratio. Certum est, non duas, sed vnam tantum in Christi ortu *Stellam apparuisse, vt ex Euangelio constat. Hæc vt legatrix illius empyreæ, quæ Bethleem illustrauit, de qua Balaam.* Orietur Sydus ex Iacob. *hoc tempore apud* Hispaniam *visa est, vt ex* Vasseo tom. 1. *Chron. Regis Alphons. Sapient.* p. 1. c. 107. *liquet: ergo* Hispanis *voluit Deus suum conferre conceptum,* Hispanis *sui verbi notitiam dare,* Hispanis *socios nouitatis ortus temporalis Filij sui effecit æterni, vt illi tanti beneficij compotes primi, primas Christo exhiberent grates, & Orbi tantam prædicerent munificentiam.* Hactenus *Caramuel,* qui concludens, nec à communiori sententia Patrum recedens, has excogitasse contra illam rationes supponit, vt ingeniis meliora sentientibus adhæreat, cui, & Catholicæ veritatis assertoribus & ego subscribo. *Ratio 4.*

Sed ne nudam Caramuelis sententiam exponamus, & aliorum cogitationibus nostrum ditemus codicem, huic opinioni aliquid addemus, quod etsi videatur oppositum persuadere, attamen illi satisfactum ibimus, & postea veritas elucescet. Quod non potuere isti Sancti Reges ab Hispaniæ partibus Bethlemum vsque pergere, patet; nam ex traditione inconcussa Ecclesiæ, in picturis Epiphaniæ, vnus ex tribus Magis, aut Æthiops, aut fuscus pingitur, tanquam sub intelligens traditio, & pictura, quod erat huius coloris. Sed nulla est Hispaniæ Prouincia, quæ hosce gignat Æthiopes, aut fuscos: ergo quoad minus iste Magus non potuit ex Hispania in Bethlemum pergere. Cui difficultati facilis est responsio. Nam Ioannes Molan. Hist. S. Imagin. lib. 3. ex Lindano lib. 4. Panopl. affirmat hanc esse recentem picturam, quia in vetustioribus omnes tres candidos pingi obseruauit. En verba Molani: *Deinde quidam pingunt vnum Magorum nigrum, aut potius subnigrum, & fuscum, quales sunt albiores Mauritani. Quod mihi valde recens videtur. Nam in picturis vetustioribus, sæpius omnes tres candidos pingi obseruaui. Idémque non infrequenter Reuerendiss. Lindanus in 4. lib. Panopl. pulchrè de hac pictura ait:* Porrò quod de Magis illis vulgò creditur, vnum fuisse Æthiopem, eodem, videlicet ad traditiones medij generis (de quibus pridem respondit Hieronymus: Eadem facilitate hæc contemni, qua dicuntur) referendum putarim. *Hacque Ruremundæ & alibi obseruasse tradit.* Ex quo liquet picturam hanc modernam nulliter contra Caramuelis insurgere sententiam, nec illam in aliquo euacuare, quin potius roboratam persistere; nam si color ad Mauritanorum faciei colorem similabat, quis Mauritaniæ Tingitanæ Prouinciam, tunc & ad Hispaniam pertinuisse, & iuxta Gaditanum fretum accessisse negabit? ergo iste Magus fuscus non Æthiops, sed Mauritanus ex Hispaniæ contermino censendus est.

Demum quartam Caramuelis rationem extendens, sic in comprobationem eius rationis argumentor. Notum est, quod in Domini natali tres soles in Hispania appa-

ruere, qui paulatim in vnum coaluere. Sic Flau. Dext. in Chron. Ann. 1. hisce verbis: Tres soles apparuerunt in Hispaniis, in vnum collecti. Eadem ferè S. Thom. 3. p. q. 36. art. 3. ad 3. sic: *Credibile est, etiam in aliis partibus mundi aliqua indicia Natiuitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres Soles in vnum coëuntes.* Sed hic triplex meteori orbis, tres Magos conuocasse crediderim, vt in vnum fide, & consortio coëuntes, Regi Regum munera offerrent, ergo si Hispanis apparuit, Hispanos fuisse Magos necesse est. Item stella ipsos in præsepè deduxit, ergo meteorus ille, qui stella appellatur, potuit ex Hispaniæ limitibus illuc Magos perducere. In huius opinionis probationem, en Dodecasthicon

Tres vidit Hispaniæ quondam Prouincia soles,
Tempore quo nobis nascitur Homo-Deus.
Tres licèt attenter numerauerit ordine: in vnum
Soluitur instanter triplicis orbis apex.
Mysticè nunc creditur, quòd hæc vocatio Regum
Expetat, vt quiuis munera Christo ferat.
Sic tres apparent tribus iam Regibus orbes:
Sic tres diuersos iungit amica via.
Si Hispaniæ factum ostentum, tunc credimus; ergo
Hispanos Reges credet vterque Polus.
Gaudeat Iberiæ tanto iam lumine tellus:
Et tantis Gadir gaudeat alma Magis.

De illis multa apud diuersos inueniet affectio, ego pro nunc finem facio, fortè in alium locum maiora dicturus. De Epiphania multa apud Scribentes, quibus consulat lector, nam ad alia pergo.

B S. MACRA. Istius sanctissimæ Martyris memoriam adhuc nulliter à nostris scriptoribus obseruatam comperies, sine attentione, aut cognitione agonis ipsius Gallam fuisse fatentur, fortè non inspecta autorum ecphrasi. Nos eam ab erroris huiusmodi vindicabimus inuolucro. De ea vt *Remensem* accolam, & Martyrem, agunt Martyrologia Romanum, Bedæ, Vsuardi, Bellini, Peregrinis, Felicis, Germanicum, ac M.S. Florarium, sic: *In territorio Remensi passio S. MACRÆ Virginis, quæ in persecutione Diocletiani iubente Rictiouaro Præside, cum in ignem esset præcipitata, & permansisset illæsa, dein mammillis abscisis, & squalore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas volutata orans migrauit ad Dominum.* Plura ex aliis M S. Martyrologiis addidit Bollandus, quæ ad translationem pertinent. *Martam* vocauere Maurolycus, & Galesinus. Prolixam Andreas Suassay ecphrasim texuit. Originem ex Hispania profitetur Ioannes Andreas Gilius de *Persecutionib. Eccles. l. 2. Idololatr. 9. fol. 125.* vbi suo idiomate in hæc verba proclamat: *Fu in Hispagna nella citta Augustana vna Vergine chiamata MACRA, la quale essendo stata per Christiana presa de Rittiouaro Preside, non volendo sacrificare, fu attacata all' Eculeo, e battuta fieramente: dopò fu gittata in vn fuoco, dalquale sana vscendo, le furono tagliate le mammelle, e cosi lacera fu rinchiusa in prigione. Passata la mezza notte, ecco vn venerando vecchio venire alei, il quale li sanò tutte le piaghe, e restitùi anco le mammelle. La essortò anco à estar constante al martyrio, & il seguente giorno cauatta fuora recò à tutti grandissime stupore, habendola messa la sera in prigione piagata, lacera, afflitta, e quasi morta, allhora senza hauere hauto medicamento alguno mortale, non mangiare, ne bebere, sana, allegra, più que mui bella ne fusse cauata. Volendo il Preside far proua della virtu sua, la fece spogliar nuda, e poi trauolgere sopra carboni accesi, fra i quali v'erano pezzeti minuti di vasi rotti, acuti e taglienti. Nel qual supplicio, essendo tutta lacerata, alzando gli occhi al Cielo rese lo spiritu à Dio.* En ex Gilio Sanctam MACRAM Hispanam, cui lubens adhæreo. Nec obstabunt acta ex Mombritio, Vincentio *Specul. Hist. lib. 12.*

c. 142.

c.142. Flodoardo *Hist. Eccles. Remens. lib. 4. c. 51.* Petro de Natal. *in Catal SS. lib. 2. c. 50.* quia, vt in *S. Fide*, & *Sabina* accidit quæ cum ex *Hispania* in Galliam allatæ fuissent, & ibidem martyrium consummassent; non ex hoc originem perdiderunt *Hispanam*, ita in *S. Macra* potuit euenire, quod apud Remensium Fines coronam agone perciperet, & apud *Hispanos* prosapiam origine teneret. En eius acta ex M S. Nicolai Belfortij, & aliorum impressis codicibus addito Hispaniæ exordio.

MACRA nobilis Virgo HISPANA Christi Domini fidem amplexa, virtutum sedula cumulos coaceruabat, cùm sæuissima in Christianos persecutio pænè per totum orbem diffunderetur & scelestus quidam nomine Rictiouarus à Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus in Galliam, & Hispaniam mittitur, vt religionem Christianorum penitus aboleret. Qui cum iussis Principum pareret, Macram Virginem fidei Catholicæ regulam incredulis prædicantem comprehendere iussit. An Hispaniæ, an Galliæ dubium. Illud verum, quod ante tribunal exhibitam, sic affatus est: *Audio te, ô fœmina, quamdam nouæ legis superstitionem hominibus propalare; quòd videlicet Crucifixus quidam, possit esse Deus, & Homo. Volo ergo te scire à sacratissimis Imperatoribus legem esse prolatam, quâ sancitum, & magna deliberatione præfixum est, vt omnis, qui Iouis imaginem venerari, imò adorare renuerit, insuperabilibus tormentis addicatur. Quapropter consule tibi, ne iuuentutis tuæ florem amittas. Si verò meis consiliis acquiescens Diis inuictissimis immolaueris, multos à me honores accipies, insuper, & ab Imperatore præmiis multis ditaberis.* Cui Macra in hæc verba prorupit: *Pecunia mea est Christus Filius Dei, apud quem tu iam condemnatus haberis. Ignoras quid Simoni Mago contigerit, qui putauit donum Dei pecunia possideri; licet ille, quamquam frustra, donum Dei quæsierit? Tu tamen eadem malitia fultus fidelem ancillæ Christi sensum auertere nequibis: sed sicut tunc Simonis pater, sic, & nunc itidem pater tuus non inuictus abibit: ideóque pecunia tua tecum sit in perditione.*

His Rictiouarus furore accensus, iussit eam torqueri, & cùm torqueretur, ait ad eam: *Quo vocaris nomine?* Cui ancilla Christi constanter dixit: *Christiana sum, & verum Deum colo, non falsas imagines.* Præses verò: *Sacrifica* (inquit) *Diis magnis, ne te diuersa tormentorum genera consumant.* Beata Macra respondit: *O crudelissime, cui Diabolus est pater, putas te immutare posse sensum meum?* Ait Præses: *Prospice ad Capitolium, & sacrifica Diis.* Illa verò in fide persistens, post varia collocutionum verba, ab equuleo deposita in ignem accensum, est protinus iussa cõcremari. In locum incendij adducta, cum à militibus vestimentis exui, manúsque eius, ac pedes ligari, visa ad Dominum feruentissimè orans, in ignem prolapsa est. At frustra vis incendij sacratum, & virgineum Martyris corpusculum maculauit. Quod audiens Præses furore excandescens iussit ei mammillas amputari: quod suo similes domino crudeles ministri impigrè expleuerunt.

Post mammillarum auulsionem Rictiouarus iam magis apertè iratus, præcipit carcere mancipari, à quo lux penitus haberetur exclusa, omníque panis, & aquæ substantia priuari. Sed cùm circa noctis medium, ventum esset; subito lux magna repleuit totam domum, in qua Virgo custodiebatur. Tunc veneranda admodum canitie senex coram astitit; qui diuina quadam suauitate verborum, certamen leniens ad firmissimam salutis spem eam erexit. *Ego etenim* (ait) *integram corpori tuo sanitatem restituturus adsum.* Cui Virgo: *Absit, vt propter vile hoc corpusculum, clarissimam iustitiæ coronam, omnibus pro Christi gloria, viriliter decertantibus constitutam negligam. Verumtamen Omnipotens Deus, potens est, vtriusque hominis curationem, ad inimicorum nostrorum confusionem, maiorémque no-*

minis sui gloriam mihi præstare. His dictis summa animi veneratione, corpore in terram postrato, vberrimis lachrymis, sic iterum venerabilem interpellauit:

Hem quis tu es? quid me laceram sperare iubebis,
O quo te agnoscam numine Sancte senex?
Ergo ego suppliciis iam tot rediuiua supersum:
Vt longe plura, & asperiora feram?
Ferre parum, perferre graue est; pro nomine Christi
Ferre, & perferre est omnia tetra, nihil.

Pòst diuinum implorans numen, oratione completa, clarissimo Dei beneficio plenè est optatam integritatem corporis consecuta.

Altera autem die, vt Præses illam tribunali suo oblatam, forma, & viribus integerrimam vidit, admirabundus *Quis tibi hoc (* inquit) *sanitatis, & speciei donum contulit?* Cui Virgo: *Notum tibi sit, O Præses, me hæc ipsa, quæ vides, sola* CHRISTI IESV *creatoris mei benignitate, & potentia consecutam esse.* Tum ille: *Adhuc Christum auribus meis ingerere pergis? Ego te exquisitis suppliciis, ab istius nominis confessione, post modicum reuocabo.* subintulit Macra: *Perge quantocyus: sic enim voti compotem me efficies:* Nec mora: furibundus Rictius Varus, acutissimas testas, adiunctis prunis parari, & in iis tenerrimum Virginis corpusculum mandat volutari. At suæ virtutis ignis oblitus, vim inflammandi in eo non habuit. Vnde expansis manibus ad Dominum orans, eius anima ad ipsum absorpta tota placidè in cœlos migrauit, VIII. Idus Ianuarij. Anno Domini circiter CCC. Imperantibus Diocletiano, & Maximiano.

Hæc sunt acta ex Gilio, Mombritio, Equilino, Bollando, & aliis. Nec latet, quod nullus, præter Gilium, Hispanam Martyrem agnouisset, imò nec Gallam de antiquioribus agnouit. Apud vrbem Augustam, seu Augustanam omnes fatentur, fuisse agonis palestram. Sed quæ hæc Augusta, seu Augustana? Nónne in Gallia, & Hispania plures huius nominis vrbes extitere? Quis ergo veram martyrij ciuitatem appinget? quando vetustiores hoc præscribere non sunt ausi Pro Hispania stat Gilius, & hoc peruetustum carmen, quod in codice exscripto miscellaneo ab hinc trecentis annis, exaratum comperi hoc titulo.

PRO ALIQVOT VIRGINVM, AC Martyrum Hispanarum Trophæis Carmen Elegiacum.

Vltimos Hispaniæ sinus lustrauerat ardens
Præsidis anxietas, perdere nostra parans.
Plurimos vt Christi agnouit concredere verbo
Rictius Hispanos, fremit, & ardet ira.
Quot almos Christi mactauerit impius agnos
Lupus Arithmeticus vix numerare quibit.
Mittitur in Gallos tunc captus plurimus orbis
Honor Virgineus, MACRA, *Sabina, Fide.*
Illa Remesiia iam, nunc se hæc Agenoria iactat,

Tertia

Tertia Turonis, quæuis Ibera licet.
Omnes ab Augusta Emerita descendere trunco
Nouerit vlterius, acta triúmque legens.

His si fides adhibenda est, absque dubio Andreæ Gilij sententia confirmatur, cui adhæreo, propter tantæ antiquitatis mnemosynon, & Authoris Itali sedulitatem. Quibus accedit Gallorum diuersitas, nam aliqui translationem, aliqui passionem hoc die consummatam credunt, vt ex Bollando liquet. Item ex hoc carmine iam Emeritæ Augustæ & Sabinæ, & Fidis Virginum prosapias, & Macræ originem restituimus, huius hactenus ignotum.

RHEMI Populi sunt Galliæ, quorum princeps RHEIMS, aut REIMS. Ciuitas Archiepiscopalis Galliæ Belgicæ antiquissima, ac Campaniæ clarissima Metropolis. Adhuc ibidem multa vetustatis monumenta visuntur, inter quæ, vrbis etiamnum portæ nomina Cereris, Bacchi, Martis, & Veneris seruant. Eam Plin. lib. 4. cap. 17. inter fœderatos populos assignat. Iul. Cæs. de Bell. Ciuil. amicos P. R. appellat. Eius antiquas inscriptiones (vt cætera Gallis deferam Scriptoribus) appingit Ianus Grut. fol. 56. num. 12. fol. 178. num. 2. fol. 421. num. 8. Ex quibus primam exscribo.

MARTI CAMVLO.
OB. SALVTEM TIBERI.
CLAVDI. CÆS. CIVES. REMI.
TEMPL. CONSTITVER.

Difficilis mihi visa est vox CAMVLO Marti adiecta, licèt non absque imitatione, apud inscriptionum confectores. Aliam hoc cognomine in basi Quintiliani in Sabinis vidit, & exscripsit Pyrrhus Logorus Neapolitanus, sic: CAMVLO. SANC. FORTISS. SAC. Similem exscripsit, perlegítque Romæ in ædibus Colotianis, ad aquam Virginem, tabula marmorea, Smetius, in qua quinque visuntur imagines, quarum secunda *Martem* stantem cum hasta, & clypeo continet, hoc subiecto syngraphe: CAMVLO. Quæ vox (interpretatur Gruterus) ab antiquissimis Sabinorum dialectis originem traxit. Eius ætymon haud agnouere vetustiores, ex quo vix vlla de eius significatione mentio reperitur.

S. RAYMVNDVS. Celebris istius Sanctissimi Confessoris inter omnes volitat memoria nationes, cùm vix sit vlla, quæ eius non veneretur nomen, cuius non adstruatur actis. In Martyrologiis mentio haud inueniri eius sanctimoniæ potuit, propter recentem à Sede Apostolica acclamationem. In Nouissimo Vrbani VIII. Pont. Max. albo hisce canonizatur elogiis, licèt sequenti die, nam illo fuit à Pontifice veneratio indulta, proper Epiphaniæ solemnitatem, vt ibidem dicemus, diplomáque huius translationis παρεργον demonstrantem effingemus. *Barcinonæ S. Raymundi de Peniafort Ordinis Prædicatorum, Sanctitate, & doctrina celebris.* Eius acta primus concinnauit *F. Petrus Marsilius* ipsius Sancti sincronos anno Domini M.CC. LXXIX. Pòst *Nicol. Aymer. Bernard, Guido. Iacob. de S. Ioann. Michaël LLot.* integros codices, extra illos adsunt *in mea Bibliotheca* alia integra volumina, aliud *P. F. Francisci Diago, anno* 1601. aliud *P. F. Vincentij Gomez.* 1602. aliud *P. F. Andreæ Perez.* 1601. aliud *P. F. Blasij Berdù*, demúmque aliud *P. F. Iacobi Rabullosa.* Chronologicè inter scribendum, de eo agunt Mariet. *Hist. SS. Hisp. 2. part. lib. 2. cap.* 30. vsque *ad* 39. Anton. Vincent. Domenec. *Hist. SS. Catalon. lib.* 2. Fernand. del Castill. *Hist. Ordin. Prædicat. lib.* 2. *à cap.* 16. *ad* 18. Diag. ead. *Histor. Aragon.* 1. *part. lib.* 2. *cap.* 7. *&* 20. & Annalium Valent. *lib.* 7. *cap.* 1. *&* 2. Maluend. *tom.* 1. *Annal. Prædic. ab anno* 1222. *fol.* 398. & seqq. P. F. Bernardin. de Vargas *in Chron. Ordin. B. Mariæ de Mercede tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *fol.* 37. Bzouius *tom.* 13. *Annal. Eccles. ann.* 1222. Didac. Ponf. *Hist. S. Raymundi* Peña *in Direct. Inquisitor. comment.* 2. *ad Aymericum.* Ribadeneyr. *in flor. SS. tom.* 2. *fol.* 28. Et communiter *Seraphin.*

phin. Razzi, Heribert. Rusvveyd. Cornel. Graff. Leandr. Albert. Laurent. Sur. Franc. Haraus. Anton. Senens. Stephan. Sanpaio & *Grauin. in voce turturis.* Omnia collegit *P. Bolland. tom. 1. Act. S S.* Qui ex *Leandro Alberto*, & ex *Bulla Canonizationis* acta compaginat, variáque à variis extrahit Scriptoribus miracula, tum in vita, tum post mortem, & canonizationem patrata recenset. Sed ne pereat *P. F. Petri Marsilij* opus actorum *S. Raymundi*, quod M S. in manus peruenit meas, & quod *Bollandus* an scripserit *Marsilius*, dubitat, gratia antiquitatis hic subiicere curaui.

VITA SANCTI RAYMVNDI DE Peñaforti Ordinis Prædicatorum. Per F. Petrum Marsilij eiusdem Ordinis conscripta, ex MS.

THESAVRVM optimum humili operimento opertum habebat eo tempore in ciuitate Barcinonensi mediator Dei, & hominum CHRISTVS IESVS, quem tanta temporis diuturnitate probatum, tanta per totum orbem celebri fama diffusum, tanta in Romana curia opinione præclarum, tanta in Hispania sanctitate vulgatum, ipse Rex Regum, in festo Regum, & in horum Regum præsentia, venerabilem illum, ac felici memoria dignum Fratrem RAYMVNDVM DE PENNAFORTI, Ordinis Prædicatorum, dono singularis honoris voluit honorare. Qui in suæ iuuentutis flore, studio scientiarum studiosissimè deditus, ac Sacrorum Canonum Doctoratum adeptus, de Capitulo venerabili Canonicorum Barcinonensium, ad nouum nouorum pauperum fratrum Prædicatorum Ordinem, tunc per mundi partes, nouiter suos palmites extendentem, se transtulit. In quo quasi repente velut summus effectus, apparuit humilitate excelsus, perfecta paupertate locuples, sincera carnis suæ integritate fœcundus, oratione suspensus, zelo virtutum insignis, vitiorum obiurgator rigidus, patientia firmus, fide clarus, spe erectus, charitate accensus, temperantia parcus, fortitudine inuictus, iustitia rectus, prudentia præditus, & omnium virtutum vas pretiosum, & solidum, ad commune sui ordinis regimen, per Capitulum Generale assumptus, Tertius post virum Dei *B. Dominicum* Magister, & Rector Ordinis, Officio, & merito est adsumptus.

§. 2. Hic Vir venerabilis Deo plenus, Domini Papæ Gregorij IX. qui sedere incepit anno M. CC. XXVII. Pœnitentiarius, & Capellanus, ac personalis Confessor, ad ipsius Papæ iniunctionem, ex pluribus decretalium voluminibus, vnum compilauit in quinque libros distinctum volumen, de quo mandauit Sum. Pont. vti eo Doctores, & Iudices, sicut in eius prologo est notatum. Compatiens etiam charitatiuo animo Pastorum ignorantiæ, & gregum discrimini, librum composuit ad animarum regimen, perutilem, ad conscientiarum purgationem necessarium, vt sciant peccata audientes confitentium, inter lepram prudenter distinguere, & competentem, iuxta diuersitatem ægritudinum, medicinam apponere, & ex peccatis, oppressis, & naufragantibus, dare portum, & remedium salutare.

§. 3. Sentiens etiam fugitiuos hæreticos de Tolosanis, Biterrensibus, & Carcasonensibus partibus, ad partes Catholoniæ, velut ad secreti sinus latibulum euolare, ac more Cancri sermonem eorum serpere in plurium terræ partium vlcerosam corruptionem: tractauit, vt Rex, qui eius adhærebat consiliis, & salutaribus fauebat monitis, pro terris, & habendis à Romana Curia peteret, & obtineret In-

quisitiones

quisitiones hæreticæ prauitatis. Conuersionem etiam infidelium, ardenter desiderans, rogauit eximium Doctorem sacræ paginæ, Magistrum in Theologia F. Thomam de Aquino eiusdem ordinis (qui inter omnes huius mundi clericos, post F. Albertum Philosophum, maximus habebatur) vt opus aliquod faceret contra infidelium errores, per quod, & tenebrarum tolleretur caligo, & veri solis doctrina credere nolentibus panderetur. Fecit Magister ille, quod tanti Patris humilis deprecatio requirebat, & Summam, quæ contra Gentiles intitulatur, composuit, quæ pro illa materia non habuisse parem creditur. Studia linguarum pro fratribus sui ordinis Tunicij, & Murtiæ statuit, ad quæ Fratres Cathalanos electos destinari procurauit. Qui in multum fructum animarum profecerunt, & in suæ decoratum speculum Nationis.

§. 4. Sed post Curiæ Romanæ sequelam, post cessionem vniuersalis Magistratus Officij, iuxta sui ordinis instituta, locum sibi ad manendum eligere habuit, elegítque Conuentum Barcinonensem, non quia amplior gloria sibi à suis compatriotis daretur, sed quia dicti Conuentus deuotione tenebatur, & religione famosa emulcebatur, ibíque in laudibus Altissimi expectare voluit suum diem extremum, de cuius Diœcesi erat oriundus. Supramodum enim ex dono veræ humilitatis, abhorruit ex corde, humanam gloriam, & omne officium, quod eum ex se subiiciebat diuino examini venturo, quasi venenum animæ fugiebat. Vacante Tarraconensi Ecclesia, de eo prouidit tunc præsenti in Curia Summus Antistes: sed etiam per sententiam excommunicationis pulsatus, nullatenus voluit acceptare. Sed quia honores fugientes, se merito insequuntur, cum Barcinone quasi in vno mundi angulo se latitare credidit, ac elongatus à Curia Curialium negotiorum tumultus varios euitasse, currit post eum cordis adfectione Romana Curia, & quem multipliciter præsentem probauerat, de eius sancta, sinceráque circumspectione pleniorem gerens fiduciam, committebat sibi, exortis negotiis, nunc prouisionem fiendam de Archiepiscopo, nunc Episcoporum, & Abbatum confirmationem, nunc contra Prælatos aliquos examinationem, nunc examinatorum depositionem, (vt cuiusdam praui Episcopi Vrgellensis) absolutiones excommunicatorum, & dispensationem cum irregularibus, sæpe mittebat sibi Romanus Antistes; sæpe quid certum fiendum determinans; sæpius sibi, si ei videretur, fiendum committens.

§. 5. Sic iam longo quassatus senio cœpit infirmari, & à Rege, ac Rege Castellæ sæpius visitatus, in die Epiphaniæ Domini, circa horam VI. illum Psalmum incipiens: *Exaudiat te Deus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob*, præsentibus Fratribus, & orantibus, spiritum reddidit creatori. Interfuerunt autem eius celebribus exequiis Rex Castellæ Ildephonsus, & Germanus eius Ferrandus, & filius eius Sanctius, & duo Infantes minores: Rex Iacobus, & Infans filius Iacobus. Episcopus Barcinonensis, Oscensis, Conchensis, & plures alij Prælati, ac Principes, & Nobiles, & totus Clerus, & Populus Barcinonensis: Et corpus illud tam venerabile sepulturæ dederunt Anno Domini M. CC. LXXV.

§. 6. Diuini splendoris radius Sancti huius Patris interiorem hominem totum illustrans, in eo celari non potuit, quin ad miraculorum gloriam, & donorum cœlestium indicium, notum hominibus attingeret, in vita pariter, & post mortem. Angelum Dei, bonum familiarem habens, nocte qualibet orationis tempore excitabatur ab eo, vt sacrificium laudis suo solueret Redemptori. Inuidebat eius feruori humani generis inimicus, & illusiones plurimas in obscuris

noctis

noctis silentiis per diuersa phantasmata ministrabat. Sacris astans altaribus offerebat Deo Patri hostiam nostræ redemptionis: & globus igneus ex alto submissus in illo actu consecrationis, tanti Sacerdotis Apostolici caput, & humeros operuit, nec Sanctum Dei ministrum deseruit, vsque ad corporis, & sanguinis Christi sumptionem. Apparuit inter eius manus effigies splendidissima pueri, quendam circunstantem, grauibus carnis suæ incendiis longo tempore molestum, & retrò ad mundanas lasciuias aspicere proponentem dono castitatis perpetuæ insigniuit. Apud Thosam de Curia veniens vidit hominem post grauem ægritudinem, mortis incurrisse damna; cuius spiritui, potiúsquam carni pertimescens, grauibus suspiriis ad aures pulsauit Altissimi, petiitque hominem sibi concedi ad confessionis beneficium, Quod omnibus videntibus, & mirantibus, meruit obtinere. Cuius confessionem, cùm personaliter audiuisset, & plenariè absoluisset, statim resumptum spiritum reddidit Creatori.

§. 7. Puerum vnum post chronicam ægritudinem apud Minorisam extinctum, cùm iam ipse puer carnis debitum exoluisset, inuocatis eius meritis per dolorosam matrem, vitæ est redditus, & saluti. Iuuenis viginti diebus quotidiana febre afflictus, in loco eminenti recreationis gratia positus, subitò ad pauimentum lapidibus stratum corruit, & sanguine eius ore, & naribus profluente, visus est exanimis expirasse. Sed miles vnus de viri Dei meritis plenam gerens fiduciam, de terra tumuli eius accipiens, & miscens cum aqua in illius ore infudit, & partem aliam terræ in eius collo cum inuocatione Sancti nominis alligauit. Quo facto ille respirauit restitutus vitæ, pariter, & saluti. Puer vnus longa dysenteria euacuatus, ad mortis ianuas more humanæ miseriæ appropinquans, longo habito planctu mortis, ac demum de oculo lachryma profluente, penitus est extinctus. Quem mater mortuum in brachiis baiulans, ad Fratrum Ecclesiam, vbi S. Viri corpus requiescit, cum lachrymis afferens, non potuit ingredi. At clausis ianuis, post Completorium, genibus flexis, & nudis Sancti patrocinium inuocabat. Qua diù orante, & misericorditer exaudita, pueri vitam habuit, pro qua mater tam instanter orauit. Plures enim mortui per eius merita suscitati sunt, aliqui leprosi curati, maculosi mundati, & diuersis infirmitatibus afflicti, per eum sunt optata beneficia adsecuti. Sed ne digressionis huius, nimis seriem protraham, nolo per singula exponere, neque ad specialia descendere, licet non faceret præsenti præiudicium operi, quia in Chronicis Papalibus, & Imperialibus, aliquando fit mentio de illis Sanctis, qui suis temporibus floruerunt. Vt igitur tàm victoris Regis præconium in hoc opere clarus haberetur, inserta est rationabiliter Patris *Raymundi* historia, qui ipsius Regis familiaris extitit, & ipse Rex eius exequias sua regali præsentia honorauit.

§. 8. Ad tantorum igitur miraculorum frequentiam Prælati, Principes, & Consulatus ciuitatum, excitati, supplicauerunt S. Rom. Antistiti pro viri Dei canonizatione semel, bis, & tertio. Et negotium huiusmodi commissum extitit tribus Cardinalibus, qui vtrum Romani Inquisitores ad examinandum miracula mitti debeant, iudicarent. Sed cùm negotium properari cerneretur, & res optato fini appropinquaret, variis interpositis, & pluries solemnibus nuntiis, interuenit Regni Siciliæ per domum Aragoniæ occupatio, & negotium in Curia fauorem perdidit habitum, & habendum. Indulto autem ad diggressionem hanc habito, literam S. Concilij Tarraconensis insero, cuius tenor talis habetur.

CONCILIARIS

CONCILIARIS TARRACONENSIS Synodi Patrum pro canonizatione P.F. Raymundi de Peñaforti Ordinis Prædicatorum, Epistola S.P. Nicolao directa.

Sanctissimo, & omnimoda reuerentia Patri suo dignissimo D.Nicolao Dei gratia S.R.E. Summo Pontifici; Bernardus eiusdem patientia Tarraconensis Archiepiscopus, Arnaldus Barcinonensis, Bernardus Gerundensis, Raymundus Vicensis, Guillelmus Ilerdensis, Petrus Vrgellensis, Arnaldus Dertusensis, Petrus Cæsaraugustanus, Iacobus Oscensis, Iaspertus Valentinus Episcopi, Abbates, & alij Prælati in Tarraconensi Concilio constituti, totáque, eiusdem Concilij vniuersitas, seipsos, & deuota pedum oscula beatorum.

Nouorum noua materia gaudiorum, diuinitatis prouidente clementia, nouissimis oborta temporibus, lætabundis suæ nouitatis applausibus, cœlestia, scilicet, & æterna, tantò delectabilius innouauit, quantò supernorum ciuium choris, pro sui beata societate, ac socia cohabitatione conciuis, tàm inclyti, tàm magnifici, ac tanta ciuilitate condigni, Reuerendi scilicet, Patris, ac Fratris quondam *Raymundi de Peñaforti* Fratrum Prædicatorum, materia copiosior diuinæ laudis, & gratiarum actionis accessit in cœlis, & in terris Mater Ecclesia suis pastum, & auctum vberibus alumnum gratiosissimum, & filium deuotissimum, de sinu suo, ad Patrem omnium Dominum, adsumptione gloriosa translatum, eò felicius, quò iucundius gloriatur. Nempe vir iste venerabilis sanctæ memoriæ Gregorij PP. Prædecessoris vestri Capellanus quondam, & Pœnitentiarius, nouæ breuiationis decretalium, ac Summæ, quæ dicitur de casibus, compilator. Magister etiam Fratrum dicti Ordinis. Ab ipso suæ iuuentutis æuo, mundanis contemptis illecebris, sub sanctæ professionis habitu, lucis armaturam ferens, miro virtutum coruscans fulgore, fide præuia, iustitia comite, perseuerantia subsequente, quinquaginta, & amplius annorum spatio, vsque ad ipsam mortem suam Christi militauit in arce, cuius ducatu potitus, & gratia fretus, se totum diuinis dedicauerat obsequiis, & regularis obseruantiæ mancipauerat institutis, conuersationis eius insignia, Religionis documenta, professionis exempla, quæ immensis laudum sunt titulis adtollenda, cuius tota incolatus peregrinatio multis fuisse dignoscitur multipliciter fructuosa. Nec enim sufficienter explicare sufficimus humilitatem eius in corde, dulcedinem in sermone, strenuitatem in opere, feruorem in charitate, in orationibus vigilantiam, in consiliis prudentiam, in moribus disciplinam. Sed nec omninò silere deuotio patitur, quantum, & quomodo zelo fidei succensus ad genera linguarum, vt addiscerentur à Fratribus sui Ordinis, studium impenderet, & conatum diligentiæ quidem eius, pia mediante solicitudine, diuulgatum, & prædicatum est nomen Christi, fidésque eius ex multorum conuersione amplioribus dilatata profectibus. Tanto igitur merito sanctitatis

ctitatis

ctitatis mirabilis in altis Dominus, & in terris mirabilium operator, sanctum suum dignatus est, signorum immensis mirificare prodigiis, & virtutes eius ostendere prædicabiles vniuersis; vt latens ipsius lucerna sub modio, iam super candelabrum exaltata clarescat, & quantum possint apud omnium Dominum, tanti Patris probatissima merita, miraculorum indiciis vniuersaliter innotescat. Quæ quidem, qualia, & quanta sint, & quàm perspicua, fide dignorum attestatione probata, per Inquisitores immittendos S.V. circumspectio iudicauerit, Romanæ Curiæ manifestè poterit, veritate comperta, parere locis, & temporibus opportunis. Hinc est, quod ad multam deuotionem, ad eum mentes fidelium benigna manus omnipotentis erexit, & ipsius inuocanda suffragia de diuersis partibus diuersarum concurrit frequentia personarum. Propter quod, & Patres, huius dignum veneratione sepulchrum, ab illis in multa reuerentia visitationis, & honoris habetur, multiplicatis quoque luminaribus illustratur. Vbi, & immensa multitudine ceræ diuersorum effigiatorum dependentes imagines, quanta, & qualia per eum sint facta miracula, etsi homines taceant, clamare non cessant, & rerum euidentia protestatur. O vir per cuncta laudabilis, cuius vita sancta, doctrina sana, & mors extitit preciosa! O felix Hispaniæ Regio Indigenæ talis dotata splendore, quam, singularem in contemporaneis olim sibi fœcunda sæcula genuerunt! O immensa Romanæ Curiæ gloria, quæ tàm fructuosum, de Officialium suorum numero, tanquam de vite fœcunda, mundo palmitem ministrauit. Tantis igitur fidei documentis edocti, tantisque virtutum adfecti exemplis B. V. duximus humiliter supplicandum, rogantes, deuotione, qua scimus, & possumus obsecrantes, quatenus ad Sancti huius sacram canonizationem, de vita, & miraculis, inquisitione præmissa, si placuerit, tàm feruenter, quam efficaciter, Apostolica procedere dignetur auctoritas, vt ipsum, verum Prædicatorem cuncti fideles colant communiter, & venerentur in terris, quem Dominus virtutibus plenum, miraculis clarum, & gratia præditum, spectabilem, & mirabilem præbuit vniuersis. Datis Tarraconæ, Anno Domini M. C C. L X X I X. In Octaua B. Andreæ.

Hucusque Marsilij epitoma. In cuius ecphrasi nonnulla notatu digna comperi, quæ communem Actorum seriem, aut contradicunt, aut ipsorum relationi opponuntur; quæ vt facilius animaduertantur, alia heroico carmine acta M S. conscribam.

ACTA B. RAYMVNDI DE Peniafort Barcinonæ & totius Cataloniæ Patroni à Joanne Dorda Barcinonensi Carmine heroico conscripta.

DIVI RAYMVNDI *meritos celebramus honores.*
Dirige Virgo Parens *cursum, viresque ministra.*
Et vos esto procul, priscorum numina vatum.
Raymundus, *fertur, clara de stirpe Parentum.*
Et natale solum fuit illi Barcino pulchra.
Sed tamen hic studuit doctrina, & moribus esse
Clarior, hinc totum vulgata est fama per orbem.
Grammaticæ præcepta puer, linguæque Latinæ,
In Patria primùm didicit, sacræque poësis.

Pòst

Pòst Logicam didicit iuuenis, docuítque vicißim.
Discipulos tamen hæc gratis præcepta docebat.
Mater, & emporium est vtriusque Bononia iuris.
Ille aliquid magnum meditans, huc commeat vltro,
Dátque operam iuri, redimitur tempora lauro.
Insignis quoque fit iuris, legúmque Professor.
Nostra vrbis Præsul Roma tum fortè redibat,
Et fama impulsus, precibus contendit, ab illo,
Et tandem hunc secum Patriam perduxit in Vrbem.
Hunc duplici Præsul, clerúsque affecit honore,
Atque inter primos templi dedit esse ministros.
Post annos aliquot, nostram peruenit in Vrbem
Ordo Sacer, nouus ordo Patrum, quos candida vestis,
Et nigra distinguit, pia concio iungit, & ornat.
Vir magnus iam lustra nouem confecerat æui.
Hæc illi placuit sanctißima regula vitæ,
Et sese addixit Patribus, mundúmque reliquit.
Innumeris Vir Sanctus ibi virtutibus auctus
Splenduit, atque eius nituit sanctißima vita.
Pontificis Summi Legatus missus ab Vrbe
Viderat huic, secúmque ferens benè nouerat ipsum.
Vltima ab Hesperia rediens abducere secum
Hunc precibus nullis potuit; Romámque reuersus.
Pontifici vitámque viri, moréque retexit.
Gregorius Nonus claues tum fortè gerebat.
Euocat hic illum Romam, cognoscit abunde,
Egregias animi dotes, cui munera donat
Ampla satis, quibus est toto notißimus orbe.
Huic vnam tradit clauem, vt peccata remittat.
Nec vero hanc clauem concludit finibus vllis,
Huic etiam supplex voluit delicta fateri;
Atque onus immensum imponit, magníque laboris,
Vt decretales per multa volumina sparsas
Ordine disponat, quod tum facit ille libenter.
Hic autem quanta doctrina præditus esset,
Hoc magnum testatur opus, quod lucet in orbe.
Tarraco tunc mœrens spoliata est Præsule docto.
Eligitur Præsul Raymundus. Sed tamen ipse
Oblatum munus precibus, lachrymisque recusat:
Incidit in morbum, nec spes erat vlla salutis.
Idque animaduertens nostro, qui præsidet, orbi,

Indignam sortem tanti, miseratus, amici,
Liberat hunc omni cura; morbúsque recedit.
Sed tamen huic mandat, munus si fortè recuset,
Pastorem quærat, qui isto sit munere dignus.
Sufficit hic doctúmque virum, fortémque, piúmque,
Qui bello hæreticos domuit, Mauróſque vicissim.
Incidit hic iterum in febrim, morbíque grauatus
Pondere, vix ægrum corpus, fessúmque trahebat.
Pontificis iussu, medicis suadentibus, ipse
Mittitur in Patriam gaudens, & munere clauis
Fungitur in Patria: sic fit concursus ad ipsum.
Pontificémque orat supplex, se munere tanto
Liberet, ille tamen precibus non flectitur vllis.
Ordinis ille sui Generalis *deinde* Magister
Tertius *eligitur, de quo fit certior absens.*
Hic verò credens diuino id numine factum
Suscipit, atque oneri tanto se subiicit vltro.
Hic solet ire pedes, nunquam ieiunia soluens.
Inuisit Fratres variis in partibus orbis,
Quos docet, atque monet blando sermone reducens:
Et vitæ exemplo, diuino accensus amore
Confirmat cunctos, atque illos iungit in vnum:
Pòst sese excusans iustis rationibus, istud
Abiecit ex humeris munus, Patriámque reuisit.
Hic verò macerat corpus, mentémque frequenter
Eleuat, atque Dei meditatur plurima facta,
Consilióque iuuat cunctos, ad sidera palmas
Pro populo tendit; sic prodest omnibus vnus.
Rex Aragoniæ florente ætate IACOBVS
Hac fama impulsus, summóque accensus amore,
Hunc vocat, at ipsi per multa negotia mandat.
Huic genibus flexis, huic, tunsó pectore, ad aurem
Quidquid deliquit, contrito corde, reuelat.
Hæresis ille fuit vindex acerrimus olim.
Captiuis etiam redimendis profuit, vsque
Vir Sanctus Regi suadens, fundamina prima
Ordinis vt sacri iaciat, quod perficit ille.
Tunc Rex magnanimus numerosa classe recedit,
Maioresque petit Beleares, insuper ipse
Aduehit hinc secum Raymundum, *nec tamen ille*
Permisit Regi iuueni, quodcumque liberet,

Pòst

Pòst metuens, ne se macularet crimine Regis,
In Patriam remeare cupit, Regémque relinquit.
Ne vebat hunc quisquam, iubet is, mortémque minatur.
Ille petit portum: Nautæ tamen ire recusant,
Perculsique metu, Regis mandata verentur.
Commeat hinc aliò; sed & hic sublata facultas
Edicto Regis fuerat; ne excedere posset.
Vt se Vir sanctus mortali Rege teneri,
Auxilióque hominum spoliari vidit apertè:
Regem immortalem supplex, fidénsque precatur.
Tunc crucis, & fidei scuto munitus ad vndam
Accedit propiùs, vestémque extendit in vndis:
Vestibus impositus, baculóque innixus ibidem
Vela dat, & subitò ex oculis aufertur in altum.
Diffidens socius mærénsque in litore mansit.
Ille autem tractum ingentem cælique, marísque,
Temporis exiguo spatio confecit in vndis.
Non Notus hunc, non Eurus agit, sed missus ab alto
Spiritus, & nostram subitò peruenit ad Vrbem.
Hunc pulchra ad sese venientem Barcino *vidit,*
Et tamen ingentem nauem putat ipsa venire.
Aduentum siquidem nauis, specula edita monstrat,
Sic ludens homini Deus hæc miracula pandit.
Obstupuit Populus, duxítque ad limina nota
Raymundum *lætus, cui ianua clausa patescit.*
Pòst vix ille Pater vixit priuatus, & expers
Muneris, vt posit cælestia quærere regna.
Mille modis hæc vita fuit gratißima cunctis,
Fax accensa fuit, fuit ardentißima lampas,
Sal terræ, & tandem lux fulgentißima mundi.
Instabat vitæ iam tum centesimus annus,
Et iustus Iudex æterno victus amore
Munera Raymundo, *promissáque præmia donat.*
Hunc tenebris mundi eripuit, cælóque locauit.
Ad tumulum Magni Reges comitantur eundem.
Vir Magnus viuens, longè, & post tempora vitæ
In variis permulta locis miracula fecit.
Eripuit multos morbo, mortísque periclo,
Restituit vitam multis, fuit æquore vectus;
Ac si cuncta licet paucis concludere verbis
Raymundo *parent morbi, mors, æquora, venti,*

Aliam vitæ ecphraſim verſibus exametris, & pentametris ſcripſit Ioannes Rupertus, aliam Doctor Petrus Caſaria, in forma proſæ, inſtar illius: *Lauda Sion Saluatorem.* Et hæc incipit: *Lauda Barcino Raymundum.* Alteram Saluator Bofill in Panageryci æmulationem, quas quia prolixè concinnatas, omitto, & alia in S. Raymundi laudem carmina; ne in florum apparatu tota ſe ſe hæc vertat anamneſis. Ad minus Aymerici Saphicos Adonicos, in Acroſtici Alphabetici ordinem redactos, non ſileam.

Cordium Iudex, charitate celſa,
Pande tu mentem bonitatis author
Militis Sancti, populo canentem
Inclyta geſta.

A. *A ſuo lucis radio parentum*
Juſſa Raymundus *placide recondens;*
Moribus Sanctis Sophiæ tenere
Sacra cupiuit.

B. *Barcino tantum meruit docere*
Ore præſago, puerum flagrantem
Nectaris veri, ſimul & volentem
Artibus vti.

C. *Candidus Doctor canonum refulſit,*
Et piè legum documenta fudit,
Felſina cunctis, celebri parentum
Dote ſuorum.

D. *Deſuper miſſa charitate ſumma*
Gratis ignaros homines docebat:
Pòſt, Lares viſit Domino regnante
Deſideratos.

E. *Et cito cœli petiit ſuprema,*
Corporis prauos reprimens amores;
Cùm ſacræ ſedis repulit libenter
Munera tanta.

F. *Fonte cœleſti monachus bibebat,*
Prædicatorum ſocios ſecutus:
Barcino talem iubar adfuturum
Pectore ſeruat.

G. *Gentis illius Pater, atque Cuſtos,*
Caſuum Summam patriam iuuando
Pangit, & blande ſequitur Sabinum
Gregorianum.

H. *Hic aues cœli ſuperat volando;*
Qui ſinu viuus recipit ſuperno
Moribus caſtis, reſonare donis
Conſiliorum.

Iſte Confeſſor Domini creatur: I.
Et ſibi ſancto pretio laborum
Pontifex Magnus retegit ſecreta
Crimina cordis.

Laude Raymundus *dominetur iſta* L.
Vrbe, qui morbos medicatur æres:
Sanctus adſiſtat nouiter relatus
Ore canamus.

Mitte fulgentem Pater, atque Doctor M.
Cœlicam nobis pietate vitam:
Qui reformaſti Canonum decreta
Magnus in orbe.

Non ſinent iſtam celebrare rupem N.
Virginum matres, iuuenúmque patres:
Fortiter quæ te genuit negantem
Proſpera mundi

Omne luctamen teneris ſub annis O.
Dæmonis vincens, ſemel eſculenta
Corpori dando, rigidè viuebas
Sidera tranans.

Pane ſublimi recreatus inde, P.
Angelo charo ſalio perenni
A Deo miſſo, ſociatus ibas
Sorte ſecunda.

Qui tuos actus benè dirigebat Q.
Iure ſolemnes, tibi ſæpe fando:
Surge feſtinus, referamus alto
Carmina Diuo.

Rebus in cunctis ſonet ergo ſemper R.
Laude Raymundus *veniens olympo:*
Qui fuit Præſes ſocios gubernans
Soſpite curſu.

S. *Sarracenos iste scidit valenter*
Consulens Regni Dominis acutè:
Regis æterni grauiter refundens
Dogmata sancta.

T. *Templa tam Sanctum solidè perornent*
Fertilis frugum, pecorisque tellus;
Qui maris planans iter, & tonantes
Temperat vndas.

Vnde Raymundus *senio coactus* V.
Hæreses tollens, animam triumphans
Lætus emisit: Comitante Rege
Funera Sancti.

Laus tibi semper Dominator Orbis
Lucidum cœli decus, ô colende
Semper; & nobis dato, quæ precamur
Tempore nostro. Amen.

Aliud Ioannis Xirau Achrosticum Saphicum præmissis aliquot Sanctorum Barcinonensium exametris numeris, deuotionis gratia, & Poëtarum gustû, hic transcribere non erubescam. In Saphicorum primis literulis Sancti Confessoris nomen inuenies, sic:

Eulaliæ *festo* Matronæ *vélque* Seueri,
Raymundi *festus peruenit iste dies.*
In tanto festo haud potui Musæ ora tenere;
Pro literis Sancti, singula metra canent.
Rite nunc festum celebremus omnes,
Atque Raymundum *precibus ciamus,*
Mandat hic febri, simul, & periclis
Omnibus arcet.
Noster hic Sanctus meruit per vndas
Desuper vestes, petiisse portum:
Et fores ipsi patuere claustri
Postea soli.
Ecce iam Sanctus colitur, colèntque
Non sui solùm, sed in orbe toto.
Id Deus noster, bonus atque iustus
Annuit ipsis.
Funde nunc nobis Pater, atque Nate,
Omnibus donum, mereamur illa
Regna, quæ ducis, regis, & gubernas
Trinus, & vnus. Amen.

Alia (vt dixi) lubens prætereo, licèt illustria possent (sunt apud me MMSS.) carmina diuersi generis, metri & artificij contexere. Sed nunc ad actorum illustrationem descendo; quorum dubia & prætermissa in Marsilio superius perstrinxi. PRIMVM in natalis loco versatur, nam, vt apparet ex ipso Marsilio Sancti Raymundi Coætaneo non Barcinone, vt nostri temporis scriptores sensere, sed extrà, in eius Diœcesi. En Marsilij sententia, in §. 4. sic: *Elegit conuentum Barcinonensem, non quia amplioris gloria sibi à suis Compatriotis daretur, sed quia dicti Conuentus deuotione tenebatur, & religione famosa emulcebatur; ibique in laudibus Altissimi expectare voluit suum diem extremum* DE CVIVS DIOECESI ERAT ORIVNDVS. Ergo non ex ipsa vrbe Episcopali. Huic adsit Humberti chronicon MS. ante Marsilium, ex Maluenda, sic: *F. Raymundus de Prouincia Hispaniæ: Catalanus natione Oriundus de* DIOECESI BARCINONENSI, *villa, quæ*

dicitur PENIAFORTIS. Pro contraria opinione ſunt ferè omnes ſcribentes, qui vitam, & miracula Sancti Confeſſoris contexere. De quo videndus P. Maluenda Ann.1222.fol.198. col.2. vbi ex Diago & aliis probat, quod verbum *Oriundus*, originem, non natiuitatem ſignificet: ex quo cum Sanctus Vir originem traxerit ex caſtro Pennaforti, quod ſex à Barcinone leucas diſtat, quid mirum ſi oriundum ex Diœceſi Humbertus, & Marſilius dixerint, & ortum Barcinone cæteri contendant. Sícque intelligendus eſt Franc. Pegna Rotæ Auditor in vita S. Raym. ex proceſſu Canonizationis lib.1.c.1.ſic: *Multi praterea viri graues, & nobiles, quorum teſtificationes in acta relatas diligenter perſpeximus, commemorabant, Natiuum ſolum nobilium Parentum RAYMVNDI adhuc hodie conſpici non longè ab oppido, cui nomen eſt* Villafranca de Penades *XX. Milliar. à Ciuitate Barcinonenſi diſtante: in cuius Territorio in Parochia S. Margarita viſitur adhuc ruſticum Pradium, vulgo appellatum* Peñafort, *conſtantique fama receptum, illud ipſum pradium, vetuſtóſque parietes Parentum Maiorúmque Raymundi fuiſſe domicilium, & eiuſdem Raymundi natalem domum.* Non quia ibidem naſceretur, ſed quia ab ipſa originem traheret, vt diximus. Quæ harum ſit ſententia verior, haud prorſus ſcio. Vnuſquiſque in re tam obumbrata ſecundum deuotionis indigentiam apicem inſequatur.

SECVNDO, Marſilius Parentum nobilitatem ſubticuit. Eam ex alio antiquo Scriptore Anonymo, qui ante CCC. annos ſcripſit S. Viri vitam, quam ex MS. Codice edidit, ſcholiiſque illuſtrauit idem Franc. Pegna, vbi cap.1. ſic exorditur: *Accenſam lucernam diuinitus in ſecreto quondam profundo humilitatis cubiculo latitantem, non ſinit iam diuina virtutis circumfulgens claritas amplius occultari. Hac eſt lucerna ardens, & lucens Venerabilis Pater* RAYMVNDVS DE PENAFORT *Magiſter quondam Ordinis Pradicatorum, Hiſpanus origine, natione Cathalanus: cuius vitam coram Deo, & hominibus gratioſam, comitantibus, & ſubſequentibus miraculis, diuina gratia magnificentia multipliciter adprobauit. Ex Militari quidem progenie trahens originem, Parentum nobilitatem honeſtiſſimis moribus reddidit clariorem.* Cum hac opinione tranſeunt vniuerſi, eámque ſecutum Canonizationis diploma. Leandrus Albertus (à quo Surius, & Graſſius) lib.3. Vir. illuſtr. ex Regum Aragoniæ proſapia originem Raymundo tribuit. Quo ſucceſſu hæc prouenerit cognatio, vt Leandri perſuaſio ſaluetur, adeat lector Diagum lib.1. Hiſt. S. Raym. c.2. & 3. & Hiſt. Comit. Barcinonenſ. lib.3. cap.3. qui huius Peniafortis domus ſtemmata deſcribens, parmam duplici campo depingit, quorum dexter duos conos pinearum ſuper ſingulos rupes demonſtrat, ſiniſter vero quatuor virgas purpureas in deaurato centro refert, in hunc modum.

P. F. Thomas Maluenda hanc parmam diuerſo depingit ordine, ſcilicet quod à dextris, & à ſiniſtris vtrinque habeat duos conos pinearum, ſingulis rupibus impoſitos, & in medio aureum ſcutum in quo quatuor virgæ rubri appareant coloris, vt hic:

Nunc dubium eſt, an cognomen de Peniafort originem accipiat à pinea, an à penna, quod latinè rupes ſonat? Maluenda, & Franc. Pegna ab vtroque credunt, cum in ſcuto vtraque pinea, & penna, ſiue rupes inueniatur. Hinc crederem deduxiſſe cognomen

Rolvveydum,

Rosvveydum,qui Rochefort Raymundum compellauit. De Parentum verò nominibus altum silentium apud antiquos,& modernos Scriptores.

TERTIO Marsilius, & alij antiquiores silentio prætereunt miraculum à B. V. MARIA Delbezana, quod pergens Raymundus è Patria in Bononiam studiorum causa, conspexit, & pòst retulit in formam attestationis anno M. CC. LXXI. fratrum rogatu. Quæ Barcinone asseruatur,& in gratiam piorum,qui se Virgini addixerunt,ipsius schedulam transcribam.

Ego F. Raymundus de Peñafort minimus in ordine Prædicatorum,rogatu Fratrum nostrorum, & ad laudem, & gloriam Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Iesu Christi, Saluatoris, & Redemptoris nostri, in anno M.CC.LXXI. die XVIII. Augusti, confiteor, & recognosco, quod in præterito tempore, cum essem in sæculo,ab hinc elapsis sexaginta,& amplius annis,vadens Bononiam ad studendum cum M.Petro Ruber,Clerico de Barcinone,qui postmodum ordinem nostrum ingressus est, & in eo laudabiliter vitam suam finiuit; peruenimus Brigantium ad pedem, seu radices Monginigri. Vbi audientes famam, quæ ferebatur de miraculo quodam, quod tunc effecerat Domina nostra, eiúsque Beatissimus Filius in oppido quodam eiusdem Diœcesis, quod vocatur Sancta MARIA Delbeza, & cupientes veritatem tanti miraculi cognoscere, iuimus ad domum, quæ iuxta viam, qua transibamus, erat; & ibi vidimus materiam tanti gaudij. Siquidem cum nobis narrassent, qui adfuere præsentes,id quod acciderat, intelleximus, quòd paucis ante diebus IVVENIS quidam deuotionis caussa itineri se commiserat, vt dictum locum Dominæ nostræ visitaret. Conabatur eius mater iter illi impedire, illúmque retinere, quòd sciret eum per loca quædam suorum inimicorum transiturum: timens ne aliquid mali illi inferrent.Cum id efficere non potuisset,flexis genibus,& cum lachrymis commendauit filium Reginæ cœli, vt eum viuum, & sanum sibi restitueret,qualis è domo sua discedebat. Contingit id, quod mater timebat,nam cùm incidisset IVVENIS in manus inimicorum suorum, oculos ei radicitùs euulserunt, & manus præciderunt, & non vltra progressi sunt. Ille sic malè tractatus finem (vt potuit) suæ peregrinationi imposuit,& ad Ecclesiam B.V. peruenit. Confestim id mater resciuit,& ad sanctum locum cucurrit; quæ filium ita malè acceptum cernens ad altare Dominæ nostræ se proripuit, ibique totam noctem insomnem ducens,clamoribus, & lachrymis filium sibi reddi sanum à S.V. postulabat. Dicebat semper, & repetebat hæc verba: *O Virgo MARIA Mater Domini Nostri IESV CHRISTI redde mihi filium saluum, & sanum, sicuti eum tibi commendaui.* Succesśitque illi ad mensuram votorum suorum. Nam statim filius eius, nouos oculos recepit, & manus crescere cœperunt, paulatim augmentum capientes.Et cùm hæc esset miraculi fama socius meus, & ego diligentiam adhibuimus, vt Iuuenem videremus. Simul ac vidimus, oculos coniecimus in eos, quos illi Domina Nostra restituerat, qui erant pauci, vt falconis, seu accipitris: quamuis cum illis tàm perfectè,vt cum aliis, quos antea habuerat, cerneret. Dedit ei tales oculos Virgo Beata,vt (communiter credebatur) eo modo tantum miraculum nunquam obliuioni traderetur. Vidimus quoque nouas manus, & in illis signa, qua parte priores abscissæ fuerant: nam voluit Deus, vt signa illa extarent ad maiorem miraculi manifestationem. Habebat nouas illas manus teneras, & nihilominus validas,& sanas; nec sciri poterat, num illis addendum esset parum, id quod deerat; nam quamuis omnia opera Domini perfecta sint, nihilominus existimabatur, non vlterius augmentum processurum, ad maiorem miraculi memoriam,quemadmodum est dictum. Quo

illatis Deo, & V.M. gratiis iter prosecuti, vndecumque, vt occasio ferebat, Dei misericordias recensentes, miraculum repetebamus.

Hucusque attestatio S.Raymundi, de qua est mentio apud Humbertum, & Diagum Hist. Prædicator. Aragon. lib. 2. c. 8. fol. 112. Maluend. Chron. Ann. 1222. c. 5. fol. 402. Ex eáque colligunt Scriptores quo anno Bononiam adierit, deprehendentes accidisse ad annum M.CC.X. aut XI.

QVARTO silet Marsilius, quis ad Canonicatum Barcinonensem Raymundum sublimauerit, & an ad aliud ipsius Ecclesiæ adscenderit fastigium. Sed quod ille prætermisit, Autor Anonymus compilauit, sic: *Tunc D. Berengarius de Palatiolo Barcinonensis Episcopus, de Romana Curia rediens, multis precibus, & instantiis obtinuit ab eodem Raymundo, vt cum eodem D. Episcopo ad natale solum, & Ecclesiam Barcinonensem, vbi nutritus fuerat, remearet. In qua Ecclesia vnanimiter à D. Episcopo, & à toto Capitulo in Canonicum liberaliter est receptus: quadam Præpositura sibi addita, quæ vacabat.* Eadem ferè Bulla Canonizationis. Ex quo non veniunt audiendi, qui Archidiaconatus dignitatem falsò suscepisse commemorant, quia nullus ex antiquis hoc recenset. Nec minus aliorum opinioni adhærerem contendentium, ab Honorio Pontifice impulsum S. Virum, vt à Bononia discederet, Barcinonémque rediret, quo nullo nititur authentico testimonio. Quin potius credendum est, Sanctissimum Pontificem nulliter vellet tantam vniuersitatem tali Magistro fraudare. Ni fortè ad hanc interpellationem Pontifex moueretur, occasione comitiorum apud Ilerdam factorum, quibus Procerum Regni consensu Iacobi I. Regis Aragoniæ Raymundus regendæ pueritiæ, & literis informandæ Magister fuerat designatus, licet absens, & Bononiæ adhuc existens. Quæ si vera fuit magisterij electio, non dubitarem pro tanti ministerij bono Pontificem compellere potuisse Raymundum, vt deserto munere Bononiæ, patriam remearet. Sed à quo hæc deducunt Scriptores commenta? Sine dubio crederem, solis Berengarij Episcopi suasionibus conuictum Hispaniam remeasse.

QVINTO causam in religionem secessus tacet Marsilius. Hic nodum in scirpo quæsiuere Scriptores, alij huius status mutationem conscribunt ideo euenisse, quia Iuuenem iam familiæ Prædicatorum adscriptum à religionis via diuerterit. Alij illum iam ingredi satagentem subripuerit, vt ex Paludano in 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 2. concl. 1. referunt S. Antonin. in Summ. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 1. Sot. lib. 4. de Iust. & Iur. q. 6. art. 3. Syluest. verb Restitutio. n. 3. §. 1. Bañez. 2. 2. q. 62. art. 2. dub 3. Valent. tom. 3. disput. 5. q. 6. punct. 5. Salon. 2. 2. q. 6. art. 2. controuers. 3. Ex Historiograph. Leand. Aluert. lib. 5. Vir. Illustr. à quo Sur. Iacob. Ferr. in Off. Sanct. Raymund. Castill. lib. 1. Hist. S. Domin. c. 14 Thom. Trugill. in Thesaur. Concionat. tom. 2. fol. Michaël Llot. Hist. S. Raym. c. 3. Diag. 7. fol. 24. Saluat. Pons. cap. 5. fol. 13. Andreas Perez c. 5. fol 99. & Anton. Vincent. Domenec. Hist. SS. Cataloniæ fol. 27. p. 2. & alij innumeri. Alij solo Dei impulsu, mutationem hanc factam esse dextera Excelsi fatentur, vt ex F. Pegnæ periodo liquet, sic: *Meritò ergo dissentimus à Petro de Palude, & aliis qui referunt Raymundum Religionem amplexum, propterea quod alteri eam dissuasisset, satis enim miramur, vnde hoc haurire potuerint, cum nos, qui plurima antiquitatis monumenta perlegimus, & processus ad vitam, mores, & miracula B. Raymundi spectantes, satis copiosos euoluimus, nec vmbram huiusmodi causæ reperire potuimus.* Licet adsit Maluenda fol. 408. qui Paludanum, & sequacium cohortem, propter antiquitatis in scribendo authoritatem defendat, etsi cum Pegna resolutionis summam concipiat.

SEXTO Marsilius omisit interuentum Raymundi circa Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum fundationem. De quo quia inest inter Prædicatorum, & Mercenariorum scriptores altercatio, quoad annum huiusmodi fundationis. Cuius locus in ecphrasi actorum S. Petri Nolasco consentaneus apparet, circa istius controuersiæ disputationem, ideo in illum diem lectorem missum facimus.

SEPTIMO miraculum grande de transfretatione maris super pallium subticet Marsilius, quod ab aliis est famosioribus elogiis decantatum. En Ludouici Belgæ Antuerp. Epigramma.

Quid est quod pelagus lætis circumsonat vndis
Auráque cœlestis gratius orbe micat?

Phœbus,

Phœbus, & insolito perlustrat lumine terras,
Nec grandi Boreas murmure spirat atrox?
Lustrantes ventos, tempestatésque sonoras
An premit imperio Æolus arce sedens?
Haud tale est. Rapido Sanctus legit æquora cursu
Raymundus, saui cui cedit ira maris.
Veláque vestitus sacri, Ponto explicat atro
Et celer ad litus, ceu rate, veste venit.

Plura de huius miraculi veritate comperies; & ne in dubium vertas, Clementis VIII. de Canonizatione diploma tuum tutè sedauit animum. Interim hoc encomium P. Masculi ausculta.

S. RAIMVNDVS
ORDINIS PRÆDICATOR.
SYNOPSIS.

In aulam à Rege accersitus, cùm ipsius procaces mores, & vitæ licentiam ferre non posset, fugit: & interdicto nauigio, mare traiecit vsus pallio; quo Rex prodigio commotus ad bonam frugem se conuertit.

ENCOMIVM XII.

Extulit hunc in cœlum in primis honorum fuga.
Infulas non admisit Pontificias,
fascias non admiratus est Regias.
Vt liberos aulæ fugeret mores,
prodigiosè calcauit mare,
velificatus sine nauigio.
Purior illi visa est vnda, quàm aula,
tutior pelagi fides,
Fauonius gratior, quàm furor Regius.
Nisi quòd dum Reges fugit, in regna incidit;
imperare ipse tunc cœpit,
cum ab alienis recessit imperiis.
Dedit non terris iura, sed fluctibus;
vsus est non tridente, sed baculo.
Virga cessit in nauigij malum,
immò in maritimi regni sceptrum.

O passum

O paſſum pallium ventis
inſigne Regij paludamenti fuit:
nouo ſe Regi ſubiecit Oceanus.
Tumuit aura tegmen, detumuit vndis mare:
tunc primùm eius indumenta didicere,
quid eſſet tumor,
Cùm in ipſo RAIMVNDO *erant, ignorabant.*
Cætera hic præclare facta potuit velare,
Sed velari non potuit tantum prodigium veli.

OCTAVO, aliqui contendunt S. Raymundum præter Epiſcopatus Tarraconenſis dimiſſionem, etiam Braccarenſis inſulas repugnaſſe. Quod apud Barcinonenſes inconcuſsè receptum comperimus, vt refert P. F. Iacobus Rabulloſa in relation. feſtiuitatum Barcinonis in canonizat. S. Raym. diſcurſ. 15. fol. 168. & alij. Qui fit ſatis ex rationibus à Maluenda. Ann. 1233. fol. 523. vbi de Epiſcopatu Barcinonenſi, & Archiepiſcopatu Baccarenſi nulliter fuiſſe prouiſum veriſimiliter altercatur. Ad quem quidquid de S. Raymundo conſpicere deſiderat deuotio remittimus lectorem.

BARCINO, ſeu BARCINONA hodie BARCELONA, Ciuitas eſt in agro Laletano ſita, quà mediterranea reſpicit, loco campeſtri, multis hinc inde oppidis conſpicua, quæ viſui iucundiſſimum præbent conſpectum, ideóque amœna à Ruffo Feſto appellatur:

Et Barcinonum amœnas ſedes Ditium:
Nam pandit illic tuta portus brachia;
Viuitque ſemper dulcibus tellus aquis.

Mercimoniis floret naualibus, iacet admodum littoralis inter geminos amnes; ab Oriente eſt *Betullo*, hodie *Beſſons*, aut *Beſſes:* ab Occidente *Rubricatum*, hodie *Lobregat.* Ita Pompon. Mela lib. 2. cap. 6. his verbis. *Parua flumina Betullo, iuxta Iouis montem; Rubricatum in Barcinonis litore.* Hic mons Iouis, hodie *Monjui* præruptè ſe extollens, vrbi non cenſorio ſupercilio, ſed amica gleba fauet. Variè à Chronographis huius vrbis perhibetur origo. Cuius opiniones diuiſim, vt promiſimus, referemus, aliáſque ſuis aſſuemus locis. Primam referunt Hiſt. General. Hiſpan. Roder. Archiep. Tolet. lib. 1. cap. 5. ſic: *Verum Hercules ex radice montis Caci, ex his, qui ſecum ſui pediſequis (cæteris ad Galliciam applicatis) nona ad litus applicuit Celtiberiæ, vbi ciuitatem ædificauit ex Nona Barca* Barcinonam *appellauit.* Quibus conuenit Gerundenſis in Paralip. Hiſpan. lib. 2. titul. de vrbib. ab Hercul. in Hiſp. condit. Flor. de Ocamp. lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 12. Tomic. cap. 12. Valera. Hiſtor. 2. part. cap. 2. Mied. lib. 1. Hiſt. Iacob. lib. 18. cap. 1. Hieron. Paul. in ſua Barcin. in principio Pujad. Hiſt. Cathalon. lib. 1. c. 23. Calça. cap. 12. & Diag. Hiſt. Comit. Barcin. lib. 1. cap. 2. Licèt inter hoſce Scriptores adſit controuerſia circa aduentum Nonæ Barchæ, an ex Græcia, an ex Italia; an ipſe Hercules, an Legati Græcorum, an ſocij ipſius Herculis, & denique an nomen impoſitum ab ipſa Nona Barcha an ab alio ſucceſſu. De quibus omnibus ſuis locis agemus. Nunc dicta ſufficiant, ad alia pergo.

SEPTIMO

SEPTIMO IDVS IANVARII, DIES VII.

A. S. IVLIANVS *Discipulus Beati Petri Apostoli, Ciuis Toletanus, Carpetaniæ Episcopus, à Domitiano Imperatore in exilium missus, & apud Vicum secedens, demum martyrio coronatur.*

B. *Heracleæ in Hispania propè fretum Herculeum Sancti Christi Martyres* Felix *Episcopus*, Ianuarius *Presbyter*, *Fortunatus, & Septimius variè excruciati pro fidei constantia ceruices intrepidè obtulerunt.*

C. *Translatio festiuitatis S. Raymundi de Peñafort ex decreto Sanctæ Apostolicæ Sedis, à qua canonizationem obtinuisse hoc die refertur.*

NOTÆ.

A. SANCTVS IVLIANVS. Quatuor huius nominis Diuos per varia celebrari hodie loca comperio, quorum anamnesim breuiter recensemus. Calari in Sardinia S. Iuliani Martyris, & Comitis festiuitas compulsatur, vt refert Seraphin. Esquirr. in Sanctuar. Calarit. 1. part. lib. 2. cap. 26. D. Franc. de Esquiuel in Ecphras. SS. Calarit. fol. 80. De S. Iuliano Diacono Nouariensi, Philipp. Ferrar. in Catal. SS. Ital. hoc die fol. 10. De S. Iuliano Martyre Andegauensi, Andreas Suassay in Martyrol Gallic. tom. 1. fol. 17. Ex quibus vltimus, Noster censendus est, de quo est apud Dextr. in Chron. Ann. 86. n. 6. Ann. 91. n. 7. Ann. 94. n. 4. Iulian. Archipresbyt. Tolet. in Chron. n. 23. memor. Cuius ne horum quatuor conceperint. Martyr. Rom. Molanus ad Vsuard, Bellinus, Maurolycus, Alexand. de Peregrinis, & alij elogium, nondum diuinant Scriptores; Vnusquisque pro suo contendit; & nos pro nostro contendere præcisa erit obligatio. Pro Toletano adest Flau. Dext. Ann. 91. n. 7. sic: *S. Iulianus Ciuis Toletanus, Toleti patitur VII. Ianuarij.* En nostri dies natalis assignatus, cuius circunstantia in nullo ex aliis reperitur. Quin imo euidenter probabimus nullo modo, aliquem ex aliorum Iulianis posse sub elogio Martyrologiorum relatorum comprehendi. Non Iulianus Caralitanus quia vt ex inscriptione monumenti ab Esquirro, & Esquiuele relata apparet non VII. Ianuarij diem clausit extremum, sed X. Kalend. Martij; Ergo non potuit hoc die à Martyrologis numerari. Nec obstauit, quod ad hunc diem fuit translata festiuitas, quia de illo Iuliano ante inuentionem Corporis nulla erat memoria apud Sardos, vt constat ex Ioanne Arca de SS. Sardiniæ in Kalendario, vbi hoc die nullum appingit Diuum; eodem sub silentio hunc prætermisit diem P. F. Dimas Serpi in Chron. SS. Sardin.

SS. Sardin. Ergo hæc tranſlatio fuit ordinata poſt corporis inuentionem, quæ vt moderna non valet antiquis Martyrologiis adaptari. Præterea notula in marmore B. Mart. quam interpretatur Eſquirus *Beatus Martyr* adhuc non tam facile conuincit, quando in aliis inſcriptionibus eodem loco repertis, ſine abbreuiatione *Bonæ Memoriæ* dictio legatur. Sed quia inferius de hoc agemus, hic controuerſiam depono. Nec minus Iulianus Diaconus Nouarienſis, quia vt ex actis ab ipſo Ferrario, & Bollando die XXXI. Ianuarij conſcriptis liquet, hunc fuiſſe Confeſſorem inuenies, non Martyrem, quò minus ei conueniunt verba Martyrologiorum. Andegauenſis verò Iulianus à Suaſſay in ſuo Gallicano Martyrologio recenſitus, nullo authorum vetuſtiorum patrocinio, ſeu authoritate ſuffultus eſt, nec ipſe Suaſſay à quo depromſerit patefecit. Ex quibus patet noſtrum Toletanum, Carpetaniæ Epiſcopum, hoc die celebatum fuiſſe ab ipſis relatis Martyrologiorum ſcriptoribus, qui de hoc ſenſiſſe fatendum eſt. Ad cuius comprobationem, & Dextri veritatem in arenam deſcendat Conſtantius Felix, qui hoc die in ſuo Martyrologio, Italo idiomate conſcripto, hæc verba refert: *Giuliano Veſcouo nei Cenomani, diceno eſſeré li iſteſſo con ſemone leproſo liberato dal ſignore nella propria caſa e di conoſſer morto ſotto Domiciano Imp.* En Iulianus, Epiſcopus, & Martyr ſub Domitiano, in illo qualitates omnes à Dextro relatas comperio. In loco Epiſcopatus diuerſitas adeſt. Nunc omnium originem Cenomanorum repetamus, vt in album hæc veritas efferatur. CENOMANI fuere in Italia populi, & in Gallia Lugdunenſi, & in Narbonenſi. De hac, & Itala nullus hoc nomine reperitur Epiſcopus. De Lugdunenſi Andreas Suaſſay in Martyrol. Gallic. die XXVII. Ianuarij tom. 1. fol. 75. Iulianum S. Clementis Papæ diſcipulum eo die in cœlum tranſlatum, poſt indutas illius Eccleſiæ infulas, fuiſſe commemorat. Iam iam veritas eluceſcit Dextri. Iulianum iam hic Diſcipulum Sancti Clementis Pont deprehendo. Sed Conſtantio, & Suaſſayo ſupplenda ſunt ex Dextro, quidquid illis defuere. Illi, & iſti addendum eſt originem Toletanam, receſſum in Hiſpaniam inſtante Domitiano, tranſitum per Galliam, vbi apud Cenomanos erexit Eccleſiam, poſt itineris implementum; Carpetaniæ Pontificatum, & Martyrij coronam. Quo Dextri, Iuliani Archipreſbyteri, Conſtantij, & Andreæ Suaſſay integra apparebit narratio, quam ab ipſis & Biuar. (quem omnia hæc latuerunt) Caro, Tamayo, & aliis cocinnare decreui.

L. MAGNVS IVLIANVS ex Toletana Hiſpaniæ nobiliſſima vrbe Oriundus, Romam adiens, ibidem (Gentilis adhuc) humanioribus animum ſtudiis conuertens, vitam amicorum eruditiorum ſodalitiis tranſigebat, ideóque Martiali charus extitit, & coæuus. Sed cùm Romanam pro Patria relinqueret vrbem, Toletum remeauit, vbi à S. Petro Apoſtolorum Principe, Hiſpanias luſtrante baptizatus, Carpetanorum eſt Epiſcopus inauguratus. Quo noui muneris onere cumulatus protinus Euangelium per totum regionis illius terminum prædicauit. Romam, poſt Petri martyrium, reuertens, cum iam B. Clemens Pontificatus apicem obtineret, poſt beatorum oſcula pedum, de munere ſibi commiſſo Summo retulit rationem Antiſtiti. Ab ipſóque in Diſcipulum admiſſus, aliquot Romæ dies egit, donec à Domitiano crudeliſſimo Imperij Romani tyranno ab vrbe depulſus, iterum Hiſpaniæ circulum compulſus reuiſere feſtinat. Tunc (vt creditur) à S. Clemente Galliæ vrbes luſtrandi, & prædicandi verbotenus facultas conceſſa, Cenomanorum in Lugdunenſi territorio populos adorſus *Apoſtolico ſpiritu plenus, illas in partes penetrans, dæmonum aras maxima Euangelici verbi virtute euertit, Chriſti trophæa glorioſè erexit, populúmque veritatis lumine illuſtratum, à falſorum numinum cultu ad Dei viuentis obſequium feliciter traduxit. Cúmque ore, & opere potens ſigno crucis aſpectum cæco reſtituiſſet, tréſque mortuos vi orationis ad vitam reuocaſſet, inſuper, & Cenomanenſium Principem cum tota familia ſalutari verbo*

verbo, & lauacro recreasset, & eius ædes in Redemptoris templum consecrasset, clerum constituisset; Turibium quem comitem Roma adduxerat, virum itidem diuinis charismatibus plenum, sibi in Apostolico munere successorem designasset; Defensorem Andegauis primùm dedisset Episcopum, his aliisque multis ibidem mirabiliter actis. Hispaniam ingressus apud Vicum in Authetanis Hispaniæ secessit aliquot temporis, post Toletum perueniens ad opus ministerij manum apponebat insignis. At cùm nulla sit sine Dei auxilio perfecta constantia, Iulianus persecutionum continuis molestiis afflictus, & Gentilium consortio deceptus, pænè in vltimam ruinæ spiritualis accederet desperationem; ni Deus Optimus Maximus tanti Patris merita, & opera Ecclesiæ facta misericorditer prospiceret, quo instauratus, breui ad martyrium peruenit strenuus, in quo & Christum fatebatur robustus, docens, & prædicans verbum Dei, donec animam Creatori exhalauit acceptam. VII. die Ianuarij anno Domini XCIII. Imperante Domitiano, Pontificatum obtinente Clemente I. Qui S. Iulianum, audiens inter viuificæ lucis radios allucinatum, epistola clementiæ, & eruditionis ecclesiasticæ, confortationisque christianæ plena, ad vitæ actæ constantiam mirabiliter reducere satagebat. Sed cum in Hispaniam peruenit Apostolica exhortatio iam Iulianus martyrio & vitæ fortitudinem demonstrauerat, & ad vitæ perennis gloriam peruenerat.

Quo sic actorum ordine compacto, ad ecphrasis illorum probationem accedo. De nomine Dexter in Chron. Anno 94. n. 4. sic: *L. Magnus Iulianus Ciuis Toletanus, & Martyr in pretio habetur.* Quòd fuerit Ciuis Toletanus extra relatum locum, idem Dext. ann. 91. n. 7. his verbis: *S. Iulianus Ciuis Toletanus.* Iulian. Archipresbyt. in Chron. n. 19. sic: *Toleti Ciuem Iulianum conuertit.* Quòd Romæ fuerit Martialis charus. Dexter in Chron. Ann. 86. n. 6. sic: *S. Iulianus Martiali charus.* In cuius periodi explicatione P. Biuar. nonnulla certo Iulio à Martiale directa epigrammata, nostro S. Iuliano accommodat; Sed quo iure haud agnosco. Quid ergo Iulianus cum Iulio? Forte somniauit Biuar, quando propter adiectionem Lucij in mentem venit talia conferre carmina Iuliano Nostro. Non ergo Dexter Martialem scripsisse Iuliano epigrammata fatetur, sed amicitia deuinctum: ergo quis Credet, quod ab illa cadebat, cui non erat descriptum, aut dicatum epigramma? Et casu, quod hoc de essentia fuisset familiaritatis, ad quid Martialem, nomen in aliud commutauisse credemus, cum adhuc ipsissimo nostri martyris nomine adsit in Satyrico Poëta memoria lib. 3. Epigramm. XXV. ad Faustinum, sic:

> *Si temperari balneum cupis feruens*
> *Faustine, quod vix* Iulianus *intraret:*
> *Rogo labetur hic Rethor Sabineus,*
> *Neronianas is refrigerat Thermas.*

Quod Toleti fuerit à S. Petro baptizatus, est locus expressus Iuliani d. n. 19. sic: *S. Petrus ad Hispanias se contulit, Toleti Iulianum Ciuem conuertit.* Et n. 23. sic: *Iulianus in Hispania prædicatione S. Petri ad fidem conuersus.* Quod fuerit Episcopus, Dextr. ann. 91. n. 7. Iul. d. n. 23. *S. Iulianus constitutus est Episcopus Carpetanorum.* Sicque receptus est in dipteycis Toletanis vt refert idem Iulian. in Chron. num. 1. D. Thom. Tam. y Verit. Dextri. Nouit. 9. prope finem, & Nou. 13. in princip. Episcopus Turiasonens. in Primat. Tolet. 1. part. cap. 9. §. 6. fol. 154. Quod à Domitiano in Vicum relegaretur. Dextr. Ann. 86. n. 6. sic: *Vicum transfertur.* Quod Cenomanos inuiserit, prædicauerit, & reduxerit. Suass. in Martyrolog. Gallic. fol. 75. superius allegatus. Quod Toleti hoc die martyrium impleuisset, iam Dextri verbis comprobatum remaneret. Quod persecutionum vacillaret conflictatione, ex quo

ex quo à S.Clemente literis confirmatur, expressus est locus Dextri Ann. 94. n.1. & Iuliani Archipresb.d.n.23.sic: *Iulianus discipulus S.Clementis, post Rom.Pont. in Hispania prædicatione S.Petri ad fidem conuersus, constitutus Episcopus Carpetanorum. Hic ferè deceptus, & penè lapsus fuit consortio malorum, & vehementi pondere persecutionum, quem Clemens mirificè suis literis confirmauit, & vt alios ipse confirmet in fide hac, inter æstus vndantes sæuissimæ persecutionis stabilitat, hortatur.* Et in aduersar.n 381.fol.84. vbi non solum *Iulianum* deceptum sed, & alij Episcopi quorum nomina recenset. P.Biuar credit, quod hæc Epistola dirigebatur ad correctionem abusus, qui versabatur de filiis Ethnicorum baptizatis, quos cum parentibus cohabitare permittebat. Vtramque causam refert S.Clemens epist.4. ad Iulianum, & Iulium discipulos suos, de primo, sic: *Clemens vrbis Romanæ Episcopus charissimis fratribus Iulio, & Iuliano, ac reliquis consodalibus nostris, gentibúsque, quæ circa vos sunt. Oportet fratres, omnes Doctores, qui ad salutem animarum instituti sunt, & ad lucrandas animas Episcopi sunt consecrati, pro cunctis solicitudinem gerere, & errantes ad viam veritatis, & ad portum salutis reducere.* Et licet propter gentes, quæ circa vos sunt, in modico vos errasse contigerit, melius est tamen redire ad veritatis viam, quam diutius in ipso errore perdurare. *Quascumque enim de his, qui vos errare fecerunt, vel de his, qui adhuc verbum prædicationis non audierunt, potestis, &c.* De secundo à Biuar excogitato, sic infra in prædicta Epistola *Necesse est enim, vt salutis causa filius, qui sermonem receperit veritatis, à parentibus separetur incredulus, aut rursum pater separetur à filio, aut filia à matre.* Quibus vitæ relatio clarior, & plena remanet probatione.

Vicum. Vrbs (in qua exilium confecit S.Iulianus) fuit fragmentum Ciuitatis Ausæ, ex Petro Anton. Beut. Hist. Valent lib.1.c.16. à quo D.Thom. Tamayo in Not. ad Luitpr. Er.940 fol.221. Sitam fuisse in Authetanis agnoscunt Geographi. Ipsam fuisse conditam ab Ausetanis Italiæ, ex quo cessit Romanis, postea rebellauit, & ab ipsis iterum capta, solo æquata fuit. Indéque Vicus Ausæ cognominari cœpit, & lingua vernacula hodie dicitur Vic Dosona quasi Vicus Ausonæ & per emphasim dicitur Vich, aut Vique. Pujades Hist. Cathalon. lib.1. cap.14. fol.13. fatetur hanc vrbem fuisse conditam tempore Brigi Vetustissimi Hispaniæ Regis, ex eo quod ipsam Prouinciam est aggressus Ausus, filius Atarræi qui prædictam condidit ciuitatem, ab eóque nomen fuisse sortitam. Quantæ sit authoritatis hæc opinio suis locis appingemus, dicta sufficiant.

B SS. Felix, Ianvarivs, Fortvnatvs, et Septimivs. Duos primos fuisse apud Hispaniæ vrbem Heracleam in fretu Herculeo, martyrio coronatos, patet ex Flauio Dextro in Chron. Ann.296. n.4. sic: *Heracleæ in Hispania propè fretum Herculeum Sanctissimi Christi Martyres, Felix, & Ianuarius.* Diem consignauit Luitpr. in Aduers.n.8. sic: *Heracleæ in Hispania, quæ ciuitas* Calpe *dicitur, passionis recolitur triumphus S.Ianuarij Sebariensis Episcopi cum sociis. VII.Ianuarij, cuius meminit Dexter, atque passum sub Diocletiano. Fuit Episcopus, qui interfuit Ilberitano.* Post n.15. extendens martyrij ecphrasim, hisce prosequitur verbis: *S. M. Pomponius Ianuarius Episcopus Sebariensis fuit Vir Consularis, interfuit, vt dictum est, Concilio Iliberitano, prædicánsque in Heraclea, ciuitate freti Herculei per dira tormenta, cum sociis pro fide Christi triumphauit.* Duos secundos addidit P. Biuar. fortè compulsus ex verbis Luitprandi *Cum sociis* n. 8. & 15. relatis, quos socios, cùm non inuenisset, nisi vnum in Dextro alios ex Menologio die XVI. Aprilis quæritauit, exindéque auulsos, hoc assuit loco, sed perperam; quod attentè animaduertens Bollandus, assentiri Biuario noluit. Ergo Felicem & Ianuarium Episcopos nostræ ditionis agnosco, & ipsos etiam agnouere Vsuardus, Bellinus, Maurolycus, Galesinus, Alexandr. Peregrin Felicius, Ferrarius, Matt. Roman. Dionys. Vasq. Castellan. & Lusitan. hisce verbis *Ciuitate Heraclea Felicis, & Ianuarij.* Nec obstabit verbum, *cum sociis*, quia passim sociorum nomina sub silentio iacent, nec erit inconueniens in eorum relatione taciturnitas, ideóque nostrorum acta hisce periodis compulsare destino.

Felix *cuius fuerit vrbis Episcopus, & à qua Prouincia nostram deuenerit, ignoratur.* Pomponivs Ianvarivs verò Consulatum cum M. Aurelio Maximo agens Romæ ad annum Christi CCLXXXVIII. postea Præfecturam Vrbis ad annum CCXC.

recepit.

recepit. Quo verò ambitu ad Christi Domini cognitionem deuenerit, Hispaniámque peruenerit temporum labilitas occultauit. Quod autem scitur, eum fuisse Episcopum Sebariensem, aut Calabriensem in Hispania, interfuisséque Iliberitano illo celebri Concilio; indéque fidei zelo succensus non solum propriam prædicauit diœcesim, sed alienas quæritans oues, vt pascuis salutaribus imbueret, Heracleam antiquissimam apud fretum Herculeum inuisens vrbem, ibidémque Felicem Episcopum inueniens, pace data, per plateas, Euangelici verbi vnusquisque incepit semina diffundere feruidus. Innotuit hæc Sanctorum Antistitum Diocletiani iudicibus concionatio, & ne altius tolleretur audaciæ frequentia, protinus Præsules compressit ergastuli fouea, & custodiæ catena. Ibidem sese inuicem in Domino munientes, demum Martyrij coronam per varios crudelitatis agones percepere VII. Ianuar. Anno Domini CCXCVI. Imperantibus Diocletiano, & Maximiano, Apostolicam Sedem agente Caio I. Pont. Max. Martyre.

Hæc quoad acta ex relatione Scriptorum. Nunc aliquot illorum periodos comprobationis notulis adaptabimus. PRIMO quoad Consulatum Pomponij Ianuarij, Noster amicus M. Franc. Rus Puerta, qui in antiquitatum Ecclesiasticarum cognitione nulli secundus inuenitur, in Hist. Giennens. t. 1. sæcul. 4. c. 3. fol. 120. probat eruditè ex Spondano in Compend. ann. 288. quod desumpsit ex Baronio Annal. Eccles. tom. 2. ann. 288. n. 1. licet Vechietus, & alij, vt Cuspinianus diuersè senserunt.

SECVNDO de Præfectura vrbis anno 290. quæ latuit Rus Puerta, insignis locus adest apud Cuspinianum de Consulib. ann. 290. fol. 394. hisce verbis: *Hoc anno Kalend. Martias Pomponius Ianuarius Præfectus vrbis eligitur.* A quo potest concordari Vechieti opinio, scilicet, quòd anno CCXC. non Consul, sed Præfectus assignandus est. Onuphr. Panuin. Comment. ad lib. 2. Fast. ann. ∞. X L. vrbis tenet, quod eo anno Consulatum iniere Maximus, & Ianuarius, & quod iste Præfecturam vrbis eo ipso anno Kalend. Martij suscepit. En verba: *Alter Consul est* Pomponius Ianuarius *qui ex Consulatu, quem bimestrem gessit, Vrbis Præfecturam iniit.* Ex quibus liquet, & quod Consulatum accepit. & Præfecturam adeptus est, vt Luitprandi verba verificentur.

Tertio de Episcopatu Sebariensi, aut Calabriensi, variè disceptatur. Qui S. Ianuarium SEBARIENSEM, seu SABARIENSEM, aut SALARIENSEM Episcopum appingunt, circa loci situm discrepantes, vix electioni locum relinquunt. Ambros de Moral. Hist. Hisp. lib. 10. c. 31. Padill. tom. 1. c. 35. cent. 4. Biu. ad Dextr. ann. 300. n. 5. fol. 323. credunt fuisse *Alcazardo Sal* in Portugalliæ Algaruiis. Sed hæc opinio euanescit, nam ibidem pro SALACIA scripsere SALARIA. Iulian. Archipresbyt. Aduers. n. 356. & 357. Duas huius nominis vrbes assignat, altera propè Beatiam, quæ hodie SABIOTE, altera in Oretanis. Illam Coloniam, istam, non. Eius verba accipite: *Cum Imperator Adephonsius Raymundi Comitis filius expugnauit Beatiam, & Vbetam, & Saliotem, quæ olim fuit Colonia* Salariensis *Plinij.* Postea n. 357. sic: *Altera* Salaria *Ptolomæo, non est Colonia.* De prima Plin. lib. 3. c. 3. ita: *Ex Colonia Salariense Oppidani Lalij veteris Castalonenses, qui Cæsari venales appellantur.* De Secunda Ptolom. lib. 2. Tab. 2. Europæ c. 6. tit. *Iis ac Carpetanis australiores sunt Oretani, & Ciuitates* Salaria *Sisapona, Oreton Germanorum.* Pro prima contendit Rus Puerta, fuisséque Episcopum S. Ianuarium ipsius dicens, & hoc per analogum. Et ideo Giennensis Diœcesis S. Ianuarium vt Episcopum Salariensem die XIX. huius celebrat officio semiduplici, vt ex decreto Eminentiss. Cardinal. Sandoual liquet Dat. 3. Iulij Ann. M.D C. X L. Padilla in Chronol. Episcopat. Hispan. fol. 16. loquens de hoc Episcopatu *Salariense*, meminit nostri S. Ianuarij, sed accedens ad situationem vrbis ipsius, ex Carolo Clusio refert hanc ciuitatem fuisse SIRVELA EN ESTREMADVRA. Vasseus in Nomenclatura Episcopat. Hispan c. 20. meminit *Sibariensis* Episcopatus, referens, quod in Concilio Iliberitano inter alios Episcopos subscripsit IANVARIVS *Sibariensis* Episcopus, in margine reponeretur *Salariensis*. Et fatetur nunquam in Hispania inuenisse *Sibarim* oppidum, quin potius suspicatur legendum esse *Sarabriensis*; aut *Sabariensis*, vt in Antonini Itinerario, quæ vrbs hodie correspondet ZAMORA, aut TORO. Sed

licet Vaſſ. *Sibarim* ſe non inueniſſe oppidum commemoret Hiſpaniæ, ſi correctiores perlegiſſet codices Itinerarij apud Hieronym. Zuritam, & Andream Scothum, à propoſito reſiliret. Sic ergo in Zurita fol. 98.

Iter ab Emerita Cæſarauguſtam.
Senticem. *M. P. X I I.*
Salmanticam. *M. P. X X I V.*
Sibariam. *M. P. X X I.*
Occeliũ Duri. *M. P. X X I.*

In cuius notula, ſic Zurita fol. 585. Sibariam. M. P. X X I.] *Habent Blandinianum exemplar, & Longoliani excuſſit. In Neapolitano* SIBARIM. *Liber. Hieron. Pauli* SIBARVM *prof. runt.* Andr. Scoth. in var. Lect. ſic: *Sabariam*, Sibariam, *per i Caſ.* Ergo ſi S. Ianuarius Epiſcopus fuit *Sabarienſis*, aut *Sibarienſis*, non *Salarienſis*, conſulto ab Rus Puerta extunc opinione diſcedo, & cum Luitprando Epiſcopum *Sibarienſem*, aut *Tauri*, aut *Zamoræ* confiteor. Primo quia in correctioribus membranis Concilij Iliberitani *Sibarienſis* legitur, notula in margine, nihil immutat. Secundo quia *Luitprandus* apud *D. D. Laurentium Ramirez*, ſcripſit *Sarabrienſis*, licet corruptè, quò propius acceſſit veritati. Tertio quia non eſt veriſimile interfuiſſe eidem Concilio duos Epiſcopos tam proximè contiguos vt *Beatienſis*, & *Sabiotenſis*. Quarto quia Vaſſeus, & Padilla credunt circa *Taurum* fuiſſe illum Epiſcopatum, qui poſt in *Zamoram* tranſiuerat. Si lectio eſt *Salarienſis* conuenio cum Rus Puerta, Loayſa, Myræo, & Pedraza Hiſt. Granat. 2. p. c. 12. §. XVII. Quo hæc illuſtrata remanet opinio: ad ſecundam pergo.

Qui legunt CALIABRIENSIS vt Biu. ad Dextr. ann. 300. fol. 323. & alij ab ipſo citati contendunt hunc Epiſcopatum fuiſſe vbi hodie eſt oppidum nomine MONTANCHES. Ita Moral. lib. 10 cap. 32. ſuſpicatur Biuar. Quem ſecutus eſt noſter Barnab Moreno in Hiſt. Emeritenſ. lib. 2. c. 11. At ego crederem (ſalua tantorum virorum cenſura) potius ALHANGE, quàm *Montanches*, hunc fuiſſe ciuitatis ſitum. Moueor ex verbis Lucæ Tudenſ. in Chron Hiſp. Era 951. fol. 81. tom. 4. Hiſp. Illuſtrat. Vbi cum Ordonij Regis aliquot illuſtria retuliſſet certamina, aduerſus Mauros feliciter expedita proſequitur: *Anno igitur regni eius IV. ab expugnatione Maurorum quieſcere non ſuſtinens, aggregatis exercitibus vltra Emeritenſem vrbem hoſtiliter profectus eſt. Sed cum totam Prouinciam Luſitanam horrifero impetu deuaſtaſſet, Caſtrum Colubri cepit, quæ nunc à Chaldæis* ALHANZA *nominatur.* Non inficiatur Roderic. Archiep. Tolet. lib. 4. c. 21. qui eandem percurrens expeditionem, ſic alloquitur: *Sed à bellorum magnalibus impatiens abſtinere, contra Emeritam exercitum congregauit, & totam Luſitaniam ferè deuaſtans Caſtrum Colubri, quod* TVRNE ALANGIZ (ſic in correctioribus) *dicitur, occupauit.* Nec huic meæ coniectationi aduerſatur ipſius Moreni reſponſio lib 4. c. 5. vbi difficultate textuûm Tudenſis, & Ruderici compreſſus Barnabas aliquot ſubterfugia quæritans, hæc *Alhanza*, & *Alangiz* aſſerit copulatitia fuere cognomina, & ſuppoſititia à Mau is (non abs re) impoſita Caſtro Colubri, quibus non eſt inſiſtendum. Quia reſpondetur, quod in ferè omnibus antiquiſſimis populis Hiſpaniæ (exulato antiquo nomine) Mauri ſuo idiomate alia impoſuere, quæ adhuc perſiſtunt. Teſtis ſit *Heraclea* in qua hoc die martyrium compleuit *S. Ianuarius.* Nonne antiquitus hoc fuit nomine compellata? Poſt Sarracenorum excidium, nonne fuit *Gibraltar* à Mauris vocitata? Ergo etſi ſuppoſititium cognomen, non ex hoc, ab antiquo Heracleæ deficiet. Sic Caſtrum Colubri, quod per impoſitionem *Alhanſe*, non ideo antiquum amittet. Secundo reſpondetur, nam in Tudenſis contextu, à Chaldæis *Caſtrum Colubri* vrbem appellari *Alhanza*, refertur: at ipſorum dialectis *Halanz* pro re lubrica interpretatur, quę *Colubri* reſpõdet: ergo Caſtrum Colubri, & Caſtrum *Alhanza*: *Alange* corruptè, & non *Montanches*, referendum eſt. De verbo *Halanz* videndus Beda tom. 3. fol 571. His ſic diſcuſſis, adhuc in mea ſententia perſiſto, quòd ſcilicet *S. Ianuarius* Epiſcopatum obtinuit *Sibarienſem*, non *Salarienſem*, nec *Colibrienſem*. Nec obſtat aſſertio Vaſſei in Nomen. Epiſc. Hiſp. c. 20. verb. *Caliabria*,

Caliabria. qui ipsam fuisse *Coimbram* contendit sed perperam, quia vt ex Luca, & Roderico apparet, *Caliabria* erat propè *Emeritam*, Coimbra procul ab ipsa est, vt suo loco dicemus.

HERACLEA. Vrbs fuit Hispaniæ vetustissima ab Hercule condita vt ex Timosthene refert Strabo lib. 3. Geograph. hisce verbis: *Plerique hanc* (loquitur de de vrbe Calpe) *ab Hercule ædificatam tradidere, è quibus est Timosthenes, qui eam cognomine* HERACLEAM *superiori tempore dicit, ostentari magnum etiam murum in circuitu, & naualia.* Aquo Ludouic. Non. in sua Hisp. cap. 10. Ortel. in Thes. Geograph. verb. Calpe. Moral. Hist. Hisp. lib. 12. cap. 68. Alderete in Origin. ling. Hisp. lib. 3. cap. 1. Marian. lib. 6. cap. 22. Dicta fuit HERACLEA, quia quidquid Herculi tribuebatur, hoc insimulabatur nomine, vt Ciuitas illa Ponti ob quercus ab Hercule satis, Plin. lib. 16. cap. 44. De Herba *Heraclion Sydereon* ab Hercule inuentum. Plinius. lib. 25. cap. 4. Ciuitas in Insula Nili Heracliopolim ab Hercule vocitata Plin. lib. 5. cap. 9. Via Militaris, & vt potius itineralis ex Italia, vsque ad Gaditanum fretum, Heraclea dicta est ab Hercule instructa, Arist. de mirabil. Auscult. tom. 2. fol. 1546. ex impress. Lugd. apud Steph. Michaël. ann. 1581. Ruf. Fest. Auien. in Or.

Post in Occiduum diem
Sacrum superbas erigit cautes iugum.
Locum hunc vocauit Herma *quondam Græcia.*
Est Hermum porrò cespitum munitio.
Interfluúmque altrinsecus munit locus.
Aliique rursus Herculis dicunt viam
Strauisse quippe maria fertur Hercules,
Iter vt pateret facile captiuo gregi.

Sicque Calpe vocita est Heracle, vt Herculis opus. Hodie à nostris GIBRALTAR à vocibus Gebal - Tarif Arabum Duce procedens licet decurtatè, vt ex Ocampo, Morales, & Mariana deprehendes.

C CANONIZATIO S. RAYMVNDI. Vitam & acta die antecedenti exscripsimus, de ipsius, Canonizationis cura, & sedulitate Præsulum, Regum, & Ordinum Cathaloniæ, hic breuiter perstringemus. Pòst præclarum de hac vita exitum S. Raymundi, tertio anno in Concilio Tarraconensi congregati (vt diximus ex Marsilio) omnes Antistites Regni Aragoniæ ad Nicolaum III. Pont. Max. pro eius canonizatione scripsere, vt patet, ex Epistola superius relata. Sed interueniente bellorum interpositione, huius præclari operis exitum dilatum est, licet prædicti Nicolai III. decreto, processus originem sumpsit, Quæ prima diligentia Archiepiscopo Tarraconensi directa est, qui processum formauit, & sedi Apostolicæ remisit. Mortuo Nicolao, sedem Apostolicam conscendit Bonifacius VIII. Pont. Max. cuius absolutionem Iacobus I. desiderans propter occupatum Siciliæ Regnum, ex quo Curiam Romanam adiuit, instantibus ciuitatis Barcinonensis Consulibus, tanti viri perfectionem in huiusmodi opere postulauit, vt patet ex Epistola apud Michaël. LLot. cap. 14. & ex alia plurimorum Conuentuum Prouinciæ Aragoniæ eod. cap. fol. 45. ex aliáque Conuentus S. Catherinæ Martyris Ordinis Prædicatorum Barcinonensis, cap. 15. fol. 51. Omnes conscriptæ anno, M. CC. XC. VIII. Et licet illo tempore hoc aliquam receperit formam negocium, attamen propter Regis Iacobi è Romana Curia discessum, aliquot annorum spatio sub silentio iacuit, donec iterum in alio Concilio Tarraconensi anno M. CCC. XVII. congregato, vnanimi omnium, qui illic aderant, consensu, decretum fuit, vt per Epistolam Ioanni XXII. Pont. Max. pro huiusmodi supplicaretur canonizatione. Cuius Epistolæ copiam refert LLot. cap. 16. fol. 56. Et licet tunc aliqua de Nouo reperta miracula Antiquo adderentur examini pro tunc petitio Regni non substitit, quin potius subortis in ferè totius partibus orbis, seditionibus, & bellis, Pontifex illis

implicatus, processum formatum suis successoribus iudicandum reliquit. Quo ergo impedimenti decreto subsequente, à poposito desciuere, qui in hoc opus gloriosum laborabant. Sed summam triformis coronæ cydarim vix Paulo III. imponere decreuit conclaue cum auditis miraculosè gestis à B. Raymundo, indulto Apostolico, *viuæ vocis oraculo*, omnibus Prouinciæ Aragoniæ Prædicatorum Conuentibus concessit, vt singulis annis festum B. Raymundi celebraretur, vt ex hoc patet testimonio.

INDVLTVM APOSTOLICVM pro celebrando festo Beati Raymundi, Ordinis Prædicatorum.

NOs F. Ioannes à Toleto miseratione diuina Titt. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis, Ecclesiæ Burgensis perpetuus Administrator, *&c.* Dilectis nobis in Christo vniuersis, & singuris Patribus, & Fratribus, Prouinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatolum, Salutem in Domino sempiternam. Hodie Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Paulus diuina prouidentia Papa III. animaduertens, sicut ex fide dignorum relatione intellexit, B. Raymundum de Peñiaforti, prædicti vestri Ordinis quondam Generalem, cuius corpus in Monasterio Prædicatorum Barchinonensi requiescit, quam plurimis clarere miraculis, ac propterea cupiens vestræ, & aliorum Christi fidelium deuotioni satisfacere, supplicationibus vestris inclinatus, vobis, vt die, quo emisit spiritum, singulis annis in vestris Conuentibus, & Monasteriis, ac si esset canonizatus, Officium de eo, etiam solemniter, ad laudem Omnipotentis Dei, & vestri ordinis decorem facere, & dicere possitis, per suæ viuæ vocis desuper factum Apostolica authoritate indulsit. In cuius rei testimonium præsentes nostras attestationis literas per Secretarium nostrum fieri, & subscribi, nostrique sigilli appensione communiri mandauimus. Dat. Rom. apud Parionem in ædibus nostræ solitæ residentiæ sub Anno à Natiuitate Dom. M. D. XLII. Die verò III. Mens. Iunij Pont. præd. D. N. D. P. ann. VIII. Ita attestamur, & fidem facimus. Cardinal. Burgues. Antonin. Barb. Secretarius.

Quo à Sacta sede recepto fauore in omnibus Cathaloniæ, Valentiæ, Aragoniæ, Maioricarum, & Sardiniæ Regnorum Conuentibus, Officium celebrari cœpit, à P. F. Iacobo Ferran, ordinatum, & excussum. Sed quoniam abyssus abyssum inuocat, & amor amorem expostulat, non ad quiescentes Cathaloniæ Patres, & Proceres primo decreto, & ad maiora spiritum ducentes, Beatissimo Patri Pio V. vt eiusdem familiæ alumno, crebris Epistolis se submittere decreuerunt, vt tantum inceptum opus perficeret. Qui lubens voce publica intonuit: *Canonizentur Beatus Raymundus, & Beatus Hiacynthus.* Huius ergo voti, ac desiderij compotes effecti fuissent, ni vitam cum morte Sanctissimus Pontifex commutasset in exordio negociationis, Anno M. D. LXXII. Epistolam Barcinonensium inuenies apud LLot cap. 18. fol. 67. Demum D. D. Ionnes Terres Archiepiscopus Tarraconensis oblatis quatuor mille nummis aureis, & Excellentissimus D. D. Antonius de Cordoua, & Cardana Suessæ, Baenæ, & Somæ Dux, Orator Regius in Romana Curia, inuento peruetusto processu hactenus deperdito, Catholicúsque Philippus II. Hispaniarum Rex assiduis Epistolis ad Sanctissimum D Clementem VIII. Pontificem Max. missis, obtentum fuit Canonizationis S. Raymundi desiderium, vt ex Bulla Canonizationis apparet, in qua post relationem diei transitus, hæc n. 55. subiungit: *Denique absolutis perfectisque omnibus iis, quæ à Romano Pontifice hoc in genere instituta sunt, communibus precibus implorata Spiritus Sancti ope, ad honorem SSS. & Indiuiduæ*

Trinitatis,

Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Religionis Christianæ augmentum, authoritate eiusdem SSS. Trinitatis Patris & Filij, & Spiritus Sancti BB. Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniúmque Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia existentium. B. RAYMVNDVM A PENNAFORT *Ordinis Fratrum Prædicatorum expressè professum, ac in Ecclesia S. Catherinæ eiusdem Ordinis Barcinone sepultum; de cuius innocentia vitæ, & miraculis planè constat* SANCTVM *esse diffinimus, ac Sanctorum Confessorum numero, & Catalogo adscribendum esse decreuimus, prout per præsentes definimus, decernimus, & adscribimus: Statuentes, vt Vniuersa Ecclesia quolibet Anno* DIE VII. IANVARII *festum eius, & officium, sicut pro vno Confessore non Pontifice, ad normam in Rubricis Breuiarij Romani præscriptam, deuotè celebretur.* Cui hanc pro symbolo S. D. Clemens intonuit Orationem.

DEus, qui B. Raymundum Pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris vndas mirabiliter traduxisti, concede, vt eius intercessione, dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum, peruenire valeamus. Per Dominum N.

Eius Sanctum corpus adhuc, & pallium, super quod è Maiorica in Barcinonem tranauit, adseruantur in Conuentu S. Catherinæ tanta reuerentia, & custodia, vt idem S. D. Clemens VIII. per suum in forma Breuis sub Annulo Piscatoris die XVII. Iulij. M. DC. I. Pontificatus sui anno Decimo indultum, cuius initium *Decet Romanum Pontificem sacrarum Sanctarum Reliquiarum conseruationi, vnde etiam ipsorum veneratio augetur, opportunè prospicere:* prohibuerit, quod nullus tàm Religiosus, etiam eiusdem Monasterij, & Ordinis, quam Ecclesiasticus, & sæcularis neque Sepulchrum S. Raymundi aperire, neque aliquas ipsius reliquiarum extrahere particulas, aut aliquod pallij frustum de cætero sine speciali S. Sedis Apostolicæ licentia audeat. Cuius Breuis copiam require apud P. F. Iacobum Rabullosa in Act. S. Raymund. fol. 476.

SEXTO IDVS IANVARII, DIES VIII.

A. *Astigi in Betica Hispaniæ festum* S. FVLGENTII *ipsius vrbis, & Carthaginis Spartariæ Episcopi: licèt die XV. huius, ab aliis concelebretur Ecclesiis.*

B. *Toleti depositio* Beati Bonifacij *Cauriensis Ecclesiæ apud Vettones Hispaniæ vlterioris Antistitis, qui cùm VI. interfuisset Concilio Toletano infirmitate correptus vitam exuit ærumnosam, & Confessor almus induit æternam. Cuius corpus Beatus Eugenius in æde S. Iustæ honorificè tumulauit.*

NOTÆ.

A. SANCTVS FVLGENTIVS. De Sanctissimo hoc Ecclesiæ Hispaniæ Doctore, agit hic Philipp. Ferrar. in Catal. SS. General. ex Tabulis Eccles. Astigitanæ, sed fallitur in Tabulis, quia cùm hodie Astigi Archiepiscopali subiaceat Hispalensi sedi, potius ex tabulis Hispalensibus, quàm Astigitanis deprompsisse credendum est. Antiquitùs ergo Ecclesia Hispalensis hoc die Fulgentio suo festa peregit; iam in XIV. huius transtulit. Placentina cuius est Patronus die XIX. Carthaginensis cuius fuit Episcopus XVI. *Berzocana*, in qua sacratum corpus, cum S. Florentinæ lipsanis requiescit, die XV. Et hæc verior festiuitatis dies. Diuersitatis causam (vt cogito) eam fuisse, quia cùm Sancti Præsulis dies transitus ignoretur, quælibet Ecclesia elegit diem, quo commodius, & aptius illius celebraretur officium. At Berzocana (vt ibidem constans traditio est) diem inuentionis, qui in XV. Ianuarij incidit, festiuo cultu cognoscit. Quo & Nos acta compaginabimus. Tantum hic duplicem Philippi Ferrarij errorem dissoluam. Primum quod in notula dixerit, quod illius corpus primum Barcinonem anno DC. XX. translatum fuisse. Secundus, quod postea anno M. D. XCIV. Murciam delatum, ad hōc Marietam referens. Et quod vtraque assertio commentum merum sit, ex ipso, cui se remisit, Marieta liquet, & infra à nobis ex dicendis apparebit. Venio ad S. Bonifacium.

S. BONIFACIVS. Huius gloriosi Confessoris apud Martyrologos penitus excidit memoria, ideóque Luitprandi in eius sanctitatis titulo Chronici insectabimur vestigia. Is igitur Era 674. num. 63. ista refert: *Beatus Bonifacius Episcopus Cauriensis Toleti moritur, in Æde S. Iustæ à B. Eugenio honorificè sepelitur.* Quo loco P. Hieron. Roman de la Higuera in Notul. fol. 315. sic: *Beatus Bonifacius Episcopus Cauriensis interfuit Concilio VI. Toletano, loco XI. Habita est Synodus V. Idus Ianuarij, post quod tempus mortuus est, & honorifice ab Eugenio II. sepultus in Æde Sanctæ Iustæ, quæ tunc erat Ecclesia Toleti. Dicitur ibi fuisse Vir pius, vt erant illi SS. Patres.* D. Thom. Tamayo in Not. ad Luitprand. fol. 54. eius meminit, licèt in codice edito pro VI. Concilio, adsit IV. forte compositoris incuria. Eius acta periere, sic ex relatis verbis, & ex iis quæ prudentialiter credi possunt facturum, acta ordinabimus.

BONIFACIVS ex nobili Gothorum sanguine Hispanias moderantium, & incolentium procreatus, post primos (vt creditur) iuuentutis flores, ad maiores scientiarum fructus animum intendens, breui literarum studia diligentissimè colens; supremum eruditionis actum in hoc doctrinæ opere confecit. Quibus ad ordinum gradus anhelans, ad ipsorum culmen virtutibus comitantibus sine dilatione peruenit. In huius purioris status munere taliter vitam composuit, vt è viuis sublato Elia Cauriensis Ecclesiæ Præsule, protinus ad ipsius cathedræ fastigium, suffragiis omnium interuenientibus, sublimari meruit. Quo in onere illum nulla dies promissis suis dissimilem arguit. Interfuit Concilio IV. Toletano Era DC. LXXI. tempore Regis Sisenandi, quo præfuit S. Isidorus, & in quo LXXV. canones decreti sunt, quibus de euidente fidei Catholicæ veritate, & de aliis ad Ecclesiasticum statum pertinentibus, actum fuit. Post accessit ad VI. Concilium Toletanum, tempore Cinthilæ Regis, in quo fuit Silua Narbonensis, quod publicatum fuit V. Idus Ianuarij Era DC. LXXVI. post cuius subscriptionem infirmitate detentus, demum VI. Idus Ianuarij vitæ cursum feliciter expleuit. B. Eugenius tunc Toletanæ Ecclesiæ

Antistes

Antiſtes ſanctiſſimum viri corpus in Eccleſia S. Iuſtæ, vrbis Regiæ, vt tunc moris erat, cæteris Epiſcopis funus comitantibus, & Proceribus, Palatiniſque honorifico ſarcophago collocauit. Quod poſtea miraculis clarum credimus, ex eo, quòd tempore Luitprandi Diaconi Toletani in pretio habitum, titulo Beati condecoratum cognoſcimus.

In Conciliis Loayſæ in VI. Toletano duos Caurienſis Eccleſiæ Præſules inuenio, alium B. Bonifacium, alium Humanugum. Ambroſ. de Moral. Hiſt. Hiſp. lib. 12. c. 23. Padill. Cent. 7. c. 25. tom. 2. Hiſt. Eccleſ. Hiſp. contendunt Bonifacium fuiſſe Epiſcopum Carthaginenſem & Humanugum Caurienſem. Quibus accedit D. Franc. Caſcal. Hiſt. Murcit. diſcurſ. fin. c. 3. fol. 428. Sed meo videri falluntur. Quia in Concilio IV. Toletano, vbi adfuit B. Bonifacius, ſubſcripſit titulo Eccleſiæ Caurienſis, & hoc fatentur Morales, & Padilla ſine controuerſia; ergo & in Concilio VI. idem dicendum eſt, ſiquidem de vno ad aliud quatuor tantùm annorum diſtantiæ fuit. Item quia poſt Vincentium ſucceſſorem S. Fulgentij anno DCIII. nulla adeſt mentio in Conciliis Hiſpaniæ (& ſi tot congregati fuere) de aliquo Epiſcopo Carthaginenſi, aut propter ſeparationem factam ab antiquo tempore, ab Eccleſia Toletana, cuius ambiuit metropolim, aut aliis ex cauſis, quæ ex decreto Gundemari in fauorem Toletani Præſulis, excogitari poſſunt. Ex quo opinioni Ambroſij, & Padillæ non adhæreo. Quod verius crederem, erit, nam mortuo B. Bonifacio, fortè Concilium, Humanugum Caurienſem elegit Epiſcopum, qui poſt Concilio etiam ſubſcripſit, ne illius Præſulis moderni acta fraudarentur ſubſcriptionis munimine.

Cavrivm, ſiue Cavria, hodie Coria, Ciuitas eſt Epiſcopalis antiquiſſima primò Luſitaniæ, pòſt Vettoniæ. Eius populos deſcribit Plin. lib. 4. cap. 22. Ptolom. lib. 2. Europ. tab. 2. c. 5. Cavrita vocitatur à Carolo Cluſio, Cavrvm Stephano, qui conditam fuiſſe à Caurenſibus Inſulanis Samo vicinis, qui Aſia adiacent ex oppoſito ad Epheſum. Quorum Inſula primo Cauros dicta eſt, poſt Andros, de qua Ouid. lib. 12. Metamorph. Eius meminit L. Marin. Sicul. ſic: *Eſt itaque in Langonij fluminis ripa* Cavra *Ciuitas quæ ex vno latere Ciuitatenſes, ex altero Galiſtenſes habet, quibus Placentia pulcherrima ciuitas magno eſt ornamento.* Ioan. Vaſſ. in Chron. c. 20. Luc. Tudenſ. in diuiſ. Hiſp. Epiſcop. ab Vvambane facta ſic eius diœceſim terminaſſe prodiit: *Cauria teneat de Villa vſque Tagum, de Aſar, vſque Pumar.* Alderet. in Theſ. ling. Caſtel. lib. 3. c. 3. verb. Caurion, qui græcè Καῦρος ſtolidus latinè ſignificare docet, & quærit, an ex dialecto Græc. originem ſumpſit Hiſpaniſmus Cauriæ ſtolidus?

QVINTO IDVS IANVARII,

DIES IX.

A. *In Oppido Groſsia in Cherſoneſo Hiſpaniæ propè Valentiam* S. Lvarii *Presbyteri olim celebris fuit memoria.*

B. *Toleti in Siſlæ cœnobio depoſitio* B. Erthinodi *Monachi Auguſtiniani, qui pro defenſione veritatis,*

&

& pro libertate prædicationis, vt creditur, martyrio coronatus est.

C. *In Africa paßio S.* IOCVNDI *Martyris, qui cum aliis sociis ad coronam peruenit. Cuius corpus in Monasterio S. Bernardini Fratrum excalceatorum extra Regiæ Curiæ Matritensis muros, Ordinis S. Francisci honorificè adseruatur.*

D. *Oueti in Hispania apud Astures translatio sacrorum pignorum SS.* EVLOGII *electi Archiepiscopi Toletani, &* LEOCRITIÆ *eius alumnæ Martyrum Cordubensium, ex ipsa vrbe Patricia, ad illam Regalem, vbi honorifica obseruatione in Sancta occluduntur camera.*

E. *Cæsaraugustæ in Hispania natalis Sanctorum* QVADRAGINTA MARTYRVM.

NOTÆ.

A. SANCTVS LVARIVS. Eius memoria, imo nec nomen haud apud vllos Scriptores reperitur, ideóque solo nomine contenti, eius anamnesim excribemus ex Iuliano Archipresbytero Toletano in Chron. n. 176. qui hæc verba concepit: *Propè Chersonesum in Hispania oppido Gresia, aut Grosia S. Luarius Presbyter.* An Martyr, an Confessor sub silentio est. Eius hoc die meminit Martyrolog Hispan. P. Hieron. Rom. de la Higuera, qui literaliter periodum Iuliani latinam, Hispano idiomate transcripsit.

GROSIA, aut vt alij GRESIA Oppidum fuit in citeriori Hispania in Peninsula quadam, vulgari voce Peñiscola vocitata, antiquitus verò Chersonesi vocabulo insignita. Stephan. Bizantinus ibidem commemorat oppidum Gresinus nomine, vt refert Abrah. Ortel in Thes. Geograph. verb. Gresinus fol. in paruis 357. Cui correspondet noster Grosia, aut Gresia. De nostro Chersoneso, seu Isthmo Hispaniæ suo loco Mense Martij dicemus, nunc in Ruf. Fest. Auien nostræ Hispaniæ V.C. de Oris Marit. carm. 490. offero Symbolum.

Post Caprasiæ iugum
Procedit altè, ac nuda litorum iacent
Adhsque, cassæ Chersonesi terminos.

De Anno quo S. Luarius in pace quieuerit, si quæritas, diffiteor. Iulianus noster, qui eius meminit ad annum CCX. videtur respexisse; quid sit verum, ignoro.

B. B. ERTHINODVS. Monachus fuit Ordinis S. Augustini in perillustri cœnobio Toletano Sislæ vocabulo insignito, de quo supra aliquot egimus, & vt Martyr Gothorum tempore & post Hispaniæ excidium, Muzarabum sæculo in pretio habitus. Sic Luitprand. in Chron n. 278. apud D. D. Louer. Ram. fol. 419. *Erthinodus Monachus Gothus Augustinianus in Sislæ Toletano Monasterio huius Ordinis, vt Martyr in pretio habetur.* Iulianus Archipresbyt. in Chron. n. 422. sic: *Erthinodus cognomento Gothus ex ordine Augustinianorum, ex humili, & abiecto loco, ad honoratiorem eleuatur Toleti.* Eius hoc die meminit Martyrol. Hisp. M S. P. Higuera. De eo P. F. Ioann. Marq. in origine

origine Eremit. S. Aug. c. 11. §. 3. Moral. Hist. Hisp. lib. 2. c. 66. Tamayo ad Luitprand. fol. 186. RR. P. F. Thom de Herrer. in Alphab. Augus. lit. E. fol. 208. Ex quibus sic acta compagino.

ERTHINODIVS Toletanæ vrbis Ciuis, ex Gothica illustri procedens prosapia, vitam studiosis feruoribus composuit, quousque despectis sæculi illecebris ad portum Religionis tutum sub regula S. P. Augustini peruenit eremitica. Ibidem (vt suspicatur) taliter sese spiritualibus tradidit exercitiis, & studio diuinæ legis se imbuit, quod nec oratio, & religionis pensum, eruditioni contrairet, nec disciplina Scholastica muneribus monasticis impediret. Quo obseruantissimus Monachus, & Doctissimus Euangelicæ veritatis extitit Ecclesiastes. Tunc ergo Hispaniarum imperium perfidus moderabatur Vvitiza, cuius obscœna vitæ scelestis norma in vltimos exterminij terminos se, suósque, sine lege, & ratione perduxit. Tantam ergo videns populi, qui ad instar Regis, & Palatinorum viuere consueuit, & cleri lasciuiam, immanitatem, & corruptos Prouinciæ mores, continuis aduersus peccata publica, etiam Regis, exhortationibus prædicabat, vt ipsos ab imminente ruina educeret illæsos, quos destruendos ira Numinis consignabat. Renuit plebs cæca collyrium, summísque auribus verba insidebant, nec animos penetrabant, quin potius tanquam aduersantia suis dissolutis moribus, & illum illudebant, & sermones ludibrio habebant. At cum zelo veritatis accensus S. Monachus iteratis orationibus Dei verbum fulminasset, aut Regis perfidi iussu, aut vulgi tumultuantis impetu martyrio coronatus est. Eius sanctum corpus in eius cœnobio miraculis fulgens conditum, Catholicorum concursu fuit tempore Gothorum veneratione debita cultum. Post Muzarabum sæculo ex humili tumulo, ad honoratiorem Sarcophagum eleuatum fuit.

En acta B. Erthinodij, tantum hic Lectorem consultum volo, ne D. Thom. Tamayo d. fol. 186. sequatur sententiam, quia illic de alio Arthinodio loquens Iosephum Pamphilium, & Bzouium allegauit, vt eruditè adnotauit N. P. RR. Herrera d Alphabet. fol. 208.

MONASTERIVM SISLÆ. Supra, Kalendis huius mensis, de antiquitate, & nominibus huius celebris Monasterij egimus. Nunc addo quod ab anno CCCCXXIV. vsque ad DCCXIX. quo à Mauris ciuitas Toletana capta fuit, extitit sub regula S. Augustini. Post tempore Muzarabum Ecclesia, & aliquæ cellulæ conseruabantur, & erat Eremitorium, quo supplicationis, & orationis gratia Christiani Toletani conueniebant certis temporibus, & diebus, donec tempore Petri Regis Castellæ ad annum M.CCC.LXXV. Eremitorium illud cessit Patribus D. Hieronymi, vt refert P. Siguenza in Chron. Hieronymian. lib. 1. c. 13. Adhúcque hæc regiminis formula perseuerat. Hic veneratione debita custoditur gladius, quo S. Paulus Apostolus fuit decollatus. Hunc ego inuisi anno M.DC.XLV. De illo dixisse fertur B. Ioann. Chrysost. *Quis nam gladius sanctum guttur tuum peruasit? Dominicum, inquam, instrumentum, quod è cælo habetur in admiratione, & quod terra reueretur. Sit mihi gladius ille pro corona, & claui Petri pro gemmis infixis in diademate.* Forma huius aut mucronis, aut gladij, à cuspide ad pomum habet quatuor palmos, (quæ mensura Hispanis dicitur *Vara*) duos digitos in latitudine. Forma eius quasi antiquum Periconium, sed in eo differt, quia cuspidem habet. Est nondum integrè rectus, quin potius lunatim ad cuspidem flectitur. Pro marca (vt nos dicimus) est serpens bicapitis, & circa oras superiores adsunt literulæ quasi croceo metallo interlinitæ, quæ ex vna Mucronis parte ostendunt hanc particulam: MVCRO NERONIS CÆSARIS. Ex aduersa adsunt hæ: QVO PAVLVS TRVNCATVS CAPITE FVIT ERA C. VIII. P. Siguença autumat hunc mucronem signatum fuisse ad opus iudicij, & internecionem damnatorum. D. Franc. de Queuedo in prolog. ad vitam S. Paul. contendit fuisse proprium Neronis ensem. Nam impius Imperator ira accensus propter resistentiam Pauli in traditione mulieris, cuius amore ardebat, non solum capite plecti iubet, sed

&

& ipsum præstitit gladium, quo decollaretur. Ad hoc allegat Tertul in Apolog. c. 5. sic: *Consulite commentarios vestros, illic reperietis, primum quoque Neronem in hanc sectam, tum maximè Romæ orientem* CÆSAREO GLADIO *ferocisse. Tali dedicatore damnationis nostra etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquod grande bonum à Nerone damnatum.* Ego verò potius Patris Siguenca opinioni adhæreo, ad cuius comprobationem irrefragabilem indico textum, desumptum ex Martyrologio Romano die XIV. Martij, hisce verbis: *Romæ natalis SS. XLVII. Martyrum, qui baptizati sunt à B. Apostolo Petro, cum teneretur in custodia Mamertini, cum Coapostolo suo Paulo, vbi nouem menses detenti sunt, qui omnes sub deuotissima fidei confessione* NERONIANO GLADIO *consumpti sunt.* En Neronis gladius aliorum extra Paulum ceruices feriens Martyrum. Ergo non peculiariter ad internecionem Pauli vt Queuedo, sed communiter ad omnium damnatorum supplicium consignatus fuit.

C S. IOCVNDVS. Martyr fuit Africanus cum Epicteto, Quincto, Secundo, Saturnino, Vitali, Quincto, Vincentio, Felicitate, item Quincto, Felici, Artaxi, Fortunato, Rustico, Sillo, Quieto, Picto, & aliis Quinque, vt ex Martyrolog. S. Hieron. M.S. refert Bolland. hoc die tom. 1. fol. 567. & ex aliis variis M S. Martyrologiis. Eadem ferè Martyrol. Rom. sic: *In Africa Sanctorum Martyrum Epicteti,* Iocundi *Secundi, Vitalis, Felicis, & aliorum Septem.* Quos Martyres effectos fuisse tempore Decij Imperatoris ad annum CLIII. coniicitur, ex Baronij notula hoc die lit D. Acta omnium interciderunt, ideóque sub silentio relinquemus. Quatenus ad corporis S. Iocundi custodiam in Conuentu S. Bernardini extra Muros Curiæ Matritensis Ordinis Fratrum S. Francisci Excalciatorum, patet; Nam in oratorio à D. D. Martino de Cordoua S. Cruciatæ apud Hispanos Commissario Generali adsunt nonnulla Sanctorum corpora debita veneratione custodita, inter quæ, hoc S. Iocundi, vt egomet inuisi thecam, & referunt M. Ægid. Gonçal. Hispan. Chroniarcha in Theatr. Matrit. lib. 1. cap. 8. Franc. Quintan. de Magnitud. Matrit lib. 3. c. 113.

D TRANSLATIO SS. EVLOGII, ET LEOCRITIÆ. De ea adest memoria apud Galesinum in Martyrol. die primo Iunij, sic: *In Hispania Translatio S. Eulogij Martyris.* A quo Philipp. Ferrarius in general. Catal. SS. dicto die fol. 226. sic: *Oueti in Hispania Translatio S. Eulogij Presbyteri, & Martyris.* Vterque à veritate deuiarunt, tam in consignatione festi Kal Iunij, quàm in assertione, quòd de huiusmodi translatione scripserit quidam Samuël Hispanus; nam vt ex actis comperies, quis fuerit iste Samuël, quem authorem relationis conficiunt. En acta ex antiquis lectionibus Breuiarij Ouetensis.

TRANSLATIO SS. CORPORVM EVLOGII *Presbyteri, &* LEOCRITIÆ *Virginis M M. Cordubensium ex Breuiar. Antiq. Ouetensi.*

Cum Anno Domini Octingentesimo Octuagesimo tertio, vigesimum quartum post martyrium SS. Eulogij, & Leocritiæ, Magnus Adephonsus Oueti Rex quemdam Presbyterum Dulcidium nomine, Cordubam, vt coram Mahomat Cordubæ Rege nonnulla ad vtriusque pertinentiæ tractanda statum dimitteret; Presbyter Dulcidius, cum esset in vrbe quomodo ipsorum corpora Sanctorum Eulogij, & Leocritiæ Martyrum in suam peruenire potestatem possent curauit. Intentum cuidam Muzarabi Christiano, cognomine Samuël patefecit, qui promisit sanctum Dulcidij votum implere. Oblata compleuit Samuël; & dispositis negotiis Dulcidius Adephonsum de sacris reliquiis certiorem fecit, qui cum Hermenegildo Episcopo Ouetensi, & Clero solemni processione ordinata, illis extra vrbem Ouetum obuiam fuit. Quibus receptis, & in capsam cypressinam translatis, & in Capella S. Leocadiæ sub aræ tabula conditis, Regis & Procerum deuotio occupauit lætitiam. Quæ translatio facta

fuit

fuit die IX. Ianuarij, quo sacra corpora peruenerunt Ouetum. Hactenus Lectiones. Nunc ex Marieta lib.4.c.66. Postea verò anno Millesimo trecentesimo, post primam translationem ab illinc CCCCXVII. anni, cùm Archidiaconus Ouetensis Ecclesiæ Rodericus Guterri nomine, neruorum dissolutione laboraret, taliter quòd os auriculæ vicinior extitisset, quò, vocis deuinctis organis, penitus loquelæ facultatem amiserat, deuotionis erga Sanctorum Martyrum Eulogij, & Leocritiæ ardore succensus, lipsana, protinus illinc lachrymabundus accessit, & deprecationibus corde confectis, illicò ad sanitatis integræ culmen peruenit. Quo miraculo intellecto, Fernandus Aluari tunc Episcopus Ouetensis motus feruore charitatis Sanctorum corpora in Cameram Sanctam transferri decreuit. Ideo affabre facta capsa argentea, eodem die primæ translationis, scilicet V. Idus Ianuarij, hæc secunda confecta est, vt ex epigraphe super thecæ ambitum scripta, cognoscitur, sic:

ANNO DOMINI M. CCC. V. NON. IANVARII.
D. HERNANDVS ALVARI OVETENSIS EPISCOPVS.
TRANSTVLIT CORPORA SANCTORVM EVLOGII,
ET LEOCRITIÆ.
IN HANC CAPSAM ARGENTEAM.

De hac translatione scripsit Ambros. de Moral lib.13.c.38. Manet. Hist. SS. Hisp. 1.p lib.4.c.66. Marineus Sicul. & alij in floribus Sanctor. Philipp. Ferr. in Cat. SS. Gen. die sequenti hanc refert translationem.

OVETVM. Ciuitas est Episcopalis Hispaniæ in Montanis, antiquitus in Asturum solo consiguita. De ea plenè agimus infra III. Idus Martij. Quo Lectorem remitto.

B SS. QVADRAGINTA MARTYRES CÆSARAVGVSTANI. Philipp. Ferrar. in General. Catal. SS. hoc die eorum repetit memoriam hisce verbis: *Cæsaraugustæ in Hispania natalis SS. XL. Martyrum.* Quorum anamnesim ex Kalendar. & Tabul. Eccles. Cæsaraug. deprompsisse fatetur in notula fol.29. Sed qui fuerint ij, adhuc ignoro, etsi peculiarem adhibui pro illorum cognitione diligentiam. Et ne hoc vlterius deficiat symbolum, eius notam subieci lubens.

QVARTO IDVS IANVARII, DIES X.

A. Cæsaraugustæ, & alibi in Hispania commemoratio S. VALERII *eiusdem vrbis Episcopi, qui primo B. Vincentij Martyris in catena comes, post exul propter ætatem, Confessoris titulo factus, demum Martyr perseuerantia fidei effectus, illius palmam, istius coronam est intrepidè consecutus.*

B. In Oppido Amaranto in Portugallia natalis S. GVNDISALVI *Confessoris ex Ordine S. Dominici, qui*

peragratis Romæ, & Ierosolymæ situbus, inuisisque deuotè earum sacratis vrbium locis, domum reuersus vitam taliter composuit, vt ad æternam Confessor miraculis euolauerit Taumathurgus.

C. *Ambiani in Gallia translatio* S. FIRMINI *eiusdem vrbis Præsulis, qui ex vrbe Pampilone Hispaniæ oriundus ibidem martyrium impleuit.*

NOTÆ.

A SANCTVS VALERIVS. Celebris iste est, ille Episcopus Cæsaraugustanus, qui duo illa magna Ecclesiæ luminaria, Laurentium, videlicet, & Vincentium Hispanos Martyres educauit. Eius adest memoria apud vniuersos qui de clienculis acta scriptitarunt. Ipsius festa dies itidem variatur. Nam Martyrol Rom. die XXVIII. Ianuarij. Breuiar. S. Isidori Muzar. die sequenti, & similiter Const. Felic. Compostellanum, Salmanticense, Conchense, Carthaginense, Placentinum, Saguntinum, & ordinis de Mercede. Die XXX. Hispalense, Calaguritanum, & Ordinis SS. Trinitatis. Apud quæ, alia Martyris, alia Confessoris titulo decorarunt. Breuiarium Palentinum die II. Martij eius festum egit. Sed omnes istæ Ecclesiæ, aut diem transitus ignorantes, aut translationem colentes, vnaquæque, prout locus dabatur suis festiuitatibus variabant. Verus hic est natalis dies, vt ex Flau. Dextro deprehendimus Ann. 300. n. 2. apud Biu. Comm. 1. fol. 317. An fuisset Martyr an Confessor inter nostros, & exteros anceps quæstio est. De vtroque titulo disceptatur, & vterque suos agnoscit fautores.

Quod fuerit Confessor patet ex peruetusto Breuiario Cæsaraugustano apud Andr. Scoth. relatum à Bollando in in Act. SS. die XXII. Ianuar. tom. 2. Cui est addendus Breuiar. Compostell. in quo hæc sunt verba; Lect. 6. *Valerium itaque, velut longæuum, ac inbecillem relinquens, solo damnauit exilio, senectutem illi grauiorem tormento futuram, & sibi nullum eius morte triumphum adquirendum credens. Cæterum Valerius Anetum oppidulum sibi ad habitandum deligens, sic in supernæ illius, ac melioris vitæ amorem exarsit, vt in solis ieiuniis, vigiliis, orationibus, & sacris meditationibus intenderet. Vbi & feliciter migrauit ad Dominum Anno Dom.* CCC.XV. Hanc etiam opinionem secutæ sunt Ecclesiæ Salmanticensis, Carthaginensis, Placentina, & ferè omnes suffraganeæ, ipsius Compostellanæ. Petr. Franc. Chifflet. è veteri Burgundico Codice, cum MS. Markethensi collato apud Bolland. asserit: Dacianum præcepisse Valerium deportari in exilium, quod executum in Insulis marinis, in terram, quæ lingua Arabica dicebatur *Andaluf*. Ibidémque peractis septem annis Cæsaraugustam regreditur. De quo Dacianus edoctus Valerium, Romam ad Imperatores misit, qui illum verberatum in exilium, cum aliis Christianis, Vienam vrbem amandarunt. Item hanc sententiam tuentur Moral. Hist. Hisp. lib. 10. cap. 7. Mariet. lib. 5. cap. 23. D. Martin. Carrill. & Bolland. in Vit. S. Valer. Cardinales Baron. & Xauer. in relat. de SS. Aragon. ad Philippum II. Regem Catholicum ex Breuiar. & Kalend. Ecclesiarum Cæsaraug. Rodiens. & Castrens. P. Truxill. tom. 2. Thesaur. fol. 597.

PRO contraria ipsum agnoscunt Martyrem Breuiarium Antiquum Toletanum à S. Isidoro ordinatum (quod Muzarabe vocatur) in cuius Rubrica Kalendarij dicitur, quod fiat officium vnius Martyris Pontificis. Breuiarium Hispalense, in quo hæc acta referuntur, quorum inserere copiam libuit, quia postmodum illa mihi opus erit.

ACTA

ACTA S. VALERII EPISCOPI *Cæsaraugustani & Martyris ex Antiquo Breuiario Hispalensi.*

B. VALERIVS natione Hispanus, à præclaris parentibus ortus, & Cæsaraugustanæ vrbis conuersatione, tempore Diocletiani, & Maximiani extitit venustus. Qui cùm à pueritia esset literarum rudimentis traditus, Dei gratia non absente, ac scientia tripartita philosophorum, scilicet veteris, & nouæ legis perlustratus breui tempore summos didascalos exuperauit. Tota eius vita fuit sancta, innocua, celebs, gratiosa, fide integra, spe robusta, charitate diffusa, cunctis virtutibus plena, omni postremò bonitate conspicua. *Lect. I.*
CVM igitur apud Cæsaraugustam Ciuitatem Datiano cuidam Præsidi Gentili, & sacrilego à Dominis, & Principibus suis Diocletiano, & Maximiano, sæuiendi in Christianos exoptata occasio cecidisset; protinus Valerius Episcopus, & Vincentius Archidiaconus fidei soliditate, & spe fruendi victoria diuinitus subnixi, in confessione Deitatis alacriter cucurrerunt. Tunc Dacianus Iudex Sanctos Dei, primò Valentiam protrahi præcipit deinde B. Antistitem in exilium missit. *Lect. II.*
PERACTIS itaque septem annis B. Antistes ab exilio reuersus Cæsaraugustam vrbem ingressus est. Mox vt eius aduentus Daciano perfido innotuit, insania repletus Romam Dei Virũ, Diocletiano, & Maximiano misit; vt ipsi Imperatores Romani eum iudicarent, & diuersis pœnis, & tormentis punirent. *Lect. III.*
QVI cùm illum adspicerent, & Christianum innotescerent, protinus corrigiis plumbatis, & baculis durissimis eum verberauerunt, & in exilio cum aliis Christianis Vienam vrbem Galliarum miserunt; vnde ab ipso Principe Vienæ ad custodiendum gregum ouilia inter Valentiam scilicet vrbem, & Vienam, supra Rhodanum missus est. *Lect. IV.*
QVI ibi trium annorum spatio moram fecit, & omnes pœnè per viam illam transeuntes, cunctósque patriotas ad Christi fidem conuertit sua prædicatione; imò quatuor millia hominum sanctæ regenerationis lauacro baptizauit. *Lect. V.*
QVOD cum Princeps animaduerteret, & cuncti pœnè per regionem illam ab Idolis cessarent, & Ecclesias fabricarent, nimio furore repletus, in quadam arbore, valdè celsa illum in Crucis modum suspendit, & post dies septem, illum Christi nomen sine metu prædicantem, viuum in eodem loco sepeliuit. *Lect. VI.*

Hæc acta ad literam exscripsit Chiffletius, licèt referat eadem desumpsisse ex peruetusto Breuiario Burgundico, & contulisse cum alio M S. Markethensi, quod si verum est, omnes isti Codices aut nostrum Breuiarium Hispalense viderunt, aut ex illo transcripta illic sunt acta. Istam secundam sententiam sequitur Flau. Dext. d. num. 2. *Vienæ* (non Vrenæ) vt perperam mutata litera *i*, in *r*, in omnibus impressis) *patitur* Valerius *Episcopus Cæsaraugustanus*; *X. die Ianuarij, relinquens posteris constantiæ exemplum.* Item in M S. Florar. peruestuto, sic: *Item* S. Valerij *Episcopi, & Martyris. Hic B. Vincentium Leuitam ad omne opus bonum aptauit, cum quo apud Cæsaraugustanam Ciuitatem martyrium tolerat, anno salutis CCCV.* Item Martyrolog. Monast. S. Maxim. Treueriens. sic: *In Hispania Ciuitate Valentia passio* S. Valerij *Episcopi, & Vincentij Diaconi, & Martyris, qui passi sunt sub Daciano Præside.* Quod etiam comprobatur ex peruestuta prosa in antiquo Breuiario apud Bollandum, hisce carminibus. Carill. fol. 145.

Christi Miles ad fidei non tardus præconia,
Haud expauit Daciani Præsidis supplicia,

Christum Deum in ipsius confitens præsentia:
Vnde potens, & præclarus in cœlesti Curia
Ab obsessis Corporibus eiicit Dæmonia.
Pontificem reuelauit sepultum ad ostia:
Quamplurimus captiuatis præbuit auxilia:
Languentibus, & ægrotis contulit remedia:
Ipsum ergo deprecemur, vt sua clementia
Nos commendet Deo, eius redundante gratia.

Omnes enim Aragoniæ scriptores sequuntur sententiam primam, quæ lectionibus Breuiarij Cæsaraugustani, & Compostellani innititur, sic Didac. de Ynsa Hist. Oscens. lib 2. cap. 13. D. Mart. Carrill. Hist. S. Valer cap. 11. P. Morill. Hist Cæsaraug 1. p. c. 22. fol. 198. Ludouic. Lop. Hist. Eccles. Cæsaraug 2. p. c 8. fol 3 D Vincent. Blasc de Ianuza in Peristeph. Aragon. lib. 1. fol. 7. vbi postquam de S. Vincentio egisset, subiungit:

Inde Valere Pater, Præsul, Venerande Sacerdos.
Vrbem qui Augustam, rebus, bellisque potentem,
Qui ingenio validas gentes, armisque feroces
Docturus sumpsisti onus, & dignissimus vrbis
Pastor eras nostræ, cùm iam admiranda senectus
Tunc senio curuata grauis, certamen obire
Nomine pro Christi Domini; sufferre dolores
Martyrij voluit (socio discriminis huius
Leuita forti) quæ tempta, vt debilis, exul
Mittitur ad gentes cæcas; Pietásque nefando
Pellitur exilio. Præsul de finibus actus
Saldubæ, montes repetit, syluasque latentes
Permeat. Et veniens nebulosi ad fluminis oras,
Lætatus puris lucenti gurgite lymphis,
Contentus recubans viridi super aggere ripæ,
Diuertebat apud superos, languebat amore
Cœlesti totus, diuinas pectore gestans
Flammas, & sacros modulatus vocibus hymnos,
Anetum coluit, Cincæquè rapacis arenas.
Hic vbi cœlestes moriens in pace triumphos,
Post clades tantas, post totque tyrannidis iras
Inuenit sublimi sede beandus Olympi.

In tanta ergo dissidentium Doctorum differentia, quid dicendum? Fortè concordiæ trophæa hasce discrepantes sedauit sententias. Ansam præbeat Cardinal. Baron. in not. ad Martyrolog Rom. die 11. Ianuarij, qui in simili congressu se pacificat rem præbuit dicens: *Illi enim* (Primi Ecclesiæ Patres) *neminem confessorem appellabant, nisi eum, qui Christi fidem interpellatus, coram hostibus confessus esset. Si vero aliquod genus tormentorum esset expertus, nec tamen martyrio occubuisset, tunc & Martyr vocatus; idemque aliquando etiam dictus reperitur Confessor, quod scilicet*

nondum martyrium consummasset. Hunc locum illustrare par erit duobus B. Paulini Carminibus, à nemine adductis; qui loquens de Sancto Felice Presbytero Nolano Confessore, ex regula Baronij; iam Martyrem iam Confessorem compellat, sic in Carm. I. Natal.

Inclyte Confessor, *meritis, & nomine* FELIX,
Qui Dominum Christum constanti voce professus,
Contemnendo truces meruisti euadere pœnas,
Deuotamque animam tormenta per omnia Christo,
Sponte tua iussus laxatis reddere membris,
Liquisti vacuos rabidis lictoribus artus,
Vectus in æthereum sine sanguine Martyr *honorem.*

Eadem fere repetit in Natali III. fol. 538. in editione Frontonis Ducæi, & Heriberti Rosuveidi Antuerp. ann. 1622. typis Plantinianis, sic:

Venit festa dies cœlo, celeberrima terris,
Natalem Felicis agens, qua corpore terris,
Occidit, & Christo superis est natus in astris;
Cœlestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obiit.

En promiscuè vtitur S. Paulinus vtraque voce. Quid ergo mirum si in S. Valerio eadem sit vsus alternatione scriptorum varietas? Huic concordiæ tantum refragatur opinio Dextri, Breuiarij Hispalensis, P. Chifflet, & aliorum, dicentium occubuisse in ipso martyrij agone, dum viuus adhuc à Principe Viennensi sepultus fuit, cui satisfacere nec audeo propter authoritatem Dextri, Breuiarij Isidoriani, Hispalensis, & aliorum, ideoque huic opinioni potius adhæreo. Nec obstabunt Breuiaria, & Aragonum Historiæ quia similiter accidit in S S. Torquato & aliis S. Iacobi Discipulis, quos Breuiaria, & Chronologiæ, Historiæque vetustiores Confessorum titulo condecorabant, & nunc eorum explosa sententia inter martyrum purpurata Sanctissimos primæ fidei Apostolos agmina fatemur.

His itaque dispositis, venio ad actorum ex Breuiario Hispalensi elucidationem. In quibus *PRIMO de Prosapia* inquirendum est. Eum ex Romana Valeriorum fuisse auctor est Noster Prudent. in περιστεφ. sic:

Inde Vincenti tua palma nata est
Clerus hinc tantum peperit triumphum:
Hinc Sacerdotum domus infulata
Valeriorum.

Clariùs Noster Iulian. Archipresbyt. Tolet Aduersar n. 522. loquens de altero Valerio his verbis: *S. Valerius ex genere Romanorum, præcipuè ex gente C. Valerij Arabini Bergidensis Flaminis, tempore Traiani Imperatoris, mirificè, vita, literisque floret.* Deinceps num. 523. prosequitur, sic: *Ex eadem stirpe S. Valerius Cæsaraugustanus Pontifex.* Quo venit illustranda inscriptio in marmoris basi, in statuæ erectione, apud Tarraconem vrbem Hispaniæ Citerioris principem, cuius epigraphe apud fere omnes antiquarios refertur, vt videre est in collectis ab Ocone, Scotho, Moralio, & Grut. fol. 478. num. 2.

C. VALERIO ARABINO
FLAVIANI. F. BERGIDENSI.

OMNIB. HONORIB. IN R. P. S.
FVNCT. SACERDOTI ROM.
ET AVG. P. H. C. OB CVRAM.
TABVLARI CENSVALIS. FIDEL.
ADMINIST. STATTVAM. INTER
VIROS FLAMINALES
POSITAM. EXORNAND.
VNIVERS. CENSVER.

Bergedensi legendum est, non BERGEDOF. vt in Grutero male appingitur, vt ex Iuliano patet, & Ortelio, qui in Thes. Geograph. agens de vrbe *Bergido*, sic in antiquo marmore Tarracone inuisitur. *Domus Valeriorum* quantæ fuerit antiquitatis & nobilitatis, qui ab exordio inquirere desiderat, adeat Fulu. Vrsin. in Roman. famil. fol. 266. vbi eorum numismata duabus tabulis delineata producit. Panuin. de nomin. antiq. cap. 6. Richardum Streinnium in stemmat. famil. & Gent. Roman. titulo de Gente Valeria, aut Valesia fol. 33.

SECVNDO de patria nulla disceptatio est, licet D. Martinus Garsia Episcop. Barcinonens. sermon. 150. dixerit fuisse Græcum, & perperam, quia contrarium apud omnes Hispaniæ Historiographos, & Breuiaria reperies. Cæsaraugustanum, & Compostellanum lect. 4. sic: *Et pietate, & doctrina valens insignis* VALERIVS *ex Consulari Valeriorum turba, teste Prudentio*, CÆSARAVGVSTÆ *ortus est.* His adhærent Hispalense, Placentinum, & alia. Nec extra prædictum Episcopum vllus tale dixit Scriptor, quin potius, concors opinio est, Ortum fuisse Valerium ex ipsamet Cæsaraugustana vrbe, ibidémque primos doctrinæ manipulos collegisse, vt ex Lectione Breuiarij Hispalensis colligitur.

TERTIO de loco, vbi delituit exul S. Valerius, anceps controuersia est. Pro communi recipitur illorum sententia, qui apud ANETVM, seu ENETVM delituisse ferunt, sic prædictæ Lectionis 6. Breuiar. Cæsaraug. & Compostell. ecphrasis: *Cæterum Valerius* ANETVM *oppidulum sibi ad habitandum deligens.* D. Vincent. Blasco de Lanuza in περιφρ. Aragon. fol. 8.

ANETVM *coluit*, CINGA *que rapacis, arenas.*

Nec huic opinioni aduersatur relatio Breuiarij Hispalensis, quia illic sub silentio locus exilij remansit, quo supposito, & quod ibi asseritur, quod *Peractis septem annis B. Antistes ab exilio reuersus, Cæsaraugustam vrbem ingressus est.* quis negabit, quod hunc septem annorum numerum expleuerit exul in Anet? Postquam nouiter comprehensus, & Romam missus, pro secundo exilij loco Viennam incoluerit, ibidémque martyrio coronatus, quieuerit? Nulla erit oppositionis historialis ratio, quæ prædictam opinionem destruat. D Mart. Carillo Hist. S. Valer. cap. 8. credit, quod *Ex prædiis Ruzafæ* (erant in Valentiæ suburbanis) *ad montem Ripacurtiæ abiit, ac domicilium* ENETI *fixit.* Cardinal. Xauerr. in Relat ad Philipp. II. eadem verba compulsat, sic: *Proscripto post ab eo* (Daciano) *Valerius Enetum venit, hic degit singulari vitæ sanctitate annis XIV. atque intellecta S. Vincentij morte Basilicam isthinc eius honori erexit.* Quorum opinionem sequuntur Ambros. de Moral lib. 10. cap. 7. Villeg. in flor. SS. Hisp. 29. Ian. Padill. Hist. Eccles. Hisp. cent. 4. tom. 1. cap. 8. & omnes Aragon. scriptores. attamen non ex hoc contràitur relationi Lectionum Hispalensium, nam, vt dixi, hæc ab istis relata euenire potuerunt tempore septem annorum, quos transegisse in exilio ab ipsis lectionibus refertur. Maiorem agnosco difficultatem in opinione à Stephano Garibayo relata in Compend Histor Hispan lib. 7. cap. 44. vbi agens de S. Valerio Cæsaraugustano compaginat historiam communem ex Breuiariis, & Chronicis Aragoniæ, pòstque prosequitur, quod apud Cantabros constans fuit, adestque immemorialis fama, S. Valerium in ipsorum terminos exulem delituisse, ibidemque ad vsque ipsius transitum intra eorum Oppidi *Mondragon* seu *Arrasate*, ad situm, qui vocatur *Zaraa*, seu *Aqueegui*, vitam peregisse. In cuius confirmationem, antiquum MS. codicem à nescio quo Episcopo Cæsaraugustano

no exaratum, ex Presbyteri cuiusdam relatione perlectum adducit; similiterque templum peruetustum nostro S. Valerio dicatum, Confratriam, communem populorum assensum, singularem oppidanorum deuotionem, miraculorum frequentiam & cuiusdam marmoris perantiquam inscriptionem, in cuius litteris aliqua de huiusmodi S. Valerij apud illos delitescentia adhuc inuisebantur vestigia. Quibus circunstantiis subnixi Cantabri illius regionis proculdubio, illam fuisse exilij S. Pontificis metam contendunt. Quæ si vera sunt, satisque mihi in illis fidei est, adhuc tenacius insisto in veritate ecphrasis Lectionum Hispalensium. Ratio est quia, vt Aragoniæ scriptores, vt fortissimam Garibay narrationem euacuent, referunt, S. Antistem non solum Ripacurtiæ terminos, sed etiam alios perlustrasse, sic Cantabros inuisere pouerit, ita sine dubio potuit & Viennam peruenire, aut secundo exilio instante, aut voluntario fidei ratione cogente. Quo in concordiam vterque scriptorum dissensionis redducitur apex. *Ex quibus* veniunt corrigendi *Codices impressi*, *& aliquot M S.* Lucij Flaaui Dextri, in quibus pro VIENA reposuerunt corrupte VRENA. Cuius vocis error facile contrahitur ex littera *r*, quæ in antiquioribus amanuensibus ferè sæpius hoc firmabatur caractere *s*, & adhuc inter nonnullos persistit ideoque cum dictionem excriptam inuenissent *Vienam*, vel *Viena*, legere, vt exscripsere *Vrena*, pro *Viena*, permutata lit. *i*, in *r*. Quod facilè potuit euenire.

QVARTO hîc dubitant scriptores *an hic S. Pontifex interfuerit Concilio Illiberitano?* in cuiusmodi solutione, Oedippo fit coniectore opus agnosco, tantis enim hæc inuoluitur griphiis resolutio. Sed quia hæc quæstio non est huius instituti, ideo, qui plura de hoc voluerit adeat Baron. tom. 1. Annal. Eccles. ann. 305. Loays. in collect. Concil. Hispan. fol. 6. Illesc. Histor. Pont. lib. 2. cap. 1. Ambros. de Moral. lib. 10. cap. 31. Vass. in chron. ann. 338. Escolan. Hist. Valent. tom. 1. decad. 1. lib. 2. cap. 4. D. Fernand. de Mend. in not. ad Concil. Iliberit. lib. 1. cap. 2. D. Martin. Carill. Hist. S. Valer. cap. 15. Apud quos pro affirmatiua contendunt opinione, quod & probant Carmina S. Marci Maximi ipsius S. Præsulis successoris in Elegia ad S. Vincentium Archilæuitam S. Valerij, sic:

Inque Illiberitano das maxima cœtu
Signa tui infracti pectoris, & fidei.
Testis es ô Valeri genitor fortißime, tanti
Pectoris. hoc socio prælia nonne subis?

QVINTO de anno, quo vitam exuit etiam dissensio est. Aragonensium opinio inualuit, asserentium euenisse anno CCCXV. vt ex Breuiar. Cæsaraug. & Compostell. supra cognoscitur. Alij ad annum CCC. accidisse. Ego cum Carrillo, & aliis conuenio.

ANETVM, siue ENETVM, quo primò S. Valerius delituit, adhuc perseuerat vicus exiguus, leuca vna distans Barbastro, Rotam versus ad Cingam flumen appositus, vt affirmant Carillo, Moral. lib. 10. c. 7. Mariet. d. lib. 5. c. 23. Padill. cent. 4. c. 8. Biu. ad Dextr. dict. num. 2.

VIENA Ciuitas Archiepiscopalis Galliæ Narbonensis ad Rhodanum flumen, hodie Gallis suo idiomate VIENNE, à Nostris, & Italis Viena. Antiquitus nobilissima fuit Allobrogum Metropolis, inter montem, qui illi imminet, & flumen constituta. In eius ambitu adhuc nonnulla antiquitatis vestigia visuntur. De ea meminere Ptolom. Tacit. Iul. Cæs. lib 6. Belli-Gallic. Colonia Senatoria aliquando vocitatur, quod ibi habuerint Romani V. Legiones Præsidiarios, quarum singulæ, singula occupauere propugnacula. Ager circum situs, vino, frumentóque fertilis: vnde Cæsar suo tempore granaria sua, & cellaria constituit: nec non L. Munatius Plancus eum locum præaliis elegit, teste Ciceron. lib. 10. ad famil. Ep. 9. ad quem sic scribit: *Exercitum ad VI. Kalend. Maias Rhodanum traieci; magnis itineribus Viennam equites mille via breuiore præmisi.* Abraham. Golnitzius in suo Vliss. Belgico-Gall. fol. 443. loquens de hac antiquissima vrbe, circa ipsius conditorem, ista præmittit: *Vrbis* (Viennæ) *structorem, sed ridiculè, magis quàm accuratè, ferunt quendam*

Venerium Afrum, qui vrbem biennio à se structam BIENNAM nominarit.

In huius vrbis territorio ad spatium VI.mill.adhuc permanet oppidum, cui titulus S.VALERII, vt refert ipse Abraham Gelnitz. fol. 451. hisce verbis: *A prandio sinistrorsum conspiciebamus editiore loco S.Romans; inde S.Ramberti vicum II. Mill. & oppidum* S. VALERI *II.Mill. habuimus, vbi pernoctare duximus, au Lion d'or.* Fortè temerè iudicabitur, si coniectetur hoc oppidum, nomen retinere ex antiquo S.Valerij exilio? Docti iudicent, nam quid euacuet hoc meum iudicium, haud inuenio. In rebus dubiis, quæ necdum integram adeptæ sunt censuram, vix me accuratum iudicem agnosco. Ideo vnusquisque in suo sensu abundet.

CÆSARAVGVSTA. De eius nominibus aliquid diximus IV. Nonas huius Mensis, in quo Saldubam à Salis fodinis dictam aliquorum authoritate monstrauimus. In quorum confirmationem, hæc D.Vincentij Blasco de Lanuza in Peristeph. Aragonensium lib. 1. fol. 4. referre carmina cupio.

Hesperiæ populis (pars non ingloria quondam)
Vrbs antiqua fuit; multo quàm prisca vetustas
A Sale SALDVBAM *dixit. Nam terra salinas*
Ingentes habet, & puri, salsique saporis
Excelsos montes, & saxa minantia ventis,
Verticéque astrigero summos lambentia cœlos.
Cæsaris Augustam nostri dixere deinceps:
Augustus quoniam muris, & honoribus illam
Cinxerat, & nostræ fortunæ Principis huius
Auspiciis, donisque fuere insigniter aucta:
Quod nobis veluti mensi noménque, decusque
Et pacem, requiémque dedit, ciuilia bella
Concutiens, gladios vertens in vomera sauos.

Hactenus Lanuza, & Nos de Cæsaraugusta hactenus. Quæ cùm tot Sanctorum agmina in hoc Ecclesiæ Hispanicæ agro inducat fertili celebranda, etiamsi vberiores antiquitatis, & eruditionis efferat flosculos, maiora sanctitatis in Martyribus, & Confessoribus suppetunt floreta.

S. GVNDISALVVS de Amarante. Celebris apud Portugallenses annuatur festiuitas S.Gundisalui de Amarante, de quo eorum Martyrologium hoc die, hisce verbis lætabundis aggreditur suo idiomate: *Na vila de Amarante* S. Gonsaluo *Confesor, natural de Tagilde lugar dentre Douro, & Minho, oqual depois de visitar con muita deuocaon os lugares Santos de Ierusalem, e de Roma, tomando ò abito de Saom Domingos empregou a vida em oubras santas, e do proueyto do proximo.* Quod latine sonat: *In Oppido Amarante S.Gundisalui Confessoris, ex vico Tagilde oriundi, inter Durium, & Minium, sito: qui perlustratis sacris Ierosolymæ, & Romæ magna pietate locis, habitum S.Dominici induit, quo vita reliquum sanctis operibus, & in proximorum procuranda salute prouidus impendit.* Philipp. Ferrar. in General. Catal. SS. hoc die, sic: *Vimarani* (Amaranti potius, etsi vtrumque oppidum pareat Archiepiscopo Braccarensi, de cuius diœcesi vnumquodque est) *in Lusitania S. Gonzali Presbyteri Ordinis Prædicatorum.* P. Anton. Vasconcel. in descript. Lusitan. pluribus in locis. P. Hieron. Rom. de la Higuer. in Mart Hispan. Georg. Cardos. in officiis. SS. Portugall. Anton. Senens. in Chron Prædic. ad ann. 1250. Cochet. c. 25 & 29. Fern. del Cast. Histor. Prædicat. 1. p. lib. 2. cap. 60. Mariet. Hist. SS. Hisp. cap. 1. lib. 12. Didac. de Rossar. in eius vita Portugallico sermone conscripta iussu D.F.D. Bartholomæi à Martyribus Archiepiscopi Braccarensis, quam latinè reddidit Stephan. de S. Payo anno 1586. D. Roder. de Acuña Hist. Braccar. tom. 2. c. 32. Bolland. in Act. SS. tom. 1. fol. 640. Ex quibus per epitomam hoc compagino florarium.

GVNDISALVVS ex Parentibus claris apud Tagilde oppidum, Parœciæ Sancti Saluatoris, non longè à flumine Viscella, qui in eadem regione per Cininiæ radices, semper labitur nebulosus, ortus agnoscitur. Imminente ergo die, quo natus puerulus pro suscipiendo regenerationis lauacro, & vt nouum hominem indueret in Ecclesiam esset deportandus, concursus populi (vt moris est) illico lætabundus accessit. Pergit ergo in Parœciam comitantium caterua, & eo momento, in quo per sanctum baptisma fuit renouatus, futuræ sanctitatis, Deo auspice indicia miraculum demonstrauit. Nam vix è fonte extractus, nutricique traditus (vt lactis dulcedo præteritæ submersionis, & gutulas desecaret, & lachrymas extergeret) inque brachiis nouæ altricis insideret, credentes, qui aderant illico Gundisaluum (hoc nomine ex Patris nomine fuit insignitus) mammillas nutricis sucturum, vagituum, & singultuum temperantiam illo spectantes fomite, in aliud admirationis, & stuporis prodigium deuenere. Quia lactis oblitus, & lamenti, vbera respuens, siccis subitò ocellis, & versus quamdam Christi crucifixi imaginem defixis, tenera brachiola ad idem cœleste obiectum inenarrabili iubilo protendebat. Quo signo se crucifixi effigiem amplexari velle insinuabat, ex quo apud omnes admiratio concreuit. Pòst successiuo labente temporis cursu fugaci, quotiescumque in prædictam Ecclesiam nutrix cum puerulo, sacrum audiendi, aut orandi affectu conscendere frequentabat, in ingressu protinus Basilicæ, diuino instinctus motu, Gundisaluus, totam perlustrando sacram domum, supra memoratam Christi passi imaginem solicitè quæritabat. Qua inuisa, quietè in eam oculis infixis animum, & vlulatum votiua circunspectione litabat. Sic ergo adstabat perfunctoriè imaginem intuens, instantibus ocellis, vt si tentandi gratia, aut recedendi proposito, nutrix sua illum ab eo spectaculo abstrahere niteretur, tali protinus renitendo distractioni cœlesti, vel actioni tàm incessabili quiritabat eiulatu, tamque impensè, quod altrix victa subsistens, prodigium hoc non sine magna animaduersione conspiciebat. His, & aliis præsagiis, bona indole, & futuræ pietatis præuiis auguriis Parentes Deo consecrare decreuerunt. Ætate iam vsum rationis admittente Gundisaluum cuidam probatæ vitæ Sacerdoti literis, & bonis moribus imbuendum manciparunt. Hunc deuotus puer nactus præceptorem, indies se Deo, & hominibus magis reddebat amabilem. Postquam verò in prædictis, ab eodem Presbytero mediocriter edoctus fuit; ad altiora charismata promouere cupientes, illum Archiepiscopo Braccarensi (sub cuius districtu, & ditione morabantur) solliciti Parentes eius consultissimè præsentarunt. Qui in tanti Præsulis aula sacra, ingenuis, liberalibúsque disciplinis dilectus puer Grandisaluus perfectiùs excultus, ad Sacerdotij gradum (quod impensè cupiebant) dignè posse promoueri credidere. Episcopus verò iuuenem vultu, & verbis cordatum, modestúmque inspiciens, lubenti animo in suorum familiarium, collegium excepit. Illic aliquot annis vitam, donec ad illos à sacris canonibus, vt sacris possit initiari, expetitos peruenit, agens, & non minus moribus, & vita, quàm literaria disciplina idoneus, tanto muneri obeundo effectus, ad sacerdotalem gradum, instante Sancto Præsule fuit promotus. Nec multo pòst tempore in Abbatiam Ecclesiæ S. Pelagij solo vicinam paterno dignus iudicatus fuit, qui tanquam lucerna supra candelabrum reponeretur, sui Episcopi electione, & iniuncto præcepto fuit confirmatus. Suscepit licet reluctanter onus impositum, & accepta Domini benedictione in patriam pergit, vbi ad virtutis apicem, verbo & exemplo suis præeundo altissimum omnium charismatum culmen adinuenit. Exhinc frugalis, castus,

liberalis

liberalis erga pauperes, omnibus charus, & amabilis erat. Hoc vitæ genere instituto, & à se præscripto, quotidie meditabatur mysteria passionis Christi, & taliter in eorum deuotionis affectu contemplationem ferebatur, vt inuisendi loca sacra desiderio angeretur, & electo in Vicarium Nepote habili, & tunc pio, quem piis monitis instruxit, vilibus indutus vestibus, vt peregrinum decebat virum, est desideratum iter aggressus. B. Gonsaluus (Deo votis suis aspirante) à multis in via primo ereptus periculis, peregrinationem suam vsque ad Ierosolymam feliciter perfecit. Vbi diuina transportatus dulcedine, multis effusis lachrymis sacra illa passionis Christi loca osculari saucius, & sitiens non satiabatur, atque immotis oculis deuotionis ardore intueri. Quo cordis oblectamento illis nostræ redemptionis locis adhærens, tanquam dies, quæ non præteriit, illinc quatuordecim annos exegit. Quibus transactis, anxiam cœpit mentem persentire, conscientiæ acuto morsu illius intellectum cruciante, & dubitare cogente, vtrum ne fidelem in Ecclesia Vicarium, & dispensatorem reliquerit. Quo remorsus conscientiæ stimulo, non vltra adquiescens in corde suo, totius terræ Sanctæ sacris locis vltimatè salutatis, quanta cum celeritate potuit, oues suas reuisurus discessit.

Emensis igitur iterum longissimis illis itineribus, inedia, & labore confectus, lassa, consumptàque membra scipione quodam sustinens, totus pannosus, & in alium iam transmutatus virum, ad valuas tandem Ecclesiæ suæ sospes peruenit. Ibi positus cum nihil minus, quàm antiquam illius Ecclesiæ Abbatis speciem, omnino incognitus præ se ferret, ad domum sui Vicarij (iste post Abbatis patrui discessum, monitionis auunculi oblitus, deliciis allectus, longe diuersam ingressus erat, viam, nam vanitatibus, pompis, faustis, conuiuiis, ludis, venationibus, & spurcitiis deditus Officium pastorale in lupi rapacis naturam conuerterat, & quod est peius, nam falsò B. Gundisalui morte iactata, per testimoniales litteras dolosè cōpositas ab Archiepiscopo his subdolis machinationibus Abbatiæ proprietatem adeptus erat) non longe distantem, eleemosynam, tentandi causa petiturus accessit. Canes verò venatici, quibus illius helluonis domus erat plena, petitionem, quam S. Peregrinus exponebat, antequam finiret, ferocibus, atque magnis editis latratibus interruperunt. Ille tamen iterum, atque iterum egestatem suam imbecilli voce proferebat. Quo facto irritati canes instantem iam ægrè ferentes, non solum acrioribus latratibus, sed morsibus illum denuò aggressi sunt; atque Christi egenum baculo sæpe sæpius interposito ab illis se defendere pro viribus procurantem, retrocedere, & à foribus discedere cogebant. Hac turgidus Nepos offensus pauperis incogniti præsentia (non enim illum peregrini clamores latebant, propter paruam inter vtrumque distantiam) per quendam famulum statim illinc discedere iussit, subiungens se egenis similibus eleemosynam erogare non consueuisse. His dimissus verbis B. Gonsalvus, sui adulterini Vicarij non sine magno dolore impietatem experimento cognoscens, zelo Dei in iram commutato, quin liberis verbis illum argueret se continere minime potuit. Atque de illo palam conquæstus, non talem se dicebat Pastorem, & Vicarium Ecclesiæ suæ reliquisse. Deinde sermone etiam non obscuro se manifestans, alta voce narrabat, quomodo illum Sanctis moribus potius instructum, cum magna fiducia Vicarium, non lupum Dominici gregis, instituisset. Non enim pro canibus alendis, sed pauperibus in illius potestatem reditus illius Abbatiæ tradidisse conquerebatur. Intentus illius querelis, atque diligenter omnia auscultans, ad mensam dapibus onustam impius mercenarius sedebat loco

Pastoris

Pastoris, quousque de Ecclesiæ vero Pastore illic existente verba percepit. Tunc enim iracundus à mensa exiliens, atque recta properans ad ostium domus, sanctum Auunculum suum, eodem baculo, quo illemet erat subnixus, acriter percussit. Patienter, & æquo animo S. Abbas has plagas, & verbera ab alumno suo inflicta, tulit. Sed tamen à paterna correctione minimè abstinendum sentiens, illum coram his verbis redarguit: *Nonne ego te ab incunabulis semper enutriui? Nonne honestis te instruxi disciplinis? Nonne mihi discedenti fidem dedisti, iuramento etiam superaddito, firmatam, de pauperum cura? & de frugalitate seruanda? Nonne semper me vidisti huius Ecclesiæ vectigalia pro maiori parte, egenis dare?* Hæc S. Viri libera reprehensio, non solum consobrini sui viscera non emolliuit, imò potius maioris iracundiæ fomitem ministrauit. Vnde recrudescente atræ bilis incendio Sanctum senem iteratò verberans, canes vt eum morsibus è foribus domus suæ arcerent, instanter prouocabat. Demum postquam eiectum iam pauperem peregrinum discedentem respexit, minacibus etiam verbis, atrocioris vindictæ cum à tergo insequutus est, si vltra super ea re verbum auderet proferre, non satis reputans illum sua spoliatum Ecclesia, verberibus affectum expellere. Illatis ergo huiuscemodi iniuriis Deo gratias agens Gundisaluus, & illi soli debite inseruire cupiens, de hisce temporalibus transitoriisque bonis nihil penitus cogitans, ac si nihil noui, aut mali contigisset sibi, Euangelicam doctrinam, in qua sufficienter erat instructus, & verbum Dei cum magno spiritus feruore, per totam illam regionem prædicare exorsus est. Vitæ illius sancta conuersatio, in tanta coram omnibus incepit esse veneratione, vt suo exemplo, & solida doctrina multos à perditionis tramite efficaciter reuocaret. Pòst aliquod verò temporis, piorum fidelium adiutus eleemosynis, Oratorium quoddam exiguum Deiparæ Virgini dicatum, in quodam inculto & aggresti pago, qui nunc Amarante dicitur iuxta flumen, quod Tamaca vocitatur, pro peregrinationis vitæ suæ refugio, & animi solatio erexit atque construxit. In hoc igitur paruo sacello, tanquam alter Paulus, aut Hilarion in inculta positus eremo, Deo, & Angelorum Reginæ continuo inseruiens, prædicationis officio circumcirca semper exercito, eremiticam, & Apostolicam, simul vitam traducebat. Hic cùm Dei voluntatem circa vitæ statum ieiuniis, orationibus, & deprecationibus exploraret à B. Deigenitrice responsum accepit huiusmodi: *Inter varios, & per totum orbem dispersos ordines, illum tibi ingrediendum elige, in quo officium mihi dicatum, audieris ab Angelica salutatione exordium, & conclusionem finalem sumere. Hanc ingredieris religionem, vt residuum vitæ tuæ, puro corde, sub illius obseruantiá, & obedientia Deo Altissimo offerens, optatum finem consequaris.* Quo oraculo, spiritu, alacribus singultibus, imbuto per totam illius Religionis metam, ordinem à B. Virgine designatum sedulus quæritauit. At cùm Vimarani Diœcesis Braccarensis apud Dominicanos Fratres pernoctandi causa, quadam die inopinatè elegisset hospitium, pulsata campana, vt seruitium vespertinum à Fratribus impleretur, vocationis suæ Gundisaluus diligens, & solicitus indagator, ad Ecclesiam accessit, quò preces horarias, quæ primum dicebantur de Domina, attentus deuote auscultauit. Et cùm eas Angelica salutatione inchoari primitus audisset, posteàque eodem themate finiri perspexit, ad eum se vocari ordinem intellexit. Cuius coniectationis euidentia, nocte illa etiam Angelica voce confirmatur; proindéque sequenti luce B. Petrum Gonsaluum cognomento Telmum illius Conuentus tunc Priorem conueniens habitum religionis ab eo humiliter

militer postulauit. At perspecta ipsius vitæ innocentia, matura ætate sanoque, ac deliberato consilio, illicò admissus, veste nouitiorum indutus, lubenti Fratrum animo receptus fuit. Primum annum conuersionis suæ ad religionem, quem probationis appellant, cum magnis suæ sanctitatis indiciis, cunctis Fratribus vnicè gratus, laudabiliter transegit. Facta professione, & licentia obtenta, iterum Amarantum ad Oratorium à se prope Tamacam constructum, reuertitur, vt populos illos verbi Dei solida egentes doctrina, perfectius illuminaret. Postquam vero ibidem existens, animarum saluti consilio, exhortatione, & sanctæ vitæ exemplo prouidè aliquando consuleret; propriis expertus est oculis, flumen illud, Tamaca dictum, cui suum oratorium vicinum erat barbaris, & incautis viatoribus in seipso submersis, repentinum multotiens esse sepulchrum. Namque loca vadosa, vel parua nauigia, fluminis transeundi causa intrantes rapido alluuiei aquarum impetu, aquis arrepti rustici peribant. Quapropter S. Gundisaluus proximorum vtramque salutem fraterno amore sitiens, de fabricando quodam ponte in illius mortiferi fluuij ripa cœpit cogitare. Dei primùm voluntate perspecta, vt ne tantæ molis fabricam inchoaret, absque Numinis assensu, ideoque Orationi persistens à Domino confortatus, & locum securiorem fabricæ, & promissum de erectione perpetua per Angelum præmissa recepit reuelatione. Quo gauisus euentu, protinus artifices conuocans, locum consignans, fundamenta iaciens, lapides ingentes non solum auellens, sed ipsemet solus ad structuram faciliter admouens breui tempore, miraculis continuis interuenientibus, opus mirificè perfecit. Illud(inter alia) relatione dignum censui; Nam cum aliquando pro victu cœmentariis, & lapicidis ministrando, sumptus necessarij B. Gundisaluo defuissent, precibus Deo effusis, tanta ipsius fluminis piscium ad eum confluxit multitudo, vt aquæ superficiem cooperire conarentur, ex quibus S. Vir necessariam foras extraxit summam, pro suis alendis opificibus, reliquos vero, benedictione illis impertita, in profundum pelagus relabi permisit, & præcepit. Quo miraculo vtebatur, quotiens necessarius victus pro artificibus deficiebat. Quam plurima in hac extructione pontis euenisse miracula referunt Scriptores à quibus poterit Lector ebibere, hic dicta sufficiant. Postquam vero laboribus multis attritus diù in vinea Domini laborauit, tempus opportunum instauit, quo illum (Deo ita misericorditer disponente) fatis cedere oporteret. Atque febri quadam graui correptus, diuinam hoc tempore meruit habere reuelationem, per quam certior est factus, se quam breuissimo tempore, deposita carnis sarcina, à vita mortali ad immortalem feliciter transiturum. Præuisa igitur ab illo instante, dormitione sua, Sanctissimam Dei genitricem Patronam suam instantissimè interpellans, rogabat, ne in tam tremendo agone principis tenebrarum territamentis perturbari, aut laqueis eius inescari se permitteret. Comperta ab omnibus illicò tunc S. Viri infirmitate, multa promiscuæ plebis turba, & inter reliquos, aliqui etiam ex suis consanguineis viri illum visitationis gratia in hac vltima ægritudine conuenerunt. Summo namque omnes afficiebantur dolore, tanto Patre, & Præceptore destitutos remansuros. Atque amarè flentes illius iam desiderio ante mortem affecti, voces doloris, & deuotionis plenas emittebant. Consolatus est illos tunc dulcibus verbis S. Dei famulus, atque spe etiam non contemnenda lactatos, maiora de illo post mortem veræ amicitiæ indicia expectare illis præcepit, quam in hoc mundo tunctenus erant experti. Sperabat enim se coram Altissimo filios, & deuotos suos efficacius posse

iuuare.

iuuare. Postera die sacrum Christi corpus,& verum,sub panis specie à socio suo illi oblatum summa cum deuotione sumpsit. Deinde appropinquante iam vltima transitus eius hora, clementissima Virgo MARIA Angelorum stipata exercitibus S. Gundisaluo visibiliter apparuit, vt eum, quem speciali semper fauore suo dignum fecerat, ab omni dæmonum illusione, salutis æternæ consequendæ dubitatione omni penitus exclusa, securum omnino redderet. Post hanc cælestem visionem, quæ antelucano tempore illi fuerat demonstrata,anima illa sanctissima à corporis carcere soluta cœlum penetrauit, IV. Idus Ianuarij circa annum Domini M. CC. LIX. Pontificatum Summum obtinente Alexandro IV.Rege Portugalliæ Alphonso III. Archiepiscopo Braccarense D.Martino Giraldez.

Eadem hora,qua Vir Dei spiritum exhalauit,per totum Amaranti oppidum vox quædam nemini ante,vel post cognita,sub hac verborum forma insonuit: *Surgite, & ad funebria S. Viri properate.* Ad hanc inusitatam vocem omnes festinanter (etiam ex propinquis vicis) à propriis domibus egredientes, mutuo se interrogabant, quo nam properare deberent. Nesciebant adhuc D.Gundisaluum in extremis esse positum. Cùm verò post disquisitionem factam,illum eadem hora à vita migrasse audirent, nullúmque alium è viuis tunc discessisse, ad Oratorium S.Patris omnes cateruatim confluxere. Ibi vero S.Gundisalui sacrum cadauer in syndone inuolutum in nuda palea decubantem intuentes,non sine lachrymis,debita veneratione iusta soluentes sepulturæ tradiderunt. Post vero quanta Deus per eius inuocationem miracula ostenderit longum esset recensere.

Acta breui compendio syncopata hæc sunt,prolixiora qui desiderat cum relatione miraculorum adeat idiomate Portugallensi P. F. Didacum del Rosario, Castellano P.Castillo & Marietam,Latino Stephanum de S.Payo,quorum scripta passim venalia, quilibet deuotus facilè comparabit.

Tantum (vt par est) hic de cultu S.Gundisalui tibi aliquid referam, quoque tempore eius publica inceperit veneratio, & vt referunt P. F. Didac. del Rosario à quo Sanpayo & alij,tempore Iulij III. Romani Pontificis qui B.Gundisaluum Sanctorum catalogo referre curauit, creditur D. Rodericum Pinheyro Episcopum Portuensem apud Portugallos, de eiusdem Summ. Pont. mandato disquisitionem de miraculis S.Viri fecit exactam, vbi quamplurima compulsasse memoriæ proditum est, Quibus collectis in forma processus,& ad Sedem Apostolicam remissis,& visis idem Iulius III. præuio sacri Collegij Cardinalium maturo consilio eundem S. Gundisaluum Amarantum Sanctorum albo adscribendum censuit, atque illius festum X. die Ianuarij in tota Lusitania,quæ Portugallia dicitur, solemniter celebrari permisit, instante Sebastiano I. Portugalliæ Rege.

Corpus Sancti Gundisalui quieuit in antiquo sacello,ab ipso extructo, donec anno M.CCCC. post illud celebre miraculum,quo Tamaca exundante pons à S.Viro seruatus est, instructum est templum, eius honori dicatum, ac Parœciæ Amarantinæ annexum.Demum Anno M.D.XL.Religiosis Dominicanis à Ioanne III.Portugalliæ Rege transcriptum: vbi deinceps erectum cum Augustiori Basilica, cœnobium est, luculento dotatum censu studio,& industria Hieronymi de Padilla, qui Ordini Prædicatorum in ea Prouincia præerat. Cuius sacrum sarcophagum ego inuisi Amaranti anno M.DC.XXXVII.dum ex patrio *Ilipensi* Municipio hodie *Calamea de la Serena* iter in Tudensem vrbem,vt seruitio *Illustrissimi D.ac D.mei D.Didaci de Arce Reynoso,* ipsius tunc vrbis Episcopi mancipater,agerem.Et post veneratos Sanctissimi Confessoris cineres,hoc illic octastichon inueni.

En proprios agnosco tuos Gonsalue penates;
En proprios veneror, pectore nudo,lares.

 Hic

Hic binas inter vicina cacumina rupes,
Erigis excelſi nobile Pontis onus.
Fœlix qui potuit prodigia iungere factis;
Vt nos fœlices orbe in vtroque fiat.
Apage nunc tuo cedant arcus Cæſaris alti
Ponti, quo nobis flumina, & aſtra patent.

TAGILDE. Oppidum eſt, in quo naſcitur S. Gundiſaluus, olim *Athanagilde* vocitatus, decuruata vox *Atagilde* ſonabat, poſt per ſyncopem ſublata prima litera *Tagilde* pronunciatur. Eius ſitum, diœceſim, & originem refert Roſend, ſic: *A Vimaranenſi* (hodie Guimarans) *ciuitate interſtitio XVI. M. P. hoc eſt leucarum ad noſtram rationem IV. Oppidum eſt* Athanagilde *Viſcellæ impoſitum*, Atagilde Luſitanè *vocatum, è regione oppidi S. Veriſſimi in altera fluuij ripa.* Deinde aliquot periodis interpoſitis proſequitur, ſic: *Fuerit ne* Athanagildi *id nomen à Gothorum Rege ſortitum, an aliam ob cauſam, adſeuerare modò non poſſum. Extant veſtigia quædam non contemnendæ antiquitatis, & ædes ſemidirutæ* Palatia *vulgo appellatæ, ſtructura planè Gothica, non Romana.* Hactenus Roſendius.

AMARANTVM. Hic venerantur ſacra B. Gundiſalui pignora, Oppidum ex multitudine aduenientium peregrinorum extructum, Meridionali fluminis Tamacæ cliuo erigitur, cum ad Septemtrionalem inſit fluuius, & monaſterium. Roſend. in Epiſt. ad Queuedum, ſic: *Tamacæ fluuij nomen, quod Luſitanum petis*, Tamaga *eſt. Oritur is amnis non procul à Monteregio Gallaciæ oppido, inde Aquas abluens Flauias, de quibus alibi*, Amarantum *deſcendit, mediámque ſecat, vt duplex oppidum efficiat, duplici foro, duplicíque iudicio, Ponte nobili lapideo à* Gundiſaluo *extructo, vtrinque iunctum. Idque eſt, quod in Hymno dicitur*

Nec capit duplex Amarantus amplas
Sæpe cateruas.

Quod quàm vere dictum ſit, linquere hinc poteſt, quod paucis ante diebus, quam hæc ad te ſcriberem certior factus ſum, ipſius dicato die IV. Idus Ianuar. ſupra XIV. Millia ſexus vtriuſque Amarantum ad S. Viri ſepulcrum conueniſſe. Quod credere non eſt ambigendum, nam hæc Portugallenſium pietas ad ſanctuaria viſitanda, tam à viſceribus innata eſt, vt cùm intra illius regionis circulos innumerabilia poſſideant, adhuc illis non contenti, celebriora Caſtellæ turmatim, choreis, ballitationibus, muſicis inſtrumentis, & canticis perluſtrent. De hoc teſtes ſunt Virginis ad Guadalupam illuſtre cœnobium, Chriſti crucifixi ad Calameam regale xenodochium, & alia innumera.

TRANSLATIO S. FIRMINI.] De hac feſtiuitate agemus infra Idibus Menſis huius, cuius erit proprius locus, vt ibidem referemus.

TERTIO

TERTIO IDVS IANVARII,

DIES XI.

A. *In Hispania natalis Sanctorum Agenti, Donati, Augustini, Saluij, Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Gemini, Pacij, Pausalini, Eugenij, Stephani, Morositi, Philonis, Felicitatis, Cyriaci, Ebiciarij, duorum sub nomine Castolij, & alij VII. qui vt fidem Christi seruarent, per dira tormenta Martyres inclyti ad coronæ trophæum peruenere.*

B. *Apud Rubricatam non procul à Barcinone Hispaniæ honorificè sacra conduntur lipsana S. Salvii Episcopi Ambianensis Martyris in Gallia, quæ veneratione debitâ, culta, ab antiquissimis temporibus quieuere.*

C. *In Monasterio S. Michaëlis de Cusano in territorio Helenensi Hispaniæ depositio B. Petri Vrseoli Ducis XXIII. Venetiæ, qui spretis huius sæculi honoribus, & humilitatem intra claustra quæritans religionis, S. Romualdo adhæsit, pòst Monasterium Cusanum adiens, cucullum induens, & vana mundi præstigia calcans, bonis plenus operibus stolam in cœlis candidam iucunditatis recepit.*

NOTÆ.

A SANCTI AGENTVS, & alij Martyres.] Nulla erat tantorum Martyrum apud nostros memoria. Eorum nomina, regionem, & martyrium; nobis absque aliis actis detulit B. Hieronymus in suo perueusto Martyrologio, à quo P. Ioann. Bolland. tom. 1. de Act. SS. hoc die, fol. 674. cuius verba transcribam, cum ab alio amplius exquirere, oleum erit, & operam perdere. *Martyrologium MS. S. Hieronymi.* In Hispanis *Agenti, Donati, Augustini, Saluij, Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pati, Pausalini, Eugenij, Stephani,* & aliorum XII. *In antiquo MS. Hibernico conuentus Dungallensis, quorundam ex illis mentio fit, nimirum* Augenti, Donati, Felicis, Pausalini, Eugenij; *nisi hic socius sit* SS Quincti, Ianuarij, Philoromi &c. *de quibus actum est. Aliquorum detrita nomina sunt.*

Adduntur SS. Philon, Felicitas, Cyriacus, Ebiciarius, Castolius, Morositus, item Castolius. *An hi ex duodecim illis sociis sunt, quorum Martyrologium S. Hieronymi reticet nomina? M S. Rhinouiense:* In Africa Felicis. *An hic est fortè, qui cum aliis in Hispania passus dicitur, & in alterutro loco mendum inest? Florarium SS. M S Carthus. Coloniens. in add. ad Vsuard. & Maurolyc. iisdem prorsus verbis:* Item Eugenij, & Felicitatis Martyrum. *Martyrologium Coloniense antiquum:* Eodem die S S. Eugenij, & Felicitatis Martyrum. *Hic fortè* Eugenius *aut qui supra inter Martyres Africanos, aut inter hos Hispanos recensetur.* Felicitas *seorsim celebratur in antiquissimis M SS. Kalendariis monasteriorum S. Maximini, & Epternacensis, quorum hoc annectitur M S. Martyrologio S. Hieronymi.* Hactenus P. Bollandus. Quo anno, quibúsue locis, an coniunctim, an separatim, sub silentio est. Fortè diuersis locis, & temporibus agonem compleuerunt, nam alius Donatus Concordiæ in Hispania die XVII Februarij, alius Presbyter, vt hic Carthagine Hispaniæ Kal. Martij. Adhuc si maiora quæris, Patrem luminum, vt ea tibi suppetat depreca, nam apud Scriptores nihil reperies Nostros, aut exteros.

B S. SALVIVS. Tres huius nominis fuere in Gallia Episcopi, I. Albigensis, qui X. Septembris. II. Ambianensis, qui hoc die, III. Engolismensis, qui XXVI. Iunij coluntur. Hos confundere scriptores censet Bollandus fol. 703. tom 1. Act. SS. hoc die. Nostrum tum Martyrem, tum Confessorem describunt. Pro confessore sunt acta à Bollando conscripta ex tribus veteribus MSS. & alia nonnulla, quæ ab ipso citantur. Pro Martyre adsunt Martyrol. Roman. h. d. sic: *Ambianis S. Saluij Episcopi, & Martyris.* Galesini, sic: *Ambiani S. Saluij Episcopi, & Martyris. Hic Chilperico Rege, multis virtutibus floruit, ac Dei gratia res plurimas mirabiliter gessit, cæcis oculorum, surdis aurium, sensum, claudis incessum restituit; sic omnis sanctitatis laude clarus à Vinegardo Ariano homine securi percussus est.* Petrus de Natalib. Catal. SS. lib. 2. c. 65. P. F. Anton. Vincent. Domenec. Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 19. refert S. Saluium Martyrem, & Episcopum Ambianensem adhuc Patroni titulo decoratur in territorio S. Michaëlis Clalladensis Diœcesis Gerundensis, qui acta ex Petro Equilino, & nonnulla ibidem gesta concinnat miracula. A quo & nos ea compaginabimus.

SALVIVS Episcopus Ambianensis in Gallia de territorio Auuernensi tempore Chilperici Regis claruit, qui S. Vir omnibus fidei Catholicæ aduersantibus resistebat. Sed cùm veniens Valentianas, per illius territorij vicos Dei præcepta, & eius euangelium ardentissimo proximi zelo fiducialiter prædicasset, à quodam Genhardo nobili Ciue ad prandium quadam die noscitur inuitatus. At cùm ad mensam nonnulla argentea pretiosaque fuissent inlata vasa, Vinegandus Genhardi filius illa expilare decreuit, & vt instituit, exequi fecit. Quibus sublatis agnoscens Genhardus, vt raptor inquiratur sedulo auaritiæ stimulo impellitur, sed à filio infido persuasus, vt Saluium in carcerem mancipet, illico S. Viri, & eius discipuli innocentiam increpat, & in angustum ipsos, vt rapinæ authores præcepit includere ergastulum. Quo facto, Venigandus ne tanti sceleris facinus propaletur, nocte superueniente in ipso carceris spelæo Sanctos Saluium, & ipsius Discipulum in Oratione existentes per quendam ipsius latrocinij conscium & socium fœdè fecit, crudeliterque iugulare, & ipsorum corpora latenter in armentorum stabulo sepeliri. Verum dum locum ipsum Taurus ingens sedulò custodiret, ne ab aliis animalibus pollueretur, & pollutum aliquando purgaret, nocte intermedia in duarum formam lampadarum sæpè sæpius super Sanctorum Martyrum corpora visibiliter lumen intuebatur. De quo quædam mulier testificans apud omnes illius territorij vicos ipsius mirabilis prodigij fama deuenit. At reuelante Domino horum corporum locum Carolo Magno Franciæ Rege trinoctium silentio, protinus Imperator missis Valentianas Sacerdotibus vt sancta extraherent lipsana imperitauit. Quæ inuenta, curruique apposita ad S. Vadasti templum dirigere conabantur; sed cùm multa boum iuga currui iunxissent, nec passum dimouere frustra est tentatum;

tatum; quousque duobus bobus solummodo appositis, & quo abire velint dimissis, Sanctorum pignora ad Ecclesiam S. Martini apud Valentianas fœliciter deduxerunt. Ibidem alacrioribus populi vocibus, & festiuis Clericorum laudibus honorabili fuere condita sarcophago. Tanti facinoris edax Vinigandi, & interfectoris conscientia culpam patefecit, & omnibus iussu Caroli exoculatis pœnas luere. Genhardus qui oculorum visum amiserat, donatis omnibus hæreditariis bonis S. Saluio, toto vitæ suæ tempore tumulo S. Martyris adhæsit pœnitens, & contritus. Vinigandus eius filius coram S. Viri theca genuflexus, & oculorum intuitum exposcens, protinus templi laquearia horrendo sonitu stridere cœperunt, quo ambitus strepitu commotus in S. Amandi cœnobium se recepit, vbi quovsque vixit peccati atrocitatem lachrymabatur. Vinegarus verò qui Sanctos transfodit ense, aliquod temporis iuxta tumulum manens pro visu quotidie Saluium lachrymabiliter deprecabatur, cuius suffragia humillima Deus agnoscens, S. Martyris intercessione vnius tantùm oculi lumen ei est impartitus. Quo recepto Beneficio, pecora S. Saluio oblata deinceps ad montem vsque Pastor vigilans custodiuit. Post) vt creditur) sacras S. Saluij glebas apud Rubricatam translatas fuisse nostrorum memoria fatetur. Quod verisimile creditur. Nam adhuc in territorio S. Michaëlis Cladellensi, diœcesis Gerundensis in magno S. Martyris festum pretio conseruatur, non sine magna Populorum frequentia, & mirabilium perpetratione. Creditur occisus S. Saluius 3. Id Ianuarij anno DCCC. I. Regnante Carolo Magno in Gallia, Summum Pontificatum obtinente Leone III. Pont. Max.

Quod S. Saluij pignora apud Rubricatam fuerint translata, nobis est author Luitprand. Aduersar. num. 62. his verbis: *S. Saluius Episcopus Ambianensis, & Martyr creditur translatus propè Barcinonem ad Monasterium quoddam propè Rubricatum vrbem, nunc Manresam dicunt.* Selectiora compaginauit miracula Cathaloniæ patrata Anton. Vincent. Domenec, qui nostrum Martyrem (vt totius regionis Patronum) ab vniuersa circumuicinorum Oppidanorum caterua reuereri, affirmat, licet non hac die, sed XXVI. Iunij in ipsius honorem compacta colitur festiuitas.

AMBIANI. Galliæ sunt Populi apud Ptolom. & Plin. lib. 4. cap. 17. Hodie AMIENS. apud Marl. & Gluuer. in Geograph. lib. 1. cap. 12. Mapa Mund. in descript. Gall. num. 69. Eorum meminit Marcellin. lib. 15. in Const. & Iul & lib. 27. in Valentin. & Valent. Iul. Cæs de Bell. Gal. lib. 1. in princip. & lib. 2. Iornand. & Regn. & Temp. success. lib. 1. M. Aurel. Cassiod. Lupicino, & Iouino COSS. Goltzius in vita Cæsar. fol. 11. lit. D. Lanou. in Chron. Minimor. Ann. 1498. num. 5. & 1599. num. 2. qui de vrbe, & populis plura cupit adeat Gallos, & Belgicos scriptores, in quibus ad amussim.

RVBRICATA. Hispaniæ Citerioris in Laletaniis sita ciuitas, vt ex Abrah. Ortel. in Tabula vet. Hispan. dignoscitur. Hodie ex Luitprando MANRESA, licèt Gerundensis, Florianus, & Beuter hanc Athanagiam vocitent, non Rubricatam, sed potius Luitprando deferendum est. Huius vrbis antiquitas ab origine Lybica constituitur à Gerundense in Paralip. Hispan. lib. 3. cap. fin. lin. 10. sic: *Rubricata autem vrbs, quæ apud Rubricatum amnem sita est; ad oram mediterraneam, non longe à Barchinone*, LYBICAM *habet originem.* Hieronym. Pus.ad. in Chron. Cathal. lib. 3. cap. 13. fol. 68. ex Petr. Ioann. Nunio hanc vrbem Rubricatam fuisse *Martorell* asserit, sed postea ab eo discedens, vicum, quem hodie (aliquas antiqui nominis retinentem literas) Rubi dicunt, fuisse coniectat. Ibidémque de ipsius vrbis excidio à Scipionibus decreto, & peracto longe disputat, quem videas, si libet.

B. PETRVS VRSEOLVS. Huius sanctissimi Confessoris, & Nobilissimi Principis memoriam aut *Beati* titulo, aut *Sancti* epitheto repetunt non solum Martyrologia, sed & Chronologi, vt infra patebit. Martyrolog. Monast. Vvion. h. d. his verbis: *In Vasconia Monasterio* S. Michaëlis de Cusano *depositio* S. Petri Vrseoli, *Di-*

ſcipuli S. Romualdi, & quondam Ducis Venetiarum. Hic Guarini Abbatis, & S. Romualdi exhortationibus Ducatum relinquens, in eodem S. Michaelis cœnobio habitum Monaſticum ſumpſit, in quo bonis operibus, & ieiuniis inſiſtens, clarus miraculis, ſub horam diei nonam migrauit ad Dominum. Hugo Menard. fere eadem verba; quæ à Dorganio repetita, & à Suaſſay paraphraſi exculta in hunc modum loquitur: *Hoc ipſo die in Aquitania depoſitio S. Petri, dicti Vrſeoli, diſcipuli S. Romualdi, & quondam Venetiarum Ducis. Qui Guarini Abbatis religioſiſſimi, & Sancti ipſius Romualdi exhortationibus Ducatum relinquens, atque in Gallias deliteſcendi deſiderio concedens, in eodem cœnobio habitum monaſticum ſumpſit: omnibus humilitatis, abſtinentiæ, patientiæ, & pietatis actibus, ad extremum vſque diem inſiſtens, miraculiſque etiam conſpicuus, præſentem cum æterna vita, ea ipſa hora, qua Chriſtus pro mundi ſalute Cruci affixus expirauerat, feliciter commutauit.* Philipp. Ferrar. in General. Cathalog. SS. ſic: *Cuſani in Diœceſi Hellenenſi. B. Petri Vrſeoli Ducis Venet:, ac poſtea Monachi Camaldulenſis.* Item in Topograph. SS. Ital. verbo: *Venetiæ.* Laudatur eius ſanctimonia à B. Petro Damiano in vita S. Romualdi cap. 6. 7. 8. & 9. apud Sur. tom. 6. die 19. Iunij, vbi Cornel. Graſſ. tom. 2. fol. 931. Kelner. Hiſtoria Ducum Venet. cap. 22. Franc. ſc. Sanſouuin. in deſcript. Venet. lib. 2. fol. 52. Et licet P. Bolland. de eius Sanctitatis titulo dubitet, ideóque inter ſuorum acta Sanctorum B. Petri amandauerit vitam, ego antiquorum veſtigiis adhærens ſu[i] iicere non dubitaui, tum propter B. Petri Damiani authoritatem, tum propter huiuſmodi fragmenti hiſtorici Ducum Venetiæ expreſſionem ab Vvione in Not. ad Martyrol. Monaſt. hoc die fol. 16. ſic idiomate antiquo Veneto: *Piero Orſeolo Doge XVI. del 976. meſo in Dogado in caſa ſua propria à San Filipo Iacomo, per eſſerſi abruſciato il Palazo, ha Dogado anni due, e giorni quindeci. Rifiuto el Dogado, e ando à chieza, e ſi fece Monaco, e viuete in ſantitade anni XIX. poi morte, e fu* Canonizato *per ſanto.* En Bollande. non mediocrem huius tituli ſignificationem; quæ indies aucta, vt apud Camaldulenſium Kalendaria deſcriberetur, effecit, & in Tabulis ipſius ordinis, vt refert Vvionis notula, qui circa hoc etiam refert Auguſtin. Florentin. lib. 1. cap. 8. poſter. part. Hiſtor. Camaldul. & in Comment. ad cap. 6. Vitæ S. Romualdi deſcriptæ à S. Petro Damian. M. Anton. Sabell. & Leandr. Albert. in deſcript. Vener. fol. 798. Flau. Blondus in Ital. illuſtrat. region. 8. verb. Venetiæ. fol. 372. Ex quibus omnibus hoc vitæ elogium compagino.

PETRVS VRSEOLVS ex nobiliſſimo Venetorum genere oriundus, de Vrſeolorum proſapia, quæ plurimos illi Regali Duces obtulit Reipublicæ. Cum ab infantia animum horridis armorum ſtragibus applicuiſſet, ſpiritus fortitudine vires intrepide demonſtrauit, & conſilij ſtrenuitate terminos prudenter expleuit. Sed ad pacis, & œconomicæ partis viam iamiam annorum numerus direxit, ideóque matrimonium cum Felicitate illuſtri Matrona contraxit, & ad Reipublicæ ſubuentionem pacificam properauit. Tunc Venetorum *Vitalis* alias *Petrus* Candianus Dux principatum obtinebat, qui in coniugium germanam Hugonis Magni Marchionis acceperat, & æmulatione Leuiri ſuadente, multos ex Longobardiæ, & Thuſciarum partibus milites, profligatis pecuniarum ſtipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum ciues non ferentes, clam inire conſilium, vt repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eúmque cum omni domo ſua in ore gladij abſque vlla retractatione necarent. Huius verò conuenticuli coniuratione comperta Vitalis (aliàs Petrus) Dux nocturnis, diurníſque vallatus excubiis, hoſtiles inſidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc, & alia tentantibus, ſed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem viſum eſt, vt domum noſtri Petri Vrſeoli, quæ Ducis palatio adiacebat contigua, prius incenderent, iſtóque modo, & Ducem caperent, & vniuerſa eius domeſtica concremarent. Iſtius verò rei expediendæ conſenſum à Petro Noſtro, qui totum conſilij particeps fuerat, flagitantes, ita inter ſe pacti ſunt,

vt

vt pro vna eius domo, quam igne consumerent, totam illius ditioni Venetiam subderent, & deiecto illo, quem exosum habebant, Ducem hunc loco eius protinus subrogarent. Quod vbi pactum in ipsas Petri ædes secundo ventorum flatu, ignem iniiciunt, quo breui non solùm ædes ipsæ, sed Ducarium, & D. Marci templum conflagrare cœperunt. Demum Candianum, filium amplexantem, inuenit Populi obstinata ferocitas, qui ad preces conuersus obsecrare cœpit, vt tantisper manus à cæde abstineret, vel si in eum sæuire omninò in animis esset, saltem infantem illum, qui per ætatem adhuc peccare non potuisset, seruatum vellet. Incassum eius fuere lachrymæ, quin ab omnibus fere acclamatum, impium Tyrannum, qui tot mala perpetrasset è Republica esse tollendum. Momentóque temporis, multis confossis vulneribus, cum infante filio fœdè trucidatus est. Post cuius interitum Petrus Noster in Beati Petri æde summo Populi consensu, omniúmque suffragiis Dux Venetiarum est illico inauguratus, Anno DCCCCC. LXXVI. Qui quamprimum omnes iuramento adstrinxit, neminem passuros, res nouas, aut seditionem aliquam aduersus supremam dignitatem, nec aliquid, quòd non è Republica esset moliri. Qui postea cum se in priuatas ædes contulisset, ad Ducarium instaurandum animum adiecit, quod aliquanto maiore apparatu, quàm antea fuisset, priuatis sumptibus erexit; & in fanum B. Marci iam reparatum, eiusdem Euangelistæ corpus, ab igne seruatum, reportandum curauit, Tabulam quoque ditissimam, illam, & artificiosissimam ex auro mirabili nobilitate gemmarum ornatam, quæ ab Constantinopoli delata tum erat, & in hodiernum vsque diem hic visitur, in aram templi summam collocauit. At cùm hoc tempore Sarraceni Italiam inuaderent, Capua occupata, BARVM Apuliæ vrbem, terra, maríque obsiderent Barensibus tritici inopia ad vltimum laborantibus, Vrseolus comparata classe, commeatu præbito, auxilio fuit. Verum cùm ob id ab obsidione Sarraceni non desisterent, Vrseoli ductu, ex Græcia auxiliari manu, classe aucta, maritimo prælio est cum hoste conflictum, quod Barbaris fusis, & fugatis maiorique ex parte occisis, inclytam victoriam Veneti peperere. Petrus verò cùm vnicum Filium ex Felicitate vxore accepisset, perpetuam castitatem cum coniuge ipsa Deo vouit. Interim ea integritate Principatum gessit, vt ad id vnum assumpsisse appareret, vt quam maximè Reipublicæ prodesset. Sed pacatum illius regiminis statum, pauci scelesti, & facinorosi illius Candiani ministri, & auctores non mediocriter perturbârunt, horum hortatu Vitalis Gradiensis Antistes, qui sub religionis specie à patre fuerat ablegatus, ad Othonem II. profectus, multa de infanda Genitoris nece conquestus, eum Veneto nomini non parum infestum reddidit. At cùm de populi commotionis, vrbis combustionis, & Ducis necis recordaretur, conscientiæ vix poterat stimulos interuertere, sícque à Deo continuis flagitabat obsecrationibus, vt vitæ semitam demonstraret, qua, expiato facinore ad æternam mereretur conscendere. Ergo Dominus qui Petrum in vitæ albo descripserat, sui prouidentia effecit, vt quidam venerabilis Abbas Guarinus nomine ex vlterioris Galliæ finibus Orationis gratia per diuersas mundi regiones fuisset solitus peregrinari, Venetiam adiens, Sanctissimum B. Marci corpus inuiseret. Hic ab Vrseolo, quoniam diuinarum rerum studiosus esset, & quod verius est, vt animæ vulneri medelam præberet, hospitaliter acceptus est, ab eóque est rogatus, vt sibi ad euadendum tanti reatus periculum, consilium propinaret. Guarinus accersitis SS. Martino, & Romualdo, hoc sibi communi iubetur

ſententia, vt ſæculum, ſimul cum ipſo (quem per nefas inuaſerat) Ducatu relinqueret: quia alienæ poteſtatis dominium ſubiugauerat. Sed cùm hæc fieri nec poſſent protinus abſque ſcandali permixtione, viſum fuit, vt quantocyus adimpleretur, arrepta rationabili euiſionis cautela. Abnuit Vrſeolus, extúncque ad pientiſſima quæque opera animum adiiciens, pauperum inopiam miro ſtudio ſubleuabat. Condidit ad hæc pium diuerſorium, quod prope D. Marci ædem, hodie quoque inuiſitur, licet à Siluestro del Bene inſtauratum hac inſcriptione:

ARAM. D. O. M. AC. D. MARCO EVANG. TVTEL. VRBIS ERECTA.
A PETRO VRSEOLO. VENECIAR. DVCI.
QVI PRINCIPATV DEPOSISO. VT SE TOT. RELIGION. DARET.
AC PRIVAT. ISTIS ÆDIB. SVIS PAVPERVM DIVERSORIO.
CONSTITVTIS. GVARINVM AQVITANVM. MONACHVM.
ROMVALDO. AC MARINO RAVENNAT. MONACH. COMIT.
VNA CVM GRADONICO. AC MAVROCENO GENER. SEQVVT.
ANNO DCCCCLXXVIII.
IN D. MICHAELIS DE CVSSANO MVLTIS
POST MORTEM MIRACVLIS CLARVIT.

Collegia etiam, clerum, religionémque omnem, mira charitate protexit. Vitalem Antiſtitem, eiúſque factionis auctores, res nouas quotidie molientem, mirabili patientia ſuſtinuit, eorúmque conatibus aduerſatus eſt. Igitur cùm iam pro abdicanda à ſe dignitate, & pro inſectanda Domini via, dies interpellaret, tutum putauit hoc vtendum eſſe conſilio. Imminebat tunc feſtiuitas cuiuſdam Martyris, cuius baſilica in proprio erigebatur prædiolo; illuc pridie vxorem ſuam præmiſit, ipſe quaſi mox ſecuturus, hoc ei præcipiens, vt & ornatum Eccleſiæ accuratiſſimum prouideret, & ſecum venientibus ſumptuoſas epularum delicias in craſtinum prępararet. Ipſe verò remanens, iis de theſauris, quæ ſibi videbantur, ablatis, cum quodam ſuo familiari, & genero Ioanne Gradenico, qui prædictæ coniurationis conſcius fuerat, & cum tribus illis Beatis Viris Guarino, Romualdo, & Marino nauem aſcendit, deinde in Galliam ad Monaſterium Abbatis Guarini aufugit. Mox in cœnobio S. Michaëlis de Cuſſano diœceſis Helenenſis in Cathalonia Hiſpaniæ, Petro & Ioanne Monachis factis, Marinus, & Romualdus non longè à Monaſterio degentes, ad ſingularem vitam, cui aſſueti fuerant reuertuntur. Ibidem noui conuerſi à mundi vanitatibus alienati, & in Dei placitum tantum oculos erigentes, vitæ illius incommoda tranſigebant; ſed cum Petrus, quia multis educari deliciis ſolitus fuerat, iam iam ſub tam diſtricti ieiunij pondere ſuccumberet, ſe ad pedes B. Romualdi humiliter ſtrauit. Iuſſus verò ſurgere, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit. *Pater* (inquit) *quia magnum corpus habeo pro peccatis meis ex hac paximacij medietate ſuſtentare me non poſſum.* Romualdus fragilitati piè compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximacij ſuperaddidit, & ſic labenti iam fratri, ne omninò deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum bene viuendi iter, quod cœperat, confirmauit. Sic in cœnobio S. Michaëlis aliquot egit annos inſignis Monachus, quem filius eius ſibi æquiuocus, Vir valdè, ſecundum ſæculum, prudens, huc viſitauit, cui inter alia, quæ ad virtutis normam, Dei cultum, & ſtatus grauamina conducentia dixerat, hæc, aut reuelationis myſterio, quæ ſibi eſſent euentura, prædixit, addens: *Noui Fili mi proculdubio, quia ducem te conſtituent, & proſperaberis:*

Tu

Tu tantummodo satage, vt & Ecclesiis Christi sua iura conserues, & erga subditos, alicuius amore, vel odio à iustitia non declines. Dictis acta euenere, nam filius (cui nomen etiam Petrus erat) ad Ducatus Venetiarum fastigium euectus est anno DCCCC. XCI. in cuius administratione taliter se gessit, vt res Venetæ, domi forisque prosperæ fuere, Respublicaque mirum in modum victoriis aucta concreuerit. Omnes enim Dei vigiliæ referuntur ad Regem, & Regnum, qui summo studio in eius cultu, & in iustitiæ obseruantia multum industriæ apponunt. Demum Petrus ita religiosè, & sancte vixisse dicitur, vt tunc sæculo moriens, & superis viuens, postea miraculis innumeris procedentibus, vtrobique euiuere dignoscatur. Eius ad hunc diem referunt obitum Scriptores, Anno Domini DCCCCXCVII. Cum in Ducatu vixisset II & in Monachatu XIX. Cuius effigies Venetiæ inuisitur hoc epigraphe

Ecclesiam S. Marci prior ædificaui, deinde; & Monachus factus, miracula plurima egi.

En *B. Petri Vrseoli* acta, ex supra relatis, & præcipuè *B. Petro Damiani*, & Baron. *tom.* 10. *ann.* 977. *n.* 3. compacta. Et licet apud Venetos Scriptores de Principatus occupatione nulla adsit mentio, indubiè *B. Petro Damiani* deferendum est, tanquam illis temporibus viciniori. Cætera per se patent, neque est, vt quid ea scholiemus, nisi quò S. Petrus Damiani Ducem decessorem cognominauit *Vitalem*, reponendum esse Petrum, vt apparet ex antiquis Venetorum schedis.

VENETIÆ. Ciuitas Venetæ regionis caput, Patriarchali dignitate post Aquileiæ, & Gradus excidium, donata. Vrbs mirabilis intra stagna Adriatica, super palis, palude maritima intermeante, constructa, quæ ex Insulis aliquot paruis, in tantam creuit magnitudinem, vt inter septem orbis miracula merito censeri queat. Ciuitas hæc toto terrarum circulo nota. Emporium omnium gentium frequentia maximum. Respublica omnium aliarum, post Romanam, potentissima, longe, latéque terra, & mari dominata; ac dominans post Aquileiæ cassum, ædificari cœpta, nunc populi numero, ciuium nobilitate, Mercatorum multitudine, ædium splendore, maximè Publicarum: Opibus, & legibus, quibus optimè administratur, nulli Italicarum vrbium secunda. Abest ab vrbe Roma in circum ad CCCXXV. M. P. A Mediolano in ortum æstiuum CLXV. Hodie VENETIA. Quæ dicitur condi cœpta anno Dom. CCCCXXI. cùm fama spargeretur Hunnos Danubium transgressuros Italiæ inuadendæ causa: quo tempore huius oræ gentes, tuta in his stagnis Insularum loca, primùm inhabitare cœperunt. De eius Aristocratica politia, Ducum electione, Consiliatorum ordine, & his similibus, adeundi sunt Blondus, Albertus, Kelnerus, Sabellicus, Marisotus, Adrianus Romanus, Sansouinus, Volaterranus, & alij propè infiniti Italicarum rerum Scriptores, & peculiariter Martyr de Angleria in itinere ad Soldanum, loquens de Venetiarum œconomia.

MONASTERIVM S. MICHAELIS DE CVSSANO, hodie CVXAN. Circa oppidum non in Aquitania, vt somniarunt Veneti, sed in Ruscinone, hodie *Rosellon* Hispanicæ ditionis, Helenensi diœcesano patens, vt suprà diximus.

PRIDIE

PRIDIE IDVS IANVARII, DIES XII.

A. *Vrsaonæ in Bathica S.* ARCADII *Martyris, genere, & miraculis clari, sed trophæi corona clarioris, cuius elogium scripsit S. Zeno Episcopus Veronensis.*

B. *In Monasterio S. Michaëlis de Cussano, Helenensis diœcesis depositio sacrorum pignorum S.* NAZARII *Hispani Monachi Benedictini, qui gloria, & nomine Confessoris in cœlum migrauit.*

C. *Apud Cæsaraugustam, & Oscam in Hispania Citeriori celebris est memoria S.* VICTORIANI *Abbatis, qui postquam Pater, & Magister fuerit insignium Sanctorum appellatus, pietate insignis, virtute conspicuus, & miraculis clarus obdormiuit in Domino.*

NOTÆ.

A SANCTVS ARCADIVS. Omnes ferè, qui de actis Sanctorum scripsere *S. Arcadij Martyris* agonem referunt, licet inter eos aliquæ adsint circa Martyrij locum, & annorum computum differentiæ. Nam alij in *Achaia*, alij in *Mauritania*, Nostri in *Hispania* passum contendunt. Circa annum quidam sub Galieno, quidam sub Constantio, Hispani sub Traiano affirmant. In tanta temporum reuolutione, quis scopum attinget? Ergo nunc nodi ænigma explicemus. Acta igitur quæ Parisiis edita circunferuntur apud Achaiam. Galess. & nonnulli apud Cæsaream Mauritaniæ. Noster Flau. Dext. apud Vrsaonam in Hispania. Martyrol. Roman. Iulij III. Alex. de Peregrin. Greg. XIII. Clement. VIII. & Vrbani VIII. ex Baronij recensione, à quibus P. Dionys. Vasq. in Martyrol. Castellan. & PP. Societ. Iesu in Lusitan. Maurolyc. Constant. Felic. & Petr. Equil lib. 2. Catal. SS. c. 67. B. Notker. Vsuardus, Ado, & Beda sine nota loci elogium conscribunt. Ex quo infero, quod qui apud Achaiam passum appingunt, credidere hoc fuisse factum, ex eo quod, omnes superius relati loquentes de S. Satyro produnt apud Achaiam martyrium compleuisse; exin procedentes: *Eodem die S. Arcadij Martyris genere, & miraculis clari.* Credentes, quod per appositionem verbi *Eodem die*, etiam loci passionem repetendam; quod absit. Qui apud *Mauritaniæ Cæsaream* haud probant, vt Galesini notationes intuenti videre est. Sicque Nostrorum opinio subsistet ex Flau. Dextro desumpta anno 110. hisce verbis: *S. Arcadius Vrsaonæ in Batica Hispaniæ patitur XII. Ianuarij.* Ibidémque P Biuar. n. 8. fol 217. Roder Car. lit. F. & in antiquit. Hispal. in Chorograph. lib. 3. c. 55. P. Quintanaduen. Hist. SS. Hispal. fol. 275.

D. Martin.

D.Martin.de Anaya in Apologet. SS. Hispal. fol.23. col.2. D.Paul. de Espinos. Hist. Hispal.& alij.S.Zeno Episcopus Veronensis eius martyrij agonem luculentis describit periodis, à quo, additis originis exordiis, acta transcribere fidelissima oratione disposui.

ARCADIVS ex Vrsaonensis vrbis apud Bæticam Hispaniæ clarissimis est natus parentibus, qui adueniente pueri ætate,vt,quod prosapiæ ingenuitas deposcebat,depromeret, ad militiæ statum dirigentes,baltei fibulam innexere. Is Christianam religionem agnouit, & tantis suauitatis nexibus adhærens, publicè veritatis semitam secaturus, etsi contrariorum impulsibus impeditus, intrepidè professus est.Sed cum Diabolus satellites armasset suos,in Dei populum veterano odio,desertor antiquus,& totam familiam Christi impactæ feritatis grassatione turbasset.Indixissétque in homine Deo bellum, & infaustæ superstitionis busto,in nefas conscium, toto mundo, funereum fecisset rogum; cogebatur Christi populus vanis superstitionibus interesse,atque in cultum nefandi ritus, nunc aut libamina incesta profundere, aut ornatas sertis victimas trahere, aut grauia nidoribus thura succendere, aut inter fumidos ignes pallenti aruinâ funesto sanguine prolitare; vt illiciti administratione ministerij, Christianis mentibus Deus posset expelli.Sed dùm bellum duri certaminis geritur, & familia Domini, cœlo spectante, prouocatur, *Arcadius* beatissimus Martyr huius inopinati nuntij perculsus horrore, paululum distulit pugnam, iam deditus ad coronam. Nam posteaquam turbari Vrsaonem funesta conuentione cognouit,ac singulos quosque ad funebre illud spectaculum trahi, contemptis vniuersis facultatibus suis, amputatis radicibus sæculi, delitescens, secessionis se commendauit vmbraculo: vtrumque Christiano explicans voto, vt & non longius videretur à prælio, & secedendo Euangelicæ iussionis animaretur exemplo. Ecce in eius hospitium, velut in hostilem prædam grassantium satellitum præceps irruit manus, sperans occupatione festina Dei famulum posse deprehendi. Quem Beati propinquus Martyris, qui in eius fortè degebat habitaculo,absentem esse,assiduis vocibus, inclamabat. Hunc verò profitentem ad nefandam custodiam noxiæ mentis mancipes rapuerunt. Quem oblatum sibi iubet crudelissimus Rector açri obseruatione detineri.Ad futuræ gloriæ testimonium tale *B.Arcadius* debiti martyrij quodammodo sequestrauerat pignus, in quo nec Christum relinqueret,nec propinquum. Statim itaque Beatissimus Martyr,se latere, non passus est, sed vltro se offerens Iudici moram suam voluntariæ oblationis præiudiciis excusauit. Cui cùm Hispaniæ Præses pristinæ eius fugæ veniam sub pactione promitteret,si se,vel serò nefandis superstitionibus immiscuisset; talibus in eum Sanctissimus Martyr vocibus exiliit: *Quid* (inquit) *vanissime omnium Iudicum? putásne,aut de lucis istius incongruis vsuris,aut de properæ mortis subitis damnis,familiam Domini posse terreri, cum sciamus Apostolica fide esse præscriptum:* mihi viuere Christus est, & mori lucrum? *Excogita quibus potes suppliciis tormenta grauiora: maioribus te furoris stimulis accende: quamuis cruciatus exerce molem, nos à Deo non poteris separare.* Statim igitur crudelissimus Rector, viperei veneni felle commotus, iubet, non vsitata animaduersione pœnarum, nec vsuali in reos lege, carnificum manus in Martyris membra sæuire. Viluerunt vngulæ: inutiles ictus visi sunt plumbarum: stetit contemptus eculeus: crebri fustium imbres,maioris pœnæ contemplatione,neglecti sunt. Excogitatur nouum,stupendúmque supplicium,quo se in homine vincere crederet Deum. Iubet Sanctissimum Martyrem furoris sui consciis tradi; quibus nihil aliud imperat mandatorum, nisi vt

non præpropero discessu Martyris spiritus migraret ad cœlum: *Expectet* (inquit) *mortem suam,& per membra distentus,propry corporis laniatione viuum se cadauer adspiciat. Incidantur ab articulis manus,à cruribus pedes.* Cui B. Arcadius,ait: *O insane hominum, fraudauit te furor tuus: adhuc erat in victima Domini, quod posis offerre. Amputandam linguam mandare nesciisti, quæ in colluctatione Martyrij prior solet Domino confiteri.* Ductus est autem B. Arcadius ad exoptatum iustis orationibus locum. Et intuens cœlum, stetit Deo expectante,securus. Parauerat extensa futuris ictibus colla, nudauerat gladiis venientibus iugulum: putauerat se feralem Iudicis amentiam citæ mortis sorte satiare: cùm subitò manus iubetur extendere, ac super cespitem nudus proiectus in faciem pedum extrema nudare. Ecce inter ipsa supplicia vacare non sinitur, sed orationis instar per carnificis tormenta meditatur. Erexerat securim percussor insanus, & signans oculis vulneris lineam,ferales ictus assidua cõtemplatione vibrabat: hæserant confessionis suæ glutino intrepidæ Martyris manus,nec salientis digiti futuræ mortis excidio palpitabant. Tanta fuit in Martyris deuotione constantia, vt omni corpore paratus veniret ad gloriam. Mox itaque,vt deuotum vulneribus corpus carnifex vidit, statim cadentis securis ictu neruorum connexa dissoluit, & cunctas, compage discussâ, iuncturas corporis rupit: exilierunt sectæ manus, & redeunte in se venarum meatu, paululum stupore fugitiuo,rursus in se riuos sanguinis, ruens vnda cruoris effudit. Dehinc poplitibus, surisque porrectis, à germana coniunctione naturæ, gladio sæui latronis, plantarum limes inciditur, & obsequio pedum corpus Martyris viduatur. Numerent martyria,qui possunt numerare supplicia; & in vno corpore,quantum diabolus publicatus est furere; tantum agnoscatur Dominus triumphasse. Sed durat inter hæc Martyris spiritus,& moratum numerositate seruatus perstat viuus, parte sui corporis iam sepultus: remoratur in luce detentus cuius membris iam plenus est tumulus. O dignus gloriosi exitus finis! Ascensurus altitudinem cœli, corporis sui impedimenta præmittit, & exequias funeris sui ipse præcidit. Cui hæc comparanda confessio? Machabæorum est iungenda numero. Eleazari est adæquanda proposito, comparanda consilio. *Arcadius Beatissimus Martyr* adhuc demoratur in sæculo, & iam Martyr recitatur in cœlo,vt sit nomen Domini benedictum,qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Eius agonis illustrissimi dies,in hunc reiiciunt Martyrologi. Ecclesia etiam Hispalensis,& Vrsaonensis, apud quas duplici colitur eiusdem Sanctissimi Martyris festiuitas ritu. Annus martyrij, quidquid hallucinentur à Bollando relati, adsignatur à Dextro,imperante Traiano scilicet C X. Pontificatus apicem obtinente S. Anacleto. P.Max.Martyre. In S.Martyris agonẽ hæc perlege carmina,in meo Cod.MS.exarata.

Martyris Arcadij Gentes celebrentur Iberæ
Continuis festum cordibus,vlnis,aris.
Hic Vrsonæ ortus primos expleuerat annos,
Cùm Christi verbum sequitur,ardet,amat.
Traiani tunc fera ruit miseranda tonantis
Sæuities contra pignora grata Deo.
Capitur Arcadius,sed Christum voce fatetur,
Quem nec diuellent verbera,verba,foci.
Membratim ergo Martyr tunc discerpitur almus,
Quo iunctura nodos perdidit vsque suos.

In partes sectus tunc Martyr viuere maluit;
Vt quoduis frustum Christo trophaa paret.
Nostri memor eris Martyr nunc inclyte Regni
Et modò te colimus, tu nobis esto pius.

Pro coronide istud P. Ioannis Baptistæ Masculi encomion li. d. in Cœlit. encom. fol. 30. n. 18 ausculta, vt Poëtastris antecedentis rubiginem expuas.

S. ARCADIVS MARTYR.

SYNOPSIS.

Plumbo crudeliter cæsus est, atque contusus, equuleo quoque tortus: tùm minutatim per membra concisus; insultabat tamen Diis, truncus licet toto corpore, constans tamen fuit in pœnis omnibus, & infractus.

ENCOMIVM XVIII.

Mandetur tuus ARCADI, *triumphus annalibus.*
Gaudet Victoria in vna palæstra numero palmarum.
Plura sunt in tuo corpore trophæa, quàm membra.
Noua genera in te cudantur armorum;
hebetes vngula, leue visum est plumbum.
Ludus est equuleus, rota versatilis, ludus.
Morantur Lictores suppliciis mortem,
in mora impij, ne videaris mori semel.
Per membra dissectus cunctantem expectas necem,
vt dum laniaris, viuum te inspectes cadauer.
Inciduntur ab articulis manus, à cruribus pedes;
sed adhuc superest in victima, quò rite litari queat;
Oblitus est tyrannus excindere testem diuinitatis linguam:
Nempe fraudauit eum, nimium præceps in pœnas furor.
Jam exhibes ferro iugulum, pedes, manus;
toto corpore, vt ad vulnera, ita paratus ad laureas;
numeret palmas, qui numerare potest plagas.
In tuo corpore multum victo furori datum,
Sed plurimum triumphanti virtuti.
Nunquam tàm integer virtute fuisti, quàm cùm totus incisus.
Durabat in tormento tuo vigor spiritus;
perstabas fide viuus, parte corporis iam sepulta:

vidisti siccis oculis cruenta tumulari membra,
suum praecessisti funus,
Sed penè iam immortalis intercc.

VRSAO, VRSO, ORSONA, ET GEMINA VRBANORVM appellatur hæc ciuitas Hispaniæ vlterioris in Bætica regione, hodie vulgari vocabulo OSVNA. Hæc Conuentus fuit Astigitani, licet Colonia immunis ex Plin. lib. 1. c. 3. sic: *Huius Conuentus* (Astigitani) *sunt reliquæ Coloniæ immunes; Tucci, quæ cognominatur Augusta Gemella, Itucci quæ Virtus Iulia, Vrso, quæ Gemina Vrbanorum.* Abhinc colliges, duplex nomen adeptam esse hanc ciuitatem. Primum, VRSO, siue VRSAO, siue ORSONA. Alterum GEMINA VRBANORVM. Caussam nominum expromere deposcit institutum. Vtram vno contextu explanare iidem ablegauit, ideo de primæ cognominis impostura agemus, & postea ad Kalend. Martij de secundæ vocis ætymo percurremus. Varia est igitur scribentium sententia, circa huius vrbis extructionem, Hist. General. Hisp. 1. p. c. 11. à Pyrro genero Hispani antiquissimi Hispaniæ Regis extructam refert. Ab Hispanis Iberis ante aduentum Phœnicum conditam suspicatur Roder. Caro in Chorograph. lib. 3 c. 52. Hæc quatenus ad conditores. Quatenus ad nominis impostores, alij à multitudine Vrsorum eo loco irruentium ætymologiam trahere affirmant. Bzou. in Compend. Annal. Bar. Ann. Christi XV. Augusti Cæsaris LXXV. à gente Romanorum Vrsina cognominatam autumat. Quidquid sit antiquitatis habet insignia monumenta. Strabo lib. 3. *Vrso*, Hirtius de Bello Hisp. prope finem *Vrsao*, Appianus in Iberic. *Orsona*, compellitant. De ea videndi Moral. lib. 7. lib. 8. c. 48. & lib. 9. c. 32.

B S. NAZARIVS. Hic gloriosus Confessor ex ordine S. Benedicti in Monasterio S. Michaëlis de Cussano extitit (vt creditur) alumnus. Nulla apud Martyrologos memoria reperitur eiusdem. Philipp. Ferrar. in Catal. General. SS. hoc die, sic: *Cussani in Territorio Ruscinonensi S. Nazarij Monachi.* P. Bolland. in Act. SS tom. 1 fol. 743. Qui S. Victoriani (infra referendi) successorem fuisse (ex Martino Carrillo) in Asanensi Monasterij regimine suspicatur, sed perperam; nam Victorianus apud Aragonenses, Nazarius apud Ruscinonenses; ille Abbas, iste Monachus perhibetur, ideóque à vero deuiabit, qui Nazarium nostrum successorem Victoriani effecerit. Nostri acta describunt P. F. Anton. de Yep. in Chron. Bened. tom. 3. Ann. 745. c. 4. P. F. Anton. Vincent. Domenec Hist. SS. Cathalon. fol. 2. col. 2. à quibus sic mutuo.

ACTA S. NAZARII MONACHI, & Confessoris excerpta ex Lectionibus Matutinalibus cœnobij Cussanensis.

NAZARIVS ex Hispanorum origine prosapiam traxit illustris. Post primos adolescentiæ meatus, ad maturam accessit ætatem, qua inspectis mundi tot fraudum multiplicitate inebriari, tot periculorum assiduitate confusi, erroribus, securum in religionis secessu portum quæritauit. At quibus Dominus lucem demonstrans veritatis, cùm vix deserat, effecit vt *Nazarius* Helenensem diœcesim incursitans locum suo intentui commodum in S. Michaëlis Cussanensi cœnobio mirabiliter adinuenit. Hic cucullum induens, magnos exin thesauros ac diuitias in cœlis, quas nec ærugo nec tinea demolitur, ab ipso religiosæ vitæ tyrocinio congerere incepit. Huc magna eius charitatis, & misericordiæ dignosci incepit alluuio, nam peregrinos excipere hospitio, vestire nudos, famelicos cibo reficere, omni ope afflictos iuuare eius fuit quotidiana in monachatus compage cæremonia. Placuit hæc Deo mirabiliter consuetudo, vt testantur per eius intercessionem perfecta à Numine miracula. Inter quæ, illud stupendum, nam furnum ardentem, tempore, quo Deo adhærens, monasterij sui

in

in cellulam deueniebat, habitu suo, eóque penitus extinxit illæso. Vita autem religiosissimè acta, multísque composita virtutibus, innumerísque cumulata meritis, sanctissimè obiit, æternum in cœlo victurus. Colitur in prædicto cœnobio die XII. Ianuar. festi duplicis celebritate. Annus transitus ignoratur. Corpus sanctissimum ibidem honorificè quiescit.

Hæc sunt quæ hucúsque in meas peruenerunt manus, circa S. Nazarij festum, & acta; quæ dum nondum vltimam accepissent limam, inter aliquot vetustatis monumenta, eruit hoc carmen amicus Cathaloniæ ciuis, cuius nomen, & vrbem reticere consilij est. Quod carminis metrum inter hymnos solemnitatis S. Nazarij olim decantati solitum in cœnobio illo, rescripsit.

HYMNVS S. NAZARII in Officio descriptus ad Vesperas, ex MS. Breuiario Cussanensi.

Sancte Nazari
Festa reuoluo
nunc tua, versu
Carminulorum.
Hæc tibi frater
inclyte, parua
munera mitto
literularum.
Hic tua latent
lipsana, pulchro
tumulo, quorum
limina lambo.
Hic tua sæpè
facta reuiso:
quando sic orbis
munera calcans
Docta secessu
Religionis
carbasa quærens
vellera tondis.
Hic tua corde
lumina sequor;
quando sic vrbis
pauperes alens,
Proximos amans,
improba tergens
omnibus idem
viscera paras.
Hic tua frater
mira recordor:
quando sic ignem
flamma perurens
Tegmina furni,
absque periclo
(numine expresso)
clamyde soluis.
Tu nobis ades
Alme Nazari,
semper, & omni
tempore præsens.
Nunc nobis ergo
Spiritus Alme
munera præbe;
lumina pande:
Sis nobis adhuc
vnicus omni
(Sancte) Patronus
tempore sæcli.

MONASTERIVM CVSSANVM. De eius antiquitate diximus superius ad Nonas Ianuarij, cùm de S. Flamidiano egimus, sic nihil repeto.

S. VICTORIANVS. Apud Oscam Ilergetum hoc die, hic colitur sanctissimus Abbas, de quo est mentio apud Vvionem, Dorganium, & Hugon. Menard. in suis Ordinis Benedictini Martyrologiis, sic ferè vnica contextura: *In Hispania S. Victoriani Abbatis.*

Mart. Hisp. Ianuar.

Philipp. Ferrar. in Catal. Gen. SS. sic : *Apud Cæsaraugustam in Hispania S. Victoriani I. Abbatis Asanensis.* Et die XIX. huius mensis , sic : *Apud Oscam in Hispania S. Victoriani Abbatis.* Heleca, qui S. M. Maximi Chronicon addidit, fol. 234. col. 2. hisce verbis : *Anno Domini D. XX. venit in Hispaniam de secessibus Italiæ progrediens* S. Victorianus , *& in Monasterio Assany in Celtiberia Hispaniæ constitit , vitam ibidem heremiticam primùm instituit ; & post crebrescente fama virtutum , ac miraculorum, S. Benedicti cucullum , iam senior , induit : plurima per Hispanias monasteria fundat : more Benedictinorum , nobilium filios , & in iis S. Gaudiosum , moribus , & doctrinis luculenter imbuit. Plenus dierum , & meritorum XII. Ianuarij moritur. Viuus , & mortuus plurimis miraculis claret. Obiit autem Anno VII. Regis Gothorum Athanagildi, cui apprimè charus fuit , & eius ordini profusè fauit.* Eius meminit. D. Roder. Archiep. Toletan. Histor. Hispan. lib. 6. cap. 1. licet perperam *Martyrem* nominet. P. Mariana Hist. Hisp. lib. 10. cap. 2. Zurit. lib. 1. Annal. Aragon. cap. 32. Mariet. Histor. SS. Hispan. lib. 22. Didacus de Ainsa Yriart. lib. 2. Antiquit. Oscens. à cap. 39. & seqq. R. P. P. F. Thom. de Herrer. in suo Alphabeto August. Lit. V. fol. 492. qui plures congerit Scriptores , ex quibus acta conscribo huiusmodi.

VICTORIANVS parentes genere illustres , multo tamen fidei , ac virtutis laude illustriores , ex Italiæ regione percepit. Ij filium , vt in lucem prodiit , continuò baptizandum curarunt. Tenera ætate eam præ se tulit morum honestatem, vt iam tùm virum perfectum , eum intuentes iudicarent. Ita studiis literarum à primis annis fuit deditus , vix vt se à Magistrorum conspectu auelli pateretur. Cùm vero humanioribus fuisset artibus excultus , quæ cæterarum præbent scientiarum aditum, fabulis poëticis, cæterisque profanæ eruditionis præstigiis spretis , ac Christi cœpit considere pedes , à quo vt à veræ doctrinæ Patre, radiosp erfectæ suggillabat eruditionis. His in studiis tales indies fecit progressus , vt breuiter merita sunt visa ætatem eminus superare ; & ad omne virtutum cumulum peruenire. At variis vacans exercitationibus iuuenis , quæ ad tanti thesauri ædificationem perducerent , illico ingenti omnibus esse cœpit admirationi , quo cognito vt vanam mundi gloriam profugeret , horrore correptus , paterna vendita hæreditate , & in pauperum subsidium , Xenodochiorúmque constructione , distributa , vt Christum perfecte sequeretur , omni se carnali affectu posthabito ex Patria , cum aliis , eiusdem instituti sociis , profugus exulare constituit. Quod vt perfecit transmissis Alpibus in Galliam ingressus est , cuius incolas , & prædicationis munere , & singularis exempli splendore , mirè ad omnium virtutum prouocauit studium. Quoniam quòd verbo hortabatur , exemplo multo validius inculcabat , magnum suæ prædicationis consequebatur fructum. Eius sanctitatis ergo fama vulgata , magni ad eum , non solùm vulgi , sed & nobilium fieri concursus , vt aliis corporis , aliis animi salutem consequeretur ; nam curationum singularem à Deo gratiam impetrarat ; sícque miraculis clarens , in eo omnes necessitatum suarum remedia , solo efflagitationis onere depromebant. Certus demum maioribus laboribus ampliorem tribuendam à Deo mercedem , in variis Galliæ Prouinciis innumera ædificauit cœnobia , magnam Deo famulantium congregans multitudinem, omnibus præcipiens, vt indefessis virtutum gressibus , ad religionis fastigium eniterentur. Hæreticos increpabat , eorúmque familiaritatem execrabatur , quos denique deuitabat , si spretis prima , & secunda monitione ab incepti erroris dogmate non desisterent ; satis id habens perspectum , nullam esse societatem luci ad tenebras , nullam conuentionem Christo ad Belial. Iam iam per vniuersam Galliam latè eius fama spargebatur , & singuli *Victoriani* nomine audito spirituali quodam

lætitiæ

lætitiæ exultabant sensu, quod vt S. Vir agnouit, cœpit timere, ne quid animo suo, paullatim à populari laudatione inanis gloriolæ surreperet, rursus inde demigrare constituit, sicque omnibus quæ ædificarat monasteriis, insigni prudentia, & virtute viros præferens, & assumptis aliquot nouæ peregrinationis comitibus, in Hispaniam venit anno Domini D X X. tempore, quo Theodoricus Italiæ Vvisigothorum Rex, cum tutor esset Amalarici nepotis sui, admodum adolescentis, Hispaniam quoque eius nomine administrabat. Ergo superatis Pyrenæis cùm locum rerum diuinarum meditationi aptum reperisset, in latere asperi montis situm, cuius adeo difficilis erat ascensus, vix vt eum capræ ipsæ siluestres possent superare, reliquam deinceps isthic agere instituit ætatem. Hic spelunca non incommodam præbebat habitationem, quam irrigabat aquæ limpidissimæ riuulus ex ipso montis cacumine scaturiens. Haud procul inde vicus erat, cui *Asanio* nomen, iuxta quem ædificatum à Gesaleico Gotho, Rege Hispaniæ sumptu magnifico Monasterium, prædiis, villis, & redditibus dotatum, ac illustri templo S. Martini Turonensis honori consecrato, ornatum. In ea specu vitam solitariam magna cum pietate egit *Victorianus*, mundi voluptates, ac commoda contemnens, & ad pietatis opera, lachrymis, Missæ sacrificio quotidiano, assidua oratione animum conuertens. Erexerat ad latus speluncæ sacellum S. Michaëlis nomine dicatum, quo frequentius, ac feruentius coram Deo vota fundebat, illic insumens penè totius diei variis exercitationibus meriti, dominatum. Nondiu enim potuit in angusto spelæi foramine in sublimi ciuitas abscondi posita, ideo ad eum ex finitimis villis, pagis, oppidis, & vrbibus, plurimi cœperunt confluere, etiam genere ac dignitate illustres, ab eo salutares pietatis præceptiones hausturi, quos benigno sermone instruebat, replebátque ingenti suæ admiratione prudentiæ. Huc cæci visum, vires paralytici, surdi auditum recipiebant. Adhuc, & quos febrium epidimia tenebat, seu dæmonum obsessione fatigatos crudelitas energumena cruciabat vel solo iussu leuabat, vel signo Crucis fugabat. Post, diuulgata iam virtutum, & operationum Sancti Eremitæ per vniuersæ Hispaniæ circulum, opinione, in plana descendere compulsus est, aut vi charitatis, aut rogatu miserabilium, qui ad excelsæ rupis culmen conscendere nequibant, exemplo Christi, qui turbæ misertus descendit de monte, & in locum campestrem omnibus subueniebat. Ergo accepto viculo, cui nomen *Arresate*, iuxta flumen *Cinga*, qui per montium angustias, rapido impetu, decurrens, tandem aliis adiunctis sibi riuulis in Iberum influit, illic cellas ædificare sibi ac sociis singulas incepit. Exin non magnatibus tantum, sed & ipsis Regibus eius nomen innotuit, ideò Theudius, qui propter Amalarici mortem à militibus in foro Narbonæ executam, Regni Gothorum in Hispania, & Gallia Narbonensi, sceptrum acceperat, vt Ecclesiasticæ propagandæ dignitatis, ac pietatis erat studiosus, sæpè Sanctum videbat Victorianum, auidè eius audiebat monita, sequebatur consilia. Cui varia plerumque quærenti, illud Propheticum respondebat: *Honor Regis iudicium diligit; quia præcipuus Regis honor in eo situs est, vt iustitiam diligat, atque obseruet: vtque ita temporalis regni administrationem disponat, ne corona priuetur cælesti.* Suadebat præterea Regi *vt in ferendis decretis ita se Regem esse meminisset, vt & mortalem esse non obliuisceretur: neu se quod Rex esset nimium efferret, ne supremus ille Rex ob superbiam, eum in profundum deturbaret.* His, & aliis à Rege auditis, Victorianíque sanctitate, prudentia, & humilitate cognita, ad totius Ecclesiæ vtilitatem, ad maiorem eum pro-

mouere dignitatem Teudius animo concipiebat. Quod cùm agnouisset B. Eremita, totis viribus obstitit. Tantum ad Abbatiatus Assanensis præfecturam, licèt inuite, obedientiam præstitit; vnanimi Religiosorum consensu, cleri suffragio, acclamatione populi, Regis auctoritate gubernacula illius cœnobij capessiuit. Eo munere suscepto suos ex priuatis cellis in monasterium reuocat, strenuè vigilans super commisso sibi grege, quibus viuendi certam regulam constituens, in pace, & charitate singulos dirigebat. Igitur multi sanctitatis eius odore pellecti suos ei liberos commiserunt, doctrina, & probis moribus imbuendos; atque ex his multi variis deinde Ecclesiis præfuere; inter quos Gaudiosus Turiasonensis, Aquilinus, Narbonensis, Tranquillinus Tarraconensis, Ephronymus Zamorensis, & Vincentius Oscensis. Ergo & virtutum odori tanti Abbatis, non solum Teudius, sed, eo è viuis sublato, Athanagildus, qui vt creditur fidem Christianam catholicè tenebat occultè animum applicuit, eúmque ardenter dilexit. Tandem bonis operibus inhians, mortis suæ præscius, congregatis fratribus, ad virtutum manipulos deligendos exhortatis, omnibus osculo pacis dato, beatissimum spiritum manibus Angelorum tradidit deferendum, ad æternæ lucis mansiones XII. Ianuarij. Anno Athanagildi VII. Christi D. LXI. cum LXXX. & amplius vixerit annos. Eius Sanctum corpus iacuit in suo Monasterio Assanensi, vsque ad lachrymabile Hispaniæ excidium, quo fratrum pietas ad S. Rufinæ sacellum supra Aynsam illud deferre, & in occulto reponere curarunt thesaurum. Demum inuentum vt VII. Idus Aprilis dicemus, aliò translatum est.

Hæc sunt acta; in quibus nonnulla à nobis discutienda sunt, vt facilius veritas eruatur, exínque à disceptationum anfractibus quæuis abstrahatur scrupulosa censura. PRIMVM Cuius fuerit instituti S. Victorianus? Cui quæsito R R. P. F. Thom. ab Herrera in Alphab. d. fol. 492. sic præbet responsum: *Martinus vbi supra pag. 414. existimat in eo cœnobio* (Sarassensi) *D. Basilij disciplinam viguisse, vsque ad annum M. XLV. in quo F. Ioannes Estapante, tempore Ramiri Regis regulam Benedictinam inuexit: at quo fundamento innixus, quíve auctore fultus id asserat, non expressit. Fortasse, vt Briz existimat, loco citato, ansam arripuit ex antiquitate, & anterioritate regulæ Basilianæ. Verùm hoc placitum eidem auctori displicuit, quoniam regula, & instituta Basilij Doctoris Græciæ nondum Occidentem penetrarant; neque in Italia, & multò minùs in Hispania seruabantur.* Quæ opinio, in eo quod adhuc apud Hispanos Basilij regula ignorabatur, rationi adhæret, quia nullum de illius ad Nostros transmissione accipere licuit scriptorem. R R. P. fuisse ex Augustiniana familia aliquot rationibus credit; & quod anno D. VI. quo structum fuit cœnobium Assaniense à Gesaleico, nondum Basilij regula nostras peruenerat nec Benedicti erat in rerum natura: & quod tunc iam vigebat institutum apud Hispanos Augustinianum à S. Donato ex Africa transmissum: denique quia hæc nomina Victorianus, Vincentius, & Gaudiosus, potius Africam sapiunt, quam nostra. Cui opinioni adhærerem, si duo mihi à R R. P. concedantur. Vnum quod Vincentius, & Gaudiosus ex Gothorum origine fuere fateatur. Alterum quod post regulam eremiticam à primo exordio susceptam vsquequo ad Abbatiatum Assanensem transiuit, Regulæ S. Augustini cohæsit, at in Abbatiatu relato; vsque ad vitæ exitum in Benedicti regulari disciplina permansit. Quo Helecæ opinio sustinetur, & inter Augustinianos, & Benedictinos induciæ intermittuntur. SECVNDO An aliquo functus fuerit Ecclesiæ Præsulatu? Quod expresse acta à Yriarte conscripta & à Bollando translata, sic: *Dignitates Ecclesiasticas recusauit.* Sed si mea me non fallit opinio, suspicarer S. Victorianum fuisse Episcopum Carthaginensem in Hispania, si effectiuè non adhuc possessione præuia, adminus electione firmata. Moueor authoritate S. Marci Maximi in Chron. Ann. DXXIX. fol. 183. vbi hæc referuntur verba: *Victor Vir Sanctus Episcopus Carthaginensis Hispaniæ floret.* Roderic. Caro qui scholiis Chronici

contexturam

contexturam ditauit, ingenuè fatetur in Ecclesiæ illius tabulis nullam talis Victoris mentionem adesse; quo silentio confusus, de Tunnensi Victore locutum Maximum est confessus. Sed iste non Carthaginis Hispaniæ, sed Africæ Episcopus ab Isidoro de Vir. illustr. cap. 25. Honor. Augustodun. apud Miræum, Andrea Scotho, & aliis, appellatur; ergo de alio, extra Tunnensem, excogitauit Maximus. Ego crederem apud ipsum non *Victorem*, sed *Victorianum* legendum esse, qui etsi dignitatem recusauerit, potuit in Episcopum eligi, & hoc titulo à S. Maximo nuncupari. Nec erit abs re hic adducere, quod in authore appendicis ad Scriptores Ecclesiasticos aucti reperitur, apud Loais. fol. 775. Miræum fol. 103. vbi Victorinum quendam Episcopum producit, cap. 7. qui duo volumina, alterum aduersus Manichæos, alterum aduersus Marcionistas, scripsisse dicitur. At cùm Noster *Victorianus*, à principio studiis deditus, hæreticisque aduersus fuerit, quid mirum, si contra hosce dogmatistas calamum direxerit. Non me latet Sirmondum hæc opuscula Victorino Afro Rhetori de quo S. Hieronym. de Script. Ecclesiast. tribuisse, ipsiúsque nomine publicasse Lutetiæ anno 1630. Sed salua Sirmondi pace, nec iste Episcopus fuit nec D. Hieronym. huiusmodi opusculorum à Rhetore editorum meminit, imò nec S. Augustin. lib. 8. Confess. cap. 2. qui luculentam de eo laudationem congerit. A quo ergo Sirmondus? Loaysa Noster hunc Victorinum Episcopum, cuius hæc fuere volumina, fuisse illum Massiliensem Rhetorem de quo apud Gennadium cap. 60. putat. Sed nec iste ex Gennadio talia opuscula condidit, nec Episcopali est fruitus dignitate; ergo horum neuter erit. Cum hac mea peritè transit Miræus supra, sententia. Quid verum? Docti videant. Hæc pro patria, pro Diuo excogitaui, cætera vnusquisque reuoluat. Hinc finem impono cum D. Vincentij Lanuza, de S. Victoriano in Peristephan. lib. 1. fol. 13. carmine:

Nec te Victoriane Pater, nemorosáque tempe,
Assanios montes, syluásque, & lustra ferarum,
Et specus, & fontes, & plenos fructibus hortos,
Fruteta, & pomis, pulchris viridaria Calthis,
Claustra bonæ famæ, molles redolentia odores,
Cœlitibus, templis, populis miranda. Fluentis
Doctrinæ, vitæ, exempli, virtutis, honoris,
Grata, quibus cœlum, reples, & maxima mitris
Templa reformasti, tenuis nec prandia mensæ,
Instructos verbo monachos.

Monasterium Assaniense. Primo dicitur vocitatum *S. Martini de Sarra*, hodie verò *de S. Victorian.* Hoc Eremitis conditum à Gelaico Gothorum Rege anno D. VI. affirmant acta superius relata, ita & Blanc. *Histor. Arag. pag.* 27. Didac. de Aynsf. *d. lib.* 2. *cap.* 40. P. Herrera *d. fol.* 492. D. Martin. Carrill. *in Catalog. Abbat. fol.* 414. P. F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. tom.* 1. *Ann.* 537. *cap.* 1. *fol.* 88.

IDIBVS IANVARII, DIES XIII.

A. *Ad montem Vindiacum in Celtiberia Hispaniæ prope Bilbilim*, TRANSLATIO *sacrorum pignorum* S. VIVENTII *Samaritani Presbyteri, qui à Sancto Georgio ad fidem conuersus Hispanias adiit, & apud Thessaloniam vrbem Carpetaniæ sistens, filiam Deciani phanaticam sanitati restituit. Post lustratis Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ insignioribus vrbibus, Hispaniam repedauit, vbi apud Grouium Gallaciæ oppidum, virtutibus clarus obdormiuit in Domino.*

B. *Apud Diœcesim Helenensem Hispaniæ in Ecclesia Arelatensi, Comitatus Valespirensis, depositio sacrorum pignorum* B. Hilarij *Episcopi Pictauiensis in Gallia, quæ ibidem honore debito, affectu pio, & alacri deuotione, & coluntur, & venerantur.*

C. *Corduba in Hispania Bætica passio SS. Martyrum* Gumesindi *Presbyteri Toletani*, & Serui-Dei *Monachi, qui in persecutione barbarica Abdecrahamane Rege, & Machomat eius filio imperantibus pro Christo martyrio coronantur.*

D. *Ambiani in Gallia* Translatio S. Firmini Hispani *ex Pampilone Nauarræ vrbe, qui primò patriæ, post Ambianensis Præsul, hic ad martyrij palmam peruenit Atleta.*

NOTÆ.

A. SANCTVS VIVENTIVS Presbyter, & Confessor.] Isto die Martyrologium Romanum memoriam recolit cuiusdam S. Confessoris, nomine VIVENTII, quem in *Versiaco* Monasterio depositum esse, illius clamitant verba dicentis: *In* VERSIACO *Monasterio* S. VIVENTII *Confessoris*. Cuius ecphrasin purpuratus Baronij calamus percurrens, ad Petr. de Natalibus *lib. 2. cap. 71.* nos misso fecit. Ille vero ACTA breuiter (licet corrupte, vt postea expendemus) coagulauit. Quale hoc sit cœnobium, nullus nisi Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. fol. 133. verb.* VERSIACVM, demonstrauit; contendens esse quod hodie VVARSAY in Gallia Celtica diœcesis Pictauiensis appellatur, vbi corpus S. VIVENTII conditur.

ditur. Sed miror quâ incuria Andreas Saussayus, strenuus Sanctorum Galliæ assertor anamnisin tanti Presbyteri prætermisit, si in Monasterio de VVARSAY, vt contendit Ferrarius, eius sacra lipsana reconduntur. Crederem Saussayum amicum Nostrum, haud inuenisse in relato Monasterio talia pignora, ideóque ab ineptiis diffugiens, inter Sanctorum Galliæ nomina, Nostri Presbyteri vocabulum non expressit. Sed esto, quòd in VERSIACO Galliæ Cœnobio S. VIVENTII pignora non sint, quo iure inter Nostrorum agmina Sanctorum reponimus sciscitaueris? Ansam præbuere duæ clausulæ, altera Iuliani Petr. in aduers. num. 541. fol. 125. altera S. M. Maxim. in Chron. Ann. 459. in edito Codice Rod. Card. fol. 167. quarum inuolucrum sic orationum sensum abscondit, vt prorsus alteram sine altera perpendes. Maximi periodum ausculta prout in excusis reperitur: TRANSLATIO *Corporis* S. VINCENTII *Confessoris ad Montem* VINDIACVM *in Celtiberia prope Ciuitatem Bilbilitanam. Vixit sæculo Constantini Imperatoris. Prius sepultus est ad oppidum* Grorbios *in Gallecia, à Maximo Abbate Pictauiensi sepultus. Credi potest ad Hispanias conuenisse visendi sepulchri* S. IACOBI *causâ. Iam natus annis C. XXXVI. annorum, tunc sub Daciano Præside Hispaniarum, Ciuis Thessalonicensis, cuius filiam mirabiliter sanitati restituit, cùm prius grauiter ægrotasset.* Hactenus Episcopus Cæsaraugustanus. Iuliani Toletani nunc nota periodum; in qua postquam de Daciani Præsidis Hispaniarum consulatu, & itineribus verba tulisset, prosequitur: *Adhuc vegetus* (Dacianus) *venit Proconsul Antiochiam* (lege Thessalonicam) *vbi creditur à non multis conuersus ad fidem à* VIVENTIO *Presbytero, liberatâ à dæmone filiâ Eupatronâ.* En quem M. Maximus VINCENTIVM nominat, Iulianus Petri VIVENTIVM appellat. In quo error? Audi Equilinum *d. lib. 2. cap. 71.* agens de VIVENTIO Presbytero hoc die: *Sacerdos factus, monitus ab Angelo* Thessalonicam *venit, vbi idola Daciani Præsidis signo Crucis edito contriuit filiámque eius* Eupatronam *nomine liberauit à dæmone, & cum ducentis baptizauit.* Hisce Scriptorum clausulis lucem accipiet illa M. Maximi difficilis, in qua hallucinasse Carum agnoscimus, ad cuius vulnera sananda sic legenda sunt Maximi Verba, vt Iuliano, & Equilino conueniant: TRANSLATIO *Corporis* S. VIVENTII *Confessoris ad Montem* VINDIACVM *prope Ciuitatem Bilbilitanam. Vixit seculo Constantini Imperatoris. Prius ad Oppidum Groruios in Gallecia à Maxentio Abbate Pictauiensi sepultus (credi potest ad Hispanias conuenisse visendi sepulchri* S. IACOBI *causâ) iam natus C. XXXVI. annorum. Fuit sub Daciano Præside Hispaniarum Ciuis Thessalonicensis, cuius filiam mirabiliter sanitati restituit, cum prius grauiter ægrotasset.* Sic P. F. Franc. Biu. in Apolog. pro Dextr. & Maxim. §. 3. num. 15. vbi in excusis error nominis VINCENTII pro VIVENTII conseruatur, fortè typographi incuria. Quâ lectione nec Critici Maximi auctoritatem detrahent, nec Martyrologi VIVENTIVM in Monasterio VIRSIACO Galliæ Celticæ constituent, nisi fortè ibidem aliquam exuuiarum partem, vt passim accidit, sed apud VINDIACVM Celtiberiæ Montem prope Bilbilim. ACTA ab Equilino mutuata ex Bellouacensis speculo sed in vtroque confusa topographiâ, & prenuntiatione locorum; (vt apud ipsos est) subiiciemus, correctis, & sanatis vtriusque erroris vulneribus.

ACTA SANCTI VIVENTII Presbyteri Confessoris ex Vincentio Bellouacensi ab Equilino congesta.

VIVENTIVS *Confessor Samaritanis parentibus, & paganis ortus est, qui ad prædicationem* S. Georgij *apud* Antiochiam *Christum annuntiantis conuersus est, tempore* Constantini *Imperatoris. Deinde Sacerdos factus, monitus ab Angelo*, Thessalonicam *venit, vbi idola Daciani Præsidis, signo* CRVCIS *edito, contriuit; Filiámque eiusdem* Eupatronam *nomine à dæmone liberauit, & cum ducentis baptizauit. Post hoc cum* S. Benedicto *Episcopo* (Auriensi in Gallæcia) *Romam perrexit, quibus dum in via cibaria defecissent, piscis eis de*

mari

mari in littus prosiliuit, qui per hebdomadam illis sufficit. Quos etiam B. Hilarius *Pictauiensis Episcopus rediens ab exilio obuios habuit, & secum dudum* VIVENTIVM *retinuit. Hic aliquando in sex latrones incidit eum perimere volentes, quorum vnus se gladio transuerberauit; secundus ad quercum se suspendit; tertius arreptus à diabolo expirauit; quartus oculos amisit; quintus rabie manus, & brachia dentibus lacerauit; Sextus se in mari præcipitauit. Et cum esset* S. VIVENTIVS *annorum C.XX. in pace occubuit in Castro Grauio* (repone Grobio Gallæciæ oppido) *Idibus Ianuarij. Cuius Corpus* S. Maxentius *Abbas ibidem tumulauit. Inde postea translatum in Montem Vertiacum* (Vindiacum in Celtiberia prope Bilbilim, corrige) *vbi honorifice colitur.*

Hactenus Bellouacensis, à quo Equilinus. Iam vides consonantiam inter hæc ACTA, & clausulas S. M. Maximi, & Iuliani, quam vt clarius perpendas: aliqua notabimus, vt ad finem istæc linea recto tramite perducatur. Primo, THESSALONICA de qua mentio in ACTIS non de prouincia, sed de Vrbe intelligenda est. Hæc in *Carpetania* erat, vbi Eupatronæ conuersio perfecta est cum aliis ducentis Ciuibus, vt indicant ACTA; quod apparet verum, quia abhinc comes factus VIVENTIVS *Benedicto* Auriensi Episcopo, vterque Romam perrexit. De Vrbe Thessalonica Hispaniæ, hæc Iulianus *in Aduers. num.* 456. *fol.* 106. agens de Constantino Imperatore: *Nonnulla* (inquit) *quæ postea accuratius comperi, Chronico meo superaddenda duxi, vt quod Anno C C C. XVI. D. Imperator Constantinus fuit* THESSALONICÆ *Hispaniæ, quæ nunc* ASCALONA, *vel* ASCALONILLA *dicitur in Carpetania.* Sed vt huic notationi vltimam ponamus manum, & societatem cum S. Benedicto Auriensi Episcopo comprobemus, ipsius S. Præsulis Cæsaraugustani Maximi in Chron. Ann. 462. verba referemus, in nomine Nostri S. Presbyteri medicanda, sic: BENEDICTVS *Episcopus* Auriensis, *comes* VINCENTII (repone VIVENTII) *floret litterarum & sanctitatis opinione* THESSALONICÆ *Hispaniæ.* En propositio prima probata.

SECVNDO, quem Equilinus CASTRVM GRAVIOREM dixit, quo S Presbyter occubuit, non CASTRVM, sed Oppidum GROBIOS in Gallæcia dicendum est, vt ex ipsius Maximi Chronico apparet, & adhuc vt credo nomine GROS conspicitur in diœcesi Lucensi.

TERTIO quod Mons, quo translatæ sunt exuuiæ S. Presbyteri non VERTIACVS, vt in ACTIS sed VINDIACVS dicendus est, in Celtiberia iuxta Bilbilim. Quod ex Maximo probabimus. Quibus probatis, concordiam ACTORVM cum ecphrasi Maximi, & Iuliani cognosces.

CIRCA Annum transitus altum silentium apud Nostros, & exteros fortè ad CCCC. & amplius annum peruenit, cum ad C.XX. ex Equilino, seu C. XXXVI. ætatis perueniret: nam viuens tempore Constantini Imperatoris, qui imperij sceptrum assumpsit, anno CCC. VI. vt ex Baron. tom. 3. Annal. in princip. liquet, benè ætate grandæua ad quintum potuit seculum peruenire.

VINDIACVS, seù VINDIVS Mons in Hispania Citeriori, ex Ptolem. *lib.* 1. *Geopraph. in Tab.* 2. *Europ. cap.* 6. De quo L. Flor. *R. R. lib.* 4. *cap.* 12. licet in aliquibus Codicibus VINNIVS vocitetur. Partem Pyrenæorum esse scripsit Petr. Anton Beut. *Hist. Hispan. lib.* 1. *cap.* 23. *fol.* 134. Istius montis cacumina è Pyrenæis dilapsa, ad Aucæ montes pertingentia, protinus ad Orbionem accedunt, & Numantiam Agredámque præterlabentia prope Caumenum, seu Caci Montem in Aragoniæ, seu Celtiberiæ regnum eriguntur, vbi primùm *Bilbilim* vrbem inuisunt, post Darocam, donec in Nostro Mediterraneo mari nomen, & superbiam perdunt. Ita Florian. de Ocamp. *Histor. Hispan. lib.* 2. *cap.* 5.

B S. HILARIVS Episcopus.] Celebris est de S. Hilario apud omnes Martyrologos, Ecclesiasticos Scriptores, Historiographos, Sanctorum concionatores, Homiliarios, Kalendaria, Breuiaria, Poëmata, & totius Ecclesiæ Doctores memoria, quorum verba repetere, quorum elogia conscribere, & quorum carmina subnectere, ex eo quod longum, adhuc Catholicis noctuas, vt Athenas mittere, censebitur.

Qui

Qui omnia insimul collecta perlegere cupit adeat P. Ioann. Bolland. in suo de Act. SS. opere laborioso tom. 1. hoc die fol. 782. Quod vero ad nostrum attinet institutum enacta ex lectionibus ad me transmissis è Cathalonia, quas olim in Officio Patres illius cœnobij legisse perhibetur.

ACTA S. HILARII EPISCOPI Pictauiensis in Gallia ex Lectionibus Matutinalibus antiqui Breuiarij Ecclesiæ Valespirensis in Cathalonia.

HILARIVS Aquitanus, postquam coniugium expertus, filiam progenuit, relictis mundi curis, ac delicijs, sacris initiatus est. Lect. I. Deinde succedentibus annis clericorum Populique suffragiis Pictauiensis Episcopus factus. Qui vsque adeo fuit hæreticorum insectator, ac hostis, vt persuasione Arianorum quorundam Episcoporum in Phrygiam à Constantino Romano Principe relegatus sit. Lect. II. *Scripsit* inde epistolam ad filiam Appiam, dehortans à connubio, quam illa non aspernata, virginitatis continuò votum concepit. Sed timidus adhuc pater, ne aliquando filiæ integritas laberetur, Deum omnipotentem exorauit, vt eam de vita tolleret. Idem postea impetrauit de coniuge. Lect. III. *Longè*, latéque Arianorum hæresis diffundebatur, & impetratum erat ab Imperatore, vt Synodus Seleuciæ conueniret, qua veritas Christi elucesceret; ad quam Hilarius nihil cunctatus inter primos aduentauit. Lect. IV. *Cæterum* Ariani eius supra modum expauescentes facundiam, incomparabilémque sapientiam, cum Imperatore, qui ab eis stabat, egerunt, vt ad Pictauiensem eum ire Ecclesiam iuberet, quo longè à Concilio amoueretur. Lect. V. *Sed* inter eundum in Insula Gallinaria serpentes (quorum magna est in illa Insula, non sine pernicie hominum, copia) compescuit, faceréque imperata coëgit. Pictauis etiam infantem sine baptismo defunctum, intensissimis deprecationibus ad vitam reuocauit. Lect. VI. *Postremò* cum multis claruisset miraculis, & mortem suam ante prædixisset, Pictauiis mortuus est, atque sepultus, Valentiniano, & Valente Imperatoribus. Vbi non paucis postea miraculis claruit. Eius sanctas reliquias Ecclesia hæc Valespirensis, cum aliis aliorum Sanctorum, summa veneratione ab immemoriali retinet, & colit.

Hactenus Lectiones. P. Anton. Vincent. Domenec Histor. SS. Cathal. die XI. Augusti fol. 76. hæc in summario Capituli præscribit. *De Sancto Tiburtio Martyre*, S. Hilario Episcopo, *S. Marcello Papa, quorum reliquias, aut Corpora habet Ecclesia Arelatensis, Comitatus Valespirensis, diœcesis Helenensis.* Post in corpore capituli circa finem postquam cœnobij constructionem oppinxit, hæc prosequitur. *Si huius cœnobij excellentiam attendimus propter reliquiarum thesaurum, incipiemus ibidem cæli Sanctuarium adesse. Quia ibi sunt Sanctorum Abdon, & Sennen sacratissima corpora, de quibus tot stupenda referuntur miracula.* Deinceps post aliorum Sacrorum pignorum narrationem, ad nostri deueniens glebas, ità ait: *Sed quorum Sanctorum lipsana notiorum ibidem requiescunt sunt S. Tiburtij Martyris, cuius festum colitur die XI. Augusti.* S. Hilarij Episcopi *XIV. Ianuarij*, &c. *Quorum acta reticeo, quoniam nota, & apud Florem SS. Villegas, notiora.* Nec his obstat quod apud Pharisæos, & alibi hæc esse condita sacra pignora perhibetur. Nam vnusquisque in suo sensu abundat, & pietatis mens haud facilè à concepta apprehensione diuertitur. Audi eius Encomion à P. Ioanne Baptist. Masculo *in Cælit. Encom. fol. 31. n. 19.*

S. HILARIVS

SANCTVS HILARIVS EPISCOPVS PICTAV.

SYNOPSIS.

Hæreticis maximè infensus fuit, præsertim Saturnino. Constantio item & Valenti Impp. Arianis se acriter opposuit. Eiectus est in exilium, sed rediit tandem cum omnium gratulatione. Eius eloquentia, & doctrina laudatur.

ENCOMION XIX.

Nemo tantum impiis mœroris attulit, quantum HILARIVS.
Tantum religioni gaudium non facile quisquam.
Murus est dictus oppositus Ario,
sed coronam ex eo muralem victor adeptus est nemo.
Effecit in primis, ne Saturninus impio cultu
aureum interficeret seculum.
Minanti ferrum restitit adamantinus.
Quin & feras venatus est morsu acies;
testis Vrsacius venabulo sapientiæ ictus.
Inualidis, immò nullis se viribus Valens ipse collatus sensit,
nihil apud ipsum infirmius, Constantio fuit;
viluit huius purpura, cùm ipsam liuor infecit.
Qui eiecerunt ex vrbe Pontificem,
non viderunt, se educere nostrum Imperatorem in campum:
cum ipso Marte congressus est, nempe Ario;
sed tandem è prælio reuertenti cum laurea,
occurrit Gallia triumphali cum pompa.
Vidit ætas veterem in Aquitania Romam,
tantò celebriore triumpho,
quantò censendus est dignior,
qui dedicatus est religioni victrici.
Nihil habuit eius sermone concinnius comata Gallia,
Cometes videri potuit lucidus, sed fatalis improbis:
immo per duodecim de Augusta Triade libras,
Solem se declarauit, excurrens totidem quasi per signa.

Monasterium Arelatense in comitatu Valespirensi. De eius antiquitate, tempore Caroli Magni, adest Ludouici Regis Franciæ, ipsius filij, diploma hoc exarata sermone.

CARTA

CARTA PROTECTIONIS à Ludouico Pio Imp. Monasterio Arelatensi Valespirensium, Abbatíque Castellano concessa.

Regnante in perpetuum D.N.Iesu Christo, qui ab arce poli descendere dignatus est in aluum Virginis, ac deinde in præsepio, de præsepio in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro in tartara, de tartaris redit ad æthera, binis viris albis indutis, testantibus, ac postremum reuersurus ad iudicium, in quo iudicio vnusquisque quod gessit retributionem accipiet: deputantur iniusti ad supplicia, iusti autem ad vitam æternam, qua retributio nullum habet terminum neque in malo, neque in bono. Quamobrem propter amorem æternum, & timorem horribilem; vt euitare valeam mansionem diaboli, & habere valeam mansionem cum Christo, hocque consequar orationibus Sanctorum, & precibus iustorum, qui in hac vita monasticam degunt vitam in solitudinibus: Ego LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus, vt de hoc quod mihi Dominus largitus est, per memetipsum aliquid Deo conferrem. Nam cùm coram me ad Curiam venerit Abbas Arelatensis Castellanus, qui nobis retulit, quod Monasterium Arelatense in Valle Spirense ad Pyræneos à se constructum imperante Carolo Patre meo, iam monachorum numero abundasset, quapropter, efficaciter supplicauit, vt Monasterium, Monachos, terras, prata, aquas, homines, & iumenta, ipsi Monasterio destinata sub protectione, & defensione nostra positos, & receptos in libertate conseruare decerneremus. Ego vero ne Monachi à pace spiritus, & à laudibus Deo faciendis resipiscant, pro salute animæ meæ, vxoris, filiorum, & mei Imperij quiete, ab hac ora sub imperiali protectione, & defensione recipio Ecclesias S.Petri Arelatensis, S.Ioannis Riardensis, & S.Iuliani, Abbates, Monachos, ipsarum, earúmque domos, & curtes suas & auellas, & homines tributales, & quidquid earum est mobile, & immobile, cultum, vel incultum, rura, prata, campos syluas, aquarúmque decursus vtque omnia, & singula illis sint firma, & stabilia. Ideo illis hanc Cartam protectionis concedimus, vt deinceps nullus Comes, Iudex, vel alia persona, &c. Denique illis concedimus, vt quotiescumque Abbatem mori contigerit alium ex ipsorum Monachorum cœtu habilem, si illic inueniatur eligere valeant in Abbatem, & Patronum. Et vt hæc nostræ protectionis Constitutio firmiorem obtineat vigorem, & ab omnibus Imperij nostri fidelibus plenius per tempora conseruetur manu nostra subterfirmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Data XV. Kal. Octobr. Anno Christo propitio VIII. Imperij Domini H.Ludouici Piissimi. Indict. XIV.

Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

P.Anton. Vincent. Domen. d. fol. 76. meminit huius diplomatis, cuius copiam in manus meas deuenit. Annus ipsius est DCCC. XXI. Nam Carolus Magnus V.Kal. Februarij. Anno DCCCXIV. viuere desiit, à quo die numerantur anni Ludouici filij. At cùm diplomate VIII. Imperij adsignetur, nulli dubium, quin inciderit diplomatis data in annum DCCC. XXI.

ARELATVM. Vrbs in Pyræneis hodie ARLES. Olim dicta AQVÆ CALIDÆ vt probat Hieron. Pujad. lib. 2. c. 1. fol. 35. & lib. 4. c. 34. fol. 179. De qua & de *Vallespirensi* suis locis agemus.

C SS. GVMESINDVS, & SERVVS-DEI. Cordubenses Martyres fuere, quorum acta breui periodo est S Eulogius prosecutus, A quo M. R. his verbis: *Cordubæ SS. MM. Gumesindi Presbyteri, & Serui-Dei Monachi.* Baron. tom. 10. Annal. Eccles. ann. 852.

ann.852.n.11.in principio, sic: *XIII. Ianuarij die passi sunt* Gumesindus *Toletanus,& * Seruus-Dei *Monachus. Gumesindus enim à puero Corduba enutritus,& in Ecclesia trium Martyrum Fausti, Ianuarij, & Martialis educatus, demum ruralis Ecclesiæ Sacerdos effectus, atque vnà cum Seruo-Dei Monacho in ciuitatem veniens, vnà cum eo in eadem Christi confessione persistens, martyrium consummauit.* Vvion tom.2. lign. vit. lib.3. sic: *Corduba in Hispania Sanctorum Martyrum Serui Dei, Monachi Cordubensis, & Gumesindi Presbyteri, qui passi sunt Era DCCC. XC.* Eadem Dorganius, & Hugo Menard. De eis S.Eulog. in Memor.SS.lib.2.c.9. P.F.Anton. de Yep. in Chron. Bened. tom.4. Ann.852.c.2. Franc.Pissa Hist.Tolet. lib.3.c.7. Ambrosf. de Moral. Hist. Hisp. lib.14. c.12. Mariana ead. Hist. lib.7.c.15. Mariet. lib.2. c.91. P. Martin. de Roa Hist. SS. Cordubens. c.1.fol.1. Villeg.Sanctor.Millan,& alij flor.SS.Scriptores. Acta dabimus ex D.Eulogio, sic:

ACTA EX D. EVLOGIO MARTYRE electo Archiep. Tolet. lib.2. Memor. Sanctor. cap. IX.

S. GVMESINDVS Presbyter ex oppido Toletano, olim cum vtroque Parente, puer adhuc paruulus Cordubam veniens, votiuo genitorum affectu, per sacrum clericatus ordinem cœlesti adscriptus militiæ apud Basilicam Sanctorum trium, qua Faustus, Ianuarius, & Martialis Martyres præsentialibus Corporum suorum exuuiis quiescunt, pædagogorum educatione in Dei timore clarescit. Vbi post aliquod tempus in Sancto Diaconij ministerio consecratus, demum cuiusdam Campaniæ Cordubensis Ecclesiæ Sacerdos adolescens præficitur. Inde ad Vrbem descendens cum B.SERVO-DEI Monacho, qui tunc in supradicto Sanctuario adhuc iuuenis cum Paulo Presbytero reclusus manebat, Principibus,& Iudicibus ambo assistentes, sub confessione cæterorum occubuere Idibus Ianuarij Era DCCCXC. Quorum corpora furtim à Christianis sublata in Basilica S. Christophori Martyris, quæ est vltra amnem, in parte meridiana, religioso cultu extant recondita.

Tria hic supplenda sunt, PRIMVM originem,& institutum *S.Serui-Dei.* Ab ipsa Cordubensi ciuitate traxisse prosapiam demonstrant P.Roa in Indiculo Topographo Sanctorum Martyrium in exordio, operis, & Vvion in Martyrol. Monast. h. d. ibi: *Serui-Dei Monachi Cordubensis.* Et cum hac sententia transeunt scribentes. *De Instituto,* apud omnes conuenit fuisse ex Benedictino, vt ex Vvion. Menard. Dorgan.& Yepes, licet P.F.Marc.de Guadalaxara in Thesaur.spiritual.Ordin.Carmelit.inter eius Sanctos conscribat, fol.55.col.2. SECVNDVM, quo martyrij genere? Cui faciunt satis Morales, P.Roa,& Yepes, credentes ceruicibus plexos esse. TERTIVM. Quo iussu, & iuxta annorum numerum ex Era, quæ commutata in annos D.N Iesu Christi, incidet ad annum DCCC.LII. quo Abderrahaemannus eo nomine II.Cordubæ Rex,& Mahomad eius filius cruentam in Muzarabes excitarunt persecutionem. Quibus nil est quod dubites.

CORDVBA quæ, & Colonia Patricia. Nobilissima Romanorum imperio vrbs Episcopalis in Bætica, ad citeriorem Bætis ripam, vbi is nauigabilis esse incipit, in planitie. Marcelli opus à Strabone, Prima in Bætica Romanorum Colonia ex nobilitate Romana, Maximum illius sæculi emporium, Turdulorum Metropolis *(ex eoque Ilipense Municipium in Beturia Turdulorum amantissima Patria mea illi paruit)* Vrbs Patritia, Vlterioris Populorum Hispaniæ Patrona. A Gothis exculta, ab Arabibus ornata. Illorum Regium fastigium, Istorum Imperij Sedes. Illis imperare aliis insigne fuit, Istis parere nemini magnitudo erat. Scientiarum mater prosperitate Romana ex Martial. lib.1. epigramm. LXII. sic: *Facunda loquitur Corduba.* Artium altrix opulentia Gothica, vt ex Luitprando,& Iuliano. Philosophiæ Magistra tyrannide Arabica, exin Auerrhoes, Auicennas, Razes.& alios. Quid plura? perlege volumina, euolue Codices, & quæ fuerit Corduba comperies. Pro nunc ista cogita, aliò maiora cognosces.

TRANSLATIO

D TRANSLATIO S. FIRMINI. Fuit Hispanus, & Episcopus Pampilonensis, à qua, & vrbe ortus, post Ambianensis; de quo nullus dubitat. Quo supposito ad translationem veniamus. De ea hoc die Maurolyc. Petr. de Natal. Catal. SS. lib. 2. c. 70. Gales. hisce verbis: *Eodem die Ambianis* Translatio S. Firmini *Martyris, qua in translatione multa miracula diuinitus facta sunt. Caloris enim æstus, adulta iam hyeme, maximus factus est: arbores, à frondibus nudæ, frondescere cœperunt, quibus frondibus ægri sanabantur.* Eadem ferè Andreas Saussay, tom. 1. Martyrol. Gallic. fol. 34. Ferrar. in Catal. Gener. SS. h. d. fol. 25. Acta huius translationis ex tribus veteribus M S S. à Bollando collatis dabimus.

ACTA INVENTIONIS, ET Translationis pignorum S. Firmini Ambianensis Martyris, ex Tribus Veteribus MSS.

REGNANTE Teuderico per totum orbem Francorum, ad annum Domini D C. X V. ignorantibus populis vbi corpus Almi Martyris Christi *Firmini* requiesceret, Spiritus Sancti gratia edoctus S. Saluius Episcopus Ambianensis perrexit ad locum, vbi Martyr Christi quiescere dicebatur opinione confusa. Illic ad cœlum oculos erigens, vidit, quasi radium, Solis ab arce præcelsi throni exire, & in eo loco, in quo *S. Firminus* requiescebat inenarrabili terrore fulgere. Qui mox immensas diuinæ misericordiæ referens gratias, cum magna reuerentia cœpit fodere, ac sepulchrum Almi Martyris aperire. Odor quoque suauitatis illicò tantus excreuerat, quasi illic omnia genera pigmentorum contunderentur, & aromatum, & ager virens amœnitate diuersorum florum adesset. Cumque eleuassent eum de Sepulchro, & iter carperent, deferentes Populi Sanctum Martyrem ad vrbem; obuiam plurimæ occurrentes cateruæ sternebant vestimenta sua in via, & voce magna clamabant: *Osanna in Excelsis, benedictus, qui venit in nomine Domini.* Quem in Ecclesia, quam ipse Beatissimus Præsul Saluius construxerat, in crypta Orientali in honore eiusdem Martyris miro opere insignita conlocauit, & digno cum honore tumulauit; insupérque Sepulchrum eius, auro, gemmísque nobiliter decorauit. Quo facto ad palatium Teuderici Regis repentinus intonuit nuntius de inuentione sacrati corporis. Atque, cùm huiusmodi sermo ad aurem ipsius Principis, & præcellentissimæ collateraneæ suæ Rodechildis Reginæ perlatus fuisset, tunc ipsi ambo amore Christi, & Angelo pietatis repleti, oculos, ac manus ad æthera suspendentes, cœperunt immensas Deo omnipotenti agere gratias, qui tali scilicet pignore eius regni tempore hanc vrbem Ambianensem dignatus est declarare.

Petrus Galesinus in notulis ad suum Martyrologiem hoc die fol. 25 hanc accidisse inuentionem anno D C C. X X V. agente S. Saluio Ambianorum Episcopo. Credo à Bibliopola irrepsisse mendum, & loco DC.XV. (quo tempore S. Saluius erat Ambianensis Præsul, vt erudite probat Bolland. tom. 1. Act. SS. fol 704. n. 6. & 7.) excusum DCC.XXV. quod fœdum est commentum.

AMBIANI. Populi Galliæ vt diximus in vita S. Saluij supra ad diem X I. huius Mensis, de quibus, nihil noui occurrit.

DECIMO NONO KALEND. FEBRVARII, DIES XIV.

A. S. EVPHRASIVS *Oſtiarius B.Iacobi, & ipſius diſcipulus, ſepulto corpore SS. Magiſtri, Romam petit, vbi à B. Petro Epiſcopus conſecratus, Hiſpanias reuertitur, circa Iliturgim, & Aſotam, & in toto agro Carthaginenſi prædicat, vbi glorioſam adeptus eſt martyrij palmam. Eius ſacra pignora exin tranſlata in Oppido Valdemao in Gallœcia honore debito requieſcunt.*

B. Prope Carthaginem Spartariam non procul à Portu Ciuitatis paſſio S. CLARI, *ſeu Cleri Diaconi, qui cùm S. Indaletij fuiſſet diſcipulus, & alumnus, cum aliis clericis pro fide Chriſti in mare crudeliter ſuffocatur.*

C. Iliturgi in Bætica Hiſpaniæ natalis S. CLERI *Martyris qui B. Euphraſij Diaconus perhibetur, qui cum eo ſimul ad agonis certamina accedens pro fide, item pro Chriſti confeſſione ad lauream martyrio conceßit æternam.*

D. In Diœceſi Pacenſi ad Anam fluuium depoſitio S. MANRI *cuius ſacrum corpus in Oppido cui nomen Membrillar adſeruatum, honorifico apud vicinos populos veneratur cultu, & præcipuo apud accolas colitur apparatu.*

NOTÆ.

A SANCTVS EVPHRASIVS. Eius memoriam recolunt ex antiquis Martyrologiis nonnulla. Inter quæ Prim. Cabilonenſ. in Topograph. SS verb. *Eliturgium*, nulliter à Bollando citatus, imò nec à P. Biuar. nec à Roder. Caro: Quo loci expreſſa Fl. Dextri verificatur opinio, ſic: *Eliturgium, ſiue Licurgium, ſiue Turrigium, Ciuitas Hiſpaniæ, quam L. Marinæus vocat Turrim Iuliam. Hic ſedit Epiſcopus Euphraſius ex Diſcipulis dicti Apoſtoli* (Iacobi) *vnus*. Cuius veſtigia inſequens Petr. Equil. in Catal. SS. lib. 11. c. 130. n. 34. proſequitur: *Euphraſius Epiſcopus, & Clerus Diaconus XIX. Kal. February paſſi ſunt.*

Quibus

Quibus accedunt Maurolyc.& Vsuard. Fallitur proculdubio Biuar. qui nostrum cum illo de quo in Martyrol. Romano hoc die confundit. Nam ille in Africa, Noster in Hispania. Ille Thenitanus Antistes, Noster Illiturgitanus Præsul. De illo agunt omnes qui Africæ passum referunt. De nostro cæteri, qui aut sine assignatione loci aut ea præuia, loquuntur. In Antiquo Martyrologio Romano iussu Iulij III. ab Alex. de Peregrinis concinnato, deficit locus, & prouincia agonis, & tantum nomen reponitur. De eo apud Nostros frequens memoria est, vt videre est apud Dextr. in Chron. ann. 35. n. 1. ann. 37. n. 1. ann. 43. & ann. 54. n. 8. Iul. Perez in Chron. n. 9. & Aduers. 370. S. Eulog. in Apologet. Martyr. §. Exortus. Vincent. Bellouac. specul. Hist. lib. 8. c. 6. Baron. tom. 1. ann. 46. n. 2. Moral. lib. 9. c. 13. Garibay lib. 7. c. 4. Beut. lib. 1. c. 25. Vass. in Chron. ann. 44. Pined. lib. 10. c. 25. Corolian. in Breu. temp. ann. 46. Padill. cent. 1. c. 19. Bozius de sign. Eccl. tom. 1. lib. 4. c. 1. Marin. Sicul. de Reb. Hisp. lib. 5. M. Franc. de Rus Puerta. Hist. Giennens. tom. 1. sæcul. 1. c. 7. D. Maur. Castel. Hist. S. Iacob. lib 2. c. 14. fol. 171. Ex omnibus hanc actorum ecphrasim veritate nitentem compaginabo.

Euphrasius ex genere Iudæorum, qui in Tribuûm transmigratione per vniuersos Orbis circulos dispersi fuerant, & cum Nabuczerdam in Hispaniam deuenerant, ortus, & apud Hispanos educatus, in eorum Synagogis maximam adeptus auctoritatem, & in pretio habitus, ad sese omnium animos arripiebat. Ergo cùm illorum Principes, qui Hierosolymæ inhabitabant, de Christi D. N. nece soliciti conuenissent, & quæ in animo haberent, per epistolas Hispanis Iudæis rescriberent, vt omnium in facinore fœdo vota perciperent: Quibus (intellecta Christi sine labe vita, eiúsque miraculorum fama ad amussim perspecta) non solum (in tale conuenientes peccatum) non adhæserunt, sed aliquos ex præcipuis virtute, & doctrina Viris, vt Dominum inuiserent, transmiserunt. Qui de Sanctissimi Crucifixi suorum inuidia, natali, operibus, prædicatione, miraculis, vita, & morte, necnon de doctrina, Discipulis, Apostolis, & Sanctissima Matre quidquid inuiserant, acceperant, & probauerant rescripserunt. Quo ab Hispana Synagoga percepto, illico ad Petrum Christi Vicarium, vt vnum ex Christi Apostolis, remitteret qui veritatem fidei Crucifixi demonstret, Euphrasius noster, & Indaletius, Legatorum ab omnibus Hispaniæ Synagogis titulo consignati, dimittuntur. Carpit cum socio viam Euphrasius, & Hierosolymam ingressus, Petrum alloquitur, legationem exponit, & vt desideriis Hispanorum faciat satis, humilibus Apostolorum Principem efflagitationibus circumuenit. Cui Petrus omnia in Dei honorem conducibilia promittit. Tunc Euphrasius cum socio, quidquid Apostoli peragebant, intuens, fidei veritate cognita, illico eius coram Iacobo Zebedæi filio, ad hoc opus diuina sortione Hispaniæ Apostolo designato, instantibus veritatis stimulis, professionem Christianus toto corde emisit efficaciter. Igitur completo dispersionis Apostolorum tempore, Iacobus more Apostolico, XII. Discipulos, inter quos Euphrasium, & socium assumens, Hispanias adiit, & in eius contubernio, Ostiarij ordine suscepto, peragrata ferè omni prouincia, iterum Hierosolymam vsque, Sanctum indefessus Magistrum discipulus comitatur. Illic post Iacobi Patroni, studio Iudæorum, Herodis inconstantia, & Pharisæorum inuidia, gladium, quo Boa-nerges occubuit cum aliis commanipulariis sacra Magistri pignora adsumens, numinis nutu, & Virginis monitu Ioppem peruenit, & marmoreo nauigio, quo Iacobi lipsana conderentur, arrepto, aut conducto, flantibus ventis Iriam perueniens Flauiam Gallæciæ vrbem, ibidem conuocatis Regionis condiscipulis, erecto corpori mausolæo, insuperque Ara erecta, honorificè pignora tumulauit. Quo peracto vnusquisque tàm ex aduenis, quàm ex accolis discipulorum ad prædicationis ag-

greditur functionem. At Euphrasius Noster cum sociis, qui è Hierosolyma sacras comitarunt exuuias Romam perrectus, à B. Petro Episcopus consecratus, Hispaniam rediit, Iliturgim, Assotum, agrúmque totum Carthaginensem prædicat, euangelizat, fideique mysteria disseminat, quousque Anno II. Imperij Neronis, Christi nascentis LVII. per gloriosum agonis triumphum, ad indeficientis coronæ symbolum Martyr peruenit intrepidus XIX. Kal. Februarij. Ipsius corpus apud Iliturgim honorificè quieuit, ad cuius tumulum Sisebutus Gothorum Rex magnificam construxit Basilicam, quæ ad Hispaniæ vsque excidium, miro populorum concursu, perdurauit. Sed Regis & plebis instantibus, vt creditur, sceleribus, Prouincia Maurorum incursibus populata, Christiani Iliturgitani in Gallæciam sacra deferentes pignora, in cœnobio cui vocabulum *Valdemao* adhuc honorifico cultu perseuerant. Aliquot Philippus Rex Hispaniæ huius nominis II. Catholico fidei zelo, iussu, & prece eruta, partim Iliturgi, in illustrem, quam tunc Ciuitas illa feruenti amoris copia cœperat ædificari Basilicam, & partim ad Regale D. Laurentij cœnobium in Excuriali ab ipso pientissimo Rege, potentissimè extructum, commendauit. Nunc apud Valdemao huius extractionis adest lapis causam demonstrans, sic:

D. O. M.
IN HOC SACRO TVMVLO DIVA
CONTINENTVR EVPHRASII
OSSA QVORVM PARS ERVTA
IVSSV REGIO HVMILIQVE PRECATV
PHILIPPI II.
VIII. KALENDAS IVNII ANN.
M. D. XC. VI.
MIRE FRAGRANS INDVBITATAM
DE SE POSTERIS RELIQVIT
FIDEM.

Hucusque, quæ ex actis agnouimus Eminentiss. ac Reuerendiss. Cardinalis D. ac Dom. D. Balthazar de Moscosso, & Sandoual Ecclesiæ Giennensis tunc Præsul, nunc, & si reluctanter, Toletanæ omnium Maximæ Archiepiscopus, in Synodo Diœcesana eius interuentu Gienni congregata Anno M. DC. XXIV. instantibus Dei zelo, Sanctorum deuotione, (quantos heu in suo agnouit Diœcesis Præsulatu!) & propria affectus efficacia, ad acuendum corda fidelium, & vt suo Primo Apostolo Euphrasio debitus solueretur honoris gradus, XV. diem Maij, quo illa festum concelebrat Ecclesia, in tota indixit Diœcesi festiuum.

Nunc ad ecphrasis comprobationem, pedem referamus. In qua PRIMO de origine *Euphrasij* disceptandum. Quod fuerit ex genere Iudæorum, qui cum Nabuczardam in dispersione, venerant in Hispaniam patet: Nam Iulian. Perez in Chron. à n. 8. agens de illis Epistolis, quas hebraicè, latinè, & arabicè repererat in actuariis S. Iustæ Toletanæ, refert, quod in tertia hebraicè exarata, continebatur responsio Annæ, & Caiphæ, Ioseph, & aliorum, complectens inuidiæ erga Christi discipulos acrimoniam, ex eo quia, ne illos in Hispaniam reciperent, illis literis persuadebant, quin potius, vt elusores, & nebulones ab vrbibus expellerent. Quibus nec acquiescit Hispana Synagoga, sed potius illico *miserunt* (inquit Iulianus n. 9.) *Euphrasium, & Indaletium, rogantes Petrum, & cæteros Apostolos, vt statim Iacobum mitterent.* Ergo si Euphrasius à Synagoga Legatus ad Petrum fuit designatus, à fortiori ex Iudæis illius Synagogæ numerandus, venit: Nulliter enim Gentilis ad hoc obeundum munus eligeretur, & præcipuè Iudæi, qui vt nefas censebant, illorum etiam commessationes intueri, quanto magis secreta committere. Probátque Dexter ann. 55. n. 1.

SECVNDO. De Consilij sententia in neçe Christi D.N. expressus est locus, ipsius Iuliani

Iuliani num. 8. sic: *Quarum vna* (loquitur de Epistolis supra relatis, repertis) *erat Iudæorum Hierosolymitanorum, ad Hebræos Hispanos, præcipue Toletanos, & Zamorenses, vt suffragarentur in mortem Christi Saluatoris.* Et paulo inferius, prosequitur: *Et nullo modo voluerunt consentire in necem Innocentissimi* I e s v. De quo plura apud Hispaniæ Scriptores, quæ vt notiora prætermitto. De Legatione Euphrasij, & Conuersione, idem Iulianus sic: *Qui venientes* (Euphrasius, & Indaletius) *Hierosolymam, dederunt suas Epistolas Petro, & visis eius miraculis conuersi sunt.* De Aduentu cum B. Iacobo, & Ostiarij ordinis functione Dextr. ann. 37. num. 1. sic: *Multos etiam discipulos, præcipuos autem numero XII. more Apostolico, in Hispaniam secum portat, Indaletium, & Euphrasium Ostiarios.* De prædicatione, & martyrio apud Iliturgim, Dexter. ann. 54. num. 3. ibi: *Euphrasius Iliturgi non procul Carthagine Spartaria, populis qui dicuntur Contestani ad vrbem Assotum, totoque agro Carthaginensi, prædicans feruenter discurrit.* Quem sequitur Iul. aduers. 370. sic: *In hoc oppido Iliturgi Bastetanorum fecit Rex Sisebutus Ecclesiam in honorem* S. Euphrasij *discipuli S. Iacobi, ibidem Episcopalem Sedem habentis: Nunc diruta est, & ruinæ dicuntur* Tarauilla, *vbi passus est* S. Euphrasius *Martyrium II. Anno Neronis Imperatoris. Cuius corpus à Christianis Iliturgitanis delatum est in Gallaciam, in Maurorum irruptione, qui Iliturgim hanc deleuerunt.* Hanc Basilicam ad annum DC. XII. fuisse conditam suspicantur nonnulli, de ea mentio est apud B. Eulogium Cordubensem Martyrem in Apologet. §. Exortus, sic: *In hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus in catholico dogmate claruit, & Sisebutus Toleti Regale culmen obtinuit. Ecclesia* B. Euphrasij *apud Iliturgi vrbem, super tumulum eius ædificatur.* De Discipulatu, iterum, & aduentu in Hispanias cum S. Iacobo, & pòst tumulato corpore Sanctissimi Magistri in Romam profectione, vbi à B. Petro, Episcopus cum sociis consecratus, & iterum in Hispanias remissus, quò illustre illud Pontis apud Accim miraculum euenit; adest hymnus S. Isidori, quem die X V. Maij dabimus. Hic tantum subiicio Guilielm. Eissen Spirensis ab Alderete de antiquit. Hispan. lib. 2. cap. 14. fol. 283. relati, de Origine, & discipulatu S. Euphrasij sententiam, hisce verbis: *S. Euphrasius. Hispanus, Iacobi Zebedæi auditor, & Discipulus, Iliturgi ordinatus est Episcopus anno Christi XLV. Claudio Augusto Germanico V.* C o s. In Antiquissimo Breuiario manu exarato Ecclesiæ Asturicensis, quod apud me est, hoc de S. Euphrasio hymni fragmentum comperi, en tibi do; etsi absque metri norma.

HYMNVS DE S. EVPHRASIO, ex Manuscripto Breuiarij Asturicensi.

Inclyte Pastor, eia
foue, refoue pius
quos recolunt suaues
lumina sancta tua.
Iam Iliturges illa
Cadaueris Euphrasij
inclyta membra simul
cordéque, & ore colunt.

Tu quia Præsul horum
Tunc eras almus; eò
Viscera, corda tibi
limpidè, purè vouent.
Igitur hic properè
Martyr agone ruis;
Cælos vt Almus eas
Laureo vinctus, Amen.

Cætera quæ hic adnotari possunt communia sunt cum aliis S. Iacobi Discipulis, quorum festiuitas, à S. Matre Ecclesia X V. Maij die recolitur. Ibidem de omnibus ad amussim.

B S. Clervs Diaconvs S. Evphrasii. Duos hoc die *Cleros Diaconos* agnosco, vnusquisque Martyr, licet diuersos sequeretur Episcopos, pateretur agones, ac alius Iliturgi, alius Carthagine noua ad palmam peruenerit. Hic Euphrasio adhæsit, alius Indaletio. Ille mucrone, iste Maris immersione. Vterque

 Hispanus,

Hispanus, vterque Diaconus, & vterque Discipulorum discipulus. De isto S. Euphrasij verba fecit Equilinus in Catalog. SS. lib. fin. c. 130. n. 34. sic: *Euphrasius Episcopus, & CLERVS Diaconus XIX. Kalend. Februarij passi sunt.* Ergo ab alio diuersus, vt infra dicemus. Cui adstipulatur M. Rus Puerta Histor. Giennens. tom. 1. sæcul. 1. cap. 7. num. 8. ibidem: *Equilinus S. Euphrasio consignat martyrij socium CLERVM Diaconum. Quod veritati cohæret, nam S. Euphrasio, vt Episcopo, non erat denegandus Diaconus. Sicque cum Episcopo ad martyrium properasse credendum est. Et cum Iliturgi multi (ex Dextro anno 60.) passi sunt, in solo Euphrasio non adimplebitur locutio, ergo ad minus duos passos confiteri rigor Grammaticalis impellit, & hos fuisse Euphrasium, & CLERVM eius Diaconum posteritas agnoscit.* Nec obstat coniectatio P. Biuarij ad Dextr. ann. 54. num. 2. fol. 109. credens, Clerum Indaletij Diaconum, fortè S. Euphrasio adhærentem tempore agonis, cum ipso ad martyrij palmam properasse. Nam hoc absque rationis, & authoritatis fulcimine, commentitium est. Quid de isto nunc dicam CLERO, altum silentium. Nunc ad Iliturgitanæ vrbis originem pergo.

S. CLERVS, seu CLARVS DIACONVS S. INDALETII. De istius martyrij laureola copiosior memoria est. De eo apud Vsuard. ex MSS. Belgicis, apud Boll. h. d. fol. 932. sic: *Eodem die S. CLERI Diaconi, & Martyris, vnius de antiquis, qui post multa tormenta, in mare præcipitatus martyrium consummauit.* Eadem ex Adone ex MS. Monasterij S. Laurentij Leodiens. & Bedæ ex MS. Societ. Iesu Antuerp. Item MS. Lætiens. & S. Martini Tornacens. Quæ omnia, & alia MS. Martyrologia concinnauit Bolland. vbi supra d. fol. 932. Quis iste sit Clerus ex Diaconis antiquis, in mare proiectus, si quæritas, en ex Flau. Dextro in Chron. ann. 54. vbi Biu. num. 2. responsum: *S. Indaletius Vrci, Illiberi, Carthagine Spartaria, & Eliocrate prædicans in illis partibus celeberrimus habetur; quem CLERVS Diaconus comitatur. Qui* Diaconus *cum multis Clericis prope Carthaginem Spartariam, non procul à Portu Ciuitatis in mare crudeliter detruduntur.* Ecce alterum Diaconum S. Indaletij nomine CLERVM, in morte, in loco, & in sociis diuersum. Oggannit Bollandus, ex eo quod apud Nostram nulla sit mentio huius Martyris Carthaginem. Cui fiat satis D. Franc. Cascal. Histor. Murcit. discurs. fin. cap. 6. fol. 450. col. 4. licet de Claro, seu Clero duos diuersos mutuet Martyres. Alium Clarum, & alium Olerum, pro Clerum nominet. Et licet apud Antiquos ipsius fuerit oblitererata memoria, quid mirum? Si Carthago Nostra tot passa est interitus, desolationes, & excidia. Perlegat Bollandus Annales Hispaniæ vetustiores, & comperiet, quantum adsit miraculum, vt nominis memoria illius recordetur ciuitatis. Hactenus de CLERIS: ad vrbes descendo.

ILITVRGIS, seu ILLITVRGIS, aut ELITVRGIVM Ciuitas Bæticæ in Bastetanis, hodie ANDVXAR EL VIEIO. Variè & in Geographia, & in Orthographia apud Scriptores inuenitur. Nonnulli simplici, nonnulli duplici L. conscribunt. Luitprand. aduers. 277. hæc refert: *In pluribus Codicibus Liuianis III. Decadis, Lib. VIII. legitur.* ILITVRGIS *simplici L. & ita legendum est, ad differentiam alterius Bæticæ, quæ scribitur duplici, licet apud Eulogium, simplici scribitur.* Ex hoc apparet aliam fuisse in Bætica *Illiturgim*, duplici LL. conscribendam, ad differentiam alterius, quæ simplici scribebatur. Sed quò illhæc fuerit sita in Bætica duplici LL. Ciuitas, nec Luitprandus, nec alius, ante, póstve Scriptor demonstrat. Fortè aliquod fuisse oppidulum Puerta vbi sup. cap. 8. num. 6 præsumit ignobile. De Iliturgi Bæticæ ista meminere Ptolom. lib. 2. Tabul. 2. Europ. cap. 4. licet *Illurgim vocitet.* Plin. lib. 3. cap. 1. inter vrbes Cordubensis Conuentus, sic: *Illiturgi, quod Forum Iulium.* Ambros. Moral. in Antiq. cap. 1. fol. 57. Puert. cap. 9. num. 1. Sisebutus Gothorum Rex in l. 13. tit. 2. lib. 12. in Legibus Gothor. rescribens Episcopis, & Iudicibus apud Bæticam constitutis in hunc modum: FLS SISEBVTVS REX. *Sanctissimis, ac Beatissimis Agapio, Cæcilio, item Agapio Episcopis, siue Iudicibus ibidem constitutis, similiter, & reliquis Sacerdotibus, & Iudicibus in territorio Arbi, Vrgi, Sturgi,* Illiturgi, *, Beatia, &c. consistentibus.* Augusti Antonini itinerarium ex recensione Zuntæ, Schoti, & aliorum. sic fol. 91.

Iter

Iter à Corduba Castulonem.
Calpurnianam. *M. P. X X V.*
Vrgaonem. *M. P. X X.*
Iliturgi. *M. P. X X X I V.*
Castulonem. *M. P. X X.*

Quo loco Hieron. de Zurita fol. 552. hæc adnectit : *In Blandiano, & reliquis* Iliturgis M. P. X X X I V. *In vetustis Pliny exemplaribus, simplici In* Iliturgi *quod* Forum Iulium. *Ptolemai libris non rectè in mediterraneis* Turdulorum ἰλυργις. *Liuius lib.* 28. Maximè insignes Ciuitates Hispaniarum, & magnitudine (*inquit*) & noxa *Iliturgi*, & Castulo erant. *Et locus ille, qui à Prisciano laudatur lib.* 6. Inueniuntur. (*inquit*) & barbara in I. Liuius X X I I I. ab V. C. *Iliturgi* oppidum expugnabatur. *Hucusque Zurita.* Nos de hac vrbe hucusque.

B S. MAVRVS. Huius Sanctissimi Abbatis corpus in oppido cui vocabulum. *Membrillar Diœcesis Pacensis in Extremadura*, adseruari fatetur P. F. Ioann. Mariet. in Topographia Sanctorum. lib. 22. fol. 10. col. 2. verbo *Badajoz*, vbi hæc referuntur verba : *Pax Augusta Ciuitas Extremadura, Sedes Episcopalis, ab Augusto Cæsare condita. Adiacet flumini Ana, & in ipsius vrbis oppidulo* Membrillar *nomine, condi dicitur corpus* S. MAVRI ABBATIS *Discipuli S. Benedicti. Quo tempore, vel à quo ibidem translatum fuisse ignoratur.* Hactenus Marieta. Cuius opinionem secutus est M. Ægid. Gonzal. Dauila Regius Historiographus in Theatr. Eccles. Pacens. cap. fol... Quod apud nostros inuenio certissimum ; est, ipsius Sancti Abbatis festiuitatem, & officium à multis retro sæculis in ferè omnibus Hispaniæ Ecclesiis, & communitatibus, & coli, & recitari, vt patet ex Breuiariis Compostellano anno 1469. die X V. huius Mensis, Hispalensi ann. 1528. die X I V. Abulensi, Placentino, Segouiensi, Asturicensi, Toletano, & aliis. In quibus lectiones vitæ epitomam concinnant. Quarum nondum ecphrasim exscribo, donec de translatione veram consequar instructionem. Iulian. Petr. Aduers. num. 79. fol 22. inquit : *Ab antiquis temporibus magna fuit deuotio erga* S. Maurum *D. Benedicti discipulum, Astigi, Municipy Celticorum prope Emeritam Augustam, quod nunc* Agmidalilum *vocatur.* Hæc Iulianus, nihil de reliquiis, crediderim, quod aliquam S. Abbatis possideant, & de toto corpore glorientur.

DECIMO OCTAVO KALEND. FEBRVARII, DIES XV.

A. S. FVLGENTIVS *natus Hispali, frater SS. Leandri, Florentinæ & Isidori, Episcopus primò Carthaginensis, post Astigitanus, & iterum Carthaginensis, Vir literis egregiè excultus, vt librorum ab ipso compositorum indicant volumina, variè pro fide exulatus, Hispalim reuersus, post Carthaginem, tandem ibidem in pace quieuit. Eius sacra pignora*

Hispalim

Hispalim translata, cum fratribus condita, fuere illic honorificè culta donec in generali Hispaniæ excidio apud fluuium Guadalupæum in Vettonibus recondita, tandem reperta, & Berzocanæ oppido Placentinæ Diœcesis perducta, ibidem lapideo inclusa sarcophago, adseruantur, & coluntur.

B. Claro-Monti in Aruernia Natalis S. Boniti *Pontificis Toletani, primùm ipsius Ecclesiæ Archidiaconi, qui post varios in Præsulatu virtutis cumumulos, patriam reuersus, & à* SS. Maria *Virgine, vt Illephonsus eius decessor, cœlesti cappa suscepta, bonorum operum plenus, & miraculis clarus ad præmium vitæ euolauit æternæ.*

NOTÆ.

A Sanctus Fulgentius.] Celebris est apud omnes penè, qui de SS. Leandro, & Isidoro Præsulibus Hispalensibus scripsere, memoria Nostri illustrissimi Episcopi Fulgentij. Separatim eius gesta breui compendio compaginant aliquot Martyrologia, Maurolyc. die I. Ian. sic: *Fuit, & alius* Fulgentius *Carthaginis nouæ Episcopus, & Leandri, ac Isidori Pontificum Hispalensium, frater.* Primus Cabilonens. in Topograph. Sacra. Verb. *Carthago noua*, his verbis: *Hic* Fulgentius *primum Astigitano Episcopatui, deinde Carthaginensi præfuit.* Philipp. Ferrar. in General. Cathal. SS. die XVI. Ian. sic: *Carthagine in Hispania* S. Fulgentij *Episcopi, & Patroni.* Eadem in Topographia Noua SS. Breuiaria fere omnia Hispaniæ maiori compendio scriptitant, Toletan. ann. 1505. Compostell. 1469. Carthaginens. Palentin. Placent. & alia quamplurima. Scriptores tàm nostri, quàm exteri prope infiniti, inter quos S.M. Maxim. in Chron. ann. 534. & 598. Luitprand. aduers. n.242. & 243. 252. Iul. aduers. 471. 563. 570. 571. 562. & in Chron. num. 310. Truxill. in Thes. Concionat. 2. tit. die 8. Ianuarij. Marin. Sicul. de Reb. Hispan. lib. 5. Tarraph. de Regibus Hispan. in Luyba. ann. 591. & Vass. in Chron. eod. ann. Sandoual. in vit. S. Leandri. Moral. Hist. Hispan. lib. 12. cap. 5. Roder. Tolet. lib. 2. cap. 14. Marian. lib. 5. cap. 13. Padill. Cent. 6. cap. 50. Yepes in vita S. Florentin. Roderic. Car. Antiq. Hispal. lib. 2. cap. 11. Paul. de Espinos. Brovver. in not. ad regul S. Leandri. Roa de SS. Astigitan. lib. 2. cap. 5. Cascal. Histor. Murc. discurs. vlt cap. 6. P. Fernand. Histor. Placent. lib. 1. cap. 22. Talauer. Histor. Guadalup. Hug. Menard. in not. ad Sacrament. S. Gregor. fol. 225. Caetan. Histor. S. Isidori Loyasa in not. ad Concil. 3. Toletan. P. Hieronym. Rom. de la Higuera in suo Martyrol. MS. & in not. MS. ad Iulian. & in editis ad Luitpr. D. D. Laurent. Ram. de Prado, & D. Thom. Tamayo in eisdem. Ego in vita S. Epitacij. cap. 1. num. 25. & cap. 2. num. 25. fol. 137. P. Anton. Quintanadueñ. Histor. SS. Hispal. fol. 249. P. Bolland. in Act. SS. tom. 1. fol. 971. Ex quibus vitam descripsere P. Quintanadueñas, quam mutuauit & in Latinam mutauit P. Bollandus; & aliam P. Martinus de Roa, quam hic Latinam faciemus, quia copiosè scriptam.

ACTA S. FVLGENTII EPISCOPI Carthaginensis, & Astigitanæ Ecclesiarum Hispanice scripta à P. M. de Roa. Societatis IESV.

FLAVIVS FVLGENTIVS Patrem habuit Seuerianum Ducem, seu Præfectum Carthaginis Hispanicæ, & Matrem Theodoram Theodorici Regis Ostrogothorum filiam. Fratres agnouit Sanctos Leandrum, Isidorum, & Florentinam, & ex Sorore Nepotem S. Ermenegildum. Hispali (depopulata Carthagine) quo se Pater receperat primos visiuæ lucis conspexit ortus, anno Domini, D. L V I. Eius indolem in omnium virtutum genere sedula imbuere curauit protinus Mater, taliterque ad meliora capessenda nouus ille palmes dirigebatur, vt à radice Catholicum ebibens dogma, quod ipsa in animo deprehenderat, contra omnia Arianorum tunc temporis Hispanias grassantia, robore maturo, deliramenta, præliaretur. Hac igitur spiritus alimonia creuit *Fulgentij* non solùm veritatis agnitio, sed etiam fidei amor, quam ab vbere deprehenderat, quo in ætatis flore illustre in literarum studio cōmercium adinuenit, ita vt insignem Doctoris titulum præ omnibus sui sæculi sit adeptus. Ad cuius nominis apicem consequendum, illud præcipuum, & & plausibile inter proprios, & exteros insigne fuit, quod in variis Gentium dialectis, & idiomatibus non modo instructus, sed singularis fuerit, vt indicant præter Hispanicam, Græca, Syriaca, Hebraica, Gothtica, Latina, & Arabica linguæ, quas profundè calluit; quo etiam inimicorum viscera demulcebat. Hisce ergo doctrinæ gazis sua pretiosiora, aliena reddidit scripta diuitiora. Nec hoc fateri inficiabitur S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus, qui in XV. Concilio illius vrbis coadunato anno DC. LXXXVIII. Pontificatus Sergij Papæ, primo, & gloriosi Regis Flauij Egicæ, qui cum de aliquibus propositionibus, quas apologetice ad Benedictum Pont. Max. pro defensione VI. Synodi scripserat, rationem redderet, in earum fauorem nonnullas SS. Ambrosij, & Fulgentij Nostri doctrinas inseruit, affirmans earum sententiam non solum ab ipsis Sanctissimis Doctoribus suxisse, imò illorum verba mutuasse. Addens: *Quos quia celebres in toto Orbe Doctores feriata Ecclesiarum Dei vota percenseant, non illis est succensendum, sed potius succumbendum: quia omne quod contra illos sapitur, à recta fidei regula abhorrere sentitur.* Nobile procul dubio hoc fuit priuilegium, vt non solùm à S. Iuliano Doctoratus nomine insigniretur, sed quod plus est, æqualem cum Ambrosio authoritatem in Ecclesia percipere fassus sit. Magistrum dicitur habuisse quendam Etherium. Quis iste fuerit nondum explicat Maximus, licet credatur, illum doctrina, & nobilitate præditum fuisse, cùm suæ committeretur curæ tanti indoles desiderata discipuli. Hoc non erit ambigendum quod ex illius contubernnio magnum sapientiæ peculium extraxerit, illúdque superlucratus fuit *Fulgentius* continuis vigiliis, vt Doctoratus ab omnibus proclamatus, titulus condemonstrat, vt tanta scriptorum singularium perhibent volumina, vt præclara gestorum sublimium indicant epitheta. Operum moles hæ recensentur: *Commentaria in Pentateuchum. In Libros Regum: Isaiæ: & in XII. Minorum Prophetarum oracula: Euangeliorum contexturam, Psalmorum carmina, quorum volumina MSS. apud Oniense Cœnobium adseruari refert D. D. Prudentius de Sandoual, Regius Historiographus.* Etiam dicitur scripsisse *De Incarnatione Verbi Dei.* Quod vt credatur,

difficilem

difficilem præbet assensum coniectatio, quæ exoritur ex relatione II. Synodi Hispalensis, vbi interfuit *Fulgentius Noster*, in cuius Concilij contextu refertur clausula desumpta ex illo de incarnatione tractatu à S. Fulgentio conscripto, & hoc titulo Sancti, qui nec illo præsente à Patribus impartiretur, quin potius credendum est, illam periodum non ex Astigitani codice, sed ex Ruspensis volumine desumptam. Et quamuis hæc coniectura aliquot congruentiæ stylum præseferat, non ex hoc affirmandum est, Nostrum Fulgentium ab hoc de Incarnatione verbi tractatus penso, abstinuisse; quando in Bibliotheca S. Ecclesiæ Cordubensis adhuc adseruetur MS. Codex ab annis quingentis Gothicis literis exaratus: *De Fide Incarnationis* titulo S. Fulgentij Astigitani insignitus, cum *aliis quæstionibus* ad amici rogatum scriptis Huius voluminis molem conscripsit, dum Carthagine exularet, ab hincque epistolis S. Ermenegildum ad martyrij coronam exhortabatur. Illius ergo libri compagem dicauit Scarilæ Abbati S. Leocadiæ. Maximus item Fulgentio Nostro *Mytologiarum* tractatum tribuit.

Ad Præsulatus infulas deuenit: Nam mortuo non sine suspicione veneni apud Constantinopolim Luciniano Carthaginis-Nouæ Episcopo, in eius locum Dominicus suffectus est. Is Presbyter Hispalensis, cùm adhuc annorum, ægritudinúmque plenus muneris onera perferre nedum valeret, Regem Catholicum Recaredum de Coadiutore, functionibus Episcopalibus, subrogando, continuis flagitationibus onerabat. Quod vt factum, *Flauium Fulgentium* Presbyterum etiam Hispalensem Coepiscopum Carthaginensem consignant. Anno D. XCI. statim sequenti Dominicus è viuis sublatus est. Quo mortuo Fulgentius Carthaginensis Episcopus confirmatur. At pòst anno DC. cùm apud Astigim quædam exoriretur seditio, non absque illius vrbis Prælati interuentu, vt hæc sedaretur translatus fuit S. Fulgentius ex Episcopatu Carthaginis, ad Cathedralem Astigitanam. Interfuit, & subscripsit Gundimari Regis decreto; & II. Concilio Hispalensi à S. Isidoro eius fratre congregato, contra hæresim, quam quidam Episcopus Syriensis disseminare Hispali curabat, negando duas fuisse, & esse in Christo naturas. Quæ fuerit eius vitæ norma, qualia tanti viri opera necdum extensiori calamo scripta comperimus. Eorum cumulum per notas tantum descripsit historia, delineauit Breuiariis Ecclesia Hispanica veteribus. Vixit turbulentis temporibus, bella ciuilia, & extra ordinem agnouit, contrà fidelium Hispanicorum gregem audaces luporum voracium conspexit incursus, Arianæ sectæ fautores, qui furiarum rabie animas catholicorum inuadebant, & viperarum venenis tingebant, & corpora adusque pertingebant, inuenit. Contra illorum agmina sedulus propugnator accedens eorum tunsiones repellebat doctrinis, ipsorum argutias consiliis retundebat. Dum muneris Episcopalis onera sustinuit verbum Dei Orator seminabat eximius, Diœcesim percurrendo catholicum dispergebat odorem, quo, & vitæ exemplo, & verborum fulmine ouium animos confortabat. Supremum iudicium vbique meditabatur. Iustum Iudicem præ oculis agnoscebat, ob ídque continuò, quouis loco, in omnibus actionibus, & consiliis, talem vitæ flosculum concinnabat, quasi quælibet actio, vltimam esset futuram vitæ horam conspicaretur. Zelus Domus Dei illum comedebat, subditorum salutem spiritualem, Cleri reformationem (in qua populi remedium stat) totis viribus inhiabat. Vt Conciliorum decreta adimpleretur instabat, vt quiuis mores componeret, obligationibus satisfaceret, operibus professio responderet status, satagebat. Creuit

fructus

fructus operum, quo pensum laborum. Si insectatoris inimicorum Ecclesiæ titulum est consecutus, copiosius ab ipsis insectatus est. Etsi non ex hoc hastam porrigebat doctrinæ, qua illorum nubila diuaricabat. Cœpit ergo febricitari assiduis curatum oneribus, continuis orationis stadiis, instantibus proximorum zeli angoribus, vt sese Pastor sedulus coram vero Iudice conuerteret. Omnia hæc ægritudinum onera, persecutionum dolamina, mira constantia, strenuo spiritu, & inflexibili pace perferebat. Nullum inuenit inimicorum fidei feritas iter, nullam machinatus est rigor viam, quæ Sanctam viri fortitudinem, non dico, terrere, aut feruorem extinguere, imò aut (quod minus est) aliquid de primo ardore remittere valeret. Potuit cum Paulo dicere veraciter, quod tunc fortior existebat, cùm minus reputabatur, quia quanto naturæ subiici propter infirmitates visus erat, tunc à Deo fortitudinem, vt eius inimicos deuinceret, recipiebat. Illorum Leouigildum Regem Ariana hæresi infectum induxit proteruia, vt S. Virum nondum Episcopum, vnà cum Leandro fratre, & aliis Catholicis Præsulibus, qui Principis Ermenegildi filij, vt Catholici, partem tenebant, exularet. Nec hic pro religionis defensione cessauit tractatus scribere, quin potius illustriora pro orthodoxa fide volumina diuulgauit. Illic exul aliquot consumpsit annos, donec Leouigildus aut confusus, aut pœnitens de nece filij, & infirmitate oppressus, omnes, quos inuidia exulauerat Antistites, ad patriam pœnitentia aditum aperuit. Quibus tutelam, indolem, & in Catholica religione instructionem filij Reccaredi, & in Regno successoris, vltimis commisit tabulis. Postliminij ergo *Fulgentius* priuilegio vsus, Nepotem Reccaredum taliter in fide instruxit, vt breui sine dubio Romanæ Ecclesiæ placita in Regis corde (depulsis tenebris) introduxerit. Quo Gothorum facies in alteram mutata, illico ab Ariani damnata vesania resipiscebat. Ergo post tot exantlatos labores, singulari stud o, animique exercitatione, ad exitum sese comparans, quotidie conscientiam spongia contritionis eluebat. Sed cùm migraturum se breui præsagiret, S. Braulionem, & Leandrum fratrem (inquiunt vetusta breuiaria pro Lauro Gaditano Episcopo) rogauit, vt sibi animam agenti præstò essent. Fuit ea pretiosa mors in conspectu Dei; quippe sacro viatico, aliorúmque præsidio sacramentorum munitus, psalmos piè recitantibus, lachrymásque vbertim fundentibus Episcopis, animam, Angelorum obsequio ad Dei thronum deportatam, placide Confessor inclytus exhalauit. Dies transitus sub silentio. Annus ex Maximo DC. XXXVIII. imperante Heraclio, Pontificatum Maximum obtinente Honorio, Hispalensem Cathedram Isidoro fratre, Regnum Hispaniæ Chintyla Gotho.

Conditum eius corpus ab Episcopis relatis in Basilica Carthagine: sed XXXIV ab obitu eius annis, Hispalim, cumque ipsius germanorum Leandri, Isidori, ac Florentinæ reliquiis, locatum, in æde SS. Ruffinæ, & Iustæ, quam in eum finem ædificarat S. Leander, eâ vrbis regione, quâ nunc Eremitorium eius visitur ad portam Cordubensem. Cuius translationis meminit S. Illephonsus in carmine heroico, quod cruci affixit, hoc ordine:

Crux hac alma gerit geminorum corpora Fratrum
Leandri, Isidorique, priorum ex ordine vatum.
Tertia Florentina Deo deuota perennis.
O quam compositè concors hæc digna quiescit!
Isidorus medius disiungit membra duorum.

Hi quales fuerint, libris inquirito Lector;
Cognosces, & eos benè cuncta fuisse locutos.
Cum quibus hic recubat Fulgentius; Inspice tres hos
Spe certa, plenósque fide super omnia claros;
Dogmatibus cernas horum creuisse fideles;
Ac reddi Domino, quos impia iura tenebant.
Vtque Viros credas sublimes viuere semper,
Aspiciens pictos, sursum contende videre.

Et licet Illephonsus hic trium fratrum Sanctorum recolat memorias, sub vno crucis tribrachio insculptas, attamen singulariter de Fulgentio Nostro, sic Octastycho lusit, vt amicissimi anamnesim præmortui sæculo, viuens dulcedine repeteret.

Fulgenti noua Carthago, quem reddidit auris
Teque nimis felix, post modo Patre fuit.
Inde Patrem recipit, te gaudens Astigis vnda,
Qua fruitur Batis, teque magis fruitur.
Corrigis effrenes mores, vitámque tuorum
Erudis exemplo, Doctor, & eloquio.
Hispalis ipsa tuos cineres cum fratribus aptat:
Tres eadem fratres continet vrna simul.

Potita est nobili hoc thesauro Hispalis, vsque ad Maurorum incursionem. Tunc enim in montes Guadalupæo flumini propinquos SS. *Fulgentij*, & Florentinæ fratrum corpora, atque Deiparæ Virginis imago, quæ hodie Guadalupensis dicitur, deportata. Isthinc recondita, ignotáque mansere, ad Alphonsi XI. tempora, quibus *Fulgentij*, ac Florentinæ lipsana, ad *Berzocanam* oppidum reperta fuere. Quò honorificentissimo ad Altaris Maioris in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, dextrum latus, marmoreis columnis sustinentibus sarcophagum, totius, & aliarum Diœcesum cultu venerantur. Quorum limina cùm ego inuiserem, & visitarem cum Illustrissimo Dom. ac D. meo D. Didaco de Arze Reynoso Episcopo Placentino Diœcesim lustrante, deuotionis stimulis hoc marmori sacro vouens Octastycho cecinit antiquitas.

AD TVMVLVM SS. FVLGENTII, & Florentinæ fratrum Octastychon.

Hoc Fulgentius en tegitur sub marmore, cuius
Florentina latus Soror adusque fouet.
En hic Florentina simul nunc ossibus ornat
Fratris Fulgenti, sarcophagumque suis.
Hi sunt quos olim videns Hispania Gothis
Exorti Patribus lumina adesse poli.
Hispalis vno valens sepeliuit limine fratres:
Nunc Berzocana vtrius ossa iacent.

Anno

Anno Domini M. D. X C V. Regis Catholici iussu Philippi II. instantibus Ecclesiis Carthaginis, & Murtiæ eruta fuere aliquot sacra lipsana, quorum pars Murtiæ, & pars Excuriali delata, honorificè condita est. Apud Murcienses his versibus.

Ex Berzocana iussu delata Philippi
Hic tua Fulgenti *brachia sancta iacent.*
Florentina Soror: necnon conduntur & ossa
Hic tua: Carthago Patria, mater aue.
Iam lætare sacro refoue sub pectore natos;
Murtia, quos seruat religione pia.

En acta ex P. Martino de Roa, quæ in paucis differunt à concinnatis per P. Antonium Quintanadueñas. Vtriusque eadem substantiæ norma, etsi diuersis orationibus. Singulæ actorum clausulæ elucidandæ sunt, vt instituto pareamus, ne aliquid remaneat scrupuli.

PRIMO nescio quâ authoritate isti Patres *Seuerianum* Patrem SS. Leandri, Isidori, Fulgentij, & Florentinæ, compellant absque qualitate Parentum, quin potius *Theodoram* eius vxorem vocitant filiam Theodorici Ostrogothorum Regis, cùm versa vice censendum sit. S. Marcum Maximum in Chron ann. 512. ausculta his verbis de Seueriano loquentem: *Seuerianus iam puerulus, natus Toleti ex Theodorico Ostrogothorum Rege, & Sanctina Toletana fæmina nobilissima, filia Isidori Toletani Ciuis splendidissimi, viget.* Si Maximo non credis, audi Luitprandum Aduers n. 244. sic genealogiam appingentem: *Theodorus Rex Ostrogothorum venit in Hispaniam, & pro suo nepote Amalarico, illam plures annos rexit, duxitque vxorem Toleti Sanctinam de gente nobilissima Gothorum: ex qua tulit* Seuerianum *Carthaginis Dominum.* Si alios adhuc desideras melioris notæ authores, perlege Lucam Tudensem in Chron. Era 549. sic de Theodorico loquentem: *Vxorem ex Toleto de prima Hispanorum origine duxit, cuius precibus omnes Hispanos libertate donauit, & ex ea filium nomine* Seuerianum *suscepit.* Cui se subscribunt Roderic. Sancius Episcopus Palentinus Hist. Hispan. 2. p. c. 12. Vass. in Chron. ann. 567. Si ergo hæc sic se habent, maxima adficior admiratione, vt quid idem P. Quintanadueñas, cum in vita S. Leandri fol. 140. de Parentibus illius Sanctissimi Prælati egisset, dixerit? *Fuere Patres SS. Leandri, Isidori, Florentinæ, & Theodoræ matris S. Ermenegildi Seuerianus, & Theodora. Seuerianus Patrem habuit Theodoricum Ostrogothorum Regem, Amalarici tutorem, & Regni Gubernatorem, ex Sanctina nobilissima fæmina de Gothorum prosapia.* In quo duo notanda sunt. I. quod inter filios Seueriani Fulgentium excludit. II. Quod in vita S. Fulgentij fol. 249. Theodoram matrem, non Seuerianum Patrem, à Theodorico ortam consignet. Quod quantum erroris contineat, ex Historiarum perlectione patebit. At ne in posterum aliquis elabatur tàm Patris, quàm Matris progenies recenseam.

Ex huius arboris ramis cognoſces, quod Theodoricus Rex Oſtrogothorum duas duxit vxores. Primam ex qua Amalaſuintham ſuſcepit. Alteram Sanctinam nobiliſſimam fœminam Toletanam, Iſidori filiam de genere Gothorum. Ex hac Theodoricum, qui adhuc iuuenis occubuit, & Seuerianum Ducem Carthaginis. Qui matrimonium contraxit cum Theodora nobilitatis ſplendore conſpicua apud Toletanos, quæ Patrem habuit Marcum, & Matrem Paulam. Ex illo Seueriani, & Theodoræ coniugio nati ſunt S. Leandrus qui fuit Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Theodora quæ Leouigildo Gothorum Regi nupſit; Florentina Virgo, Fulgentius Noſter, & Iſidorus Hiſpalenſis Metropolita. Theodora vero ex Leouigildo Rege duos ſuſcepit filios; Ermenegildum Sanctiſſimum Martyrem, qui Patre Ariano inſtante pro fidei Catholicæ defenſione gladio paterno occubuit; & Reccaredum, qui poſt Patris obitum ad regni faſtigium ſuffectus, exhortationibus auunculorum, Ariano dogmate abiurato, Catholicam fidem profeſſus eſt. Hanc Genealogiam tantorum Sanctorum deſcriptam inueni in quodam Codice MS. peruetuſto, carminibus acroſticis, in quorum vniuſcuiuſque pentametri exordio vna ex literis S. *Fulgentij* Noſtri acroſticè deſignatur ſic:

Fulgide ſi cupis Lector cognoſcere prolem
Auorúmque genus Præſulis, ecce palam.
Vxor Regis erat Sanctina, *vt creditur, Hunni;*
Cui Theodoricus *nomen, & omen erat.*
Liberos accepit tunc iam de coniuge duos,
Hic Theodoricus, Seuerianus *item.*
Genitor iſte fuit Noſtri tunc Præſulis ergo:
Quem Theodora Mater *peperit atque aluit.*

En

En erat istius & filiúsque Leander, *& almus*
Isidorus *item,* Florida *Virgo simul.*
Necnon & Theodora *Mater nunc* Ermenegildi,
Qui Christo insectans sanguine lotus abit.
Tres Theodora *Viros genuit, tresque vnice Sanctos;*
Hispalis Antistes Vnus, & Alter erat.
Igitur, & Noster Fulgentius *Astigis vrbis*
Ecclesiam rexit, Pastor amicus oui.
Viderat, & prius ipsum iam Carthaginis orbis,
Temporibus binis pascere recte Sedem.
Sed cùm supremam Præsul perquireret arcem,
Vt Christo viuat, quærit vbique Deum.

Ergo ex his iam lapsum PP. Roa, & Quintanadueñas deprehendes, quorum vestigia fui secutus, quia ab ipsis acta hispanè conscripta, latina reddens, desuménsque, necessarium duxi eorum ecphrasim insectari. Hicque quod minus rectè dictum in ipsis, visum erit, perpendere.

SECVNDO dubitatur, vtrum Leander, an Fulgentius fuerit natu maior? In quo quæsitu P. F. Roder. de Yepes in Hist. S. Florentinæ c. 7. fol. 21. col. 2. authoritate P. F. Didaci de Godoy qui vixit ad annum M. C C C C. L X. tempore Regis Enrrici IV. Hispaniæ, & Historiolam in forma sermonis, ex alia antiquiori, desumpsit, & scripsit; contendit S. Fulgentium fuisse natu maiorem. Cui opinioni mordicùs adhæsit D. Franc. de Padilla Hist. Eccles. Hisp. tom. 2. cent. 7. c. 13. Contrariam, vt veriorem, imo quod Leander fuisset primogenitus, amplectuntur omnes qui de huiusmodi Sanctissimis fratribus scripsere. Pro omnibus adsit S. Marc. Max. in Chron. ann. 534. de natali S. Leandri, sic: *Leander Seueriani Ducis filius, & Flauiæ Sanctinæ nepos, Murtiæ quæ Bigastrum Gothis dicta est, natus ex Matre Theodora Cerula fœmina nobilissima, in æde S. Mariæ suburbana tingitur.* Et ann. 556. natalem S. Fulgentij attingens, sic: *Fulgentius nascitur Hispali Patre exule in ea vrbe, excisa Carthagine.* Eadem ferè Luitprand. Aduers. n. 242. 243. Et ab ordine literæ, n. 252. Ex quibus sedata controuersia est.

TERTIO inter nostros altercatur de Episcopatubus. Primi Astigitanum Præsulem tantum consignant, vt Maurolycus, Cabilonensis. P. Truxillo, Marin. Sicul. Tarraph. Vass. & cæteri, qui etiam Carthaginensem Antistitem agnoscunt. Ambrosius de Moral. Hist. Hisp. lib. 12. c. 5. fol. 102. col. 2. à quo D. D. Prudent. de Sandoual. in vita S. Leandri, negant fuisse Episcopum Carthaginensem, sed re vera penitus à veritate, & omnium concordi traditione, vt retulimus, deuiarunt. Quin potius bis sedem Carthaginensem rexisse perspicuum est. Maxim. in Chron. ann. 598. Iulian. aduers. n. 563. sic: *S. Lucianus Episcopus Carthaginensis Sacaræ (vt quidam volunt) natus, præcessit in Sede Dominicum, &* Fulgentium *bis Episcopum Carthaginis.* Luitprand. Aduers. n. 240 sic: *S. Fulgentius bis fuit Episcopus Carthaginensis, inde translatus Astigim, & postremò Carthaginem.* Hanc etiam confirmat opinionem Iulian. aduers. n. 570. & 571. Cui se subscribunt Moderniores Roder. Carus, Spinosa, Roa, Quintanadueñas, & alij.

QVARTO de scriptis disceptatur. P. Ioannes Marian. Hist. Hisp. lib. 6. c. 1. Librum *De Fide Incarnationis* Fulgentio nostro tribuit: *Scripsit Fulgentius* (inquit) *librum* De Fide Incarnationis, *alijsque nonnullis quæstionibus, qui ad nostrum tempus conseruatur.* Eadem Ambros. Moral. d. lib. 12. c. 5. Quo tempore, audi Iulian. aduers. n. 567. sic de hoc opere loquentem: *Ibique* (Carthagine) *scripsit librum* De Incarnatione *quem dedicauit Searila Monacho Benedictino Abbati Sanctæ Leocadiæ.* Consentiunt Padill. d. cent. 7. c. 13. Roa, & citati. Cætera quæ in vitæ ecphrasi opera retulimus, ab omnibus Scriptoribus nostris agnoscuntur, & illi Fulgentio tribuunt. Sicut & Mythologiarum, de quo Max. in Chron. ann. 602. Demum nec nullus dubitauit. Et licet Bol-

landus de linguarum aliquot, cognitione, quas S. Fulgentius callebat, ambigat: ne deinceps, anceps persistat, omissis Maxim. in Chron ann. 588. Iuliano in Chron. n. 310. audiat Marineum Siculum, sic de Nostro Præsule loquentem: *Fuit autem vir eruditissimus, quippe qui linguam Hebræam, Græcam, Latinam, & Arabicam callebat* Si & iste non placet, Breuiariis peruetustis Hispaniæ pareat, Compostellan. Lect. 1. sic: *Fulgentius doctrina Ecclesiastica clarissimus, Græco, Hebraico, Arabico, & Syro, Latinóque sermone eruditus.* Eadem Hispalense, Placentinum, Seguntinum, Abulense, & alia quamplurima.

Qvinto item in Die, & Anno transitus adest controuersia. De Die variant Hispaniæ Breuiaria vt in principio recensuimus. Cuius causa in eo stat, quia cum ignoretur dies, quælibet Ecclesia elegit diem minus impeditam, vt celebrationi satisfaceret. De Anno quot capita, tot sententiæ. P. F. Thom. Truxillo annum DC. mortis assignat. Marineus Sicul. ad DC. XXII. extendit. Cuius verba transcripsere Tarrapha, & Vass. Ioann Marieta ad DC. XX. contendit. Paulus de Spinosa ad DC. XVI. P. Quintanad. ad DC. XXXVIII. Quæ opinio verior videtur. Quia in titulo Carminis Sepulchralis à S. Ildephonso conscripti, hæc habentur: *Carmen D. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, quod posuit in translatione corporis S. Fulgentij Carthagine Spartaria, post annum mortis eius XXXIV. scilicet anno DC. LXIV. Hispalim.* Ex quibus patet post annum DC. XXX. ad superos euolasse. Licet ipse Iulianus Perez Aduers. n. 471. diem, & annum consignet, sic: *Era DC. LVIII. mortuo Vincentio translatus est* Fulgentius *Bigastrum; Obiit* ∴∴ *in pace XVI. Ianuarij Anno Domini DC. XXII.* In quo non est audiendus, cum contrarium in titulo Carminis relato, contrarium ex D. Ildephonso scribat.

His sic prælibatis in gratiam deuotionis, hic inserere curaui Confessionem S. Fulgentij Nostri, quæ in Codice MS. apud Corbeiam adseruatur, cui titulus *Ordo Orationum*, cuius copiam scripsit Hugo Menardus in not. ad Sacramental. S. Gregorij ad Pag. 225. lin. 12. fol. 225. Et licet dubitet de quo Fulgentio an Ruspensi, an Astigitano hæc fuerit confessio. Ego de Nostro Astigitano fuisse coniector, quia de Fratribus, & sororibus in ipsius orationis contextura, mentio est. Quod in Ruspensi non adæquatur.

INCIPIT CONFESSIO S. FVLGENTII Episcopi ad Pœnitentiam dandam.

Ego confiteor tibi Domine Pater cœli, & terræ, coram hoc Altari tuo sancto, & istius loci reliquiis, & coram hoc sacerdote tuo, omnia peccata mea, & omnia quæcumque Dei pietas ad memoriam reducit, de cogitationibus turpibus, siue sermonibus otiosis, & immundis, & quod Ego contra præceptum Dei feci. Confiteor etiam omnia cordis, & corporis mei vitia, sacrilegia inuidias, detractiones, periuria, furta, maledicta, conuitia, turpiloquia, scurrilitates, mendacia, irrisiones, insultationes, simulationes, murmurationes, adulationes, tristitias, vigilias inutiles, & Deo despicabiles, carnales concupiscentias pessimas: & propter mei suauitatem, & delectationem, Dei præcepta postposui, & transgressus fui per superbiam, & elationem, aut desidiam, & pigritiam. Voluptates immundas perpetraui, fornicationes, pollutiones, luxurias, ebrietates, comessationes homicidia manifestè, & occultè in corpore, & in animo peregi. Patri meo, & Matri meæ, *Fratribus, & Sororibus*, patruis, & amicis, & consobrinis, siue omnibus propinquis, & parentibus meis, secundum Dei præceptum, & Dei voluntatem honoris obsequium non exhibui. Seniorem carnalem, & amicos plus in malo, quàm in bono auscultaui, & obediens fui. Omnes Christianos, sicut Deus præcipit, non dilexi. Semper aliis malum, non bonum exemplum, & documentum præbui, & ostendi. Dominicos dies, & solemnitates Sanctorum, non dignè, nec Deo acceptabiliter, duxi, nec custodiui, & nescientibus non adnuntiaui, sed ebriosè, & luxuriosè in ipsis me pollui, & alios ad hoc incitaui.

Latrocinium,

Latrocinium, & fructum abscondi, & comedi, & abscondentibus consensi. Infirmos,& in carcere positos non visitaui, nudos non operui. Hospites propter Deum non suscepi,nec eorum pedes laui: esurientes non refeci; dolentes, & flentes non consolatus sum: inter se discordantes,siue parentes, siue omnes Christianos rixantes, plus ad iram,quàm ad pacem prouocaui. Ego confiteor, quia multa peccata in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, & multa mala cogitaui, & perpetraui. Ego confiteor quia in Sancta Ecclesia multa mala cogitaui, & locutus fui inordinatè, & superbè, in Sancta Ecclesia steti, sedi, osculatus sum, aspexi, perrexi, iacui, consensi. Vasa sancta, & omne ministerium sanctum pollutus tetigi. Osculo nefando pollutus sum. Et super sanctum Altare,& in consecrata Ecclesia,& in benedicta Cruce, & super sanctas Reliquias iuraui, & verba periura, & mendacia protuli,& periuraui. Confiteor etiam quia tibi Omnipotenti Deo,& omnibus Sanctis, & omnibus bonis hominibus inobediens fui, & interius, exteriúsque infidelis, & molestus fui, contentiosus,odiosus,inuidus,iracundus,auarus,cupidus,rapax,incredulus, immitis. Et meam orationem in conspectu Dei effudi negligenter propter cogitationes inanes,& duro corde. Ego Corpus Domini, & Sanguinem eius polluto corde,& corpore, sine confessione, & pœnitentia,sciens indignus accepi. Episcopos,Presbyteros,Abbates,Monachos,Canonicos,& omnem Clerum Ecclesiæ Dei non amaui, non dilexi,nec eis obsequium honoris præbui,sicut Deus præcipit. Me ipsum per carnalia desideria,& per malas cogitationes,& per malam voluntatem,& per mala opera contaminaui,dehonestaui, perdidi, & voluntate diabolo consensi. De his omnibus, & aliis innumerabilibus,quæ propter multitudinem peccatorum, criminum,& scelerum meorum, recordari non sufficio, & quod Ego contra Dei voluntatem, & omnium Sanctorum, & legem Christianam feci, & duro corde perpetraui,siue ignoranter,siue scienter,siue cogitatione mala, siue in verbo, siue in opere, vel etiam assiduitate, vel delectatione peccati,siue in die,siue in nocte,horis,atque momentis,siue vigilans, siue dormiens, seu qualicumque causa cogitassem,aut facere voluissem, & opere perpetrassem contra Dei voluntatem. Sic Ego hodie omnia tibi Deo, ac Domino cœli, & terræ confiteor, coram sancto Altari tuo,in pura,& vera Confessione, & voluntate, ad emendandum,& hæc peccata deinceps dimittenda. Vt tu Deus Omnipotens, qui dixisti nolo mortem peccatoris,sed vt conuertatur, & viuat, miserearis, & parcas, & remittas, & deleas, omnia peccata, crimina, atque facinora,& delicta mea præterita, præsentia, & futura, & perducas me ad vitam æternam,Amen. SVPPLICO te Dei Sacerdos, vt de his omnibus,sis mihi testis in die iudicij,ne gaudeat de me inimicus meus,& dignare pro me Dei misericordiam deprecari,vt donet mihi veniam indulgentiæ, & omnium peccatorum meorum remissionem.

Hactenus Confessio Nostri illustrissimi Præsulis, ex qua agnoscetur, quanta tunc sedulitate Hispaniæ Pontifices viam ad pœnitentiæ fructus capessendos, peccatoribus, sacris formulis aperiebant.

CARTHAGO SPARTARIA, siue NOVA, ad differentiam *Veteris*. Hodie nomen retinet, & dicitur CARTHAGENA *de España*, in discrimen alterius, quæ iacet in Americæ situ. Nostra ergo *Carthago Spartaria* Ciuitas illustris, & perantiqua est, in qua fuit Sedes Episcopalis à nascentis Ecclesiæ exordio, sed illa diruta in Murtiam translata ibidem perseuerat, licet Episcopi titulo Carthaginensium agnoscantur. Olim à Geographis in Tarraconensi apud Bastetanos sita, litoralis, quo Conuentus celebris finitimarum vrbium, & emporium Pœnorum munitissimum fuit. De eius conditore vario disceptatur calculo. Opiniones suis locis intercalabimus.

PRIMA, & *vetustior* à Silio Italico Nostro lib. 3. de Bell. Punic. qui illam condidisse Teucrum, ab excidio Troiano redeuntem, adfirmat, hoc carmine:

Dat Carthago viros, Teucro fundata vetusto.

Quo in loco Cl. Dansqueius fol. 132. asserit: *Teucer eam fundasse dicitur, quod eum locum primus habitabilem fecerit, extruendæque vrbi occasionem dederit.* Pulchrè, quia Iustin. lib. 44. Teucrum ibidem attigisse, & post Gallæciam adscendisse, scribit, sic apud M. Zuerium Boxhornium fol. 288. Amstelodami ann. 1644. *Sed cùm ab Eurysace Aiacis filio* (Teucer) *accessu prohiberetur, Hispaniæ litoribus appulsum, loca vbi nunc est* Carthago noua *occupasse, in Gallæciam transisse, & positis sedibus genti nomen dedit.* Vides Teucrum non condidisse, sed locum occupasse, quo habitabili facto, vt inquit Dausqueius, inde Gallæciam obpetiisse? Hæc vt vera amplectere, licet Silius lib. 15. dicat, & iterum repetat *Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetusto, Nomen Carthago.* Quia vt ipse Dausqueius sentit, non illinc diu Teucer perstitit quin potius Gallæciam protinus adiit.

ASTIGIS, siue ASTYGA. Hodie ECIJA. Ciuitas fuit olim Episcopalis in Hispania Vlteriori Bæticæ ad Singilim fluuium sita, & nobilis finitimarum vrbium Conuentus: Nunc quoque ampla, elegans, & præclara, inter vrbes Vandalitiæ post Hispalim, & Cordubam præcipua. Eius antiquitatem, nobilitatem, & alia claritatis, honorum, & facinorum insignia recensere præter Ordinarios Historiarum scriptores, P. Martin. de Roa Histor. Astigit. lib. 1. à cap. 1. ad vltim. P. F. Roder. de Yepes Histor. S. Florentinæ, in princip. Andreas Florind. in integro tract. Supplement. Antiq. Astigitan. Roderic. Mend. Silu. in Hispan. populat. in Vandaluf. cap. 7. fol. 90. vbi plures refert. Antiquitus cognominata fuit *Astigis*, & *Augusta Firmica*, sic Plin. lib. 3. cap. 1. his verbis: *Singilis fluuius in Bætim, quo dictum est ordine irrumpens* Astigitanam *Coloniam alluit, cognomine* Augustam Firmam, *ab ea nauigabili.* De vtroque nomine adsunt inscriptiones. De Primo hæc apud Gruter. fol. 276.

IMP. CÆS. AVG. DOMITIO. PIO. FEL.
INVICTO.
RESPVB. ASTIGIT.
DEVOTA.
NVM. MAI. QVE. EIVS.

De secundò apud Nonium, Ambros de Moral. Busbechium, Roder. Car. Roder. de Yepes, Roam & Gruter. fol. 101. num. 8.

BONI EVENTVS.
APONIA. C. F. MONTANA
SACERD. DIVAR. AVGVSTAR.
COL. AVG. FIRM.

Ad intentum, hoc sufficit fragmentum. De Conditoribus, & aliis vulgi comentis, infra suis locis appingemus. Et die, quo de S. Crispino agemus, catalogum Episcoporum Astigitanorum, Deo præstante, subiiciemus.

S. BONITVS. Duos huius nominis Sanctissimos viros agnosco, ambos Aruernos. De Seniori hoc die; de Iuniore die XXV. Decembris, vt Iuliano Nostro Perezio in Chron. num. 441. placet. Iste Archidiaconus & Archiepiscopus Toletanus, ille absque Titulo dignitatis à Iuliano consignatus. Noster cappa cœlesti donatus ab Angelorum Regina. Alius sine huius suffragij merito ab Scriptoribus Gallicis, vt Sanctus, descriptus. De Toletano acta scripsit Leander Abbas Agaliensis. De Aruerno Ægidius, & Gallus. Nostrum, vt Toletanum Antistitem agnoscunt Pis. Histor. Tolet. lib. 3. cap. 8. fol. 140. D. Thom. Tamayo in aureo libello de Veric. Dextr. in Cathalog. Archiep. Toletan. 2. part. num. 48. Illustriss. D. Episcop. Tu-

riiſon. tom. 2. 3. parc. cap. 1. §. 6. fol. 562. Ex antiquis Luitprand. in Epiſtol. ad Regim. ſeu Tractemund. Illiberitan. & in Chron. num. 300. & 302. Iulian. in Chron. num. 440. 441. & 442. Bolland. in act. SS. tom 1. fol. 1069. Galeſſ. h. d. ſic: *Aruernis* S. Boniti *Epiſcopi, & Confeſſoris, cuius vita virtutum ſplendore inſignis BB. Patrum Adelphi, & Euchery iuſſu ab Ægidio, & Gallo literarum monumentis conſignata eſt.* Galli Scriptores, & noſtrum, & Aruernum confundunt, vt inquit Iulian. num. 441. ſic: *Galli duos in vnum* Bonitum *contrahunt.* Et conſtat, ex Sauſſay. tom. 1. Martyrol. Gallic. h. d. fol. 36. vbi Bonitum Aruernenſem Epiſcopum, & cappa cœleſti donatum, credit. De Noſtro ſic ex Luitprando, & aliis acta compagino, & vna quæuis natio ſuam ſequatur ſententiam.

Bonitvs ex Ciuitate Claromonte Aruerniæ in Gallia originem trahens, Hiſpanias, fidei charitate ſuccenſus, adiens, apud Toletum ſedem figens, literis, virtutibus, & doctrinis perſpicuus, ad Archidiaconatus illius almæ Eccleſiæ faſtigium, inſtante B. Vviſtremiro Archiepiſcopo Toletano, cui poſuit carmen ſepulchrale, euectus eſt. Illo igitur S. Pontifice decedente, cum S. Eulogius ad Metropoliticam Carpetianiæ ſedem fuiſſet electus, Bonitus, & alij ex Muzarabum inſignioribus Oratores deſtinati, vt S. Præſuli electionis decretum ſignificarent, Cordubam perrexere. Ibidem Bonitum ſcripſiſſe libellum, cui titulus *Indiculus Luminoſus*, opinio eſt. Ergo Toletum rediens, cognita S. Eulogij electi Archiepiſcopi Toletani glorioſa paſſione, & indicta Synodo, Bonitus eſt ad culmen tantæ dignitatis, eius meritis interpellantibus, nulliſque ſuffragiis deficientibus, adſcitus. Erat tunc Cordubæ quidam Sanctiſſimus Abbas Samſon, cui Hoſtigeſius Malacitanæ Sedis Præſul hæretici notam, non ſine totius Muzarabum cœtus ſcandalo impoſuerat. Vnde S. Abbas anſam arripuit, & ſcripto, in ſui defenſionem, Apologetico, vitæ ſuæ normam Catholicis, manifeſto veritatis candore, luculenter aperuit. Ex quo Cordubæ Concilium indictum eſt. At cum de hoc reſcriberetur Bonito, perſpectis vtriuſque partis propoſitionibus S. Samſonem S. Zoili apud Cordubam Abbatem, abſoluit. His verò compoſitis altercationibus, cùm (etſi in tanto mœroris ſeruitutis deſidio) Eccleſiam Toletanam ſub pacis internæ termino deprehenderet, Patriam adire decreuit, vbi prædicationibus, & bonis operibus (quæ theſauri ſunt Sanctorum) affluens, Sanctitatis dedit exemplum. Sed cùm in Baſilicam S. Michaëlis eſſet ingreſſus,

Solus loco in obſcuro, orat Deum corde puro,
Tundit pectus, agit cœtus, inter preces fundit fletus;
Quæ conuenit plebs, abſcedit, & ad ſua quiſque redit.
Ille ſolus ibi iacet, vt diuinæ laudi vacet;
Cuſtos loca perſcrutatur, ne quis ibi relinquatur:
Hic manere ſolus audet, nec ſe capi poſſe gaudet:
Dum ex corde Deo pſallit, perſcrutantes ſeruos fallit,
Hi recedunt, iſte orat, culparúmque memor plorat.
Hora noctis intempeſta, dum reuoluit ſua geſta,
Dum amaros agit planctus; Angelorum audit cantus:
Oblectatur dulci melo, deſcendenti quaſi cœlo;
Iámque verba vocum audit, memorique corde claudit,

Admiratur

Admiratur tanto sono, tàm suaui gaudet tono.
Dum precatus Dei numen, vidit latè fusum lumen;
Et cælestis adest cœtus; inde Virum subest metus.
Angelorum chorus præit, & vexilla sacra vehit.
Subsequuntur Sancti Dei, quos precantur omnes rei,
Inciditque, vt festiua mater Dei sicut Diua:
Quæ rogata quis cantaret, quisve Missam celebraret?
Bono (inquit) hoc concedo: illum enim dignum credo:
Verba Præsul audiebat seque tremens retrahebat,
Ipse lapis cedens ei seruans signum huius rei.
Statim S.Bonum *quærunt, & quæsitum inuenerunt,*
Quem indutum vestem claram, statuerunt contra Aram.
Hic cælesti veste diues, cœli stabat inter Ciues:
Patriarchæ hunc ducebant, & Prophetæ præcinebant.
Incedebat sic deductus, memor tamen sui luctus,
Et accedens Aram petit, quam cum suis ante stetit.
Hic accepta manu pura, ipse Deo offert thura.
Resonabant dulces meli, præcinente turba cœli,
Vt diuinum opus digne, Vir peregit, & benignè,
Virgo Mater Viro vestem, pro mercede, dat cælestem.
Agit grates, reddit vota, laudat Deum mente tota:
Et quam Virgo sibi dedit, sumit vestem, & abscedit.

Huius rei miraculum, etsi tanto confectum silentio, protinus in omnium ora diuersabatur, quo in pretio apud suos haberi cœpit. At instantibus Ouium in Hispania lachrymis, & impellentibus ciuium in Aruernia existimationibus, & vt vanam effugeret gloriam, & vt gregis alimoniæ satisfaceret, ad Pontificatum reuertitur. Cùm primùm ergo Toletum peruenit, cùm non Hispanos lateret Muzarabes tanti beneficij à B. Virgine suscepti miraculum, æstimatores suarum virtutum est egregie omnes proculdubio, nactus. Demum simplicitate cordis, & rectitudine operis gloriosus Confessor animam exhalauit. XXV. Decembris annò Domini DCCC.LXII. Regnante in Hispania Adephonso Catholico, Pontificatum obtinente Nicolao I. Eius sanctum corpus sepultum creditur in Basilica S. Iustæ Toletanæ, in cuius tumulo nescio quis hoc, vt mori. fuit, Carmen incidere sepulcrale curauit.

AD TVMVLVM SANCTI BONITI Archiepiscopi Toletani Aruernens. Epitaphium.

Ille Pater Patriæ pulsus mucrone BONITVS
Mortis præciso, clauditur hoc lapide.
Aruernus patria, patriam mutauit honore:
Tunc vrbis Præsul, tunc & in orbe micans.
Transgressus patriam, cælesti ex Virgine cappa
Donatus rediit, moritur, hicque iacet.

Huius relationis probationem inueniet scrupulosa contentio apud Scriptores relatos, cuius causa hîc adhuc calamum non extendo. Quatenus *Indiculi luminosi* ad opus attinet, Bonito Iulian. in Epistola ad Albertum Furnensem in primo Operis tribuit, sic: *Indiculum luminosum* Boniti *Pontificis Toletani.* Tamayo ad Luitprand. in Chron. num. 309. fol. 210. sic: *Quo anno* Bonitus *antequam ad Pontificium dignitatis Toletanæ culmen electus fuisset, petierat Cordubæ, ibidem* Indiculum luminosum *scripsit.* Quod repetit num. 309. vbi D. D. Laurent. Ram. fol. 433. licet hæsitanter. De Cappa à Virgine Matre concessa, idem Luitprand. num. 300. Iulian. num. 441. Vincent. Bellouacens. in Specul. Histor. lib. 7. cap. 97. & acta quæ Rythmico exscripsimus ordine, apud Bolland. ex MS. Carthus. Coloniens. Cætera communia. De die ambiget quiuis. Ego in hunc diem reposui, quo S. ille Bonitus Aruernensis quieuit, ne die XXV. Decembris, tanta illa Domini Natalis festiuitate, confundamur. Doctori Salazar de Mendoza in vita S. Ildephonsi cap. 15. respondet Tamayo in Not. ad Luitprand. fol. 204. hisce verbis: *Sunt qui putent ex B. Ildephonsi cælesti dono, hoc conflatum: sic olim in* Apolog. pro descens. B. Virginis in templum Toletanum *allucinabar; mecum Petrus Salazar de Mendoza* cap. 15. Vit. S. Ildeph. *Nunc sententiam muto: Nam quis vetat Ildephonsum, ac Bonitum B. Virgini addictissimos, eodem ab ipsa misericordiæ matre, munere cumulatos? An ne illius liberalitatem* de cuius pulchritudine accipit Angelus lætitiam, peccator veniam *teste Bernardo; & in cuius manu diuitiæ sunt, quæ consumi nequeunt, vt ait Damascenus; humana metiendi ratione commensurabimus? Amica illa generis humani beneficia, illa nunquam cessat beneficia in illum cumulare, & multiplicare. Itaque glorietur Ecclesia Toletana duobus Præsulibus suis hanc conlatam ab ineffabili Virgine mercedem ineffabilem.* Hactenus D. Thomas Tamayo, & Nos hactenus.

CLARVS-MONS Ciuitas Aquitaniæ Episcopalis antiqua, ad Cemenorum Montium radices in colle præcelso, ad præterfluentem fluuiolum Tiretenum in Elauerim illabentem. Aruernæ Ducatus Metropolis, & caput. Vrbs apud veteres memorata, antiquas Aruernorum sedes, quæ postea Claro-Mons, hodie *Clermont*, est appellata. Eius meminere Plin. lib. 4. cap. 19. Et loquens de Statua Mercurij à Zenodoto ibidem conflata, lib. 34. cap. 7. Ammian. Marcellin. lib. 15. in Constantio, & Iulian. Tempore Tarquinij habuit Regem Bellouesum, vt refert Liu. lib. 5. Decad. 1. Asdrubali se dedit, tempore quo in Italiam Hannibalem sequebatur Liu. lib. 7. Dec. 3. Postea à COSS. Romanis capta, Eutrop. lib. 4. Ann. 627. V. C. A Cæsare debellata. Flor. lib. 3. cap. 10. A Q. Fabio Maximo, Iornand. lib. 1. de Reg & Temp. success. Eius amœnitatem scripsere Syndon. Apollinar. lib. 4. epist. 21. Saluian. lib. 6. de Gubernat. Abrah. Golnitzius in Vlys. Gallo-Belgic. fol. 647. Aymoin. Hist. Franc. lib. 1. Philipp. Cluuer. in Geograph. lib. 1. cap. 10. Lanou. in Chron Minimor. ann. 1632. num. 2. Romæ adest epigraphe Fastorum Triumphalium, quò eius inest memoria Regis:

Q. FABIVS. Q. ÆMYLIANI. F. Q. N. AN. DC.
MAXIMVS PROCOS. DE ALLOBRO.
ET REGE ARVERNORVM. BETVLTO
X. K.

Apud Gruter. fol. 298. num. 3. Aliam Lugduni in Domo contigua templo Sancti Cosmi, in basi: apud eundem fol. 320. num. 8. Eius origines scripsit Ioann. Sauaro V. CL. & in vrbe Præses, apud Lanouium.

DECIMO SEPTIMO KALEND. FEBRVARII, DIES XVI.

A. *Apud Diœcesim Helenensem Hispaniæ in Ecclesia Arelatensi, Comitatus Vallespirensis, honorificè adseruantur sacra lipsana* S. MARCELLI *Papæ, & Martyris. Cuius pia populorum deuotione anniuersaria, renouatur memoria.*

B. *Rhinocoluræ in confinibus Syriæ, & Ægypti* S. Melantius, *siue* Melas, *S. Melantij Archiepiscopi Toletani, & Salomonis Episcopi Braccarensis, ex sorore nepos, Diaconus Toletanus, Episcopus factus, sub Valente Imp. exilium, certamina, & alia grauia perpessus, tandem laude constantiæ, fide dignitatis, & præmio gloriæ in Domino quieuit.*

C. *Arelate in Gallia memoria* S. Honorati *ipsius vrbis Episcopi; cuius elogium concinnauit B. Isidorus Hispalensis. Eius sacras glebas honorificè veneratur, & custodit deuotè Ecclesia Carmelitarum Perpiniani in Hispania.*

D. *Marrochij natalis* SS. Berardi, Ottonis, Accursij, Petri, & Adiuti *Martyrum, Ordinis Minorum. Qui à B. Francisco missi, vt Christi fidem Sarracenis prædicarent, peragratis aliquot vrbibus Hispaniæ, Hispali afflicti, carcerati, & exulati, Marrochij tandem à Mauris torti, ab Angelis coronati martyrium consummarunt. Quorum Corpora Conimbricæ allata, ibidem honore debito perseuerant.*

NOTÆ.

NOTÆ.

A SANCTVS MARCELLVS PP. Nullus, vt credo, ex Martyrologiorum Scriptoribus, tàm de Græcis, quam Latinis omisit istius martyris anamnesim. Ideo S. Hieron. Beda, Vsuardus, Rabanus, Nokerus, Ado, Maurolycus, Belhinus, Fellicius, Galessinus, & Vvaldembertus, sic:

Septima post decimam Marcelli Martyris, atque
Pontificis Summi meritis, & nomine fulget.

Martyrolog. Roman. Castellan. P. Dionys. Vasquez. Lusitan. & alia innumera quæ recenset P. Bolland. tom 2. Act. SS. fol. 4. n. 1. Conueniunt Nostri flores Sanctorum Santori, Æmyliani, Villegas, Ribadeneyra, & aliorum. Eius acta ex pluribus congessit idem Bollandus. Nos ex Luitprando Nostro de Roman. Pontificib. c. 31. vt breuitati consulamus, excribemus.

MARCELLVS natione Romanus ex Patre Benedicto, de regione viâ latâ, sedit annos quinque, menses septem, dies viginti & vnum. Fuit autem temporibus Maxentij, & Maximiniani. Comprehensus autem à Maxentio, & traditus in catabulo animalibus ad seruandum, quia dæmonibus sacrificare noluit, diu ibidem cilicio indutus, & inedia maceratus, vitam finiuit in Christo XVII. Kal. Februarij. Cui S. Damasus hoc Epitaphium post insculpi curauit.

Veridicus rector lapsos, quia crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, cædes: soluuntur fœdera pacis:
Crimen ob alterius Christum, qui in pace negauit,
Finibus expulsus patriæ feritate Tyranni.
Hæc breuiter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli, vt populus meritum cognoscere posset.

Hic ordinauit Episcopos XXI. Presbyteros XXV. Diaconos II. Hic in Epistola, quam destinauit vniuersis Episcopis, Antiochenæ Ecclesiæ subditis, scribit, à Sanctis Patribus (inspirante Domino) constitutum esse, ne vlla Synodus, præter Romanæ Sedis auctoritatem, possit legitime conuocari, in qua Episcopus super quibuslibet criminibus pulsatus debeat audiri, vel iudicari; & omnia negotia Episcoporum, & summarum causarum, siue cuncta dubia, Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda, & finienda, & omnia comprouincialia negotia eiusdem Sedis auctoritate sunt retractanda. Hæc eadem in alia Epistola, quam Maxentio Episcopo scripsit, summopere seruari præcepit; & alia multa de negotiis Episcoporum in eadem posuit, quæ hic ideo non annotauimus, quia eadem sæpè in Antecessorum suorum decretis iterando præscripsimus.

Ioann. Baptist. de Caualleriis in Compend. Roman Pontif. fol. 31. eius transitum ad ann. CCCIX. credit. Cum quo transeunt Ciaconius, & nonnulli alij qui de Romanis Pontificibus scripsere. De hoc videndus P. Bolland. vbi sup. n. 4. Qui profusè. P. Ioann. Bapt. Mascul. de Cœlit. Encom fol. 34. n. 22. hoc pro *S. Marcello* scripsit, & ne illo frauderis, en tibi do:

S. MARCELLVS PONT. MAX. MART.

SYNOPSIS.

Eum tyrannus repurgando communi vrbis stabulo addixit. Præfertur Herculi, *cuius ex laboribus vnus dicitur, quod addictus fuerit Augiæ stabulo repurgando, nihil huic honorificentius accidisse dicitur.*

ENCOMIVM XXII.

Expugnari te posse tyrannus credidit,
si faceret stabularium.
Errauit. Alterum fecit Herculem;
Hic illum in primis labor insignem fecit;
repurgare iussus est Augiæ stabulum.
Quamquam tu laudabilior Hercule,
Qui vitiis inquinatus haud se ipsum purgauit;
muliebriter lanam accepit, & colum,
abiectâ domitrice monstrorum clauâ.
Purius tu expurgasti, MARCELLE, *impietate vrbem;*
ipsum in primis vetuisti Herculem coli,
siue humeros grauaret stellis, siue stabuli fimo.
Illi pro mercede laboris sordidi
litigium cum Augia fuisse dicitur:
at tibi, & certa merces fuit, & magna.
Minor etiam est tecum collata fama Marcelli,
qui primus docuit Annibalem posse vinci;
At tibi Maxentius cessit immanior, nisi fortior.
Ille Honori, ac Virtuti dedicauit ædes Romæ,
sed ipsa Roma tibi.
Non obstitit crudelitas virtuti, quam prodidit,
non honori, quem auxit.
Flagrauit magis fama de fimo.
Vera vox: nihil magnificentius religioni vidit Roma,
quàm Pastorem populorum stabularium factum.

De eius sacris glebis in Ecclesia Arelatensi Vallespirensis Comitatus, Diœcesis Helenensis, testis est Anton. Vincent. Domenec Hist. SS. Cathalon. fol. 75. col. 3. A quo Bolland. d. fol. 4. n. 5. Quo tempore illic allatæ fuerint, nec author ille significat, nec

nec aliam agnouimus scripturam. Credendum est, aliquo fulciri illius Ecclesiæ Patres nixu, cum populis illas exhiberi permittant.

B S. MELANTIVS, seu MELAS. Eius natalis scribitur dies à Petro Equil. lib. 2. Catalog. SS. c. 96. licet de Episcopatu nulla apud eum memoria insit. Martyrol. Rom. omnia complectitur, sic: *Rhinocolura in Ægypto* S. Melæ *Episcopi, qui sub Valente exilium, & alia grauia pro fide passus, in pace quieuit.* Eadem Gales. & alij à Bollando citati fol. 15. tom 2. Suis idiomatibus Martyrologia Castell. Lusitan. & P. Higuera MS. Hispan. De eo Baron. in Not. ad Martyr. Rom h. d. Niceph. lib. 11. c. 38. Cassiodor. Hist. Trip. lib. 8. c. 2. Sozom lib. 6. c. 31. Iulian. in Chron. n. 129. P. Petr. Halloix tom. 1. SS. Orient. c. 14. §. 5. P. Hieron. Rom. de la Higuer. in Dypt. Tolet. n. 58. Acta conscribere decreui aliquot, ab omnibus relatis, vellicatis dicteriis.

MELANTIVS Athenarum ciuitatem, insigne apud Græcos scientiarum armamentarium, patriam agnouit. Patruos habuit Melantium, & Salomonem, qui nepotem literis, & aliarum virtutum initiis imbuere. Post Sixtum Conciuem insequentes, Hispanias traiecere, vt sanctissimum illum Virum tunc Sedis Apostolicæ in hanc regionem Legatum, in tanti muneris pensum subleuarent. Illorum lateri adhæsit Melantius iunior, donec legatione conclusa, Melantius patruus ad S. Ecclesiæ Toletanæ Sedis apicem, Pomponio Palatuo demortuo, omnium votis, sine controuersia deuenit. At cùm Melantij nepotis cognita habuisset præcordia, ad sacrum Diaconij ipsius Toletanæ Ecclesiæ titulo ordinem sedulus Pastor assumpsit. Quo functiones tanto muneri annexas mirificè exercens, ad vltimum existimationis gradum, numine fauente peruenit. Tandem suorum taliter in omnem terram operum euolauit opinio, vt progresso in Ægyptum secretioris vitæ secessus caussa, illico ad Præsulatus Rhinocoruræ dignitatem mirabiliter est electus. Ergo tunc lues Ariana sæuiebat, & omnibus, imperatum est, Episcopis, qui tali dogmati aduersarentur, vt à propriis exulati sedibus, illas sine alia perendinatione dimitterent. Vt igitur Melantius decreto pareret, satellites aliquot remisit Arianorum inuidia, qui cum vrbem fuissent aggressi, Basilicam ingressi, lampades parando venerabilem senem conuenerunt, quem pro Episcopo rogantes, se protinus illum demonstraturum respondit. Accitis demum satellitibus, eos in domum Episcopalem inducens, mensas parans, vt comedant efflagitans, ipse in edulio solicite ministrauit. Quo peracto, & epulis finitis, sese illis indixit. Satellites ergo stupefacti, & reuerentiæ calore inducti, libere Sanctum dimittebant Antistitem. At Melantius: *Non* (inquit) *declinabo quod mei similes libentissime susceperunt, sed volens exilij præcepta suscipio.* His itaque peractis exacte, vna cum aliis religionis sociis voluntarium pro Christo subiuit exilium. Quo post varios agonum scopulos, post innumeros virtutum cumulos, ad æternæ peruenit beatitudinis gaudium Confessor eximius XVII. Kal. Februarij, circiter annum CCCXXXVI.

Iulian. Per. in Chron. n. 129. eius meminit, sic: *B. Salomon eodem anno frater Melantij Toletani vt quidam dicunt præest sedi Braccarensi: Vterque patruus* Melæ; *vel* Melantij *Episcopi Sinocururæ in Ægypto.* P. Hieron. de la Higuer. in Diptyc. Tolet. n. 58. apertius sic: *Ex sorore* (nepos) *fuit quidam alius* Melantius, *qui fuit Episcopus Rhinocoruræ in Ægypto, prius Toleti Diaconus, qui propter fidem Concilij Nicani contra Arianos fortiter, constantérque defensam à Valente Africano missus est in exilium.* Eadem Archiep. Braccarens. D. Roder. de Acuña tom. 1. Hist. Bracc. c. 41. n. 1. fol. 168. In meo peruetusto M S. de vtroque Melantio hanc Epigrammatis seriem comperi.

Toletum cùm vidit vterque Melantius almus,
Alter Minister, Præsul & alter erat.

Hic Toletum amat, Ægyptum tunc ille reposcit:
Hic alter Sanctus, Sanctus & alter ibi.

RHINOCORVRA, siue *Rhinocolura*, vtraque inuenitur lectione. Hodie FARAMIDA, Ciuitas Episcopalis Ægypti litoralis, in Palestinæ confinio inter Anthedonem & Ostracinem. Eius meminere Plin. lib. 5. c. 13. Diodor. Sicul. in Biblioth. lib 2. c. 1. Tit. Liu. Decad. 5. lib. 1. Ammian. Marcell. lib. 22. in Iuliano. Ioseph. lib. 14. Antiquit. c. 25. & lib. 13. c. 24. Nomenclaturam, à narium præscisione credidit Strab. in Geograph. lib. 16. his verbis: *Postea sunt* Rhinocolura, *ab iis dicta, qui* Rhinas *habitauere. Nam Æthiopum quidam Ægyptum inuadens, non interitu, sed* nasi mutilatione, *maleficia coërcens, vt propter oris deformitatem peccare deinceps non auderet, in his locis habitauit.* Iacob. Dalecamp. in not. ad Plin. d. lib. 5. c. 13. lit. A. hanc historiam extendit. At hoc à Rege Persarum factitatum recenset Seneca Noster lib. 3. de Ira, cap. 20. sic: *Sicut Rex Persarum totius populi nares recidit in Syria, inde* Rhinocolura *nomen est. Pepercisse illum iudicas, quod non tota capita præcidit? nouo genere pœnæ delectatus est.* A vero deuiasse Baronium, qui h. d. in not. ad M. R. duas huius nominis vrbes inuenisse refert, alteram in Syria, alteram in Ægypto crediderim. Cuius lapsum conuincunt Ortell. & Bolland. De hac vrbe in sacris literis Hieronym. ad c. 27. Isaiæ. Noster D. Alph. de Madrigal super illud 3. Reg. c. 4 q. 6. P. Cornel. à Lapid. ad. d. c. 27 Isaiæ. S. Epiphan. in Panor. lib. 2. tom. 2. hær. 6. contra Manichæos n. 83. & alij quamplurimi.

C S. HONORATVS. De quo acta scripsit S. Hilarius eius successor in insula Episcopali vrbis Arelatensis in Gallia, inquit B. Isidorus Noster de Script. Eccl. c. 16. sic: *Hilarius Arelatensis Episcopus scripsit vitam parentis, & prædecessoris sui sanctissimi, ac venerabilis* Honorati *Episcopi, suaui, ac præclaro dictatam eloquio.* Quorum ecphrasim exscripsit Bollandus tom. 2. Act. SS. fol. 17. Eius etiam nominis memoria reperitur apud sacrarum scriptores tabularum, vt Vsuardus, Ado, Notker. Raban. & alij plerique consignant hoc die. Martyrol. Roman. his verbis: *Arelate S. Honorati Episcopi, & Confessoris, cuius vita doctrina, & miraculis fuit illustris.* Cum quo conueniunt Castellan. P. Dionys. Vasq. & Lusitan. Gallican. Equilini, & Bedæ. De S. Honorato plures scripsere, vt videre est apud Bollandum, Anton. Vincent. Domen. Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 3. & alios. Nos eius acta ex antiquo Breuiario Carmelitarum exscribemus, sic:

Lect. I. HONORATVS ex Romanorum Consulari familia oriundus, postquam ad annos adolescentiæ floridos peruenit, maximo conatu ad sancti baptismi lauacrum peruenire desiderat. Quo Catechumenus piè viuens, ad sacrum peruenit fontem, & originali macula mundata, spretis à Parente oblatis deliciis, luxis abdicatis, ad Deum constanter animum conuertit. Adstitit ei Dominus, & conuerso

Lect. II. exemplis fratre, vterque inter se virtutis certat studio. *Intereà* amor in illos omnium crescebat, quò ab omnibus, & si inuiti, laudati, ne mundi gloriæ illorum opera prosterneret ex patria diffugiunt, & pauperibus hæreditatem distribuentes, in longum iter Caprasium sibi directorem adsciscunt. Peragratis ergo Orientis, & Occidentis

Lect. III. aliquibus Sanctorum monumentis, in Italiam redit Honoratus. *Ergo* Dei prouidentià, quem è patria eremi desideria prouocauerant, hunc in eremum Lirinensem Christus inuitat. In huius Insulæ depopulato cõmercio, propter animalium venenatorum metum ingressus, illico hasce veneni plenas fugat baculo bestias, ibidem eremitorium construens, sacerdotio initiatur, aquas dulces, quarum copia indigebat cœnobium, elicit. Post ad Monachorum, quorum innumera illuc conuenerat proles, institutionibus perfectioribus, normam diuertens, qualis securior fuisset, ad meliores vitæ religiosæ fru-

Lect. IV. ges capessendas, viam prouidus quæritauit. *Omnium* ergo singularem gerebat curam, à quolibet amabatur. In hospites benignus, & liberalis, taliter, vt nummum vnum, quem tantùm haberet, pauperi concederet.

dimissis in via comitibus, iterum Marrochium sunt reuersi. Quo audito Rex teterrimo eos carcere concludi, & fame sitique necari imperauit, quos viginti dies, omni corporali cibo destitutos, Deus ita cœlesti consolatione refecit, vt fortes, & alacres apparerent. Mahometanos tanta caloris, & aëris intemperie attriuit, vt miraculo edocti, diuinam vltionem faterentur, & missos eos continuo faciendos esse clamarent. Secundò itaque ad Christianorum plagas destinati, primo itineris ingressu relictis comitibus Marrochium reuisêre. Opportunè accidit, vt Rex contra rebelles aciem instructurus, Petrum Infantem expeditioni præficeret, qui vt instans periculum, ab istis Fratribus auerteret, secum eos abduxit, vbi rursus, nouo miraculo, vitæ illorum sanctitas emicuit. Sarraceni enim Christianis mixti, vt victores è prælio redierunt, extrema aquæ penuria, de vita periclitari, ad vnum omnes cœperè. Quorum calamitatem *Berardus* pro insita mansuetudine, misertus, ad orationis confugit arma, fontem impetraturus. Nec defuit orationi virtus: Nam paxillo terram scalpens, tantam aquæ copiam, ingenti omnium stupore, elicuit, vt hominum pariter, & iumentorum sitim depulerit. Hinc benignius habiti Marrochij, à solo prædicationis officio summa Regis vigilantia arcerbantur, trepidantis sanè, ne prodigiorum virtute Machometis doctrinam penitus obscurarent, & Crucifixi trophæa, illustri victoria, in vniuersum regnum inferrent. Igitur libera custodia detenti, feria quadam Sexta, in publicum erupere, & consuetum pietatis Officium, tàm strenuè in populo exercuerunt, vt tanquam Regij mandati transgressores capitis sententia damnarentur. Principi cuidam hoc mandatum officij, qui ferox ingenio, multis oneratos iniuriis carceri mancipauit. Atque, vt animi ferocitatem, eorum suppliciis satiaret, post triduum, reuinctis post tergum manibus, nudos diris flagris concidi, suóque tribunali membris omnibus fœdatos offerri iussit. Ibi inuicta eorum virtute, & constantia prouocatus, continuis flagellis ossa eorum, visceráque carnibus nudari, imperauit. Inde feruenti oleo, & aceto vulneribus infusis, tota nocte super testas volutati, & succedentibus sibi inuicem crudelitatis ministris, acerbissime afflicti sunt. Nocte autem illa insolitum quoddam lumen custodes carceris vehementer exterruit, martyres verò cœlesti consolatione perfudit. Primo autem diluculo Rex ipse eorum constantia permotus, conspectu illorum, & colloquio perfrui voluit. Itaque ministri, ne segnes ad inferenda supplicia manus habere viderentur, toto illo itinere, in corpora eorum flagellis sæuierunt, & execranda crudelitate ad regem propulsarunt. In itinere à quodam Mauro *B. Otto* alapa recepta, & alia maxilla ad aliam exhibita, vultu sereno, vt Christi discipulus conticuit, Deóque gratias egit. Cùm verò in Regis conspectum ventum est, Rex eos à fide auertere nititur, sed admirabili constantia, & fortitudine illius & blanditias respuunt, & minas rident. Quo Rex exagitatus, & ab impotenti sui furoris impetu victus, arrepto gladio capita singulorum per frontem desecuit, & truculenta manu mansuetissimas ad suum Creatorem animas transmisit. Hoc tam illustri martyrij genere, post varios pro fide exantlatos labores, post carceris squalores, & crudelia tormenta coronati sunt XVII. Kalen. Februarij Anno Domini M. CC. XX. Regnante in Castella Ferdinando II. cognomento Sancto. Pontificatum Maximum obtinente Honorio III.

Corpora Sanctorum mandato Regis variis affecta ludibriis, extra vrbis portas in campi planitiem frustatim concisa, ferísque obiecta crudeliter remansere. Nocte sequenti fideles, eius opacitatis

beneficio freti, dùm ad colligendas reliquias certatim ruunt, ab Excubitoribus Sarracenis, denso lapidum imbre, repulsi sunt. At ne aliquando honore debito extollerentur, reliquiæ flammis traditæ, sed nulla omninò ignis iniuria affectæ fuêre, imò è capitibus, vnum iteratò in pyram iniectum, ita integrum exiliuit vt suo etiam-num capillitio ornatum, demonstretur. Postea verò Sarraceni munerum, & pecuniarum largitate inescati, eadem Sanctorum fragmenta corporum venditarunt. Petrus Infans, qui eximiam eorum sanctitatem multis indiciis iteratò cognouerat, magna reliquias deuotione suscipiens, aromatibus pannis sericeis inuolutas, intra domus suæ sacellum honorificè, vt eius captiuitatis perferebat occasio, lachrymabili condidit veneratione. Accidit autem, vt dùm quidam fœdæ libidinis mancipium, manu eas contingere vellet, illæ (dictu mirum) in aëra subito eleuatæ, impuri hominis contactum apertè sunt visæ detestari. Vnde iusto suorum dolore scelerum postratus, sacra se confessione expiauit, ac sic tandem ad reliquias accessum inuenit. Petrus Infans Martyrum precibus, & virtuti confisus, non destitit illorum opem, die, ac nocte implorare, vt à diutina captiuitate reditum sibi in Portugalliam impetrarent. Quorum meritis, & Orationibus, indubiè factum, vt Rex Miramamolinus eum cum suis domesticis, magna multorum admiratione, missum faceret. Cæterum ipse facultate abeundi accepta, ignarus viarum, errabundus, vagabatur: à primo occurrente Sarracenorum manipulo pro certo mactandus. Tunc in re desperata, rursus à pietate consilio capto, iumentum sacris onustum reliquiis, ante se egit, sine vlla trepidatione, cum inanimi tamen agmine, illud sequens. Factúmque vt eius ductu, & Sarracenorum insidias euitarent, & sine vllo errore ad Septam vrbem deuenirent. Inde ingenti præsentis naufragij periculo erepti, Hispalim delati sunt. Postremò pleni lætitia, & exultatione Conimbricam appulere. Vbi à Regina Vrraca, & vniuerso populo, festiuo gaudio excepti sacrum Sanctarum Reliquiarum thesaurum deposuere, quas Regina in Monasterio S. Crvcis honorificè conlocauit. Vbi miraculis, & præcipuè quòd ex illis adhuc sanguineus liquor diffundatur, illustres, & populorum deuotione perspicuæ perseuerant.

Hactenus acta. P. Anton. Vasconcellos in descript. Lusitan. fol. 557. num. 14. asserit quod in Cœnobio Louaniensi, non procul à Conimbrica, disciplinæ D. Bernardi Sanctimonialium, duo illorum sacra corpora adseruantur. Alia lipsana Goueæ, & alia Vallisoleti, vt refert M. Vlissipon. Histor. Seraph. 3. part. lib. 6. cap. 34. De eis Manuel Campos in reliq. Conimbricens. sic:

Accedunt alta Socij de stirpe Minorum
Qui Marrochæas calcarunt terpede lunas
Grandia pro Christo pugnando vulnera passi.

Idem fol. 377. inter cætera, quæ de Sanctis scripsit Portugallensibus, epigrammata, canoro huiusmodi cecinit halitu, de hisce Quinque Sanctissimis Martyribus.

Quinque Duces Afræ leuitatis stemmata lunas
Calcarunt, fidei dum sacra signa ferunt.
Marrochij ad muros mortem appetiere; sed alti
Stemmatis è pulchra cæde tulere decus.

deret. Multos in sui beneuolentiam adduxit vitæ sanctitas, præcipuè Saluianum, Eucherium Lugdunensem, & Hilarium Arelatensem, qui eius fuit successor, & quem precibus, & exhortationibus à vitæ sæcularis præstrigiis, ad Christi conuersationem attraxit. *Postquàm* verò monasterium asceticis nobilissimis virtute repleuisset: ad Episcopatus Arelatensis in Gallia fastigium vocatus, Ecclesiam mirabiliter, gratia Dei insufflante, regebat, taliter quod cum seueritate blanditias, cum hilaritate disciplinam, cum voluptate correctionem coniunxerit. Fuit demùm in exhortationibus vehemens, in componendis desidiis felix, in reducendis errantibus efficax, floruit sub ipso Ecclesia, monasterium gratiis creuit, metallis decreuit. Quò ingressa disciplina, mamona iniquitatis exclusit. *Denique* cùm cœperit ægrotare, suos solabatur, & licet in lectulo, plurimos verbi dispensatione ditabat. Cognita corporis direptione, omnia quæ ad status suorum necessitatem, consentanea cognouit, placido vultu, & quieto corde disposuit. Suos mœstos solatur, ad se venientes doctrinis verissimis instruebat. Somno deinde vltimo exceptus, in mortis quietem transiit, sine vllo (vt moris est) luctamine. Honoratus cœlestibus visionibus honoratur, Angelorum manibus suscipitur, Sanctorum Officiis confouetur, & demùm ingenti populorũ cõcursu sepelitur. Post elapsis aliquot sæculis eius sacra pignora Perpinianum delata in Monasterio Carmelitarũ honorificè seruantur, illustriáque ibidem tanti Præsulis inuocatione miracula peraguntur.

Lect. V.

Lect. VI.

Hactenus lectiones. Nunc in earum comprobationem, quatenus ad identitatis essentiam, & sacrati corporis existentiam apud Perpinianum, adsit Anton. Vincentius Domen. in SS. Cathalon. lib. 1. fol. 3. vbi hæc in exordio verba congerit, sic: *Vita* B. Honorati *Archiepiscopi Arelatensis, Conditoris Cœnobij Lerinensis, Confessoris. Cuius corpus magna veneratione custoditur in Monasterio D.N. Carmelitano, apud Perpinianum Diœcesis Helenensis.* Qui post modum in fine actorum, sic prosequitur: *Post elapsis aliquot sæculis, eius sanctum corpus allatum est ad Monasterium D. N. montis Carmeli apud Perpinianum, quo magna veneratione adseruatur, eiúsque intercessione ibidem Deus mirabilia singularia operatur, vt euenit anno M. D. L X X X I X. cum eius sacra pignora in D. Mariam del Mar prope Canetum perducta fuissent. Nam hic Deus mirabiliter pluuiam congruentem concessit, eius interuentu, & alia aliis suffragia flagitantibus impartiuit.* Eadem P. Bolland. titul. de Translation. fol. 24. num. 1 licet de toto corpore dubitet. Quid mirum? Nonne religiosa contentio est?

PERPINIANVM. Oppidum est celebre in Galliæ finibus, non procul ab Helena vrbe Episcopali. Caput censetur Comitatus Ruscinonensis, qui ex Salsulis ad Caucoliberim constituitur, inter Pyrenæi Montis-brachia distensus. Quale olim nomen habuerit, inter Scriptores cruenta dissensio est. Petr. Ant. Beut. lib. 1. cap. 2. Franc. com. cap. 5. Pineda lib. 2. cap. 14. §. 4. ex Anij Beroso contendunt, ibidem fuisse vrbem, cui vocabulum *Pyripineanea* fuit. Hócque percepisse post illorum sublimium Montium insigne incendium, ex quo & Montes Pyrinæi, & populus inde constructus Pyripineanea. Hanc opinionem sequitur Roder. Mend Silu. in Hisp, populat. fol. 249. cap. 13. Nonnullas alias suis locis appingemus, Deo præstante, cum in Theatrum venerit huius oppidi mentio. Quod hic referam, erit, Ecclesiam Cathedralem Helenensem huc translatam fuisse ab Anno M. D C. I I. propter Populi maiorem frequentiam.

D SS. BERARDVS, & Socij. Istorum Martyrum nomina, in Sanctorum albo conscripta esse nullus dubitat. Bellin. in Antiquiori Mart. Roman. h. d. sic: *Eodem die apud Marrochium passio Beatorum Martyrum* Berardi, Petri, Accursij, Adiuti & Ottonis *de Ordine Minorum.* Alex. de Peregrin. in Antiquo. Baronius in Nouo Nouiori, & Nouissimo. Eadem Maurolyc. Martyrologia Castellan. P. Dionys. Vasq. Hispan. P. Higuer. Franciscanum. P. Arturi. Lusitanum suo idiomate, latine sic: *Apud Conimbricam SS. MM.* Berardus, Petrus, Adiutus, Accursius, & Otto, *ex ordine Minorum, qui in Africam transfretantes desiderio prædicandi Catholicam fidem,*

martyrio coronati sunt Marrochij, iussu Regis Miramamolini. Anno Domini M. CC. XX. Post martyrologia, eorum meminere X X X V I I I. Scriptores, vt refert Artur. in Notis ad Matt. Francisc. hodie lit. A. §. 3. plures compaginat Bolland. in Act. SS. tom. 1. fol. 62. quorum nomina transcribere, longum erit. Ab illis Actorum ecphrasim eliciemus, sic:

S. P. FRANCISCVS. Minorum Patriarcha, Anno Domini M. CC. XIX. zelo, quo exaltationis fidei Catholicæ ferebatur, ad regnum Marrochij *Vitalem*, *Berardum*, *Petrum*, *Adiutum*, *Acursium*, *& Ottonem* eiusdem Ordinis Fratres, natione Italos, Viros religionis encomio imbutos, & Virtutum titulo commendabiles, vt Euangelij illic disseminassent verbum prouidè misit. Præfectus erat reliquis P. Vitalis, cuius ductu ad omnes labores, & obedientiæ meritum cæteri alacres, in Aragoniam primum peruenere. Ibidem Vitalis vi diutini laboris oppressus, hærere coactus est, reliquis interim Christi amore flagrantibus, & moram itineris ægrè ferentibus, in opus animarum dimissis. Et quidem Conimbricam Portugaliæ vrbem delati, ad Vrracam Reginam Alphonsi I I. Regis illius Prouinciæ vxorem, Alphonsi VIII. cognomento Boni Castellæ Regis filiam secundo genitam. Berengariæ Primogenitæ, & Blancæ Tertiogenitæ, illius Legionis, & Castellæ Reginæ, Matris S. Regis Fernandi; istius Galliæ Reginæ, Genitricis S. Ludouici Regis, & Isabellæ, sororem, diuerterunt, quæ conspectu sanctorum Quinque Fratrum mirificè exhilarata, humilibus precibus ab eis flagitauit, vt diuinam voluntatem consulerent, quando hoc corporis domicilium relictura esset. Illi orationibus ad Deum porrectis, quæ illi, & illis erant euentura ante piissimæ Reginæ obitum prædixere. Quo licentia obtenta, Apostolici Viri inde recedentes Alanquerum ad Sanctiam ipsius Alphonsi Lusitaniæ sororem, cui illud castrum Sanctius I. eorum Pater donauerat, in eóque Minoribus Infans extruere Monasterium cœperat, peruenere. Quæ ex eorum aduentu, magnam animi voluptatem exhausit; & quia in sacro habitu Hispalim, tunc Sarraceno Abenillato Regi parentem, transeundi difficultas erat, sæcularibus eos vestibus induens, benigne, & non sine lachrymarum dimisit proluuie. Eò vt peruentum resumptis iterum ordinis indumentis, ad Maurorum Mesquitam, vt ibi prima Diuini Verbi semina spargerent, accessere. Sed scelerati homines, impetu in eos facto, pluribus verberibus laniarunt, non tamen robur ita fregerunt, vt aliquid de concepto spiritus feruore remitterent; sed diuina virtute egregiè confirmati, Regem aggressi sunt. At ille furiis exagitatus, confestim eos capitis supplicio plecti iussit, sed eius filius naturali quadam affectione motus, compresso Patris furore, à præsenti mortis periculo eos eripere valuit, & carceri mancipatos detinuit. Paucis verò post diebus Rex eos ad se adduci iussit, & summa contentione, vt à proposita prædicatione desisterent, Sanctissimos Viros constringebat, sed insuperabilem eorum constantiam cernens, Marrochium eos, cum quibusdam Christianis ferociter destinauit. Cum ergo Marrochium peruenissent, omni periculo posthabito, Sarracenis vbicumque se offerret occasio Christum constanter annunciabant, & sceleratam impuri Machometis sectam conuellebant. Contigit autem Regem Miramamolinum verba quædam eorum, quibus ingens, & non ferendum conuicium Machometi factum putabat, audire: quare furore nimio succensus, confestim eos expelli (instante Petro Infante Portugaliæ, qui illuc detinebatur) & ad Christianorum terras deduci præcepit. Verùm illi, incredibili martyrij desiderio flagrantes,

dimissis

Illo iure colit Gens Lysia, iure triumphos.
Africa quos peperit, vendicat illa suos.

Illos S. P. M. Sixtus IV. publico exhibuit cultui per suum viuæ vocis oraculum, quod post diplomate expedito confirmauit, & quod in ordine Minorum de illis recitaretur permisit vt ex Bullæ tenore apparet, qui talis est.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Vniuersis Fratribus Ordinis Minorum, dilectis filiis vbicumque morantibus, seu moraturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm alias animo reuolueremus merita BB. MM. *Berardi, Petri, Ottonis, Accursij, & Adiuti* qui ex ordine Fratrum Minorum (sub cuius & Nos coaluimus) fuerunt, qui post multa tormenta sub Rege Marrochiorum, pro Christo mortem subierunt, & Martyrij palmam gloriosè promerentes, plurimis miraculis in ipsa morte, & post claruerunt: ex quo incensus B. Antonius de Padua, ex ordine Canonicorum Regularium, in quo tunc erat, ad ordinem ipsum Fratrum Minorum se, legitur transtulisse; concessimus ex authoritate Apostolica, & benignitate viuæ vocis oraculo, vt Fratres prædicti Ordinis Minorum possent publicè, & solemniter celebrare in suis Ecclesiis Missæ, & Horarum Officium de supra memoratis SS. MM. Verum cum frequenter aduersarius humani generis nitatur bona, & sancta opera perturbare, ne tam diuinum, & pium opus possit aliquis in posterum impedire, tenore præsentium, ex certa scientia, authoritate Apostolica concedimus, quod prædicti Fratres Minores, vbique solemniter & publicè Officium plurimorum Martyrum pro ipsis *Berardo, Petro, Accursio, Adiuto, & Ottone*, sub Officio Duplici maiore; ac etiam XVI. Ianuarij qua die ab hoc sæculo per martyrium decesserunt, libere, ac cum sana conscientia dicere, ac celebrare possint, *&c.* Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VII. Augusti Anno Domini M. CCCC. LXXXI. Pontificatus Nostri Anno X.

Originem Sanctorum, & an omnes Sacerdotes fuissent, perscrutabitur deuotio. Adeat Vvadingum anñ. 1219. num. 48. Arturum in Not. ad Martyrolog. Francisc. can. fol. 22. & alios à Bollando.

CONIMBRICA. Ciuitas est Portugalliæ Episcopalis, hodie COIMBRA. ad Mundam fluuium illam irrigantem, sita. De ea Plin. lib. 4. cap. 21. sic: *Oppida Conimbrica.* De illa fortiori loco agemus, quo Lectorem replebimus.

SEXTO

SEXTO DECIMO KALEND. FEBRVARII, DIES XVII.

A. *Dianij in Hiſpania natalis* SS. Lvcioli, Fortvnati *& Sociorum qui in perſecutione Traiani comprehenſi, ibidem Martyres excelſi ad palmam acceſſere.*

B. *Cadurci in Gallia* S. Genulphus *Epiſcopus, & Confeſſor qui à S. Sixto II. Papa, & Martyre, cum Genito patre, ad Chriſti Euangelium prædicandum in aliquot Galliæ, & Hiſpaniæ populis miſſus; apud Gerundam, conuicináſque vrbes verbum Dei diſſeminans, fructúmque colligens opimum, Cadurci ſanctiſsimè vitam finiuit.*

C. *In Diœceſi Hellenenſi apud Parochialem Eccleſiam Villæ-Francæ Confluentis ad Pyrenæi radices ſacra S. Sulpicij cognomento* Pij *Epiſcopi Bituricenſis pignora, honorifica occluduntur theca, & deuotiſsima coluntur veneratione.*

NOTÆ.

A Sanctorvm Lvciolvs, Fortvnatvs, & Socij. Horum Martyrum acta pœnè in tenebris delitescunt. Eorum nomina tantùm apud vetuſtiſſimum S. Hieronymi martyrologium inter copioſam Sanctorum in Africa paſſorum ſegetem, comperies, licet pro *Luciola*, vt in Noſtris chronicis, reponatur *Leuc[illegible]s*. Similiter in Hibernico MS. Conuentus Dugalenſis, vt refert h. d. Bolland. tom. 2. fol 80. Similiter in Hieronymiano, pro *Fortunato*, ſcriptum ſit *Fortunata*, quando in aliis Martyrologiis Viri, & non Fœminæ nomen inuenitur, & Iulianus Pet. Noſt. in Chron. num. 25. & ipſe P. Bolland. *Fortunatum* conſcribant. Sic ergo Iulian. *In eadem perſecutione* (Traiani) *vel paulo poſt Dianij in Hiſpania SS. Martyrum* Lucioli, Fortunati, & Sociorum XVII. *Ianuarij*. De aliis *Luciolo*, *Fortunato*, *& Sociis* agit Dexter in Chron. Ann. 300. vbi P. Biuar. com. 2. num. 4. fól. 328. Sed iſti ferè duobus ſæculis ſequentibus, & Eburæ in Carpetania, & die III. Martij conſignantur. Ex quo alij ab aliis diuerſo iure cenſendi ſunt. Hic præciſè iurgium oritur; nam Hieronymus in Africa, Iulianus in Hiſpania paſſos demonſtrat. Cui difficultati occurrens,

occurrens, duplici medio satisfaciam. I. quod illud Hieronymi Martyrologium sæpè sæpius Martyrum nomina conglutinat sine expressione locorum, quo Martyrium vnusquisque compleuit tantùm diem agonis attendens, ideò Nostros cum Africanis coniunxit. II. estò quòd Africæ paterentur, quis prohibet, quod ex Dianio in Africam aducti, illuc martyrium expleuissent; cum non fuerit nouum, Martyres ex Hispania catenatos in Africam transfretare, ibidémque agones perficere, vt in S. Marcello Centurione, & aliis euenit. Quibus sic sedatis dubiis hoc breue vitæ epilogum ausculta.

LVCIOLVS, & FORTVNATVS ex vrbe Dianio Hispaniæ litorali oriundi, fidem Christi humili spiritu receperunt. Sed sæuiente Imperatoris Vlpij Traiani etiam Hispani in Dei Ecclesiam persecutione, Præsides Prouinciarum absque vlla miserationis cautelâ, tantum ambitionis fœdo fœdere innixi, Catholicum gregem, continuis satellitum insidiis, extraordinariis speculatorum subsessionibus, & notandis adulantium aspirationibus insequebantur. Hæc Dianium peruenit epidemiæ rabies, & delatis coram Iudice *Luciolo, Fortunato, & aliis Christianis*, primùm, vt moris erat, blanditiis, post verberibus, à fide diuertere illos curauit Iudicis atrocitas. In cassum omnia, quin constantia Martyres coadunati vitam pro Christo temporalem, pro æterna commutarunt strenui XVI. Kal. Februarij circa Annum Domini CVI. Imperante Traiano, Summum Pontificatum obtinente S. Euaristo I. PP.

Qui fuerint eorum socij, penitus ignoro, cùm nec Iulianus Noster expressit, nec Hieronymus suorum acta separauerit. Quiqui fuerint, apud illos in cœlis Dianij protectionem agnoscent vbique.

DIANIVM olim Ciuitas fuit stipendiaria ex Plin. lib. 3. cap. 3. Inter Edetanos apud Ptolom. Ad Belearicum mare inter Carthaginem nouam, & Sucronem fluuium, sita ex Strabon. lib. 3. Geograph. Qui emporium munitissimum ad rem piraticam percommodúmque, & nauigantibus longinquum præstans prospectum. Multifariam habuit nominum significationem. Nam alij *Dianium*, à quo hodie DENIA. Alij *Artemisium*, Alij *Homeroscopium*, & Alij *Ferrariam* vocitauere. De singulis agemus suis locis. De Dianios præter antiquos cosulendi Florian. de Ocamp. Hist. Hispan. lib. 3. cap. 29. P. Anton. Beut. lib. 1. Histor. Valent. cap. 12. Gaspard. Scolan. ead. Histor. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 12. P. Ioann. Mariam. Histor. Hispan. lib. 1. cap. 12. De *Artemisio* Strab. d. lib. 3. sic: *Vocatúrque* Artemisium *tanquam* Dianium *ferrarias habens effossiones feraces ex propinquo.* De *Hemeroscopio*, idem Strabo, & Ruff. Fest. Auien. Nost. de Oris Maritim. vers. 475. sic:

——————*Litus extendit dehinc*
Steriles arenas: Hemeroscopium *quoque*
Habitata pridem hîc ciuitas, núncque iam solum
Vacuum Incolarum, languido stagno madet.

Huius nominis causam Florian. cap. 28. descripsit, sic: *Et etiam fuit tempus, quo* Hemeroscopium *dictum fuit, quod Græcè* Locus altus, *seu* Diurna specula *dicitur, ex quo terræ, & maris aliquid eminus videri, & prospici potest.* Speculam Sertorij fuisse contendit Beuter, & Scolanus, & rectè ex Strabone. *Ferrariam* etiam dictam, ex ratione Strabonis. Quo lucem accipiet locus Pomp. Melæ Nostri lib. 2. cap. 6. hisce verbis: *Inde se in terras pelagus insinuat, & primùm magno impetu admissum, mox in duos sinus promontorio, quod* Ferrariam *vocant, finditur.* Vbi *Ferrariam* ex ferri fodinis apud Strabonem, *Dianium* appellauit, & probant Iacob. Vadian. ad Melam. Florian. & reliqui. De TEMPLO DIANÆ ibidem constructo, multa multi dixere, quæ percurrere apud Florianum, Beuter, Scolanum, Marianam, ociosis relinquo.

S. GENVLPHVS.

S. MARCELLVS PONT. MAX. MART.

SYNOPSIS.

Eum tyrannus repurgando communi vrbis ſtabulo addixit. Præfertur Herculi, *cuius ex laboribus vnus dicitur, quod addictus fuerit Augiæ ſtabulo repurgando, nihil huic honorificentius accidiſſe dicitur.*

ENCOMIVM XXII.

Expugnari te poſſe tyrannus credidit,
ſi faceret ſtabularium.
Errauit. Alterum fecit Herculem;
Hic illum in primis labor inſignem fecit;
repurgare iuſſus eſt Augiæ ſtabulum.
Quamquam tu laudabilior Hercule,
Qui vitiis inquinatus haud ſe ipſum purgauit;
muliebriter lanam accepit, & colum,
abiectâ domitrice monſtrorum clauâ.
Purius tu expurgaſti, MARCELLE, *impietate vrbem;*
ipſum in primis vetuiſti Herculem coli,
ſiue humeros grauaret ſtellis, ſiue ſtabuli fimo.
Illi pro mercede laboris ſordidi
litigium cum Augia fuiſſe dicitur:
at tibi, & certa merces fuit, & magna.
Minor etiam eſt tecum collata fama Marcelli,
qui primus docuit Annibalem poſſe vinci;
At tibi Maxentius ceſſit immanior, niſi fortior.
Ille Honori, ac Virtuti dedicauit ædes Romæ,
ſed ipſa Roma tibi.
Non obſtitit crudelitas virtuti, quam prodidit,
non honori, quem auxit.
Flagrauit magis fama de fimo.
Vera vox: nihil magnificentius religioni vidit Roma,
quàm Paſtorem populorum ſtabularium factum.

De eius ſacris glebis in Eccleſia Arelatenſi Valleſpirenſis Comitatus, Diœceſis Helenenſis, teſtis eſt Anton. Vincent. Domenec Hiſt. SS. Cathalon. fol. 75. col. 3. A quo Bolland. d. fol. 4. n. 5. Quo tempore illic allatæ fuerint, neç author ille ſignificat, nec

nec aliam agnouimus scripturam. Credendum est, aliquo fulciri illius Ecclesiæ Patres nixu, cum populis illas exhiberi permittant.

B S. MELANTIVS, seu MELAS. Eius natalis scribitur dies à Petro Equil. lib. 2. Catalog. SS. c. 96. licet de Episcopatu nulla apud eum memoria insit. Martyrol. Rom. omnia complectitur, sic: *Rhinocolura in Ægypto S. Melæ Episcopi, qui sub Valente exilium, & alia grauia pro fide passus, in pace quieuit.* Eadem Gales. & alij à Bollando citati fol. 15. tom. 2. Suis idiomatibus Martyrologia Castell. Lusitan. & P. Higuera MS. Hispan. De eo Baron. in Not. ad Martyr. Rom. h. d. Niceph. lib. 11. c. 38. Cassiodor. Hist. Trip. lib. 8. c. 2. Sozom lib. 6. c. 31. Iulian. in Chron. n. 129. P. Petr. Halloix tom. 1. SS. Orient. c. 14. §. 5. P. Hieron. Rom. de la Higuer. in Dypt. Tolet. n. 58. Acta conscribere decreui aliquot, ab omnibus relatis, vellicatis dicteriis.

MELANTIVS Athenarum ciuitatem, insigne apud Græcos scientiarum armamentarium, patriam agnouit. Patruos habuit Melantium, & Salomonem, qui nepotem literis, & aliarum virtutum initiis imbuere. Post Sixtum Conciuem insequentes, Hispanias traiecere, vt sanctissimum illum Virum tunc Sedis Apostolicæ in hanc regionem Legatum, in tanti muneris pensum subleuarent. Illorum lateri adhæsit Melantius iunior, donec legatione conclusa, Melantius patruus ad S. Ecclesiæ Toletanæ Sedis apicem, Pomponio Palatuo demortuo, omnium votis, sine controuersia deuenit. At cùm Melantij nepotis cognita habuisset præcordia, ad sacrum Diaconij ipsius Toletanæ Ecclesiæ titulo ordinem sedulus Pastor assumpsit. Quo functiones tanto muneri annexas mirificè exercens, ad vltimum existimationis gradum, numine fauente peruenit. Tandem suorum taliter in omnem terram operum euolauit opinio, vt progresso in Ægyptum secretioris vitæ secessus caussa, illico ad Præsulatus Rhinocoruræ dignitatem mirabiliter est electus. Ergo tunc lues Ariana sæuiebat, & omnibus, imperatum est, Episcopis, qui tali dogmati aduersarentur, vt à propriis exulati sedibus, illas sine alia perendinatione dimitterent. Vt igitur Melantius decreto pareret, satellites aliquot remisit Arianorum inuidia, qui cum vrbem fuissent aggressi, Basilicam ingressi, lampades parando venerabilem senem conuenerunt, quem pro Episcopo rogantes, se protinus illum demonstraturum respondit. Accitis demum satellitibus, eos in domum Episcopalem inducens, mensas parans, vt comedant efflagitans, ipse in edulio solicite ministrauit. Quo peracto, & epulis finitis, sese illis indixit. Satellites ergo stupefacti, & reuerentiæ calore inducti, libere Sanctum dimittebant Antistitem. At Melantius: *Non* (inquit) *declinabo quod mei similes libentissime susceperunt, sed volens exily præcepta suscipio.* His itaque peractis exacte, vna cum aliis religionis sociis voluntarium pro Christo subiuit exilium. Quo post varios agonum scopulos, post innumeros virtutum cumulos, ad æternæ peruenit beatitudinis gaudium Confessor eximius XVII. Kal. Februarij, circiter annum CCCXXXVI.

Iulian. Per. in Chron. n. 129. eius meminit, sic: *B. Salomon eodem anno frater Melanty Toletani vt quidam dicunt præest sedi Braccarensi: Vterque patruus* Melæ; *vel* Melantij *Episcopi Sinocururæ in Ægypto.* P. Hieron. de la Higuer. in Diptyc. Tolet. n. 58. apertius sic: *Ex sorore* (nepos) *fuit quidam alius* Melantius, *qui fuit Episcopus Rhinocoruræ in Ægypto, prius Toleti Diaconus, qui propter fidem Concilij Nicæni contra Arianos fortiter, constanterque defensam à Valente Africano missus est in exilium.* Eadem Archiep. Braccarens. D. Roder de Acuña tom. 1. Hist. Bracc. c. 41. n. 1. fol. 168. In meo peruetusto MS. de vtroque Melantio hanc Epigrammatis seriem comperi.

Toletum cùm vidit vterque Melantius almus,
Alter Minister, Præsul & alter erat.

dimissis in via comitibus, iterum Marrochium sunt reuersi. Quo audito Rex teterrimo eos carcere concludi, & fame sitíque necari imperauit, quos viginti dies, omni corporali cibo destitutos, Deus ita cœlesti consolatione refecit, vt fortes, & alacres apparerent. Mahometanos tanta caloris, & aëris intemperie attriuit, vt miraculo edocti, diuinam vltionem faterentur, & missos eos continuo faciendos esse clamarent. Secundò itaque ad Christianorum plagas destinati, primo itineris ingressu relictis comitibus Marrochium reuisêre. Opportunè accidit, vt Rex contra rebelles aciem instructurus, Petrum Infantem expeditioni præficeret, qui vt instans periculum, ab istis Fratribus auerteret, secum eos abduxit, vbi rursus, nouo miraculo, vitæ illorum sanctitas emicuit. Sarraceni enim Christianis mixti, vt victores è prælio redierunt, extrema aquæ penuria, de vita periclitari, ad vnum omnes cœperè. Quorum calamitatem *Berardus* pro insita mansuetudine, misertus, ad orationis confugit arma, fontem impetraturus. Nec defuit orationi virtus: Nam paxillo terram scalpens, tantam aquæ copiam, ingenti omnium stupore, elicuit, vt hominum pariter, & iumentorum sitim depulerit. Hinc benignius habiti Marrochij, à solo prædicationis officio summa Regis vigilantia arcerbantur, trepidantis sanè, ne prodigiorum virtute Machometis doctrinam penitus obscurarent, & Crucifixi trophæa, illustri victoria, in vniuersum regnum inferrent. Igitur libera custodia detenti, feria quadam Sexta, in publicum erupere, & consuetum pietatis Officium, tàm strenuè in populo exercuerunt, vt tanquam Regij mandati transgressores capitis sententia damnarentur. Principi cuidam hoc mandatum officij, qui ferox ingenio, multis oneratos iniuriis carceri mancipauit. Atque, vt animi ferocitatem, eorum suppliciis satiaret, post triduum, reuinctis post tergum manibus, nudos diris flagris concidi, suóque tribunali membris omnibus fœdatos offerri iussit. Ibi inuicta eorum virtute, & constantia prouocatus, continuis flagellis ossa eorum, visceráque carnibus nudari, imperauit. Inde feruenti oleo, & aceto vulneribus infusis, tota nocte super testas volutati, & succedentibus sibi inuicem crudelitatis ministris, acerbissime afflicti sunt. Nocte autem illa insolitum quoddam lumen custodes carceris vehementer exterruit, martyres verò cœlesti consolatione perfudit. Primo autem diluculo Rex ipse eorum constantia permotus, conspectu illorum, & colloquio perfrui voluit. Itaque ministri, ne segnes ad inferenda supplicia manus habere viderentur, toto illo itinere, in corpora eorum flagellis sæuierunt, & execranda crudelitate ad regem propulsarunt. In itinere à quodam Mauro *B. Otto* alapa recepta, & alia maxilla ad aliam exhibita, vultu sereno, vt Christi discipulus conticuit, Deóque gratias egit. Cùm verò in Regis conspectum ventum est, Rex eos à fide auertere nititur, sed admirabili constantia, & fortitudine illius & blanditias respuunt, & minas rident. Quo Rex exagitatus, & ab impotenti sui furoris impetu victus, arrepto gladio capita singulorum per frontem desecuit, & truculenta manu mansuetissimas ad suum Creatorem animas transmisit. Hoc tam illustri martyrij genere, post varios pro fide exantlatos labores, post carceris squalores, & crudelia tormenta coronati sunt XVII. Kalen. Februarij Anno Domini M. CC. XX. Regnante in Castella Ferdinando II. cognomento Sancto. Pontificatum Maximum obtinente Honorio III.

Corpora Sanctorum mandato Regis variis affecta ludibriis, extra vrbis portas in campi planitiem frustatim concisa, ferísque obiecta crudeliter remansere. Nocte sequenti fideles, eius opacitatis

beneficio freti, dùm ad colligendas reliquias certatim ruunt, ab Excubitoribus Sarracenis, denso lapidum imbre, repulsi sunt. At ne aliquando honore debito extollerentur, reliquiæ flammis traditæ, sed nulla omninò ignis iniuria affectæ fuêre, imò è capitibus, vnum iteratò in pyram iniectum, ita integrum exiliuit vt suo etiamnum capillitio ornatum, demonstretur. Postea verò Sarraceni munerum, & pecuniarum largitate inescati, eadem Sanctorum fragmenta corporum venditarunt. Petrus Infans, qui eximiam eorum sanctitatem multis indiciis iteratò cognouerat, magna reliquias deuotione suscipiens, aromatibus pannis sericeis inuolutas, intra domus suæ sacellum honorificè, vt eius captiuitatis perferebat occasio, lachrymabili condidit veneratione. Accidit autem, vt dùm quidam fœdæ libidinis mancipium, manu eas contingere vellet, illæ (dictu mirum) in aëra subito eleuatæ, impuri hominis contactum apertè sunt visæ detestari. Vnde iusto suorum dolore scelerum postratus, sacra se confessione expiauit, ac sic tandem ad reliquias accessum inuenit. Petrus Infans Martyrum precibus, & virtuti confisus, non destitit illorum opem, die, ac nocte implorare, vt à diûtina captiuitate reditum sibi in Portugalliam impetrarent. Quorum meritis, & Orationibus, indubiè factum, vt Rex Miramamolinus eum cum suis domesticis, magna multorum admiratione, missum faceret. Cæterum ipse facultate abeundi accepta, ignarus viarum, errabundus, vagabatur: à primo occurrente Sarracenorum manipulo pro certo mactandus. Tunc in re desperata, rursus à pietate consilio capto, iumentum sacris onustum reliquiis, ante se egit, sine vlla trepidatione, cum inanimi tamen agmine, illud sequens. Factúmque vt eius ductu, & Sarracenorum insidias euitarent, & sine vllo errore ad Septam vrbem deuenirent. Inde ingenti præsentis naufragij periculo erepti, Hispalim delati sunt. Postremò pleni lætitia, & exultatione Conimbricam appulere. Vbi à Regina Vrraca, & vniuerso populo, festiuo gaudio excepti sacrum Sanctarum Reliquiarum thesaurum deposuere, quas Regina in Monasterio S. Crvcis honorificè conlocauit. Vbi miraculis, & præcipuè quòd ex illis adhuc sanguineus liquor diffundatur, illustres, & populorum deuotione perspicuæ perseuerant.

Hactenus acta. P. Anton. Vasconcellos in descript. Lusitan. fol. 557. num. 24. asserit quod in Cœnobio Louaniensi, non procul à Conimbrica, disciplinæ D. Bernardi Sanctimonialium, duo illorum sacra corpora adseruantur. Alia lipsana Gouex, & alia Vallisoleti, vt refert M. Vlissipon. Histor. Seraph. 3. part. lib. 6. cap. 34. De eis Manuel Campos in reliq. Conimbricens. sic:

Accedunt alta Socij de stirpe Minorum
Qui Marrochæas calcarunt terpede lunas
Grandia pro Christo pugnando vulnera passi.

Idem fol. 377. inter cætera, quæ de Sanctis scripsit Portugallensibus, epigrammata, canoro huiusmodi cecinit halitu, de hisce Quinque Sanctissimis Martyribus.

Quinque Duces Afræ leuitatis stemmata lunas
Calcarunt, fidei dum sacra signa ferunt.
Marrochij ad muros mortem appetiere; sed alti
Stemmatis è pulchra cade tulere decus.

Illo

deret. Multos in sui beneuolentiam adduxit vitæ sanctitas, præcipuè Saluianum, Eucherium Lugdunensem, & Hilarium Arelatensem, qui eius fuit successor, & quem precibus, & exhortationibus à vitæ sæcularis præstrigiis, ad Christi conuersationem attraxit. *Postquàm* verò monasterium ascetis nobilissimis virtute repleuisset; ad Episcopatus Arelatensis in Gallia fastigium vocatus, Ecclesiam mirabiliter, gratia Dei insufflante, regebat, taliter quod cum seueritate blanditias, cum hilaritate disciplinam, cum voluptate correctionem coniunxerit. Fuit demùm in exhortationibus vehemens, in componendis desidiis felix, in reducendis errantibus efficax, floruit sub ipso Ecclesia, monasterium gratiis creuit, metallis decreuit. Quò ingressa disciplina, mamona iniquitatis exclusit. *Denique* cùm cœperit ægrotare, suos solabatur, & licet in lectulo, plurimos verbi dispensatione ditabat. Cognita corporis direptione, omnia quæ ad status suorum necessitatem, consentanea cognouit, placido vultu, & quieto corde disposuit. Suos mœstos solatur, ad se venientes doctrinis verissimis instruebat. Somno deinde vltimo exceptus, in mortis quietem transiit, sine vllo (vt moris est) luctamine. Honoratus cœlestibus visionibus honoratur, Angelorum manibus suscipitur, Sanctorum Officiis confouetur, & demùm ingenti populorũ cõcursu sepelitur. Post elapsis aliquot sæculis eius sacra pignora Perpinianum delata in Monasterio Carmelitarũ honorificè seruantur, illustriáque ibidem tanti Præsulis inuocatione miracula peraguntur.

Lect. V.

Lect. VI.

Hactenus lectiones. Nunc in earum comprobationem, quatenus ad identitatis essentiam, & sacrati corporis existentiam apud Perpinianum, adsit Anton. Vincentius Domen. in SS. Cathalon. lib. 1. fol. 3. vbi hæc in exordio verba congerit, sic: *Vita* B. Honorati *Archiepiscopi Arelatensis, Conditoris Cœnobij Lerinensis, Confessoris. Cuius corpus magna veneratione custoditur in Monasterio D.N. Carmelitano, apud Perpinianum Diœcesis Helenensis.* Qui post modum in fine actorum, sic prosequitur: *Post elapsis aliquot sæculis, eius sanctum corpus allatum est ad Monasterium D. N. montis Carmeli apud Perpinianum, quo magna veneratione adseruatur, eiúsque intercessione ibidem Deus mirabilia singularia operatur, vt euenit anno M. D. LXXXIX. cum eius sacra pignora in D. Mariam del Mar prope Canetum perducta fuissent. Nam hic Deus mirabiliter pluuiam congruentem concessit, eius interuentu, & alia aliis suffragia flagitantibus impartiuit.* Eadem P. Bolland. titul. de Translation. fol. 24. num. 1. licet de toto corpore dubitet. Quid mirum? Nonne religiosa contentio est?

Perpinianvm. Oppidum est celebre in Galliæ finibus, non procul ab Helena vrbe Episcopali. Caput censetur Comitatus Ruscinonensis, qui ex Salsulis ad Caucolibetim constituitur, inter Pyrenæi Montis-brachia distensus. Quale olim nomen habuerit, inter Scriptores cruenta dissensio est. Petr. Ant. Beut. lib. 1. cap. 2. Franc. com. cap. 5. Pineda lib. 2. cap. 14. §. 4. ex Anij Beroso contendunt, ibidem fuisse vrbem, cui vocabulum *Pyripineanea* fuit. Hócque percepisse post illorum sublimium Montium insigne incendium, ex quo & Montes Pyrinæi, & populus inde constructus Pyripineanea. Hanc opinionem sequitur Roder. Mend Silu. in Hisp. populat. fol. 249. cap. 13. Nonnullas alias suis locis appingemus, Deo præstante, cum in Theatrum venerit huius oppidi mentio. Quod hic referam, erit, Ecclesiam Cathedralem Helenensem huc translatam fuisse ab Anno M. DC. II. propter Populi maiorem frequentiam.

D SS. Berardvs, & Socij. Istorum Martyrum nomina, in Sanctorum albo conscripta esse nullus dubitat. Bellin. in Antiquiori Mart. Roman. h. d. sic: *Eodem die apud Marrochium passio Beatorum Martyrum* Berardi, Petri, Accursij, Adiuti & Ottonis *de Ordine Minorum.* Alex. de Peregrin. in Antiquo. Baronius in Nouo Nouiori, & Nouissimo. Eadem Maurolyc. Martyrologia Castellan. P. Dionys. Vasq. Hispan. P. Higuer. Franciscanum. P. Arturi. Lusitanum suo idiomate, latine sic: *Apud Conimbricam SS. MM.* Berardus, Petrus, Adiutus, Accursius, & Otto, *ex ordine Minorum, qui in Africam transfretantes desiderio prædicandi Catholicam fidem,*

Illo iure colit Gens Lysia, iure triumphos.
Africa quos peperit, vendicat illa suos.

Illos S. P. M. Sixtus IV. publico exhibuit cultui per suum viuæ vocis oraculum, quod post diplomate expedito confirmauit, & quod in ordine Minorum de illis recitaretur permisit vt ex Bullæ tenore apparet, qui talis est.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Vniuersis Fratribus Ordinis Minorum, dilectis filiis vbicumque morantibus, seu moraturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm asias animo reuolueremus merita BB. MM. *Berardi, Petri, Ottonis, Accursij, & Adiuti* qui ex ordine Fratrum Minorum (sub cuius & Nos coaluimus) fuerunt, qui post multa tormenta sub Rege Marrochiorum, pro Christo mortem subierunt, & Martyrij palmam gloriosè promerentes, plurimis miraculis in ipsa morte, & post claruerunt: ex quo incensus B. Antonius de Padua, ex ordine Canonicorum Regularium, in quo tunc erat, ad ordinem ipsum Fratrum Minorum se, legitur transtulisse; concessimus ex authoritate Apostolica, & benignitate viuæ vocis oraculo, vt Fratres prædicti Ordinis Minorum possent publicè, & solemniter celebrare in suis Ecclesiis Missæ, & Horarum Officium de supra memoratis SS. MM. Verum cum frequenter aduersarius humani generis nitatur bona, & sancta opera perturbare, ne tam diuinum, & pium opus possit aliquis in posterum impedire, tenore præsentium, ex certa scientia, authoritate Apostolica concedimus, quod prædicti Fratres Minores, vbique solemniter & publicè Officium plurimorum Martyrum pro ipsis *Berardo, Petro, Accursio, Adiuto, & Ottone*, sub Officio Duplici maiore; ac etiam XVI. Ianuarij qua die ab hoc sæculo per martyrium decesserunt, libere, ac cum sana conscientia dicere, ac celebrare possint, *&c.* Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VII. Augusti Anno Domini M. CCCC. LXXXI. Pontificatus Nostri Anno X.

Originem Sanctorum, & an omnes Sacerdotes fuissent, perscrutabitur deuotio. Adeat Vvadingum anñ. 1219. num. 48. Arturum in Not. ad Martyrolog. Francisc. can. fol. 22. & alios à Bollando.

CONIMBRICA. Ciuitas est Portugalliæ Episcopalis, hodie COIMBRA. ad Mundam fluuium illam irrigantem, sita. De ea Plin. lib. 4. cap. 21. sic: *Oppida Conimbrica.* De illa fortiori loco agemus, quo Lectorem replebimus.

SEXTO

SEXTO DECIMO KALEND. FEBRVARII, DIES XVII.

A. *Dianij in Hispania natalis* SS. LVCIOLI, FORTVNATI *& Sociorum qui in persecutione Traiani comprehensi, ibidem Martyres excelsi ad palmam accessere.*

B. *Cadurci in Gallia* S. Genulphus *Episcopus, & Confessor qui à S. Sixto II. Papa, & Martyre, cum Genito patre, ad Christi Euangelium prædicandum in aliquot Galliæ, & Hispaniæ populis missus; apud Gerundam, conuicináque vrbes verbum Dei disseminans, fructúmque colligens opimum, Cadurci sanctissimè vitam finiuit.*

C. *In Diœcesi Hellenensi apud Parochialem Ecclesiam Villæ-Francæ Confluentis ad Pyrenæi radices sacra S. Sulpicij cognomento* Pij *Episcopi Bituricensis pignora, honorifica occluduntur theca, & deuotissima coluntur veneratione.*

NOTÆ.

A SANCTORVM LVCIOLVS, FORTVNATVS, & Socij. Horum Martyrum acta pœnè in tenebris delitescunt. Eorum nomina tantùm apud vetustissimum S. Hieronymi martyrologium inter copiosam Sanctorum in Africa passorum segetem, comperies, licet pro *Luciolo*, vt in Nostris chronicis, reponatur *Leucius*. Similiter in Hibernico MS. Conuentus Dugalensis, vt refert h. d. Bolland. tom. 2. fol 80. Similiter in Hieronymiano, pro *Fortunato*, scriptum sit *Fortunata*, quando in aliis Martyrologiis Viri, & non Fœminæ nomen inuenitur, & Iulianus Per. Nost. in Chron. num. 25. & ipse P. Bolland. *Fortunatum* conscribant. Sic ergo Iulian. *In eadem persecutione* (Traiani) *vel paulo post Dianij in Hispania SS. Martyrum* Lucioli, Fortunati, & Sociorum XVII. *Ianuarij*. De aliis *Luciolo*, *Fortunato*, *& Sociis* agit Dexter in Chron. Ann. 300. vbi P. Biuar. com. 2. num. 4. fòl. 328. Sed isti ferè duobus sæculis sequentibus, & Eburæ in Carpetania, & die III. Martij consignantur. Ex quo alij ab aliis diuerso iure censendi sunt. Hic præcisè iurgium oritur; nam Hieronymus in Africa, Iulianus in Hispania passos demonstrat. Cui difficultati occurrens,

occurrens, duplici medio satisfaciam. I. quod illud Hieronymi Martyrologium sæpè sæpius Martyrum nomina conglutinat sine expressione locorum, quo Martyrium vnusquisque compleuit tantùm diem agonis attendens, ideò Nostros cum Africanis coniunxit. II. estò quòd Africæ paterentur, quis prohibet, quod ex Dianio in Africam aducti, illuc martyrium expleuissent; cum non fuerit nouum, Martyres ex Hispania catenatos in Africam transfretare, ibidémque agones perficere, vt in S. Marcello Centurione, & aliis euenit. Quibus sic sedatis dubiis hoc breue vitæ epilogum ausculta.

LVCIOLVS, & FORTVNATVS ex vrbe Dianio Hispaniæ litorali oriundi, fidem Christi humili spiritu receperunt. Sed sæuiente Imperatoris Vlpij Traiani etiam Hispani in Dei Ecclesiam persecutione, Præsides Prouinciarum absque vlla miserationis cautelâ, tantum ambitionis fœdo fœdere innixi, Catholicum gregem, continuis satellitum insidiis, extraordinariis speculatorum subsessionibus, & notandis adulantium aspirationibus insequebantur. Hæc Dianium peruenit epidemiæ rabies, & delatis coram Iudice *Luciolo, Fortunato, & aliis Christianis*, primùm, vt moris erat, blanditiis, post verberibus, à fide diuertere illos curauit Iudicis atrocitas. In cassum omnia, quin constantia Martyres coadunati vitam pro Christo temporalem, pro æterna commutarunt strenui XVI. Kal. Februarij circa Annum Domini CVI. Imperante Traiano, Summum Pontificatum obtinente S. Euaristo I. PP.

Qui fuerint eorum socij, penitus ignoro, cùm nec Iulianus Noster expressit, nec Hieronymus suorum acta separauerit. Quiqui fuerint, apud illos in cœlis Dianij protectionem agnoscent vbique.

DIANIVM olim Ciuitas fuit stipendiaria ex Plin. lib. 3. cap. 3. Inter Edetanos apud Ptolom. Ad Belearicum mare inter Carthaginem nouam, & Sucronem fluuium, sita ex Strabon. lib. 3. Geograph. Qui emporium munitissimum ad rem piraticam percommodúmque, & nauigantibus longinquum præstans prospectum. Multifariam habuit nominum significationem. Nam alij *Dianium*, à quo hodie DENIA. Alij *Artemisium*, Alij *Homeroscopium*, & Alij *Ferrariam* vocitauere. De singulis agemus suis locis. De Dianio sprǽter antiquos cosulendi Florian. de Ocamp. Hist. Hispan. lib. 3. cap. 29. P. Anton. Beut. lib. 1. Histor. Valent. cap. 12. Gaspard. Scolan. ead. Histor. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 12. P. Ioann. Mariam. Histor. Hispan. lib. 1. cap. 12. De *Artemisio* Strab. d. lib. 3. sic: *Vocatúrque* Artemisium *tanquam* Dianium *ferrarias habens effossiones feraces ex propinquo.* De *Hemeroscopio*, idem Strabo, & Ruff. Fest. Auien. Nost. de Oris Maritim. vers. 475. sic:

——————Litus extendit dehinc
Steriles arenas : Hemeroscopium *quoque*
Habitata pridem hîc ciuitas, núncque iam solum
Vacuum Incolarum, languido stagno madet.

Huius nominis causam Florian. cap. 28. descripsit, sic: *Et etiam fuit tempus, quo* Hemeroscopium *dictum fuit, quod Gracè* Locus altus, *seu* Diurna specula *dicitur, ex quo terra, & maris aliquid eminus videri, & prospici potest.* Speculam Sertorij fuisse contendit Beuter, & Scolanus, & rectè ex Strabone. *Ferrariam* etiam dictam, ex ratione Strabonis. Quo lucem accipiet locus Pomp. Melæ Nostri lib. 2. cap. 6. hisce verbis: *Inde se in terras pelagus insinuat, & primùm magno impetu admissum, mox in duos sinus promontorio, quod* Ferrariam *vocant, finditur.* Vbi *Ferrariam* ex ferri fodinis apud Strabonem, *Dianium* appellauit, & probant Iacob. Vadian. ad Melam. Florian. & reliqui. De TEMPLO DIANÆ ibidem constructo, multa multi dixere, quæ percurrere âpud Florianum, Beuter, Scolanum, Marianam, ociosis relinquo.

S. GENVLPHVS.

SEXTO DECIMO KALEND. FEBRVARII, DIES XVII.

A. *Dianij in Hispania natalis* SS. LVCIOLI, FORTVNATI *& Sociorum qui in persecutione Traiani comprehensi, ibidem Martyres excelsi ad palmam accessere.*

B. *Cadurci in Gallia* S. Genulphus *Episcopus, & Confessor qui à S. Sixto II. Papa, & Martyre, cum Genito patre, ad Christi Euangelium prædicandum in aliquot Galliæ, & Hispaniæ populis missus; apud Gerundam, conuicinásque vrbes verbum Dei disseminans, fructúmque colligens opimum, Cadurci sanctissimè vitam finiuit.*

C. *In Diœcesi Hellenensi apud Parochialem Ecclesiam Villæ-Francæ Confluentis ad Pyrenæi radices sacra S. Sulpicij cognomento* Pij *Episcopi Bituricensis pignora, honorifica occluduntur theca, & deuotissima coluntur veneratione.*

NOTÆ.

A SANCTORVM LVCIOLVS, FORTVNATVS, & Socij. Horum Martyrum acta pœnè in tenebris delitescunt. Eorum nomina tantùm apud vetustissimum S. Hieronymi martyrologium inter copiosam Sanctorum in Africa passorum segetem, comperies, licet pro *Luciolo*, vt in Nostris chronicis, reponatur *Leucius*. Similiter in Hibernico MS. Conuentus Dugalensis, vt refert h. d. Bolland. tom. 2. fol 80. Similiter in Hieronymiano, pro *Fortunato*, scriptum sit *Fortunata*, quando in aliis Martyrologiis Viri, & non Fœminæ nomen inuenitur, & Iulianus Per. Nost. in Chron. num. 25. & ipse P. Bolland. *Fortunatum* conscribant. Sic ergo Iulian. *In eadem persecutione* (Traiani) *vel paulo post Dianij in Hispania SS. Martyrum* Lucioli, Fortunati, & Sociorum XVII. *Ianuarij.* De aliis *Luciolo, Fortunato, & Sociis* agit Dexter in Chron. Ann. 300. vbi P. Biuar. com. 2. num. 4. fol. 328. Sed isti ferè duobus sæculis sequentibus, & Eburæ in Carpetania, & die III. Martij consignantur. Ex quo alij ab aliis diuerso iure censendi sunt. Hic præcisè iurgium oritur; nam Hieronymus in Africa, Iulianus in Hispania passos demonstrat. Cui difficultati occurrens,

occurrens, duplici medio satisfaciam. I. quod illud Hieronymi Martyrologium sæpè sæpius Martyrum nomina conglutinat sine expressione locorum, quo Martyrium vnusquisque compleuit tantùm diem agonis attendens, ideò Nostros cum Africanis coniunxit. II. estò quòd Africæ paterentur, quis prohibet, quod ex Dianio in Africam aducti, illuc martyrium expleuissent: cum non fuerit nouum, Martyres ex Hispania catenatos in Africam transfretare, ibidémque agones perficere, vt in S. Marcello Centurione, & aliis euenit. Quibus sic sedatis dubiis hoc breue vitæ epilogum ausculta.

LVCIOLVS, & FORTVNATVS ex vrbe Dianio Hispaniæ litorali oriundi, fidem Christi humili spiritu receperunt. Sed sæuiente Imperatoris Vlpij Traiani etiam Hispani in Dei Ecclesiam persecutione, Præsides Prouinciarum absque vlla miserationis cautelâ, tantum ambitionis fœdo fœdere innixi, Catholicum gregem, continuis satellitum insidiis, extraordinariis speculatorum subsessionibus, & notandis adulantium aspirationibus insequebantur. Hæc Dianium peruenit epidemiæ rabies, & delatis coram Iudice *Luciolo, Fortunato, & aliis Christianis*, primùm, vt moris erat, blanditiis, post verberibus, à fide diuertere illos curauit Iudicis atrocitas. In cassum omnia, quin constantia Martyres coadunati vitam pro Christo temporalem, pro æterna commutarunt strenui XVI. Kal. Februarij circa Annum Domini CVI. Imperante Traiano, Summum Pontificatum obtinente S. Euaristo I. PP.

Qui fuerint eorum socij, penitus ignoro, cùm nec Iulianus Noster expressit, nec Hieronymus suorum acta separauerit. Quiqui fuerint, apud illos in cœlis Dianij protectionem agnoscent vbique.

DIANIVM olim Ciuitas fuit stipendiaria ex Plin. lib. 3. cap. 3. Inter Edetanos apud Ptolom. Ad Belearicum mare inter Carthaginem nouam, & Sucronem fluuium, sita ex Strabon. lib. 3. Geograph. Qui emporium munitissimum ad rem piraticam percommodúmque, & nauigantibus longinquum præstans prospectum. Multifariam habuit nominum significationem. Nam alij *Dianium*, à quo hodie DENIA. Alij *Artemisium*, Alij *Homeroscopium*, & Alij *Ferrariam* vocitauere. De singulis agemus suis locis. De Dianio præter antiquos cosulendi Florian. de Ocamp. Hist. Hispan. lib. 3. cap. 29. P. Anton. Beut. lib. 1. Histor. Valent. cap. 12. Gaspard. Scolan. ead. Histor. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 12. P. Ioann. Mariam. Histor. Hispan. lib. 1. cap. 12. De *Artemisio* Strab. d. lib. 3. sic: *Vocatúrque* Artemisium *tanquam* Dianium *ferrarias habens effossiones feraces ex propinquo.* De *Hemeroscopio*, idem Strabo, & Ruff. Fest. Auien. Nost. de Oris Maritim. vers. 475. sic:

——————*Litus extendit dehinc*
Steriles arenas: Hemeroscopium *quoque*
Habitata pridem hîc ciuitas, núncque iam solum
Vacuum Incolarum, languido stagno madet.

Huius nominis causam Florian. cap. 28. descripsit, sic: *Et etiam fuit tempus, quo* Hemeroscopium *dictum fuit, quod Græcè* Locus altus, *seu* Diurna specula *dicitur, ex quo terræ, & maris aliquid eminus videri, & prospici potest.* Speculam Sertorij fuisse contendit Beuter, & Scolanus, & rectè ex Strabone. *Ferrariam* etiam dictam, ex ratione Strabonis. Quo lucem accipiet locus Pomp. Melæ Nostri lib. 2. cap. 6. hisce verbis: *Inde se in terras pelagus insinuat, & primùm magno impetu admissum, mox in duos sinus promontorio, quod* Ferrariam *vocant, finditur.* Vbi *Ferrariam* ex ferri fodinis apud Strabonem, *Dianium* appellauit, & probant Iacob. Vadian. ad Melam. Florian. & reliqui. De TEMPLO DIANÆ ibidem constructo, multa multi dixere, quæ percurrere apud Florianum, Beuter, Scolanum, Marianam, ociosis relinquo.

S. GENVLPHVS.

B S. GENVLPHVS. Vir Apostolicus, quo munere Hispanias inuisit, Gerundæ, & finitimis populis Euangelium prædicauit veritatis. De eo Martyrologiorum scriptores plerique, & Molanus, & Galesin. sic: *Eodem die* S. Genulphi I. *Episcopi Cathurcensis, & Confessoris.* Ferrarius & alij quos referunt Guillelm. de la Croix in Hist. Episcop. Cadurcens. num. 11. fol. 7. Bolland. in Act. SS. tom. 2. fol. 81. Qui eius acta ex variis concinnata describunt. Authorum numerum auget Andr. Saussay. in Martyrol. Gallic. h. d. tom. 1. fol. 46. Etsi nullus de aduentu in Hispanias meminerit. Vitam ab illis excerpemus, additis ex Nostris addendis, ne illa Prouincia, quæ tali congratulatur Antistite, huius prædicationis in Hispaniam pensum ignoret, & Nostra tantum Apostolum Euangelicum veneretur. Quo vtrique quod debetur impendimus.

GENVLPHVS clarissima ortus Romæ prosapia, patrem habuit Genitum, Matrem verò Acciam, Christiani nominis amatores feruentissimos, & Sanguinis egregij de nobilitate verendos, quos mentis, & corporis summa ingenuitas commendabiles Christo, sub occulto habitu diuinæ religionis fecerat. His parentibus etsi diu sterilibus, precibus impetratus, nascitur *Genulphus*, & B. Sixto II. Pontifici, & Martyri, sacris imbuendum tyrociniis, traditus, à puero sublime ingenium, moribus serium, senilem grauitatem, patientiam incomparabilem, & inexhaustam memoriam demonstrauit. Quibus qualitatum exordiis, & instante Sancti Præsulis magisterio, breui est eruditionis, pietatis, & religionis opinionem lucratus eximiam. Ventum verò ad ætatis terminum maturæ, comperta discipuli præstantia S. Pontifex sacris *Genulphum* ordinibus initiauit, ipsaque etiam Episcopatus dignitate nihil meritis inferiorem insigniuit. Mortua matre, & Decij Imperatoris sæua persecutione furente, à S. Sixto in Gallias, Hispaniásque Pater Genitus, & *Genulphus* filius, facta vbique Christi fidem enuntiandi amplissima Episcopo potestate mittuntur. Diuenditis ergo omnibus bonis, in vsusque pauperum erogatis, nudi nudum Christum secuti, vltro Pontifici paruerunt. Gallias igitur appellantes, post peregrinationis iter immensum alacriter emensum, Cadurcum perueniunt, vbi Præsul, qui vt erat cœlesti doctrina præstans, vitæ seueritate supra humanam conuersationem agens, tot inter assidui laboris æstus, hordeaceo duntaxat pane vitam sustentabat, absque vini contubernio, hirsuto ex Cameli pilis cilicio indutus, mox fidei, sanctitatis, & virtutis signa præfert illustrissima, Christi nomen, ac legem prædicat, ad crucis vexillum plurimos aduocat, Cadurcenses incredulos vi diuina pellectos, ad Euangelicæ veritatis disciplinam maiori ex parte conuertit. Mox Hispanias ingressus, Gerundensem visitat ciuitatatem, vbi (vt credimus) Viduæ filium à diabolo arreptum, qui alta voce aduentum S. Præsulis execrando publicauerat, illico sanauit. Quæ res effecit, vt tota familia ad quadraginta capita, miraculo stupefacta Christo nomen dederit. His & aliis miraculis patratis, & fide Euangelij disseminata, Gerundensem vrbem deserit, & cunctis Ecclesiæ illius fratribus valedicens, inde recessit, & Galliam petiit iterum Aquitanicam. Hic locum dæmonibus infestum aqua lustrali, & signo crucis emundat, quem sibi donatum incolens, quam plura sanctitatis signa quotidie demonstrabat. Hic ergo Genitus Pater huius mundi peregrina deserens, ad Sanctorum cœlestem feliciter hæreditatem migrauit. Quem Sanctissimus Præsul filius eius, post pias, & paterno affectui debitas lachrymas, digno cum honore, decenti reddidit sepulturæ. Ergo ex tunc discipulos congregans, & instruens, omnibus non solum cœlestis vitæ pabula ministrauit, verum etiam temporalia commoda pia semper eis sollicitudine

sollicitudine procurauit. Sed cùm iam felix eius iam appropinquasset tempus, quo benè vigilantem seruum suum libertate cælestis gloriæ remuneraret Dominus, diuino sentiens spiritu, conuocatis in vnum discipulis, quarto se migraturum die prædixit. Quo audito illi compuncti, & absque solatio lachrymabundi, illius patrocinium deprecabantur. Ille solatis fratribus, & de sepultura statuens, apparente sibi B. Petro, felix illa anima carne soluta, lætissimis Angelorum suscipitur amplexibus, & ante Regem supernum coronanda cum exultatione deducitur, XVII. die Mensis Ianuarij Anno CC. LXXX. vel circiter.

Hæc sunt acta per epitomem, qui ea prolixiora desiderat, adeat Bollandum à fol. 81. vsque ad 107. quia nobis dicta sufficiunt. De *Aduentu, & prædicatione Gerundensium*, ista prælegere apud Iulianum Perez in Aduers. n. 144. non pigebit: *Genulphus Episcopus, traiecta Gallia venit ad fines Hispaniæ: missus est à S. Sixto Papa cum patre suo Genito. Prædicasse fertur Gerundensibus in Hispania, post verò rediit ad Aquitaniam, prædicationis caussa.* Ex quo loco lucem accipiēt verba apud *Le Croix* difficiliora, & apud *Bollandum* dubia, & obscura, quæ in antiquissimis Codicibus in huius S. Episcopi vitæ ecphrasi reperiuntur: nempe quod S. Vir primo Gallias deueniens, post in quandam vrbem *Getarniensem* nomine petiisse, ibidē miracula filij Viduæ, Dioscori, & aliorum patrasse, & post inquiunt acta prima cap 7. num. 31. & secunda cap. 5. num. 25. *Post hæc autem S. Viri cunctis Ecclesiæ illius* (Geturniensis) *vale dicentes fratribus, inde recesserunt, & Galliam Aquitanicam petierunt.* Dubium est, si ista Ciuitas *Geturniensis* erat, eadem ac *Cadurcum*, & hæc in Gallia iacet, vt ex *Le Croix fol.* 8. constat; quo subterfugio saluabuntur verba illa *inde recesserunt, & Galliam Aquitanicam petierunt?* Ergo illa Ciuitas non erat in Aquitania? patet. Ergo non erat Cadurcum? Item, quia nullam comperiet in orbe vrbem tali nomine insignitam. Ergo ab alio quærenda est solutio. Ego crederem hanc ciuitatem, quam peruetusti Codices *Geturniensem* vocitant, fuisse *Gerundensem* quia de vna ad aliam in scriptura facilis est transitus, & in MSS. & editis loco *Geturniensis*, reponendum *Gerundensis*, quo & Iuliani Nostri opinio, & Codicum ratio illustrabitur.

GERVNDA. Ciuitas est Hispaniæ Tarraconensis antiqua, Episcopali sede decorata in Cathaloniæ Comitatu, apud Sambrocæ fluuij ostia, media ferè inter Perpinianum, & Barcinonem, sita. Hodie GIRONA. De ea Ptolom. & Plin. lib. 3. cap. 3. Conditorem agnoscit Gerionem, vt refert Episcop. Gerundens. in Paralip. lib. 1. titul. de vrbib. ant. aduent. Hercul. Ycart. Hist. Tarrac. cap. 9. Pujad. lib. 1. cap. 17. alia suis locis dicemus.

CADVRCVM. Ciuitas Episcopalis in Galliæ Aquitania, sub Archiepiscopatu Bituricensi, quam Oltus fluuius penè circumfluens, peninsulam efficit; Hodie CAHORS. De ea meminere I. Cæs. lib. 7. de Bell. Gall. Iul. Frontin. Ammian. Marcell. & alij licet sublata lit. R. Abrah. Ortel. Aubert. Myræus in not. Episcopat. & Carol. à S. Paul. in Geograph. Sacr. fol. 153. Iuuenal. Sat. 7. v. 221.

C S. SVLPICIVS PIVS. Ad differentiam alterius cognomento *Seueri*, licèt vterque Cathedram regerent Bituricensem. De eo Vsuard. h. d. sic: *Apud Bituricas depositio S. Sulpicij Episcopi, cuius vita, & mors pretiosa, gloriosis miraculis commendatur.* Eadem Martyrolog. Roman. (nisi quod addat cognomen *Py*) Bellin. Maurolyc. Menard. Dorgand. Saussay. & alij plerique. Extra illos Gregor. Turon. & plures citati ab Anton. Vincent. Domen. Histor. SS. Cathal. fol 4. col. 2. lib. 1. Bolland. in Act. SS. tom. 2. fol. 165. & seq Leppeloo, & Grass. in Act. SS. fol. 317. tom. 1. Ex quibus hanc vitæ synopsim concinno.

SVLPICIVS ortus à clarissimis parentibus in Oppido Vatinensi, aut in Vasconia, ex primoribus loci ciuibus. In ætatis primæuæ flore militiam Christi, ruptis sæculi laqueis, perseuerantiæ diffinitione suscepit. Orationi, & abstinentiæ studens, cupiditates singulariter refrenauit. Feruore eximio, quo alios instruens, loca sacra ornans, egentibus subueniens, Ecclesiam nocte pœnitentium habitu

frequentabat. Sed cùm aliquando sibi, & suis dæmones agnouisset molestos, illico signo crucis fugabat, aliisque miraculis clarebat. Fama repente de eo velox spargitur, qua perpensa, Austregisilus Bituricensis Antistes obtenta à Rege licentia, vt decisa Cæsariæ clericatus susciperet onus, Leuiticam Sortem nouo Militi iniunxit. At crescente S. Viri signorum gratia ad exercitus Abbatis functionem ascisscit annonam regiam sibi erogatam in pauperes distribuit, & alia quā plurima supeditauit. Ægrotante Rege, & Salutem prædicit, & ieiuniis, orationibúsque reddidit sanitati. Austregisilao Episcopo demortuo, licèt nonnulli Episcopatum ambirent, Regina suadente, in Sedem Sulpitius subrogatur. Hoc onere adepto in eo sanctissimè viuens prædicationi insistebat, multos Iudæos conuertens, Apostolicis claruit signis, præcipuè Crucis ministerio, quo muto loquelam impetrat, frigore, & inedia extinctum ad vitam reuocat, dæmonem ab aquis profligat, in flumine demersum vitæ restituit, flammas extinguit, incendio terminum figit, arborem cadentem in alteram vertit partem, & alia innumera solo signo sanctissimæ patrabat crucis. Plebi, & Sacerdotibus Dagobertus Rex tributum imponere, & exigere decreuit, Sed S. Præsul restitit, & miraculo interueniente, illud ademere efflagitauit, & penitus abrogauit. Peruenit in descriptam ætatem, quo coadiutorem sibi adsciscit, & licèt annorum pondere onustus, Ministrorum, & pauperum præsidiis intendebat; Christique æmulabatur humilitatem, variisque miraculis clarus, discipulos monens, beatæ consummationis tempus aduenit. Ergo cùm fracta iam æuo membra deficerent, afflictum, emortuúmque corpus, onus abstinentiæ roborabat, & quod natura neglexerat, meritum confirmabat. Itáque plenus dierum, ætatis suæ tempore consummato, meritorum splendore coruscans, terrena terris membra commendans, spiritus cœlestes inter Angelorum choros celsa cœli conscendit, XVI. Kalend. Februarij circa Annum DCL. Eius Sacrum caput translatum ad Cathaloniam in Ecclesia Villæfrācæ Conflentinæ adseruatur, & honore debito, & cultu festiuo hoc die veneratur.

Prolixiora qui desiderat acta perlegat supra relatos, nam ad nostrum institutum, & eo magis, cum extra Hispaniam vixerit, hæc sufficiunt. De sacro capite in Cathalonia adseruato testes sunt Anton. Vincent. Domen. d. fol. 4. vbi post vitam hæc subiicit: *Post aliquot sæcula eius sanctum caput allatum fuit ad Oppidum* Villam-Francam Conflentensem, *& adseruatum in eius Ecclesia Parrochiali, vbi magna à populo illo veneratione colitur.* P. Bolland. in Vit. S. Sulpitij. n. 19. fol. 167. & alij.

VILLA-FRANCA CONFLVENTIS. Oppidum in Cathaloniæ Principatu inter Caucoliberim, & Aphrodiscum Pyræneorum. Vocatur vallis illa *Confluentis*, hodie *Conflent*, quia cum olim Pyrenæi Montes fuissent incensi, & liquefacti auri, & argenti mineralibus, massa pretiosa in illas confluerет valles, abhinc illa *Confluens* vocitari cœpit, noménque retinet absque diminutione, sic Hieronym. Pujad, Histor. Cathalon. lib. 2. cap. 5. De incendio Pyrenæorum nota est historia vide Diodor. Sicul. in Biblioth. Florian. de Ocampo & alios.

BITVRICÆ. Archiepiscopalis Galliæ Celticæ Ciuitas, Metropolis *Biturigum* peruetusta, circa Regni Gallici vmbilicum, ad Aurum flumen interluentem, sita. Media inter Molinum, & Aureliam, & inter Lutetiam, & Lugdunum media. Hodie BOVRGES vrbs ampla, elegans, & opulenta, forma oblonga, multis turribus munita, & vniuersitate prædita. Alia de eius antiquitate suo loco dicemus, hic topotesiam scribere, sufficit.

DECIMO QVINTO KALEND. FEBRVARII, DIES XVIII.

A. *Ab antiquissimis coluntur sæculis in Hispania natales SS. Nouem Sororum* GENIVERÆ, EVMELIÆ, seu EVPHEMIÆ, VICTORIÆ, GERMANÆ, GEMMÆ, seu MARINÆ, MARTIANÆ, BASILISÆ, VVILGEFORTIS, vel LIBERATÆ *Virginis & Martyris, hac die; licèt vnaquæque suis celebretur diebus.*

B. *Apud Turones natalis* S. VOLVSIANI *ipsius vrbis Episcopi, qui cùm ex fidei caussa à Rege Eurico Gothorum in Hispania Ariano apud Sarcimum Cantabriæ exularet oppidum, ibidem ærumnis confectus occubuit.*

C. *In Onniensi Cœnobio Hispaniæ Diœcesis Burgensis* TRANSLATIO *sacrarum exuuiarum* SANCTI ENECONIS *Abbatis ipsius Monasterij.*

NOTÆ.

A SANCTÆ NOVEM SORORES.] Admirabilis cùm sit Deus in sanctis suis, in harum Virginum natiuitate admirabilior fuit. Has ergo sanctissimas pugiles, & nascendo, quasi extra naturam, natura in claustro seruauit, & iam vnico partu editas, & à matre in exordio vitæ, & à patre in mortis periculo conseruauit. Nouem vno, & nouo effulgent ortu splendidissimæ stellæ in primordio lucentis Ecclesiæ, Nouem ex vnico erumpunt flores germine, promiscui variati coloris, & de virginitate candidi, & de martyrio purpurei. Vnicus in nouenario flosculo adest & Sanctitatis odor, & fidelitatis ardor. Omnes antiquitus coniunctim Hispaniæ hac die colebat Ecclesia; Omnes hodie coniungit affectus, ne in posterum tantarum Virginum depereat mnemosynon. Eius in simul acta præstabunt Breuiaria peruetusta Seguntinum, & Palentinum, ab illis mutuabit sedulitas opificium.

ACTA SS. NOVEM SORORVM VV. & MM. Hispanarum ex Breuiariis Seguntino, & Palentino antiquis.

FVIT Rex nobilis (seu Regulus) inter finitimos Occidentis nomine Catellius, cuius regni caput Belchagia, quæ post Estuciana ciuitas vocata fuit, qui nobilem vxorem Calsiam nomine, sortitus est. Accidit autem, diuina permissione, vt præfata Regina multiplici sobole fœcunda, vna die *Nouem filias* peperisset. Quod cum compertum esset, Regina maximo pudore acta, inhumano vsu, omnes illas interficere cogitabat; vt hoc factum ad viri, & populi notitiam non perueniret. Excogitato itáque malignitatis consilio, vocans ad se obstetricem, quæ sibi familiaris, & secretorum eius conscia erat, Sila (aliis Cyra) nomine, iubet, vt totam illam Paruularum turbam, latenter, & cautè ad flumen deferat, & ibi nullo conscio, omnes simul in profundum gurgitis demergat. O mulieris, imò Diaboli inuentio! O fœmina omni fera ferocior! quæ filias, quas vix in lucem ediderat, in ipso vitæ ingressu, morte horribili extinguere cogitabat. Sed misericors Deus, qui de malis hominum actis, bona consueuit elicere, de his infantulis aliter statuit: nam præfata obstetrix infantularum pietate, & Dei amore commota, opportunitate adinuenta, accessit ad vicũ, qui in suburbio ciuitatis à Christianis habitabatur, & ibi quærens nutrices idoneas, singulas puellas, singulis tradidit nutriendas. Quæ ipsas suscipientes, sacro fontis lauacro, illas regenerari fecerunt, nomina eis imponentes. Sunt autem nomina earũ hæc quæ sequuntur: *Geniuera, Victoria, Eumelia, Gemma, Martiana, Germana, Basilia, Quiteria, & Liberata*; quæ omnes, tempore procedẽte, cùm iam adoleuissent, per Christianorum cohabitationem, & conlocutionem, genus suum, & ortum didicerunt. Cúmque postea exorta esset à Romanis aduersus Christianos sæua persecutio, & per omnes vrbes Satellites mitterentur, qui ad prophana sacrificia fideles compellerent; Beatas istas Sorores, in illo vico reperientes, ante Regis Patris sui conspectum, crudeliter adtraxerunt. Post multas autem interrogationes *Gineuera* respondit: *Si genus quaris, filiæ tuæ sumus; si conditionem Christi famulæ.* Non sine magno stupore Reginæ vxoris suæ confessione, ipsas filias suas Rex esse cognoscens, blandis eas verbis commonens, vt à Christi cultura reuocaret, datis induciis, vt sibi adsentirent. At admonitæ ab Angelo omnes fugerunt, & consolantes se alterutrum, & orantes simul, & flentes discesserunt ab inuicem. Quæ omnes per diuersa loca à persecutoribus comprehensæ martyrium cõsummarunt.

Hucúsque Breuiaria. Ego illarum loca, & dies martyrij subscribo: *Geneuera Tudæ* in Gallecia I. Nouembris. *Victoria Cordubæ*, XVII. eiusdem. *Margarita, seu Gemma, Amphilochij*, XVIII. Aprilis. *Liberata, in Portu-Callensi*. XX. Iulij. *Germana Carthagine*, XIX. Ianuarij. *Marciana Toleti*, XII. Iulij. *Basilissa, Syrmi*, XXIX. Augusti. *Eumelia, Abobrigæ*, I. Decembris. *Quiteria, Aduræ*, XXII. Iunij. Earum meminerunt ad longum P. Biu. *ad Dextr. Ann.* 138. *num.* 6. D. Prudent. de Sandou. *Histor. Tudens. à fol* 35. *ad* 45. Roder. Car. *in not. ad Dextr. fol.* 70. *lit. X.* D. Roder. de Acuña *Histor. Braccar. cap.* 24. P F. Ludouic. ab Angel *in Viridar. Lusitan.* 1. *part. à cap.* 6. *& seqq. fol.* 33. Balthas. Potreñ. *Histor. S. Liberatæ. cap.* 2. *& seqq.* Marieta *Histor. SS. lib.* 4. *cap.* 16. & alij plerique, quorum nomina infra recensentur. At quia in relata actorum ecphrasi, nonnulla exoriuntur dubia, vt nostri est moris, per singula percurrendo breuiter, omnium desiderium explebimus. Item decis. Moral. lib. 10. c. 18. Padill. cent. 4. c. 26. Truxill. in Thes. fol. 450. Vasconcel. Descript. Lus. fol 445. Brito Mon. Lus. lib 5. c. 18. Sanch. in Anaceph. Hispan. lib. 2. cap. 2. Villeg. & Santor. & alij in Flor.

PRIMO *de Patris nomine, & cur Rex, seu Regulus vocitatur?* Et licet hæc sit de nomine quæstio, attamen ad veritatis historiæ indagationem præcisa, & necessaria erit. Omnia ferè antiqua Breuiaria, & Scriptores contendunt, Patrem harum Nouem Sanctarum *Lucium Catillium* vocitari, quo etiam vocabulo Codices Fl. Dextri editi, & aliquot Iuliani Regulum commemorant. Sed si mea me non fallit opinio, crederem irrepsisse mendum in codicibus, & loco *C. Atily* hoc est, *Cay Atily* scripsere coniunctim *Catily*. Ad quod moueor ex Iuliano Aduers. n. 248. quo hæc formalia inueniuntur verba: *S. Quiteria, & Sorores, quæ fuerunt filiæ T. Catily Seueri Consularis, & Præsidis Gallaciæ, & Lusitaniæ, patria Braccarensis, & eius terra Reguli, &c.* Si ergo fuit Vir Consularis à fortiori in factis Consularibus, eius debuit esse memoria, nomine Catillij; hæc non inuenitur, ergo aut non fuit Consularis, aut alio appellabatur nomine. Quod appellabatur *C. Atilius Seuerus*, euidens probatio; Æl. Lamprid. in Commodo (qui per illa tempora ad fastigium Imperij peruenerat) primam mutuabit, in hoc, comprobationem, referens *C. Atily Seueri* Consulatum, & exulatum, sic: *Interfecta, & Vitrusia Faustina, & Vellius Ruffus, & Egnatius Capito Consularis: In exilium autem acti sunt Æmylius Iunctus*, & C. Atilius Seuerus COSS. *& in multos alios varie sæuitum.* En Consularis nomen per illa sæcula integrum, & absque mendo; ergo non *Catillus*, sed *C. Atillius* vocitandus est harum Martyrum Pater. Secundam inferat probationem lapidis inscriptio, quæ adhuc in *Valentia Miny* propè Tudem, quo iste Regulus demorabatur, visitur, de qua Gruter. fol. 895. num. 7. sic:

VIRIAE.
ACTAE.
C. ATILIVS.
SEVERVS.

Aliam similem inscriptionem apponit Scolanus in Histor. Valent. lib. 4. cap. 14.

En memoria iuxta ipsum oppidum, quo Regulus Pater Martyrum, vitam agebat, in qua non *Catilly*, sed *C. Atily* nomen agnoscitur, ergo isto, & non illo dignoscebatur. Tertiam comprobationem ipse præstet Iulian. Aduers. num. 57. vbi de isto Regulo, sic: *C. Atilius Regulus floret in Hispania, & in Gallæcia.* Quartam quia in vrbe Belcagia, quam postea Estunicianam dixere, Atiliorum, & non Catiliorum cognomen comperitur, vt infra cum de hac vrbe agemus, ex alia inscriptionis epigraphe demonstrabimus. Quo tenendum est, Patrem Virginum non *Catillium*, vt corruptè in Codicibus, & Scriptoribus, sed *C. Atilium* legendum, & scribendum esse. Causa corruptionis in eo stat, quia literam *C* absque punctuatione obsignatam, coniunxere cum cognomine *Atilius*, & de duobus vnam fecere dictionem, vt in *Aulo Gelio* inspicitur, vbi coniunctis nomine, & cognomine *Agelium* dicimus. Quoad dignitatem Reguli attinet, nihil mirandum; nam in Hispania, etiam post Iulij Cæsaris pacificationem, aliquibus primariis, & nobilibus, qui magnas temporalium ditiones habebant, hoc titulo vocitarent: vt euenit in Luparia tempore S. Iacobi, in Celerina tempore S. Torpetis, & in aliis quas Reginarum titulo in historiis nostris compellantur; non quia verè fuissent Reginæ, sed quia diuites, & nobiles, vrbes, & castella possidebant. Ex quo hæc vocis significatio saluabitur.

SECVNDA. *De multiplicis æditionis partu.* In qua tria inuestiganda sunt. Primum, *Si tot naturaliter potuerunt generari?* Secundum, *Si omnes Fœminæ?* Tertium *Si dato quod generarentur, & nascerentur, potuerint procreari, & vitam longiorem agnoscere?* Quoad Primum attinet, Aristot. Problemat. sect. 10. cap. 14. quærit, cur animantium aliqua, partu sunt numeroso, vt sus, & canis: alia non, vt homo, & Leo? Cui respondet hoc euenire propter multitudinem vterorũ in illis multiparis, quibus generationis massa diuiditur, inseriturque; at in homine, & aliis vniparis hoc non inuenitur. At ex hoc non negat posse naturaliter mulier plures edere, cùm etiam loculos habeat matricis vterus. Hoc expresse professus est lib. 7. de Hist. Animal. cap. 4. hisce verbis: *Multiplex perficiendi tempus, pariendique diuersum homini datum est. Et cum alia singulos pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti est:*

Nam quod plurimum, & locis plurimis agitur, mulieres singulas, singulæ pariunt: sed sæpe, & locis plerisque geminos etiam; vt in terra quoque Ægypti fieri id certum est, pariunt etiam tres, & quatuor. Et quidem locis nonnullis valde ita fit: quod dictum iam est, sed quinque cumplurimum, nascuntur. Iam enim hoc pluribus euenisse conspectum est. Et quædam viginti partubus quatuor edidit; quinos enim singulis partubus enixa est, maiorque enim pars enutriri, & crescere potuit. En ex Aristotele Philosophorum Principe naturaliter multiplex editio. Quid ciuiliter? Paulum I. C lib. 17. ad Plautium, relatum in l. Antiqui 3. §. vbi autem. D. Si pars hæred. petat. ausculta: *Et quia non poterant scire, quot nasci possent. Nam traditum est, & quatuor pariter puellas à Matre familias natas esse. Alioquin tradidere non leues Auctores, quinquies quaternos enixam Peloponesiam, & multas Ægypti vno vtero septenos, sed & tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios: Sed & Lælius scribit; se vidisse in palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta esset, vt Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa* (inquit) *dicebatur, quintum post quadragesimum diem.* Plura hic Corras. & in l. Aretusa. D. de Statu hom. num. 5. Fere eadem Iulianus, vel Vlpianus lib. 1. ad Vrseium Feroc. in l. Si Pater 36. D. de Solut. Nec deiuuant Plin. lib. 7. cap 3. Aul. Gell. lib. 10. Noct. Atticar. cap. 2. vbi agit de quadam liberta Augusta nomine Fausta, ait: *Sed & Diuo Augusto imperante qui temporum eius historiam scripserunt, ancillam Cæs. Augusti in agro Laurente peperisse, quinque pueros dicunt, eósque paululos dies vixisse, matrem quoque eorum non multo post, quam peperit, mortuam, monumentúmque ei factum iussu Augusti in via Laurentina, inque eo scriptum esse numerum puerperij eius.* In notula MS. ad marginem mei Codicis refertur quædam inscriptio, his formulis exarata.

LVCIN. PART. ADIVTR.
IMP. CÆS. D. F. AVGVSTVS.
PONT. MAX.
FAVSTÆ EIVS LIBERT.
ET. V. FIL. VNIC. EDIT.
PARTV.
VIA LAVRENT. AD. AVG. VIC.
OB. M. P. I. E. E. C.

De multiplici hoc partuum editorum varietate, legendi sunt Rauis. Text. in Officin. Albert. Mag. lib. 9. Animal. tract. 5. cap. 5. Chromer. Hist. Polon. lib. 9. Genebrard. in Chron. lib. 4. ad ann. 1335. Herburt. Hist. Polon. lib. 7. cap. 13. Marcell. Donat. Hist. Medic. cap. 24. Maiol. Dier. Canicul. colloq. 3. Ioann. Schenk. tom. 2. obseruat. Medicinal. lib. 4. obseruat. 162. Andreas Laurent. de Anaton. c. 12. q. 32. Salmuth in Not. ad Pancirol. de Inuent. rer. tom. 2. titul. 10 fol. 213. Biu. ad Dextr. ann. 136. num. 5. item, Petr. Bobistau. 1. part. cap. 31. Claud. Teserant 2. part. cap. 7. Belforest. de Histor. Prodig. Acuña Histor. Braccar. tom. 1. cap. 25. num. 9. Torquemad. in Viridar. flor. colloq. 1. & prope infiniti, quorum nomina referre extra rem erit. II. Disquisitio *Cur omnes fœminæ?* In quo sciendum est, naturam in similibus prodigiorum erroribus, ab eius virtutis efficacia deficere plurimum, eo quod illa virtus, quæ simul in generatione perfectionem desiderat, dispersa, ad minus perfectum opus euanescit. Et ideò D. Thom. 1. part. quæst. 92. artic. 1. ad 1. sic ait: *Quod respectu ad naturam particularem, fœmina est aliquid deficiens, & occasionatum, quia virtus actiua, quæ est in semine maris intendit producere sibi simile perfectum, secundum masculinum sexum.* Ergo si hæc materies, quæ in generatione prolis, ad perfectum naturæ finem tendebat, dispersione, & confusione vasculorum vim virtutis generatiuæ perfectioris perdidit; à fortiori fatendum est, in minus perfectum deuenturam indiuiduum generandum, esse. Hoc probatur in fœmina; ergo nec admirationi, nec contentioni erit locus. Et hoc quod diximus de particulari generationis perfectione, secundum Philosophos, intelligatur necesse est. Nam per comparationem ad naturam vniuersalem, fœmina non est aliquid occasionatum, quin potius de intentione naturæ est ad opus generatiuum ordinata; Intentio autem naturæ vniuersalis

uersalis dependet à Deo, qui est vniuersalis Auctor naturæ, ideóque instituendo naturam, non solum masculum, sed & fœminam perfectè producat necesse erit, sic D. Thom. & eius schola d. q. 92. Ad III. Quæsitum *De tam prolixo viuendi tempore,* adhuc maius dubium est, cùm ferè quotquot prædiximus editos vnico partu, vix solis lucem iteratò conspexere. Et licet miraculosum hunc possimus partum considerare, quo Deus ad sui nominis gloriam Sanctarum vitas conseruare dignatus est, & ad fidei, religionísque exaltationem producere fœtum, vt in Moyse, & Iacob, festinauit: attamen relictis miraculis, ad ordinarias naturæ occurremus regulas, secundum accidentia in similibus. De illa Ægyptia fœmina quinque insimul parturiente, inquit I.C. in d.l. Si pater. 36. D. de Solut. hæc verba: *Quæ quinque simul peperit, & tamen habebat eos incolumes, vt in Ægypto affirmatum est mihi.* Eadem refert Iul. Capitol. in Anton. Pio. Percelebre etiam est in Lusitania illud *Mariæ Mantellæ* partus prodigium, quod referunt Sousa in Flor. Hispan. c. 3. excellent. 1. n 4. D. Roder de Acuña Hist. Braccar. d c. 25. n. 9. Hæc igitur nobilis Lusitana ex oppido *Chaues* vnico partu septem edidit filios, omnes masculos, qui & nati, baptizati, connutriti, in sacra doctrina instituti, & ad Presbyteratus vsque gradus peruenere; quibus cum Matre è vita sublatis honorificum in Capella S. Dominici erexit aut pietas, aut testamentum cenotaphium, hac Lusitano idiomate, epigraphe:

AQVI IAZ MARIA MANTELLA
CONSEVS FILHOS AREDOR
DELLA.

Alia complura possem subiicere exempla, sed ne longius nostra protrahatur notatio, in dictis, & relatis persisto, & ad alia pergo. De his omnibus Sanctis Martyribus adest hymnus huiusmodi.

Quid ni Sorores aureæ
(nec pauciores quatuor)
Hinc coner hymnis totidem,
Tot celebrare Laureas.

O vos propago nobilis
Catilli Lusiadæ,
Nobilioris, ac fide,
Quam vos eratis sanguine.
Geniuera, ac Eumelia
Germana, & Basilia,
Felix Quadriga Virginum;
Et forte calcar Martyrum.
Gaude Sacerdos Ouidi,
Tu Braccarensis Pontifex,
Qui meruisti filias
Tot ad Polos transmittere.
Quibus Sorores reliquas,
Si Quinque velis addere,
Cœtum beatum faceres,
Nouem etiam Pieridum.
Istæ Nouem Musæ optimæ,
Nonne prophanis melius
Vatûm sacrata pectora
Calore diò adscenderent?
Non sic Olympus fascibus
Irradiat fulgentibus,
Cùm nox fœcunda subrigat
Artus sopore languidos.
Te Syria ô Basilia
Colitque, Germanã Africa,
Et Genitueram proxima
Tudensis vrbs Occeano.
Eumeliámque Abobriga
Colit, caput Gallæciæ,
Cultu frequentans annuo,
Cantu resultans debito.
O vos infractæ Martyres,
Et Virgines castissimæ
Signum vestris Virginibus
Tulistis ad Martyrium.

Per Africa, per Asia,
Europa per confinia
Dispersa nutu cœlico
Orbem sacrastis sanguine.
O ter felix Hispania
Tribus contenta partibus,
Tres partes suas conspicit,
Vestra rubentes purpura.
Adeste sacra Virgines,
Nec vota supplicantium,
Voces, precésque temnite
Quas fundimus ex animo.
Fauete veris lachrymis,
Quas ante Christũ fudimus,
Vt ille vestris precibus,
Mitis det indulgentiam.
Peccasse nos pœnitet,
Vestro rogatu Martyres,
Optata pœnitentia,
Accedat indulgentia.

Huius hymni meminere, vt omnibus faciamus satis, D.D. Prudentius de Sandoual Regius Historiographus in antiquit. Tudens. fol. 45. Balthas. Porreño Hist S. Liberat. c. 5. fol. 36. P.F. Ludouic. ab Angel. in Viridar. Portugall. c. 11. fol. 44. etsi apud istum, inuenies mutilum.

BELCAGIA, siue STVNICIANA sic legendum, vt infra probabimus. Qualis fuerit hæc ciuitas? Iulianus debitum soluat in nomine, quam *Belcagiam* appellat. Breuiar. Antiq. Seguntin. & Palentin. etsi istud, post *Estucianam* vocitatam credat. Hanc fuisse, quam hodie *BAIONA de Galicia* contendunt Sandoual, Acuña, Porreño, & plerique. De nomine *Stuciana* dubito; crediderim *Stunicianam* dicendum. Quia Hortel. in Thes. Geograph. verbo: Estunica, hanc inscriptionem refert; qua & veram vrbis nomenclaturam, & familiam Atiliorum, non Catilliorum cognosces: En epigraphe:

M. ATILIO BVCONI
F. ESTVNICENSI.

P.F. Bernardin. de Brito in Monarch. Lusit. 2. tom. lib. 5. c. 17. fol. 86. diuerso collocat situ, scilicet iuxta Norbam Cæsaream, quæ hodie *Alcantara* creditur. Originem his verbis describit; loquens de excidio Germanico in Hispania facto: *Et capta armis Norba, quæ in Lusitania iuxta Alcantaræ terminos situabatur, aliò progressi. Licet post expugnationem vrbis, ipsam recepit quidam Germanorum Dux, nomine* Cathelius, *qui aut regionis amænitate inuitatus, aut Calgia eius vxoris, quæ illius territory incola suspicatur, constrictus, illam instaurauit, refecit, & illius Dominus vocitatus, ipsam de vxoris nomine, & loci venustate* Belcagiam *appellitauit.* Cuius etymon à quodam *Laymundo* excerpit, licet ipse *Brito* de eius dubitet veritate. Absque dubio Iuliano, & Breuiariis, antiquisque traditionibus deferendum censeo; cum hæc à nullo etiam Lusitano opinio amplectatur authore.

B S. VOLVSIANVS. Sanctissimus fuit Turonum in Gallia Episcopus, de quo apud Martyrologos sermo habetur. Molan. in Addit. ad Vsuard. sic: *Turonis natalis* S. Volusiani *Septimi Archiepiscopi.* Eadem Galesinus, licet *Martyrem*, à quo Sauss. in Supplem. 2. tom. fol. 1080. appellet. Conueniunt Martyrol. Rom. Alexand de Peregrin. Castell. P. Vasq. Lusitan. & Hispan. P. Hieron. de la Higuer. Huius acta scripsere confusè Gregor. Turon. lib. 2. c. 26. Hist. Franc. & lib. 10. c. 31. M. Maxim. in Chron. ann. 468. vbi Roderic. Car. fol. 172. lit. S. Guillelm. Catell. lib. 3. ver. Occitan. & alij apud Bolland. tom. 2. in Act. SS. h. d. 194. Ex quibus acta compaginabimus, sic:

VOLVSIANVS ex nobilissimo Senatorum apud Turones genere vitæ huius ærumnosæ limina, lucis sæculi visiuæ lumina conspexit. Eius primæuæ indolis transcursum, vt illa ferebant calamitatum tempora, in liberalibus studiis exigere, & nobilitatis instantia, & futuri muneris necessitas exposcebat. Ad maturiorem cùm peruenisset ætatem diuinis intentus, actionibus normam præfigens, cœlestia capescere

pescere concupiebat. Diuitiis licet affluens, non tantum sibi, quam pauperibus se locupletem nominabat, quia in illis, non in se diuitias, & exquirebat, & expendebat. Senatoris honore inauguratus in regimine intentum, in subuentione pauperum spiritum, in iustitia halitum, in constantia creditum, & in religione propositum conlocauit. Innumeræ eius virtutes vbiuis circumferebantur, quibus in eum oculos intentos habentes singuli, maiora meruisse fatebantur. Sedem B. Perpetuus eius propinquus cùm regeret Turonicam, ab eo continuis efflagitabat precibus, vt à Domino, quem seruire, regnare est, ad muneris inlati perfectiorem apicem illum perduceret, suis orationibus postularet, quibus proculdubio ad benè administratæ Reipublicæ cumulum, absque controuersia peruenit. Sed cùm B. Perpetuus impletis triginta in Episcopatu annis, ad cœlestia, Sanctitatis honore irradiatus, transcenderet culmina, *Volusianus* illico ad supremam Ecclesiastici ordinis functionem electus, Turonicæ Ciuitatis Cathedram suffragantibus omnibus adeptus est. Hic per aliquot tempus bonis operibus insudando, ad iniuncti muneris necessaria sedulus Pastor feruentissimo zelo horis commodis occurrebat. At tunc Euricus Gothorum Rex qui non solum dominium in Hispanos, sed etiam in Galliæ Aquitanos, & Narbonenses protendebat, ferociter in Gallos Christicolas persecutionem inferens, omnes, aut ad suam sententiam traducere, aut his neglectis, variis suppliciis trucidare viriliter satagebat. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solùm patiebatur errorem, quòd putabat sibi tractatuum, consiliorúmque successum tribui pro religione legitima, quem potius assequebatur pro felicitate terrena. Truncabat passim peruersitati suæ non consentientes, Clericos carceribus subigebat: Sacerdotes verò, alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Burdegala, Petrogorij, Ruteni, Lemouices, Gabalitani, Helusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses, multóque iam maior numerus ciuitatum (summis Sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec vllis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos vtique minorum ordinum ministeria subrogabantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit, quam ferè constat, sic per singulos dies morientum Patrûm proficere defectu, vt non solum quoslibet hæreticos præsentum, verum etiam hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos excessu Pontificum orbatos, tristis intercisæ fidei desperatio premebat, nulla in desolatis cura diœcesibus parrochiisque. In Ecclesiis conspiciebantur aut putres culminum lapsus, aut valuarum cardinibus auulsis, basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos: Ipsa proh dolor, inuisebantur armenta, non modo semipatentibus iacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Nec per rusticas solum solitudo parrochias, ipsas insuper vrbanarum Ecclesiarum conuenticula rarescebant. Nihil fidelibus solatij supererat, cum clericalis non modo disciplina, verum etiam memoria deperibat. Hæc, omnia depascens, tyrannidis Turones vsque peruenit colluuies, quæ in eius Sanctissimum Antistitem *Volusianum* excitata, cum nec à fide orthodoxa Præsul diuelli, nec Regi feroci assentiri conspiceretur, ab illo suspectus declaratus, in Hispaniam ad Cantabriæ oppidum, cui *Sarcimum* vocabulum, nō procul à *Tolosa*, illius etiam regionis, & oppido, & flumine, exul adductus est. Ibidem, vel vt alter Hieremias desolationem populi sui, Ecclesiæ naufragia, Christicolarum solitudinem, famelicorū paupertatem, & omnium miserabilem statum deplorabat. Quia oculi eius conspiciebant, quod facti sunt filij eius perditi, quoniam inualuit inimicus, Sion id est Ecclesia lugens, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem; omnes portæ eius destructæ,

structæ, Sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. Christicolæ gementes, quia facti sunt velut arietes non inuenientes pascua. Pauperes singultibus cœlum implentes, ex eo quod petentes panem, non erat qui frangeret eis; Omnis ergò Reipublicæ Christianæ status, sine decore, quia fructus est sub tributo. Quo S. Vir plorans plorabat in nocte, id est in exilio, & lachrymæ eius in maxillis eius, nec erat qui consolaretur eum, ex omnibus charis eius. Demum cùm quidquid iustis aduersitatum, vel malorum irrogatur, non sit pœna criminis, sed virtutis examen, & sicut aurum, quod quanto plus excoquitur, tanto melius efficitur, sic *S. Volusianus*, quanto plus tribulabatur, multo purior, & clarior Deo reddebatur. Quo ærumnis confectus, aduersitatibus constrictus, & pœnis pressus in ipso exilij squalore detentus animam Deo, cui seruierat, sanctissimam Confessor reddidit inclytus XV. Kal. Februarij Anno Domini CCCCLXXIV. Regnante in Hispania Eurico, Summum Pontificatum obtinente S. Simplicio.

Hæc sunt, quæ ex relatis authoribus potuimus seligere acta. Cætera quæ de eius sanctitate desunt, sub silentio latuere. Aliqua à nobis exploranda sunt, vt ecphrasis apud omnes, existimationem, quam meretur, accipiat. Sicque duo elucidationis scintillam recipient.

PRIMVM *quò exilium pertulerit S. Volusianus?* Cui quæstioni respondeat Noster S. M. Maximus Episcopus Cæsaraugustanus in Chron. ann. 468. his verbis: *Theodorico succedit in Regno Vvisegothorum* Euricus *sub Leone Imperatore: hic miserè Gallias affligat. Huius Regis* Eurici *iussu exulat apud Sarcimum Hispaniæ vrbem* S. Volusianus *Episcopus Turonensis, & pro fide Catholica dicitur mortuus fuisse in exilio pressus ærumnis.* Cui consonat S. Gregorius Turonensis in Hist. Franc. lib. 2. c. 26. sic: *Post hæc B. Perpetuus Turonicæ Ciuitatis Episcopus impletis XXX. in Episcopatu annis in pace quieuit. In cuius loco* Volusianus *vnus ex Senatoribus subrogatus est. Sed à Gothis suspectus habitus, Episcopatus sui anno VII. in* Hispanias *est, quasi captiuus abductus, sed protinus vitam finiuit.* Galli Scriptores & alij, qui Hispaniarum oppida non agnouere, apud Tolosam Galliæ huius exulatus terminum appingunt, moti ex verbis ipsius S. Gregorij Turonensis, qui lib. 10. Hist. Franc. c. 31. indistinctè, hæc subiecit, loquens de Episcopis Turonensibus, & septimo loco de *S. Volusiano* eiúsque exilio, & concludit: *Et ob hanc causam hic Pontifex suspectus habitus à Gothis, quod se Francorum ditionibus subdere vellet, apud Vrbem* Tolosam *exilio condemnatus, in eo obiit.* En Gallorum deceptio, en amphibologia. Per analogum credunt *Tolosam Galliæ* fuisse, & exilij, & mortis arenam; tanquam si alibi non esset eius nominis vrbs. In *Hispanias adductum*, inquit S. Gregorius: Apud *Sarcimum Cantabriæ* fatetur S. Maximus, inquirant vrbes Cantabriæ, & inuenient fluuium, & vrbem cognomine *Tolosa* sicque sui Gregorij antinomiam expungent, nostri Maximi veritatem expangent. Situm *Sarcimi*, & *Tolosæ in Cantabria* postea consignabimus, vt Gallis, & cæteris errorem eripiamus. Nec his obstant Andreas Saussay in d. supplem. fol. 1080. & Catell. lib. 3. rer. Occitan. dicentes, quod apud *Fuxum* inter *Apameam*, & *Vanillas*, aut *Barillas* exulauerit, quia illis aduersatur S. Gregor. Turon. Quin potius vterque illinc de translatione agit, quæ potuit fieri ex *Sarcimo oppido Cantabriæ* ad illum *Montem Gaudij*, vt ipsi referunt. Item quia nullus eorum aliquod antiquitatis monumentum in rei probationem refert, cuius defectu antiquis est deferendum. Denique his fidem auget, quod illa Cantabrica Regio, & ipsum oppidum *Sarcimum* frequens fuit exulantibus stadium, vt in D. Eucherio Arelatensi die XX. Februarij probabimus. Et in *S. Volusiano* efficacior est coniectura, nam si ille suspectus erat habitus à Gothis, propter Gallos; ad quid exilium Tolosæ Galliæ inter ipsos? Relegationis illa est vis, vt extra locum suspicionis delicti, non intra ablegandi erunt, qui aut criminis noxa suspecti censentur. Nullibi ergo melius, quam in Hispania in Gothorum, & ipsius Eurici primæua ditione, adduci debuit, & propter seditionum tumultum, & propter amicorum, & cognatorum interuentum. Ex quo veniunt corrigenda, quæ sine lege, & ratione à Gallis commenta fuere.

SECVNDVM *de Anno exilij, & mortis.* Apud omnes conuenit, quod hæc relegatio

facta fuit tempore *Eurici Regis Hispaniæ*, sic Gregor. Turon. n. 25. lib. 2. Maxim. Cæsaraug. ann. 468. quorum verba superius retulimus. *Euricus* successit fratri *Theodorico* anno CCCCLXVII. vt ex D. Isidoro, & Vulsa in Chron. Gothor. ann. 467. Roder. Archiep. Tolet. lib. 2. c. 10. Roder. Episcop. Palent. lib. 2. c. 9. Alphons. de Carthagen. in Anaceph. c. 6. P. Ioann Mar. lib. 5. c. 5. Moral. lib. 11. c. 33. Padilla t. 2. cent. 5. c. 32. Sanch. in Anaceph. Hisp. lib. 2. c. 6. & ferè omnibus, patet. Sed *Euricus* Ecclesiæ Gallicanæ persecutionem incepit anno CCCCLXXIV. vt patet ex Gordon. in Chron. hoc anno fol. 174. sic: *Euricus Visigothorum Rex, quod reliquum Romanus erat in Aquitania, & Narbonensi Gallia hostiliter inuadit: mire in hoc bello vexatis Episcopis Burdigalensi, Petrocborensi, Lemouicensi, Ruthenensi, & aliis.* Ergo hæc relegatio facta est anno CCCCLXXIV. Si sic est, vt est, eo ipso anno pretiosa *S. Volusiani* mors fuit; quia *protinus vitam finiuit*, vt inquit S. Gregorius Turonensis. Cui in hoc est deferendum, reiectis Baronij & aliorum hallucinationibus, quas in computo, & in Regibus commissas appingit Bollandus, n. 4. *De Martyrio, per capitis abscissionem* quod somniarunt Saussay, & alij, merum commentum est, cùm S. Greg. Turon. & S. Maxim. Cæsaraug. mortem inuenisse Sanctum Antistitem ærumnis confectum, non mucrone confossum, apertis, & duplicatis expromant clausulis.

Sarcimum. Oppidum fuit Cantabriæ in Hispania Citeriori, de quo mentio est apud Luitprand. Aduers. n. 283. apud D. Laur. Ram. & apud D. Thom. Tamay. n. 249. sic: *Sarcimum vicus est apud Cantabros in Hispania, propè fontes Iberi.* Cuius loci expressiorem demonstrans situm, n. 253. prosequitur: *Dicitur modo* Sarcimum *apud Cantabros* Sarcenulum, Barzena, vel Salcedum *ignobilia quidem oppidula*. Aberrauit Rodericus Caro in Not. ad Max. d. fol. 172. lit. S. corrigens literam S. Maximi, & pro *Sarcimo Hispaniæ*, legens *Sarcinium Galliæ Belgicæ supra Gisandriam viuum, vt vult Meierus, licet Ortelius Centrones affirmet.* Nam quis apud hos exulasse S. Virum somniauit. Ex verbis Luitprandi apparet, quod hic vicus suo tempore *Salcedum* oppidum erat. Hoc, nostro correspondet cuidam, quod hodie *Salcedon* dicitur, quod propè *Tolosam* inter *Villam Francam*, & *Renteriam*, ad ripam fluuij *Tolosa* conspicitur. Sic Ortel in sua Tabul. Geograph. Hispan. De Tolosa Stephan. Garibay lib. 4. c. 2. lib. 13. c. 22. lib. 15. c. 12. & 15. Roder. Mend. Silu. in Populat. Hisp. tit. de Cantabria. c. 12. fol. 239. Nec supradictis obstat opinio horum Scriptorum, dicentium, quod hoc oppidum fuit populatum à Regibus Alphonso Sapiente, & Sanctio IV. eius filio ad annum M.CCXC. Nam ista non noua constructio, sed reædificatio censenda est.

Turones. Populi fuere in Gallia Celtica siue Lugdunensi apud Plin *lib. 4. c. 18.* Cornel. Tacit. *lib. 3. Annal.* Iul. Cæs. *de Bell. Gallic. lib. 8.* Hodie Ciuitas Archiepiscopalis, vulgo Tours ad Ligerim fluuium ampla, præclara, elegans, opulenta, lanificio, & mercatura, semicircularis figuræ, & illam ampla suburbia cingunt. Eius amœnitatem describit Golnitzius *in Vlyss. Belgic. fol. 265.*

C Translatio S. Enecon is Abbatis.] Huius Translationis festiuitas hucusque in Tabulis non fuit consignata Ecclesiasticis, licet in Onniensi Cœnobio communis. Ex tunc in posterum patebit, & futuris temporibus eiusdem memoria ambigendi locum non dabit. Euentus ecphrasim scripsit Ioannes Baptista Dametus in Histor. S. Enecon. lib. 2. c. 3. desumptam ex antiquis illius Regij Cœnobij monimentis, quæ sic se habet.

TRANSLATIO, ET INVENTIO Sacrorum pignorum B. Enecon is Abbatis Onniensis, ex antiquis illius Regij Cœnobij monimentis à Ioann. Bapt. Dameto.

Tempore Adephonsi cognomento Imperatoris Hispaniæ, Venerabilis Ioannes II. Abbas Onniensis, ex Sedis Apostolicæ facultate sacrum corpus B. Enecon is eiusdem Cœnobij Abbatis in alium sublimem locum transferre decreuit. Ad Imperatoris ergo prælibati hoc Ioannis Abbatis peruenit auditum, qui famâ S. Viri miraculorum

arreptus, actus Translationis præsentialiter auctorauit, accitis secum Episcopo Burgensi, & aliis Præsulibus, & Proceribus. Cùm enim primùm techa, quâ corpus recondebatur venerabile, fuit aperta, sic odor suauis, & cœlestis totum Cœnobij ambitum occupauit, vt omnes in admirationem rapti glorificabant Dominum corde, vocibus, & opere; imò quod fuit plus, quod fragrans odoris nebula ad quinque ægrotorum nares pertingens protinus sanitati sunt restituti.

PROCEDENTE deinde tempore incredibili populorum deuotione, circa venerabile sepulchrum eius adcrescente, Petrus bonæ memoriæ Burgensis Episcopus auditis B. ENECONIS miraculis ad Monasterium venit. Quidam cæcus (sicut fertur) in eius præsentia B. Viri meritis lumen oculorum, quod non habebat recipiens, plenariæ restitutus est visioni. Quod videns venerabilis Pontifex tanti miraculi splendore repletus, Deum, & Beatum Confessorem cœpit glorificare, & indutus Pontificalibus vestibus, sicut in mandatis acceperat à Beato Papa Alexandro, in memoriam Dei electi, diuina mysteria gaudenter celebrauit, decantando altissonâ voce cum religioso cœtu Monachorum, vnius Confessoris officium, scilicet: *Os iusti meditabitur sapientiam* &c. Quod deinceps in eius honorem decantari præcepit, instituens Episcopali auctoritate festum eius annualiter Kalendis Iunij cum reuerentiâ celebrari; concedendo pro B. Confessoris honore omnibus fidelibus ad diem festum natalis eius occurrentibus, Quadraginta dierum absolutionem. Deinde post multum temporis ad vsus diuini sacrificij in eius nomine fabricatum est Altare, sub cuius cauo B. Confessoris exuuiæ sunt reconditæ, ibidémque diuina frequentantur Sacramenta, orante B Patrono Nostro ENECONE pro omnibus, qui suam fideliter gaudent frequentare memoriam.

Denique cùm locus, quo sacrum corpus hac vice fuerat depositum, aut Monachorum incuriâ, aut temporum lapsu, penitus in obliuionem redigeretur non sine magno Cœnobitarum mœrore, euenit vt Ioannes Bacca Abbas Onniensis religione, & grauitate conspicuus, fortè Dei inspiratione commotus Corpus Sanctissimi Patris exquirere decreuit, cuius intentionis propositum Monachis aperiēs, tot contradictionum agmina sunt exorta, quot fratrum capita notabantur. His demum deuictis, accitis secum S. Mariæ Maparensis, S. Æmyliani, & Ouarenensis Cœnobiorum Abbatibus, Altare prælibatum euertere cœpit die 18. Ianuarij, Anno Domini M.D.XCVIII. quousque sub eadem Ará sacra inuenit pignora S. Abbatis, quæ in peruetustâ ligneâ arcâ inclusa suauissimam odoris fragrantiam respirabant. Supra corpus hæc pergaminæâ pelle conscripta inuenta est epigraphe:

CORPVS BEATI ENECONIS ABBATIS HVIVS MONASTERII QVI FLORVIT MIRA VITÆ SANCTITATE, ET MIRACVLIS; ET IDEO AVCTORITATE APOSTOLICA RELATVS EST IN CATALOGVM SANCTORVM, OBIIT ANNO DOMINI M. LVII. SEPVLTVS FVIT IN CLAVSTRO, ET INDE TRANSLATVS EST IN HOC ALTARE.

Sic igitur inuento Corpore Magistri protinus gaudium omnia ora compleuit, maximè Ioannis Abbatis illius operis assertoris, qui argenteam capsam affabrè elaboratam construere iubens, sacra pignora in ea recondens, illam in propriâ Capellâ populorum concursu, & celebri plausu honorificè collocauit; vbi per Dei misericordiam

innumera

innumera recensentur miracula. Post modum Anno Domini M.DC. Cœnobium Onniense obtulit Vrbi Bilbilitanæ, ex qua erat (vt creditur) oriundus S. Abbas, os brachij, quod in ipsa ciuitate magnâ accolarum gratitudine, & lætitia receptum est, & in antiqua Ecclesia S. Benedicti collocatum.

Hactenus Acta translationis tàm antiquæ, quàm recentioris. De Prima agit P. Dametus in Hist. S. Enecon. lib. 2. c. 3. De Secunda ead. lib. dict. c. 3. fol. 50. Quatenus ad primam attinet crederem euenisse circa annum Domini M. C. XLII. quia tunc Onniense Cœnobium cœpit ab Imperatore Adephonso muneribus, & honoribus sublimari, vt notauit D. Prudent. de Sandou. Hist. Imper. Alphons. VII. fol. 174. De Canonizatione S. Abbatis à Petro Episcopo Burgensi literis, & auctoritate Alexandri Papę præcisè fatendum est, hoc euenisse ab Anno M.C.LIX. ad M.C.LXXXI. quo istum Pontificem per hæc tempora Pontificatum obtinuisse Baron. Platin. & Ioan. Baptist. conuendunt. Cætera die Kalend. Iunij. Tom. 3. ad longum conscribemus.

DECIMO QVARTO KALEND. FEBRVARII, DIES XIX.

A. *Carthagine in Africa passio* S. Germanæ *Virginis, & Martyris, vna ex nouem Sororibus, filiis C. Atilij, ex Belcagia Gallaciæ propè Tudem ortis. Quæ cum pro fide cum aliis torqueretur, cum illis agonem consummauit ibidem.*

B. *Item in ipsa vrbe, licet diuerso tempore, natalis* S. Hispani *Martyris, qui cum DC. Sociis ad supplicia pro Christi confessione deueniens, etiam ad trophæa ipsis comitantibus strenuus Agonista peruenit.*

NOTÆ.

A SANCTA GERMANA. De ipsa, eiúsque Patribus, origine, natali admirabili secundum sæculum, cum aliis octo Sororibus egimus prolixè die præcedenti. Nunc de eius passione agemus. In peruetustis Martyrologiis recolitur memoria Sanctissimæ cuiusdam Martyris *Germanæ*, quæ cum aliis ad martyrij palmam peruenit in Africa, S. Hieronymi à Laurent. Epternacensi, sic: *In Africa Pauli, Quinti, Gerontij, Ianuarij, Saturnini, Successi*, Germanæ, *Certulæ, & aliorum.* Eadem Beda, ex Galess. Carthus. Coloniens. Canis. & Martyrol Rom. Apud Hispanos hanc fuisse nostram *Germanam*, indubitabilis opinio est. Sic Iulian. Archipresb. Tolet. in Chron. n. 58. sic: *S. Germana Soror harum Carthagine in Africa, sic in Martyrologiis die XIX. Ianuarij.* Martyrol. Hispanicum P. Higuera MS. apud me. P. Ant. Vasconcell in Descript. Lusit fol. 445. P. F. Ludouic. ab Angel. in Viridar. Portugall. c. 10 fol 43. D. Prudent. de Sandou. Hist. Tudens. fol 45. Acuña. Hist. Braccar. 1. p. c. 30. P. Biu ad Dext. ann. 138. n. 6. fol. 140. Georg. Cardos. in off. SS. Portugall. c. 25. Porreño Hist. S. Liberatæ. c. 5. fol. 33. col. 2. Hymn. P. Higuera, sic:

Te Syria, ô Basilia
Colitquè Germanam *Africa.*

His sic perceptis, veniunt adnotanda Martyrologia hoc die, & illis addendum his Martyribus, vox illa *Carthagine*, vt & integra consistat periodus, & illa ciuitas tanto ne defraudetur honore; quidquid ogganiat Bollandus, dicens *incerta hæc, nec sequi, nec refutare animus est.* Non ergo Hispania suam ad honorem approbationem spectat: nec de sua reprobatione timetur. Traditiones suorum insequitur, deferre potius illis, quam alienis inuidiis placet. Ergo ex nostris hæc vitæ concinno acta.

S. Germana Parentes habuit C. Atillium Gallæciæ Præsidem, & Calsiam eius vxorem; ille ex Romanorum genere Consularis, & illa ex Braccarensi, vt traditur, vrbe progenita nobilissimæ originis. Qui cùm vrbem Gallæciæ cui nomen erat Belcagia, vterque commorarentur, Calsia vno edidit nouem filias, vt Hispaniæ traditio est, partu. Inter quas *Germana* quinto loco lucis agnouit splendorem. Omnes matris iussu in fluuium demergi, cùm à Cyta sanctissima fœmina in illo actu obstetrice, raperentur, ne tale ipsa assentiente perpetraretur, diuino illa perducta spiritu, non solum sancta non perdidit prolem, imò ad Christianos adlatam, & sacro baptismatis fonte immersam; inter Christicolarum vxores, vnaquæque ad alendum distributa & temporalis, & æternæ vitæ spiritum comparauit. At cum iam ad iuuentutis ætatem attingeret *Germana* cum cæteris ad Patrem deducta propter fidei causam, datis induciis, vt, aut resipiscere, & Diis litare, aut carceris ergastulum & mortis pœnam degustare, cogitaret, à conspectu Patris cum cæteris sororibus sine metu discessit. Sed carceri omnes insimul Parentis furor mancipatas vt expleto deliberationis termino, si Principibus parere, & Idolis immolare renuerint, ad ferocia tormentorum conducere certamina, reseruauit. Tanti sceleris effectum, cœlum abhorruit, & ideo inter illius horridam noctis opacitatem spiritus illarum innocentiam à nocentis Patris faucibus redimitam eruens, in conuicinum montem mirabiliter, nemine persequente perduxit. Illinc gratias agentes Deo, qui Angelum, vt illas confortaretur immisit, cuius nutu patriam deserere, Christum in martyrio quæritare, datis amplexibus, Mundi circulos peragrare, promittere, compelluntur. Quamlibet ab illa feruor hora dispersit, & ad varias perueniens *Germana* Regiones, in Africanam deueniens, Carthaginem inuisens, Christianis adhærens, cum aliquibus propter fidei confessionem deprehensa, post carceris squalorem, agonis perpessionem, & horridam sæuientium satellitum atrocitatem, illustri ibidem fidei confessione præbuit sæculis testimonium XIX. die Ianuarij, Anno Domini CLIV. vel circiter.

Cætera quæ ad Nostræ S. Virginis Historiam, attinent, in superiori perlege die, tantum monitum hic scias, volo, quòd si apud aliquos ex nostris, aliquid discrepans huic nostræ inueneris ecphrasi, non illorum sententias, vt sonant, accipias, quia tunc ipsarum Virginum, & Martyrum acta traditioni solùm inhærebant, nec illis manifesta Dextri, & Iuliani fuere fragmenta, quibus facile, si attentè istos percurreris, quiesces.

S. Hispanus. Nomine, & origine, & si solum originem, & nomen nobis reliquerit temporum edax inuidia. Martyrol. S. Hieron. à Laurent. Epternacens. exaratum, sic: *In Africa Tiberiani, Maioli, Victoriani, Honorati, Fortunati, Iulij, Lucij, Macurßi, Pupli, Felicis, Gaiæ, Vitalis, Casini, Secundi, Victoris, Primi* Spani, *Cacinant.* M S. Hibernicum Conuentus Dungalensis, apud Bollandum h. d. 2. p. in Act. SS fol. 2 10. die: *Secundi, Victoris, Primi,* Hispani. *Luci.* Verbum enim *Spanus* sine aspiratione, & *Hispanus* cum illa promiscuè apud authores accipitur antiquos. De prima lectione Plutarch de fluminib c. 16. his verbis: *Mox cum Satyros, & Panas in memoriam delegisset* (Dionysius Bacchus) *suo imperio Indos subiecit, atque deuicta* Iberia, *Pana illis præfecit locis, qui regionem de seipso* Panam *vocauit. At iuniores vocabulum inde deducentes* Spaniam *dixerunt,*

runt, vti voluit Sosthenes lib. XIII. Rer. Ibericarum. De quo infinita sunt loca, sicut & de voce *Hispania*, qua & nunc, explosa antiqua scriptura, vtimur. Eius acta deperiere, sed si coniectari licet, eadem per compendium, sic ego describerem.

HISPANVS ex nobilissima, simúlque opulentissima & inuincibili Hispaniæ Prouincia, & originem, & nomen traxit. Christi fidem agnoscens, illius suauitate & lactatus, ipsiúsque veritate delectatus, & si persecutorum turbulentam conspiceret rabiem, animo cruci infixus, omnia nisi in Christo gloriari, eiúsque Crucis insectari trophæum, eminus amandabat. Quo vitæ præsentis sic componebat statum, vt ad omnia quæ pro Christi amore imminerent tormenta perferenda, præsto animo esset. Ergo iam diù Imperatorum Diocletiani, & Maximiani in Ecclesiam inceperat persecutio, quæ omnes ante se præcedentes impietate vincens, nec viris, imo nec teneris pueris, virginibus innuptis, & ex omni sexu, & ætatis Christicolis, horribili fremitu parcebat. Hinc in carcerem coniectus *Hispanus* cum aliis, vt creditur in Africam aductus, ibidem pro fidei confessione, constanter agonis arenam calcans, spretis Tyranni suppliciis, demum per martyrij metam, ad triumphi palmam strenuus miles accessit, XIX. Ianuarij, anno Domini CCCII. Imperantibus Diocletiano, & Maximiano, Summum Pontificatum obtinente S. Marcellino.

In Anno Martyrij si dubitas, consule Martyrologium Vrbani VIII iussu recognitum, quo iste, quem præmisimus, adsignatur, cui adhæret P. Bolland. n. 4. Nec te deterreat Hieronymi Martyrologium, quo tumultuatim Sanctus iste Martyr, cum Sancta Germana inuoluitur, quia, vt sæpe diximus, illinc sine distinctione loci, & temporis, quoscumque illo die passos agnouit, coniunxit, ideo sine separatione innumeros comperies.

CARTHAGO *Africæ.* Ciuitas olim Archiepiscopalis Africæ notissima, vrbium illius Regionis, & Metropolis, & Princeps, Romanæ felicitatis riualis, & æmula. Hæc Hannones, Amilcares, Barcinos, & Annibales genuit, quorum militaria Roma pertimuit trophæa. Hæc Hispanos conciliauit, eorúmque inuictam sibi emolliuit ferociam, quibus vsa militibus, in omnibus prælis multo, mutuóque ita certatum est sanguine, vt amissis Prætoriis, Imperatoriisque exercitibus, sæpe contumelia, etiam nonnunquam periculum Romano inferretur imperio. Condita fuit ab Elisa Didone. Pygmaleonis, Germana: & Sichæi vxore, vt Auctor est Trog. Pompei. lib. 18. Hist. Rom. Virgil. lib. 1. Æneid. sic concinens.

His commota fugam Dido sociósque parabat,
Conueniunt, quibus aut odium crudele Tyranni,
Aut metus acer erat: naueis quæ fortè paratæ
Corripiunt, onerántque auro; portantur auari
Pygmaleonis opes pelago, dux fœmina facti.
Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentémque nouæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam
Taurino quantum possent circundare tergo.

De quo, quia tritum, videndi sunt T. Liu. Decad. 4. lib. 4. ad fin. Sil. Italic. Noster lib. 1. de Bell. Punic.

Pygmaleonis quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine Regnum,
Fatali Dido Lybies appellitur oris:

Tum pretio mercata solum, noua mœnia ponit,
Cingere qua secto permissum litora Tauro.

C. Vellei. Patercul. lib. 1. Hist. Rom. Ruff. Fest. Auienn. Noster in Descript. Orb. Terrar. vers. 287. sic breuiter originem descripsit, licet eleganti carmine:

Inclyta post hos
Mœnia consurgunt Tyriæ Carthaginis, illa
Vrbs Phœnissa prius, Lybicæ nunc ruris alumnæ.

Conditam fuisse ante Romanam vrbem per LXX. annos, asserit Trog. Pompei. d. lib. 18. Auson. de Vrbib. epig. 1. perbellè inter Carthaginem, & Constantinopolim discrepantiam describit. Multa de eius opulentia, Magistratibus, virtutibus, Viris illustribus, & aliis ad eius statum pertinentibus, passim apud Scriptores comperies. De nonnullis aliquando agemus.

DECIMO TERTIO KALEND. FEBRVARII, DIES XX.

A. *Celebris est apud Hispanos, à multis retro sæculis festiuitas* S. Sebastiani *Martyris, in cuius honorem vix erit oppidum, quod Basilicam, Eremitorium, aut Aram non construxerit, nulla est Diœcesis, quæ antiquitus, de illo diuinum non perlegerit officium, & in quamplurimis, eius aliqua non adseruetur reliquia.*

B. *Romæ passio* S. Felicis Modicæ *Virginis, & Martyris quæ ex Hispania vrbe Hispali orta, ab Auunculo Romanæ Ecclesiæ Archidiacono in Vrbem adducta, ibidē propter fidem, & pudicitiam, martyrio coronata est.*

NOTÆ.

A SANCTVS SEBASTIANVS. Huius inclyti Martyris, Ecclesiæque defensoris memoria celebris adest in Vniuersali Ecclesia, vt ex Beda, Vsuardo, Adone, Rabano, Notkero, Maurolyco, Galesino, Felicio, Vvaldemberto, Alexandro de Peregrinis, & aliis Martyrologiis patet. De eo Baptista Mantuan. in Fastis Sacris. Bachot in Fast. Christ. Myreus in Fast. Belgic. Monacens. in Fast. Marian. Apud Hispanam Ecclesiam omni sæculo celeberrima fuit, vt ex omnibus peruetustis Breuiaribus totius Hispaniæ liquet, quorum Kalendaria in infinitum erit, referre. Eius acta notissima sunt, tantum hic, quæ in Breuiario Compostellano anni 1469. concinnantur, excribant.

ACTA

ACTA SANCTI SEBASTIANI *Martyris ex Breuiario Sanctæ Ecclesiæ Compostellanæ Anni M.CCCC.LXIX.*

SEBASTIANUS Ciuis Mediolanensis, sed Narbone ortus, vel, vt alij tradunt, oriundus, Vir nobilis, & Imperatori Diocletiano charus, primæque cohortis ductor, multos Christianorum in tormentis deficientes, tam fortiter, & sanctè in fide confirmauit, vt martyrium constanter subierint. Quorum fuere Marcus, & Marcellianus fratres, qui Romæ in domo Nicostrati vincti adseruabantur, cuius Nicostrati vxor Zoe, exorante Deum *Sebastiano*, vocem ante sex annos per morbum amissam, recepit. *Lect. IV.* *Quibus* rebus cognitis, Diocletianus *Sebastianum* ad se vocat, & grauissime increpatum, omni ratione à fide conatur auertere. Sed hoc frustra tentato, iubet eum stipite alligatum à sagitariis configi. Frequentibus itaque sagittis confixus, cùm ab omnibus, aut pernecatus, aut protinus mortuus crederetur, tamen consequenti nocte, ab Hyrene Sancta Matrona, sepeliendi gratia sublatus, viuus reperitur: & ope diuina, breui est in domo illius in pristinam valetudinem restitutus. *Lect. V.* *Itaque* paulo post factus obuiam Diocletiano ad rei miraculum attonitus, cœpit liberè impietatem, & sæuitiam in Christianos improperare. Tunc verò iussu eiusdem, tandiu virgis cæsus est, donec animam exhalauit. Eius vero corpus in cloacam deiectum, Lucinæ opera (cui *Sebastianus* per somnum visus, & vbi corpus suum esset, & vbi condi vellet, demonstrauit) ad Catacumbas sepultum est: vbi templum extat eiusdem nomine dicatum. Passus est autem Romę XIII. Kal. Februar. *Lect. VI.*

Qui pleniora desiderat acta perlegat Bollandum, & Villegas, Ribadeneyra, Sanctorum, Millan & alios Hispano sermone, ad nostrum institutum sufficiat, quod, quot sunt in Hispania vrbes, oppida, vici, & cœnobia, tot sunt aut Basilicæ, Eremitoria, Aræ, aut effigies.

De sacris exuuiis Catalogum instruere, altam erit prouinciam perlustrare. De celebrioribus, & quæ ad manus nobis peruenere, aliqua referam. Hispali os brachij isthic argenteæ thecæ ad formam brachij humani fabræfactæ conclusum adseruatur. Tantundem apud Malacham vrbem Bæticæ, vt refert P. Quintanadueñas de SS Hispalens. fol. 335. Roa Antiquit. Malac. cap. 16. fol. 51. Vlysiponæ Radius eiusdem, vt refert Vasconcell. in Descript. Lusit. fol. 459. Ibidémque summa veneratione custoditur ipsius Sanctissimi Martyris imago, quæ tempore epidemiæ copiose exudauit vt idem refert, ibidem fol. 556. In domo professa S. I. S. Rocho dicata, in eadem vrbe, adest reliquia S. Sebastiani vt refert Manuel de Campos in Translat. SS. Vlysipon fol. 43. Oscæ in Ecclesia Cathedrali. Yriart. Histor. Oscen. lib. 4. c. 3. fol. 513. In Ecclesia Parrochiali S. Petri eiusdem vrbis d. lib. 4. cap. 8. fol. 540. In Ecclesia Parochiali S. Martini eiusdem lib. 4. cap. 10. fol. 552. In Conuentu Carmelitarum, eiusdem. d. lib. 4. cap. 13. fol. 569. In Monasterio S. Francisci eiusdem. d. lib. 4. cap. 15. fol. 577. In Ecclesia S. Spiritus Ordinis S. Ioannis Ierosolymitani, eiusdem. d. lib. 4. cap. 17. fol. 592. In Ecclesia S. Michaëlis, eiusdem lib. 4. cap. 21. fol. 609. In Ecclesia Cathedrali Placentina, vt ego refero in Vit. S. Epitatij ipsius vrbis Episcopi, & Martyris. cap. 6. fol. 396. In cœnobio S. Vincentij eiusdem vrbis, vnus integer Digitus in Monasterio S. Francisci, eiusdem adest os cranij, vt ex relatione comperi. In Ouetensi Camera etiam reseruatur reliquia, vt in diplomate constat, cuius copiam dabimus die XIII. Martij. In Cathedrali Valentina, vt referunt Scolan. & Solorcan. in Sacrar. Valent. fol. 157. col. 2. ferè mediam partem capitis, & vnam ex ex sagittis, qua fuit confixus. Item in insigni D D Ioannis de Riuera Patriarchæ Collegio, custoditur alia notabilis reliquia, vt ex testimonio

impresso mihi transmisso patet. In Ecclesia Giennensi Cathedrali, in Monasterio Societatis Iesu. In Ecclesia oppidi de Alcaudete, In Conuentu Virginis *vulgo de la Coronada* Ordinis S. Dominici, Vbetensi, Diœcesis Giennensis. Item Abulæ inter innumera Sanctorum lipsana quæ in Capella, quæ ab Illustriss. D.D. Sanctio Dauila & Toleto Episcopo Placentino, construitur. custodiuntur, est insignis alia reliquia, vt ipse refert in tract. de Venerat. Reliq. in Memorial. fol 3. Alia etiam seruatur in Cœnobio S. Mariæ Saliciensi extructo ab Illustriss. D. D. Petro Gonzalez de Mendoza Archiepiscopo Illiberitano, vt ipse refert in Histor. Salicienſ fol. 821. In Regali Cœnobio Monialium excalciatarum Ordinis S. Francisci Matritensi, brachium integrum, quod ex Germania Imperatrix Maria, Maximiliani Imperatoris vxor, Ioannæ Portugalliæ Principissæ fundatricis illius Regalis Monasterij soror, & vtraque Caroli V. Maximi filiæ, inter alia remisit ipsi Serenissimæ Ioannæ, vt refert P. Ioann. Cartill. in fundat. illius Cœnobij. cap. 18. fol. 49. col. 1. Alia in Cœnobio S. Dominici Silensis, vt asserit P. F. Anton. de Yep. in Chron. Benedict. tom. 4. anno 919. fol 380. In Regali Cœnobio S. Mariæ Naiarensis adseruatur vna costa, vt ipse refert Yepes tom. 6. ann. 1052. fol. 136. col. 3. Alia inuestigare prætermitto, ne lectoribus grauis efficiar. Ex quo P. Bollandus agnoscet quantos Hispania thesauros S. Sebastiani possideat, & ne in tribus detineatur ossibus, vt ipse retulit. In tanti Martyris obsequium, istud P. Ioann. Baptist. Masculi encomion subiicere proposui.

S. SEBASTIANVS MARTYR,

SYNOPSIS.

Fortior Dux visus in sufferendis iaculis, quàm cum pugnabat in acie, in vibrandis. Ea porrò iacula, quibus est confixus, cum Apollinis radiis, cum cœlesti Sagitario, cùm coronatorum item Æthiopum iaculis conferuntur.

ENCOMION XXVIII.

Triumphasti ornatius nudatus ad palum,
quàm barbaricis inductus spoliis Imperator.
Non tàm nobilis fuisti vrbium præda victarum,
quàm cum tu ipse furoris factus es præda, sed victor:
Iacula ferens tua excurrit fama multo velocior,
quàm Abaris ille sagitta fretus Apollinis.
Tot libenter accepisti iacula, vt esses paratior, & instructior
in pugna inita aduersus inuisos tibi Deos.
Nisi quòd nullus esse debuit arundini locus
in tàm constanti virtute Ducis.
Cum corpus sagittis onerarunt, fecerunt pharetram:

cum

cum intulerunt pœnas, extulerunt te pennis;
vtrinque pugnatum est neruis intentis;
at melius collimasti tu neruis animi, quàm ille arcus,
sagittarum cuspides cesserunt in radios:
nunquam tàm serenum tibi fulsit cœlum,
quàm cum inumbratum est tuorum nube cœlorum.
Lucidiora sunt tua, quàm quæ sol habet tela diei.
Pulchrius tuo tu nites in Sagittario;
vt sidereas sagittas superas numero, ita splendore.
Voluisti post necem tumulari à Lucina matrona,
vt haberes, vel moriens, obstetricem gloriæ.
Cum circundatum est caput sagittis in coronæ modum,
dicereris imitatus Ethiopum morem,
nisi fuisses candidatus cœli.

B S. Felix Modica Virgo Hispalensis, Romæ Martyr. Eius anamnesis vix in editis Martyrologiis recolitur. Nam quam Notkerus, & Galesinus XII. Kalend. Iulij appingunt, diuersam à nostra Romana fuisse locus martyrij demonstrat. Illa illud apud Tomas in Ponto, Nostræ Romæ compleuisse, patescit. De Hispano-Romana *Felice*, Luitprandus Aduers. n. 216. hæc retulit verba: *Reperi in Codice fide digno* S. Felicem *cognomento* Modicam, *Hispali, parentibus nobilissimis ortam, & iis orbatam Romam ab Auunculo suo, Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, temporibus S. Vrbani, adductam. Quæ cum nollet illustrissimum Sponsum accipere, causa fidei, & virginitatis tuendæ, mira constantia, iugulum præbuit, anno CCXLVI. ætatis suæ XXVI. sub iudice Diocletio, & Philippo Imperatore; Cuius exemplo multi in fide roborati martyrium subierunt.* Hanc esse, meo videri, quam indigetat Conrrad. Vvimpin. à Fagis in Farragin. Miscellan. tract. de S. Annæ Trigam. lib. 2. c. 12. vbi comprobans, nonnulla esse nomina vtriusque generis, scilicet masculini, & fœminini, inter alia exempla, nostram Martyrem ponit, sic: *Felix Virgo XX. Ianuary, & Felix Vir, passim apud Sanctorum Authores.* Si ergo illa quæ Tomis passa est die XX. Iunij colitur, à fortiori Nostra, hoc die, celebrabitur, cùm hucusque aliam præter relatas non agnoscamus. Acta Nostræ periere, aut sub silentio delitescunt. Eius ecphrasim sic concinnare, permittet & deuotionis instantia, & moris licentia.

Felix cognomento *Modica* ex nobili genere apud Hispalim Hispaniæ Bæticæ illustrem, & antiquissimam vrbem orta, licet multo nobilior sanctitate, quotidie in Dei amorem æstuans catholicam fidem accepit. At cum vterque ex viuis discessisset parens, orbitatis solatium in Christo, in quo est vera salus, & cui totis viribus sponderat, & requirebat sine intermissione, & absque diminutione integraliter inueniebat. Parentum mortem agnouit, & *Felicis* solitudinem deprehendit quidam eius Auunculus, qui Romæ commorabatur, & S. R. E. Archidiaconatus muneris onera reportabat. Qui nepotis orphanitatem condolens, & eius miseratus ætatis; illico ad Romam perduci curat. Quo expleto, eiúsque virtutum cumulum, est speciei apicem attente contuens, illustrissimo illam sponso coniungere festinauit. Sed cùm Sanctissima Virgo illum respueret statum, & in casto corde, castis gressibus, Castissimum insectari sponsum, se esse promissam, responderet; Mariti futuri (vt creditur) delatione deprehensa, variis tormentorum generibus lacerata, strenuitate inuicta, & constantia indefessa, nec matrimonij carnalis lectulo adhæsit,

nec spiritualis sponsionis vinculo Virgo intemerata defecit. Quo firmitatis spiritu perseuerans, in ipsis agonum machinationibus, cùm à proposito resilire, nec videretur, ad gloriosas castitatis, & Martyrij palmas tandem capite diminuta peruenit. X X. die Ianuarij Anno Domini C C X L V I. Imperante Philippo, Summum Pontificatum obtinente S. Fabiano. I.

Duo hic à nobis exploranda sunt. PRIMVM de Philippi anno Imperij. Duplex sententia est. Onuphr. Panuin. in Chron. Eccles. ann. 245. fol. 27. Contendit illo anno imperium occiso Gordiano inuasisse, Peregrino, & Fuluio Æmiliano COSS. Eadem refert in Fastis lib. 2. ann. V. C. 997. qui correspondet ad annum Christi 245. Qui vt ipse fatetur illa excerpsit ex Capitolino, Orosio, Cuspiniano, & aliis, qui omnes ad annum vrbis conditæ 997. huius inuasionis tempus appingunt. Nec his obstat Baronius qui hoc euenisse anno Christi CC. X L V I. Mense Martio affirmat, quia Luitprandus antiquorum sententiam consequatur, de noua Baronij, parui est faciendum. SECVNDVM, Constans opinio est, Philippum primum fuisse Christianum Imperatorem, vt inquit Orosius noster, Cuspinianus, Baronius, & alij; At si hoc certum est, quo prætextu Nostra *S. Felix Modica* sub Philippo, & Romæ martyrium recepit? Cui meo videri, respondendum erit; quod licet verum sit, Philippum Christiano charactere insignitum credamus, non ex hoc colligitur, ipsum suo primo Imperij anno conuersum fuisse, sed posse cognita fidei veritate, illi adhæsisse, vt innuit Baron. tom. 2. ann. 246. num. 2. his verbis: *Caterum sicut constantissimè affirmare non dubitamus eum* (Philippum) *cum inuasit Imperium, fuisse Gentilem; ita à Christiana fide alienum non decessisse.* Ex quo liquet, quod si Philippus erat Gentilis principio Imperij, quid mirum si adhuc persecutorum sæuitia, casibus euenientibus, pullulabat. Quo, donec alia Dominus manifestet, dicta sufficiant.

HISPALIS. De ea diximus die I I. & I V. huius mensis. Quibus in locis duas de eius origine opiniones retulimus, & vltimam ex Roderico Toletano decerpsimus. Nunc ipsius aliam exscribomus ex MS. Historia Hispanicè conscripta, quam se vidisse Roder. Caro lib. 1. cap. 2. de Antiq. Hisp. in Carthusianorum Hispalensi Cœnobio, profitetur, & illic hæc verba latinitate donata inuenisse. *Post; alij dixere, quod Hispalis ab* Hispaniæ Polis *dicta fuit, quasi* Hispaniæ Ciuitas *nobilis.* Aliquam ingenij acritudinem hæc præsefert ætymologiæ perspicacitas, sed nulli arridet.

DVODECIMO
KALEND. FEBRVARII,
DIES XXI.

A. *Tarraconæ in Hispania natalis* SS. FRVCTVOSI *ipsius vrbis Episcopi*, AVGVRII, & EVLOGII *Diaconorum, qui Imperante Gallieno, sub Æmiliano Præside pro fide comprehensi, variè cæsi, flammis iniecti, exustis ligaminibus, manibus in formam expansis crucis, orantes ad trophæi coronam cucurrerunt.*

B. *Cathalonia in Bagensi cœnobio propè Manresam depositio sacrorum pignorum* S. AGNETIS *Virginis, & Martyris Romanæ, quæ ex Constantinopoli illhinc à multis retro sæculis adlatæ, ibidem miraculis insignia, & deuotione veneranda, honorifice custodiuntur.*

C. *In Monasterio Sancti Michaëlis de Lotharingia depositio* S. MALCALINI *Abbatis, qui Toletum veniens à Petro ipsius vrbis Episcopo, & à Comprouincialibus Præsulibus consecratus est.*

NOTÆ.

A SANCTVS FRVCTVOSVS, & Socij. Eorum agonum celebritas, & memoria solemnissima apud omnes Hispaniæ Ecclesias agnoscebatur, donec Breuiariorum reformatio intercessit, qua Sanctorum nostrorum acta penitus obliterata, delitescunt. Quæ licet euenerit, eorum nomina inter exteros, & nostros circunferuntur. Antiquum Martyrologium S Hieronymi, etsi corrupte, & cum aliis confusè, sic: *Spania Ciuitate Racona* SS. Fructuosi, Augori, Eulogiæ, *Daci.* Nec minus tumultuarie in Codice Dugaliensi, in quo sine expressione vrbis inter alios, sic: *Salatoris, Hermetis* Fructuosi, Augorij, *Diacij.* Non expresso *Eulogio.* Quo etiam percipietur confusio, quam sæpè diximus, de huiusmodi Martyrologio. At Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Bellini, Maurolyci, Alexand. de Peregrin. Gaseni, Felicis, Ghinij, Romani, Castellani P. Vasq Lusitani, & Hispani P. Higuer. punctuatim, & nomina, & vrbem consignant. Eadem fere Breuiaria Barcinon. Tarraconens. Compostellan. Hispalense, Placentinum, Antiquum Muzarabum, & ferè omnia Hispaniæ: De illis scripsere Flau. Dextr. in Chron. ann 268. Prudentius in Peristeph. carm. 6. Luitprand. Aduers. num. 70. Petr. de Natalib. lib. 2. Catalog. SS. cap. 110. Marinus Sicul. lib. 5. de Reb. Hispan. Vass. in Chron. ann. 257. Mar. Scot. in Chron. an. eod. an. Petr. Anton. Beuter. Histor. Valent. lib. 1. cap. 25. Micer. Ludouic. Ycart, Histor. Tarracon cap. 41. P. F. Saluat. Pons. Histor. S. Matronæ. cap. 5. Ambros. de Motal. lib. 9. cap. 47. Padill. Histor. Eccles. Hispan. tom. 1. cent. 3. cap. 14. Ioann. Marian. lib. 4. cap. 10. Mariet. lib. 1. SS. Hisp. cap. 22. P. F. Anton. Vincent. Domen. in SS. Cathalon. lib. 1. fol. 5. Pujad. Histor. Cathalon. lib. 4. cap. 57. Ex floribus Sanctor. P. Truxill. in thesaur. Concionat. h. d. tom. 2. fol. 888. Sanctorus titul. 1. fol. 70. Villegas. tom. 2. in SS. Hisp. Baron. Ann. Eccles. tom. 2. an. 262. an. 60 & seqq. P. Biuar. ad Dext. d. an. 268. comment. 2. n. 1. pag. 293. & ibidem Roder. Car. fol. 91. lit. C. Anton. Nebris. in Not. ad Prudent. vbi Ioan. Sicard. fol. 184. P. Hieron. de la Higuer. in Diphtic. Tolet. num. 57. in fin. P. Ioan. Bolland. in act. SS. tom 2. pag. 339. qui eorum acta ex MS. Veteribus retulit., & exscripsit. Nos & illa transcribemus ex MS. Veteri S. Ecclesiæ Asturicensis Kalendario Era M.CCC.XLVI. exarato, sic:

ACTA

ACTA SANCTORVM FRVCTVOSI Episcopi Tarraconensis, Eulogij, & Augurij Diaconorum ex Vet. Kalend. Auricensis Manuscripto.

IN tempore illo erat quidam Ciuis Tarracone, nomine FRVCTVOSVS. qui Episcopus factus, secum *Eulogium, & Augurium*, vt altari ministrarent, Diaconos elegit. Sed Valeriano, & Gallieno Rom. Imp possidentibus, Æmiliano, & Basso Consulatum habentibus, Ecclesiam, & Catholicum gregem pabulo diuini verbi Tarracone depascebat. Venit autem plenitudo temporis, quo isti tres Christi veritatis præcones, martyrium subirent. Ideóque Æmilianus Prouinciæ Citerioris Hispaniæ Præses qui Tarracone sedem figerat, aut feritatis impulsu, aut imperantis applausu, edictum publicauit, quo omnes vt Diis antiquioribus Populi Romani immolarent, decreuerat, seuerissimis seuppliciis, contraria facientibus, indictis. Ad hæc *Fructuosus*, & cum eo omnis Tarraconæ Ecclesia orabant sine intermissione. In aures Præsidis omnia hæc cùm venissent, & quod mandata hæc Cæsarum contemnebant, ira incensus Æmilianus, in carceris custodia. *Fructuosum Episcopum, Eulogium, & Augurium,* Diaconos, vt primos illius Ecclesiæ mancipandos statuit, commouens Aurelium, Festucium, Helsum, & Polentium ipsius apparitotores, vt illicò decreta executioni mandarent. Qui sine detentione in locum quo Christiani in diuinis laudibus peragendis, congregabantur, percurrentes, & ibidem (erat enim circa secundam vigiliam noctis) Sanctos Viros non inuenientes, ad domum gloriosissimi Episcopi viam carpunt. Erat autem *Fructuosus* iam in eius ædicula repositus. Qui cum sensisset sonitum tumultus eorum, surrexit, & prodiit foras absque calceis. Inuentis ad ostium satellitibus, quid velint, explorat; & cognito Præsidis decreto, accersitis Diaconibus, & caligis impositis, feruenti martyrij desiderio omnes anteibat. Statim in carcerem missi die Dominico, vnusquis de corona certus, continuis orationibus illám à Domino deposcebant. In sequentibus sex diebus, quibus in carcere delituerunt, frequens fratrum caterua cum ipsis noctu, diúque in oratione decubabat, & illic Rogatianum quendam ex catechumenis baptizauit. Superueniente autem VI. Feria XII. Kalend. Februarij, postquam in præcedenti nocte orantes totum terminum exegissent, & ad futuri certaminis brauium se præparassent, Iudici producti sunt. Quibus Præses; *Audiuistis quid Imperatores præceperunt?* Fructuosus Episcopus dixit: *Nescio quid præceperunt: Ego vero Christianus sum.* Æmilianus dixit: *Præceperunt Deos coli.* Fructuosus Episcopus dixit: *Ego vnum Deum colo, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Æmilianus dixit: *Scis esse Deos?* Fructuosus Episcopus dixit: *Nescio.* Præses dixit: *Scies postea.* Fructuosus Episcopus respexit ad Dominum, & orare cœpit intra se. Hinc Æmilianus verba conuertens ad Augurium, dixit: *Et tu quem colis? Fructuoso etiam adhæres?* Cui Augurius: *Ego Deum Omnipotentem colo.* Et respiciens ad Eulogium Præses, dixit: *Numquid & tu Fructuosum colis?* Respondens Eulogius, dixit: *Ego Fructuosum non colo, sed ipsum colo, quem & Fructuosus.* Tunc Fructuoso dixit Æmilianus: *Num tu Christianorum Episcopus es?* Ille dixit: *Sum.* Cui Præses: *Fuisti.* Et ad Satellites intuens, dixit: *Fustibus eos sternite, & Diis non sacrificantibus, iubeo eos viuos ardere.* Sic Fructuosus Episcopus cum Diaconibus suis ad Amphiteatrum ducebatur, & omnis plebs tàm Christiana, quàm

ethnica,

ethnica, cùm omnibus charus esset, lachrymas tenere non potuit. Fratribus enim, qui ad gloriam pergere Sanctos credebant, nulla interfuit causa doloris, quinimo omnes gaudentes, & constantiæ flosculos colligentes, præcedebant, & subsequebantur turmatim eorum vestigia. Nonnulli fraterna charitate adlecti, aromatibus conditum poculum illis offerentes, vt de illo ebiberent, & fortiores ad certamen ascenderent, efflagitabant. Quibus Fructuosus: *Nondum est hora soluendi ieiunium, & stationis feriam.* Ad amphitheatri portam cùm peruentum esset, in cœlum oculis eleuatis Fructuosus pro omnibus humiliter orauit, & conuersus ad populum, *Bono*, (inquit) *estote, animo. Non deerit vobis Pastor, nec deficere poterit Charitas, & repromissio Domini, tàm hic, quàm in futurum. Hoc enim quod videtis, vnius horæ est infirmitas.* Consolatus ergo fratres, ingressi sunt ad salutem, similes Ananiæ, Azariæ, & Misaëli, qui steterunt in mediis flammis illæsi, vt etiam in illis tribus, miracula cernerentur diuina. Exustis autem fasciolis, quibus manus eorum erant constrictæ, Fructuosus consuetudinis memor, flexis in cinere genibus, orationem fudit, de resurrectione securus, vltimum gloriæ Trophæum spectabat. Quod nec tardauit, nam inter flammas coruscantes ipse, & Diaconi animas Domino tradiderunt. Nec defuit miraculum, nam aperto cœlo illorum animæ, spectantibus Babylone, & Migdonio fratribus, ab Angelis receptæ sunt. Quod & Æmiliani Præsidis filia, suis ipsa oculis, tunc pariter contemplari meruit, cùm à fratribus vocaretur, vt huiusmodi miraculum videret. Nec minùs, & Æmilianum, vt quos damnauerat in cœlum conscendere coronatos conspiceret, interpellarunt, qui etiam si venerit, miraculum non fuit dignus videre. Fratres enim tam præclari agonis, & fidei memores, etsi sine Pastore derelicti tristitia affecti, non quod dolerent Fructuosum, sed potius desiderarent, promissionem Præsulis sancti sustinebant. Sed adueniente noctis opacitate ad locum martyrij cum vino festini, quo semiusta corpora, aut lauarent, aut extinguerent, conuenerunt. Cúmque certatim Martyrum cineres, quisque ad se raperet, *glorificantes* Dominum in domum reuersi honorifico, vt quisque potuit loco reliquias collocauit. Nec hic defuere magnalia; nam Sanctus Fructuosus apparens fratribus nocturna visione, vnumquemque monuit, vt quæ ex reliquiis per charitatem abstulerat, sine mora restitueret, & vno in loco simul conditas reseraren. Item, & Æmiliano, qui eos damnauerat, Fructuosus cum Diaconibus suis, terribili visione, candidis amicti stolis apparuit, increpans pariter, & insultans, nihil illi profuisse, quod frustra exutos à corpore in terra crederet futuros, quos cerneret gloriosos. At mane facto, omnes fratres, qui reliquias Sanctorum Martyrum sustulerant, retulerunt singuli cum magno metu in domum Rogatiani, ac summa lætitia vnusquisque narrabat visionem, qua fuerant commoniti. Cùm autem in vnum collectas fratres conspicerent, in ipsa æde S. Fructuosi quæ deinceps sacra fuit, sub altario sancto exultantes in Domino, honorifice sepelierunt.

En acta ex MS. Asturicensi, quæ in paucis differunt, ab aliis à Surio, Bollando, & Grassio relatis, imò nec à Villegas, Santoro, & aliis Hispano idiomate conscriptis. Carmine vitam, & agonem Nostrorum Martyrum scripsere Aurelius Prudentius Clemens Noster, & Prosper Poëta, vt refert Pujades d. cap. 57. licet istius hymnus me latet. Prudentij carmen subiicio, etsi vulgare, quia non quidquid commune, si opportunum, & luculentum est, despiciendum erit.

HYMNVS

HYMNVS BEATISSIMORVM MARTYRVM Fructuoſi Epiſcopi Eccleſiæ Tarraconenſis, & Augurij, & Eulogij Diaconorum, ex Aurelio Prudentio Clemente Hiſpano.

Felix Tarraco Fructuoſe veſtris
Attollit caput ignibus coruſcum
Leuitis geminis procul relucens.
Hiſpanos Deus aſpicit benignus
Arcem quandoquidem potens Iberam,
Trino Martyre, trinos coronat.
Ardens Augurius capeſſit æthram;
Nec non Eulogius, ſimul ſupernum
Chriſti lucidus ad ſedile tendit.
Dux, & præuius, & Magiſter illis
Ad tantum decus, ex Epiſcopali
Clarus nomine Fructuoſus ibat.
Accitus, quia Præſidis repentè.
Iuſſu, venerat ad forum Sacerdos
Leuitis comitantibus duobus.
Inde ad carceream Viros catenam
Paſtus ſanguine carnifex trahebat,
Gaudet currere Fructuoſus vltro.
Ac nequis Socios minor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
Incenditque fidem calore Chriſti.
Mecum ſtate Viri, vocat cruentus
Ad pœnam coluber, Dei miniſtros
Ne mors terreat, eſt parata palma.
Carcer Chriſticolis gradus coronæ eſt.
Carcer prouehit ad ſuperna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt ſpecum reorum,
Exercent ibi myſticum lauacrum,
Et purgamina, quæ ſtupent tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,
Tandem ſtant trucis ad tribunal hoſtis,
Fratres tergeminos tremunt cataſtæ.
Iudex Æmilianus imminebat,
Atrox, turbidus, inſolens, prophanus,
Aras dæmonicas coli iubebat.
Tu, qui Doctor, ais, feris nouellum
Commenti genus, vt leues puellæ
Lucos deſtituant, Iouem relinquant.
Damnes ſi ſapias, anile dogma,
Iuſſum eſt Cæſaris ore Gallieni
Quod Princeps colit, hoc colamus omnes.
Hæc fanti, placidus refert Sacerdos:
Æternum colo principem, dierum
Factorem, Dominúmque Gallieni.
Et Chriſtum patre proſatum perenni,
Cuius ſum famulus, gregiſque Paſtor.
Subridens ait ille: Iam fuiſti.
Nec differt furor, aut refrenat iram,
Sæuis deſtinat ignibus cremandos,
Exultant, probibéntque flere vulgum.
Quoſdam de populo videt Sacerdos,
Libandum ſibi poculum offerentes
Ieiunamus (inquit) recuſo potum;
Nondum nona diem reſignat hora,
Numquam conuiolabo ius dicatum
Nec mors ipſa meum ſacrum reſoluet;
Sic Chriſtus ſitiens Crucis ſub hora
Oblatum ſibi poculum recuſans,
Nec libare volens, ſitim peregit.
Intrant interea locum rotunda
Concluſum cauea, madens ferarum
Multo ſanguine, quem furor frequentat.
Cùm ſpectacula perſtrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator, enſe duro,
Percuſſus cadit, & fremit voluptas.
Hic flammante pyra, niger miniſter
Ardens ſupplicium parare iuſſus,
Conſtruxit facibus rogum ſupremis.
Qui dùm corpora concremanda ſoluit,
Feruentes animas amore lucis,
Fracto carceris expediuit antro.
Certant Officiis pij ſodales,
Plantis calciamenta diſſolutis
Pronus detrahere ſtudebat vnus.
Sed ſanctus vetat, ora Fructuoſus
Inclinata premit: faceſſite, inquit,
Ne noſtram grauet obſequela mortem.

Atquin

Atquin ipse meos pedes resoluam,
Ne vestigia præpedita vinclis
Tardis gressibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur vestri memor, vt siam, rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum, velut Moyses,
Quondã fecerat ad rubũ propinquans.
Non calcare sacram cremationem,
Aut stare Deo prius licebat,
Quam vestigia pura figerentur.
Stabat calce mera, resultat ecce
Cælo spiritus, & ferit loquelam
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est, credite, pœna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citata transit,
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandere, contigit Tonantis:
Quas olim fugiet perennis ignis.
Hæc inter rapidis focos crepantes
Intrant passibus, & minantur ipsis
Flammarum crepitantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas
In morem Crucis ad Patrem leuandas,
Soluit brachia, quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens Tyrannus.
Illis sed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
Hos cùm desugeret vaporosus ardor
Orant, vt celer ignis aduolaret,
Et finem daret anxiis periclis.
Exorta suos obire tandem
Maiestas famulos, iubet caducis
Missis corporibus, sibique reddi.
Vidit Præsidis ex domo Satelles
Cælum Martyribus patere apertum,
Insignésque Viros per Astra ferri.
Quin, & filiolæ monens herili,
Ostendit sceleris notam paterni,
Cælo viuere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palam videre
Per sudum meruit, patente cælo,
Vt crimen Domini domus timeret.
Tum de corporibus sacris fauillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne reliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulchris;
Cernuntur niueis stolis amicti,
Mandant restitui, cauóque claudi
Mixtim marmore, puluerẽ sacrandum.
O triplex honor, ô triforme culmen
Quo nostræ caput excitatur vrbis,
Cunctis vrbibus eminens Iberis.
Exultare libet tribus Patronis,
Quorum præsidio fouentur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumstet chorus ex vtroque sexu
Heros, Virgo, puer, senex, aniclas
Vestrum psallite ritè Fructuosum,
Laudans Augurium resultet hymnus,
Mistis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares Camœnas.
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo,
Cùm te Tarraco Fructuosus acri
Soluet supplicio tegens ab igne.
Fors dignabitur, & meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces Hendecasyllabos reuoluens.

In Breuiario Isidoriano hymnus iste canitur in festiuitate Nostrorum Sanctorum Martyrum, licèt taliter distributus ad omnes horas, vt nulli recitantium fastidium pariat, ibidémque illius conclusio.

Æterno Genitori gloria, Christo
Gloria semper, Genito, sit tibi semper
Compar Spiritui, qui Deus vnus
Polles perpetuis inclyte sæculis, Amen.

Post insertis aliquot in honorem huiusmodi Sanctorum versiculis, orationibus, & responsoriis introducitur Capitula, quæ cùm sit eleganti concinnata locutione, in eruditorum gratiam subscribam.

CAPITVLA.

Probata satis est Domine tuorum trium vita, & festa Sacerdotum, vt auri fulgidum radiantis metallum, quorum fidem, dum probabili camino examinas, laudabili iudicio tibi placituram adsignas. Habes ergo in tribus manipulis Sacerdotum, quos ad te Mater Nostra misit Ecclesia, discreta quidem ordinum, sed veneranda officia Sacerdotum. In Fructuoso, *quidem Pontificalis gratia fulgens; In* Augurio, & Eulogio, *Leuiticæ dignitatis ministerium clarens. Nostra ergo vota his tuis obtutibus, sanctificanda insinuent, ille, vt pro te more Sacerdotij consecrando perornet; horum ministerio calicem salutarem sumamus ad vitam, illius inuocatione sanctificati perducamur ad gloriam.*

ORATIO.

Mira Domine tuorum trium est constantia Sacerdotum, Fructuosi *videlicet, Episcopi,* Augurij, & Eulogij *Leuitarum, quorum vnita, nec diuersa deuotio, dùm succensione fornacis præparantur ad comburendum, constanter persistunt: in combustione viriliter plus calentes amore tuo, quam deuicti incendio alieno: cùm etsi corpora cadunt flammis, victrices animæ rapiuntur in æthera. Da ergo nobis eorum meritis, à tentationum igne non tangi, ab æternis ardoribus erui, & post excursum sæculi, ignitis tibi desideriis, copulari. Amen.*

Istorum etiam Sanctorum Martyrum, iterum meminit Prudentius Noster in Peristeph. in Hymno S S. M M. Cæsaraugust. his versibus:

Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo, genitrix piorum
Tarraco, intexuit, cui Fructuosus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio adligatum est,
Emicant iuxta lapides gemelli,
Ardet, & splendor parilis duorum
Igne corusco.

Neq

Nec eius contemporaneus, & compatriota Flor. Dexter nostros Martyres ex memoria deposuit, de quibus sic in Chron. ann. 268. hæc concipit verba: *Tarracone in Hispania Sancti Christi Martyres* Eulogius *eius vrbis Ciuis*, Fructuosus *Ciuis*, *& Episcopus*, *&* Augurius, *vnà pro Christi nomine martyrium passi sunt.* Nec hic meo videri, est audiendus Luitprand. Aduers. num. 70. qui primò Episcopum *Basedensem* facit *S. Fructuosum*, & ipsius vrbis Ciuem, hisce verbis: *Antiquissimus est Episcopatus* Basedensis, *nam* S. Fructuosus *Episcopus Tarraconensis*, *& Martyr*, *prius creditur fuisse Ciuis*, *& Episcopus Basedensis*, *& inde translatus Tarraconem*: *vbi martyrium obiit illustrissimum.* Quia resistente Dextri sententia, cui vt antiquiori est deferendum, hæc Luitprandi non erit in considerationem trahenda. Nonnulla alia in huiusmodi ecphrasi desiderantur, de quibus sigillatim verba faciemus.

PRIMO *quæritur*, *qui annus martyrij?* Noster Flor. Dexter ad annum CC. LXVIII. agonem consignat. Ambros. de Moral. lib. 9. cap. 47. ad CC. LIX. Villegas ad CC. LXII. Cui adhærent nonnulli, vt Pons Icart, Baron. & Padill. Regino Monach. vt refert Pujad. ad annum CC. IX. Bollandus ad CC. LIX. & hæc est vera opinio, quia illo anno erat litera Dominicalis B. quæ incidit in Dominicam diem, quæ fuit XVII. Kalend. Februarij, & sic Feria VI. qua passi sunt numerabuntur XII. Kalend. eiusdem. Cæteris opinionibus respondet Pujades erudite.

SECVNDO *de loco reliquiarum?* P. Marieta d. cap. 22. à quodam Iustino Presbytero in Liguriam adsportatas, credit; Cui adhæret P. Mariana lib. 4. cap. 10. his verbis: *Qua causâ*, *& tempore*, *incertum*, *sed in* Ligures *tamen migrarunt*, *seruantúrque non procul* Genuâ *in Benedictorum cœnobio.* Anton. Vincent. Domenec, scribit Angelum viam monstrasse, & locum quo annuente Deo, delitescere sacra lipsana, fas esset. Eandē opinionem amplectitur Leandrus Alb. in Lig fo. 10. Demum idem Domenec concludit, adseruari non procul Barcinone in Ecclesia S. Matronæ Montanæ, & aliqua in Ecclesia Manresæ. Quod & repetit in translatione S. Agnetis, his verbis: *Anno Christi M.CCC.LXXII. Senatores Manresani, magna antè cōtentione conatúque consumpti; demum à Guidone Portuensi Episcopo, Summique Pontificis in Aragoniâ Legato à latere, potestate impetrata XXX. Augusti, magno apparatu, frequentissima prosecutione*, *Manresam* SS. Fructuosi, Eulogij, *&* Augurij *ossa deportauit.* Quid tenendum? Ego nec approbare, nec contradicere nemini audeo, & vnusquisque suæ adhæreat deuotionis proposito. Plurimum enim in hisce rebus fidei est deferendum.

DENIQVE ne te decipiat Rabani martyrologium apud Canisium tom. 6. Antiquit. Lect. fol. 695. h. d. Lectorem monendum duxi, quod licet ibidem agens de Nostro S. Fructuoso, subiiciat: *Qui scripsit regulam Monachorum.* hæc verba, aut ab amanuensi addita, aut nominis errore deceptus Rabanus alium Fructuosum iuniorem, cum Martyre, confundens, deceptioni causam dedit. Et probatur quia Fructuosus Monachorum Pater vixit ad annum DLXX. vt inquit Maximus in Chron. hoc ann. fol. 196. Hugo Menard. in Concord. Regul. fol. 62. Ille Martyr, iste Confessor. Ille hoc die, Iste XVI. Aprilis. Ex quo errorem agnosces, & ab illo deuiabis.

SED vt eruditis aliquod delectabile, ex antiquitatis schedis erutum, offeramus, DVO in actis Nostrorum Martyrum à nobis illustranda sunt. Primum *Quid illud poculum S. Fructuoso propinatum*, *cùm ad martyrium properaret*, *indigetat?* Cui quæsitui respondeo morem, fuisse apud Hebræos, & alias Orbis gentes, damnatis ad mortem poculum vini ex aromatibus conditi, quod myrrhinum appellabant propinare, vt refert Cardinal. Baron. tom 1. annal. Eccles. Ann 34. num. 95. Huiusmodi vini potatio à Propheta Amos cap. 2. vers. 9. Damnatorum vocitatur, sic, *Et vinum* damnatorum *bibebant in Domo Dei.* Quem locum explicans P. Cornel. à Lapide tom. 1. fol. 289. hæc formalia verba subiungit: *Bibebant vinum* Damnatorum, *id est*, *vinum generosum*, *delicatum*, *pretiosum*, *quale propinari solet damnatis*, *à familiaribus & amicis*, *vt animosius tolerent cruciatus*, *& supremum mortis agonem.* Gillelm. Stuck. lib. 3. Antiq. Conuiuial c. 13. fol. 60. Non purum, sed absynthio immixtum præberi solitum damnatis, mortis accelerandæ causa. Sed si Baronio credimus, hæc & aliorum sententia, qui Damnatis poculum myrrhinum præberi solitum ideò fuisse, dixere, vt eius haustus sapor, & insensibilitatē, & soporem influeret, respuenda

est. Quia vt inquit Athen. in Dymnosoph. lib. 11. c. 30. potius hic potus ab ebrietate, & mentis deliquio præseruat, quam alienat. Eius verba ausculta: *Aristoteles in libro de Ebrietate: Ollulæ (inquit) etiam quæ Rhodiacæ dicuntur, tum ob voluptatem inferuntur in conuiuia, tùm quia vinum calefaciant, minus ebrietatem inferri patiuntur. Nam si myrrha, mastiche, résq; huiusmodi, in aquam iniecta coquantur, ac mox vino misceantur, minus qui bibunt fiunt ebrij, & ista sistit ebrietatem, vt vel Venerem seruet, vel surgentes spiritus digerat.* Causam huius præseruationis refert Stuck. d. lib. 3. c. 11. vbi antidota ad ebrietatem arcendam congerit, ex quibus omnis res amara potissimum confert, ad huiusmodi iudicij alienationem seruandam. Et quid myrrha amarius? Ergo vinum myrrhinum damnatis haud propinabatur, propter insensibilitatis torporem conciliandum. Sed hæc ad nostræ obseruationis parergon sufficiant. Adeat, qui multa velit de huius vini genere, Plin. lib. 14. c. 13. vbi Dalec. lit. A. & lib. 37. c. 2. & plura quæ refert Baron. à num. 95. & seqq. Quem videas.

SECVNDVM. *Cur vino ex cineribus ossa cadauerum crematorum aspergebant colligendorum?* Ioan. Kirck. de Funer. Rom. lib. 3. cap. 7. respondeat: *Vt flammis extinctis, vltimum illud munus ossiumque colligendorum obire tantò facilius possent.* Singularis locus apud homer. lib. 23. Iliad. vbi Patrocli rogum Achilles inuisens & de sepulchro consulens, ait:

Atridæque, & alij optimates omnium Achiuorum,
Primùm quidem rogum extinguite nigro vino
Omnem, quantum occupauit ignis robur: ac deinde
Ossa Patrocli Manetiadæ colligamus.

An per legem Postumiam Numæ, quam refert Plin. lib. 14. c. 12. abrogata fuerit hæc consuetudo? videndi Dalecamp. ibid. lit. A. Lips. Antiq. Lect. Scaliger. ad Catull. & Kirckm. d. c. 7. At quomodo ossa, & cineres dignosci potuerint, à cineribus è lignis natis? Coint. Smirnæus lib. 3. Dereli&t. vers. 720. de funere Achillis agens sic:

Ossa autem illius
Insigniter stabant: quia cæteris non æqualia
Erant, sed inuicti Gigantis instar: nec alia
Cum his permixta erant. Nam boues, & equi,
Et Troiugenæ, promiscuè cum aliis mortuis
Haud longè iacebant, circa cadauer, quod in medio
Vulcani æstu consumptum, iacebat separatim.

TARRACO. Ciuitas Hispaniæ Citerioris Archiepiscopalis, antiquissima, Thulci fluuiolo irrigata, & maritima, in cuius latere instar Peninsulæ porrecta. Hodie TARRAGONA. Olim clarissima Romanorum Colonia, & totius Hispaniæ Citerioris Metropolis, ex qua illius pars Tarraconensis Hispania dicta est, & omnium illius vrbium illustris Conuentus. Nunc modica, sed probè munita forma quadrata. Media inter Barcinonem, & Derthosam, vtrinque XII. M.P. Hispan. dissidens. Eius originem, si Annio Viterbiensi credimus, de Antiq. Reg. Hispan. lib. 12. cap. 4. trahere à temporibus priscis, quibus Tubal Hispanias est perlustratus, manifestum est. Quod vt pateat, eadem formalia verba Annij suscribere, non pœnitebit: *Huic* (Tubali) *præcipuum studium fuit greges, & armenta, atque iumenta inducere. Tum quia Hispania hæc quam maxime parit, tùm præcipue, quia eadem mortalibus ad esum, victum, & tegumen, tum & alia necessaria erant, tùm vel maximè, quia etiam inter primas diuitias, & delicias, ea tempestate posita erant. Huiuscemodi studium Aramæi* Thara-Coam *vocant, id est* Pastorum Congregationem*: vt tam Hieronymus, quam Talmudistæ exponunt. Hinc Tubali* Tharaconem*: munus indidit cognomentum; à quo non dubium est.* Taraconam *dictam, sicut colonis suis Sagis.* Quam opinionem referunt Tharaph. de Reg. Hisp. in Thubal. Florian. de

de Ocamp. Histor. Hispan. lib. 1. cap. 4. Nonius in sua Hispan. cap. 85. Pons Icart. Histor. Tarrac. cap. 2. Beut. lib. 1. cap. 4. Pujad. lib. 1. cap. 9. & alij. Alias opiniones suis locis referre par erit, vt instituto parcamus.

B S. AGNES. Omnium gentium literis, atque linguis, præcipuè in Ecclesiis *Agnes* vita laudata est, quæ & ætatem vicit, & Tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrauit, vt inquit S. Hieronymus, epist. 8. ad Demetriadem. Sicque quis congerere SS. Patrum testimonia, Martyrologiorum elogia, Scriptorum Ecclesiasticorum floscula, Florum - Sanctorum acta, & Breuiariorum monumenta breui audebit compendio? Apud Nostros celebris eius memoria tum Basilicarum eius nomini dicatarum constructione, Nominum impositione, festiuitatis celebritate, & Sacrorum pignorum possessione. Multa de ea congessit P. Ioannes Bollandus. Eius acta à Paulo Æmilio Sanctorio, ab ipso Bollando prætermissa, forte codicis copia, en exscribo.

AGNES patriam suam Romam ostendit, vtroque nata Christiano parente, præclaris natalibus, inter laticlauium, & purpuram. Forma corporis in Virgine admirabilis, excellénsque inter æquales sanctimoniæ, modestiæ, castitatísque fama, non rudis eloquentia, taciturnitas mira, ingens mansuetudo, & demissio vultus, corpúsque lasciuia, & munditiis prorsus carens, haud crispato crine, delibutóve vnguentis, nec auræ commisso lasciuienti ad ostentationem, pompámque: prætexta membra vestire, omne illi studium in Christo fixum, illa vota castitate paria celsitudini, ardoríque animi pectora afferre. Tredecim annorum bellatrix, victrix, triumphatrix pulso Ioue, deuicta Vesta, profligata Venere in conspectu P. R. ante aras Penatium, & Capitolia, prima tyronicij rudimenta, aduersus libidinem pugnans securísque minas deposuit, orta iniuria à iuuenili prurigine inter purpuræ fastum, & Opes. Nam Symphonij tum præfecti Vrbis filius, ætate florens, egregia corporis pulchritudine, audaciáque insignis, doctus per illecebras, & meretricios amplexus attentare prætextatarum pudicitiam, coniectis in *Agnetis* lineamenta oculis, cum fortuna illi puellam inter æquales incedentem, reuertentémque literario è ludo, in vsu id apud Romanos, & pulchrum non ignorare cunabula gentis, gloriam, & fastigium, & sacra (Cornelia Magni Scipionis filia miræ eloquentiæ, ac famæ in vrbe, veluti Athenis in Academia publice, haud multis ante sæculis, professa) obiecisset, in eo puellari comitatu facile principem venustate, & formæ decore iudicauit inter procacia sodalium dicta; subsecutóque haud incerte omnium assensu, ac murmure, ad astra Virginis speciem tollentium, paulatim serpere libido, & spes irritari per tædas fruendæ Virginis, ab oculis ad animum traducta prurigine arescentia ingentem pectora traxere flammam, mutuatur ab amore consilium, temeritate, & libidine ducibus.

Non semel obuiam Virgini viarum occursat ad compita: nutrit in aspectu furorem, mox decurrit ad Virginis parentes, haud eos dedignaturos credens sortem, & fortunam nuptiarum: multa pollicetur: exposcit *Agnetem* sibi in vxorem: adfert pretiosissima ornamenta, purpuram auro intertextam, aureis distinctam clauis, vniones, margaritas, gemmata monilia, armillásque: tacitam vim, suspiria, & preces miscens, patescentia pectoris vulnera, ardorémque ostentat: non ab se vile scortum ambir, sed nobilissimam Virginem sibi parem, non ad libidinem (cùm facile inter alterius oscula, amplexúsque se se posset effundere) sed ad torum, multarum se prece puellarum allici, postpositis omnibus, vni *Agneti* animam immensósque seruaturum ardores: Omnium aliarum sibi

gloriam,& decora abiecta,& vilia,ac sordida videri: Vnam *Agnetem* menti suæ imperaturam, moderaturámque; id sibi esse in votis, id sperare à Diis, id promitti à Virginis pietate, benignitatéque præsefert: Adsentirentur modo ipsi, paterna id auctoritate stabilirent, & ne se intempestiuo, ac lachrymabili fato inter florentissimas opes, & familiæ spes, inter æstuantem ignem eximi sinerent; casurum id in præclarissimæ dedecus Virginis,& in æternum summæ,inauditæque diritatis monumentum, Romanum à Romanis occisum, amantem ab amata,iuuenem à puella,nullo suo commodo,prædicans. Conterruere istæ voces,& postulata vtrumque Virginis parentem, cum eos non fugeret auersam à connubio filiæ mentem, animúmque augustioribus rebus applicitum,non incertéque intelligentes illa flamma Virgini lucem, & vsuram temporis ereptum iri; tamen ne contemnere viderentur iustas iuuenis preces (cùm miseratio quoque pulsasset pectora ex dolore,& impatientia adolescentuli, in ordine prætextatorum, aut Principis[1], aut nemini cedentis) omnia in Virginem reiecere.

Irrisa à Virgine postulata, reiectæ preces, repudiata dona cum stomacho, perculso iuuenis pectore, imminuta spe, non strata cupidine; sæuius æstuabat incendium,pugnare amor,impellere,& vrgere furentem; haud quaquam primo concursu verti in fugam, & pelli puellarem fastum, mora hebescere illam ferociam intra lacertos, & nimbos lachrymarum,languere verecundiam,& modestiam crebros inter assultus, artésque, pulsanda pectora dum multa intus feruescerent,dum iuuenta,Venus,calor,sanguis, fortuna, & spes omnia quaterent, dum trepidatur, dum consilia coquuntur,Virginem suopte ingenio præcipitantem in Venerem, & voluptatem gaudere amantium angoribus, & ouantem lachrymas conspicere, haurireque gemitus, facilè præterea inter obtectam nubibus frontem, inter fulmina oculorum, minas, & sonitum vocis, celare manifesta gaudia, amplexari præsentia, anhelare futura, generoso prætereà iuueni turpe esse, cedere vix pugna tentata, & non magnanimè prima vibrantis tela excipere; sortem illam facilè, & cupidinem, meretricia intra pectora, & obscœna deprehendi, impleríque. At Virginis circa vallum dies, noctésque inuigilandum, per æstus, algores, imbres, gelu, iniurias, derisum, ludibria, insomnia, per cruorem, per dura, acerba, ancipitia, & ardua vadendum ad palmam; esse iam ipsi ingenium, amplissimas suppetere opes, nomen, dignitatem, honores, esse amplissimas illi fortunas, fatalem amantium machinam ad expugnandam pudicitiam, quassandámque obstinationem animorum, præcipiti in auaritiam, & cupiditatem muliebri genere, ante oculos obiiciens; denuo itaque instat, tentat omnes aditus,rimatur occlusa, rapit in eandem cupidinem puellæ gentiles, amicos, ancillas, circumcursare penates, obsidere fenestras, atria,& cubicula vorare oculis; sæpe fores, sæpe paries pro teste, & pro amante fuere audiundis quæstibus, haustisque osculis; demum gentilium decora, & maiorum ornamenta secum trahens, ipsius fruitur Virginis adspectu, ea illi omnia elargitur, eam affatur voce tremula, lingua hæsitante, sermone blando, rupto sæpe suspiriis; ad extremum, cum trepidè causam suam perorasset, enarrasséque postulata, elicuit arcanam indignabundæ Virginis vocem: *Vnde* (dicentis) *tanta audacia,os ita importunum, frons adeo perfricata, degeneres preces, impia postulata, ac vilia dona? Sic nota Romano Romanarum castimonia Virginum? Sic perlecta tibi maiorum exempla? Itane in luce gentium, arceque rerum, & in tanta legum seueritate attentatur? Abscede à me,pabulum mortis, fons, & origo scelerum, cur inutilem*

lem trahis moram? Alius me multo,& nobilitate,& magnitudine opum præstantior, gloriosior, excellentiórque te præuenit amator: is pretiosissima mihi congessit ornamenta, quibus Ecbetana carent, quæ nec vidit Halys, aut Memphiticæ neuere manus: is me suo subarrauit anulo, cuius æterna prosapia, æterna decora, immortales opes: is dexteram meam, aures, colla, vastis margaritis, & multa micante gemma insigniuit, auro intertextam vestem iniecit cum baccato monili: ingentia auri pondera, nullo consumenda æuo, ostentauit; pollicitus est, donauit. Num illi violanda fides, abrumpenda nuptiarum spes? An alius illi præferendus in tanto gloriæ splendore, in tanto maiestatis fastigio, perpetuáque annorum serie? Is mihi thalamum strauit, erexítque, cuius iam pectore sentio ardores, resonantia exaudio organa inter Virginum cantilenas, & choreas: eius ex ore libaui lac,& mella: casto me ille fouit amplexu, miscuit corpora purpuratis meis cruore genis: cuius Virgo Mater, Genitor cælebs, nulli cognitus fœminæ; cui cælestium famulantur agmina Beatorum, cuius pulchritudinem Sol, Luna, Astráque mirantur: cuius odore vitales mortuis afflantur auræ,& robur, virésque debilius; cuius denique inexhaustæ opes, & diuitiæ: illi fidem soli seruo, totóque me illi pectore trado; quem cùm amo, casta sum: cùm tango, munda: cuius in toro cælibatus, & soboles sine gemitu, doloréque partus. Ad quid inanes istas lachrymas, & vota effundere? Mori potius generosè statutum, quam alienæ libidini succumbere. Hoc responso veluti altissimo ictus vulnere, omni iàm vulnerata spe, amantium arce, & receptaculo, vultu mœstissimo, deiectis luminibus, obtrementibus cruribus, nulla voce, attonitus,& mortuo similis, domum repetit: occlusóque cubiculo, vbi dolor, & rabies, alio præsertim sibi prælato amante (id quod altissimè elatum iuuenis in pectus descenderat) laxare vocem, infelicissimum se appellare, incusare numina, dirásque sibi imprecari, cœlum insuper crudele, immania sidera, vnum in se vibratam omnem vim armorum, in se omnes faces, funesto suo casu expiatas amantium diras omnium, placatósque Deos, sibi pro toro pheretrum, pro risu lachrymas, pro gaudiis luctus, pro sobole mœrores æternos, cruciatúsque, omnia sui in excidium coniurasse fata, omnem aliorum acerbitatem fortunæ suæ obliteratam, atque transcensam: eiectum quidem regno Tarquinium, cæterum impleto voto; Clodium temeratæ religionis accersitum, libasse oscula amatæ, amatæ fuisse delictum: Mundum exilio damnatum, aut per figmenta Deûm,& Dialium sordes expleta libidine, in gremio requiesse Paulinæ: omnes denique inter angores, luctus, & tormenta aliquid habuisse gaudij, solum se inter amantes diri statutum infelicis amoris prodigium dicere.

Vbi vero post gemitus, questúsque lassata torpor membra occupabat, per quietem omnia illi ficta,& ad vota obiici, excitus in spem, rursus interrupta quiete, deprehensa veritate, ruere in gemitus, mœrorem, iram, & desperationem. Igitur non cibum sumere, non affari amicos, fugere lucem, gaudere solitudine, obsitúsque squalore intabescere, tenderéque ad occasum, vel inuitis hærente pectoribus, ad vulnus altè exulcerandum amatæ imagine, interdum flebiles voces, & vasta expromere suspiria, & per stratum huc, illuc versare latus. Quassati omnium animi Gentilium hoc infortunio, ingentíque familia occupata mœrore, mœsta omnia, & silentia; sed mater omnium superare mœstitiam, mœstissima, ac lamentabili voce, & murmure, lauare lachrymis ora nati, osculari faciem, tergere frontem; fouere pectora, causam, & arcana doloris exquirens. Par cura patrem vrgere: fateretur, aperiret (obtestabantur) quo viscera ictu sauciarentur. Omnem insuper acerbitatem intus funestam, erumpentem facilè mitigari: non esse desperandum de salute, quidquid gentiles imagi-

net, quidquid purpura, fascésque possent, promittere eius in gaudia, & imperata versum iri: exueret modò pudorem in amplexu parentum: ne reticeret occultam vim veneni, & mortis afferere. Ingemiscente iuuene, (id illi pro voce erat) recursum ad Medicorum disciplinam, artésque, obseruato venæ iactu, & decursu; non difficulter deprehensum vulnus, vlceratum cupidine pectus, & transfixum amore animum; graue malum, si longior remedij mora afferretur, & non dubium occasum parentibus affirmauere Physici. Exquiritur amatæ nomen, & genus: statim *Agnetis* gloria, splendórque, circumstantium ad aures fertur. Conclamatum ab vniuersis, dignam Virginem, cui ob morum suauitatem, comitatémque, cum animi moderatione, & altitudine, vel morte amantium parentaretur. Dignissimam iuueni flammam, dignámque mercede esse, non comparandam Antiochi in adamanda nouerca furori, si extitisset Heroum ad tempora reiecta Helena, nobilissimam armorum causam; Romanarum profecto pulcherrimam, gloriosissimámque. Symphronius, posthabita persona, & fascium terrore, demisse adstare puellæ ad ianuam, prehendere parentes, aggredi precibus Virginem, ne tantam filij sui pietatem, tantúmque ardorem occidere, extinguique sineret, neu florentissimum iuuenem, Romanæ pubis decus, tantæque indolis, animorum peruicacia perditum iret, neu egregiam nominis existimationem, tàm crudeli rusticitate fœdaret; responderet amori, fortunis frueretur amplissimis, pérque faces, ludibria, & casus versato amante, ideo datam à Diis egregiam speciem, inusitatáque decora, quo verteret aliorum in commodum, & voluptatem, cum insigni nominis gloria, communicaret tot bona, moderaretur animi fastum, regnaret, imperitaret, cum salute amantis. Acceptum Diis immortalibus Pop. Rom. nomen, & famam; per illustrem sobolem latè fundi, nec dona conculcari sua, nec impari, barbarove, sed Romanam Romano nupturam, edisserens: ad hæc pollicitationes addere, pérque Penatium obtestationem Deorum, & Augusta sceptra, pérque Virginis salutem, & speciem demisse illam rogare, obsecraréque, commemorata etiam infelicitate sua, si vnicus intempestiuo fato eriperetur filius, quod haud dubium futurum esset, si pristinæ ipsa opinioni insisteret. Haud mota adspectu, aut precibus Virgo; par priori redditum responsum. Turpe esse, fidem semel datam fallere: nec vnam duobus, vno tempore, nubere posse.

Hoc pacto reiectus Præfectus, non incuriosè rimari, exploraréque nomen, genus, fortunas, gloriam, & patriam sponsi *Agnetis*. Diu inter iram, dolorémque, solicitè in id incumbens, cognoscit à familiari *Agnetem* ab incunabulis Christianis addictam sacris; prædicantem Christum esse suum Sponsum, Zoroastricæ haud ignaram disciplinæ. Fugatæ extemplò è fronte nubes, pulsúsque pectoribus angor, & restituti Præfecto spiritus, patefacta via ad extorquendum per vim, quod precibus fuerat denegatum; Augustalibus iam extantibus edictis aduersus Christianos. Enimuerò Diocletianus Iouius, Maximianusque Herculeus, quassata Babylonia, Tygride subacto, Arsacidarumque fastigio protrito, excissis Quadis, Gothis, Carpis, Bastarnísque, ac solutis, tepente accolarum sanguine, Istri prunis, arescentibusque Maurorum aruis, barbarico cruore exsaturatis, atrisque purpuratis arenis, prolatísque Imperij finibus, pace vbique Gentium, præterquam eorum in pectoribus, tranquillissima parta, Romæ XI. Kal. Maij, splendidissimè triumpharant; collatísque inter se consiliis, inexpiabile Christianis indixere bellum, ne mollesceret summo in otio ferri cupido, animorumque ferocia languesceret. Itaque Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Consulibus, Nicomediæ duobus

edictis

edictis Christianorum scripta flammis absumi, abolitis sacrificiis, Christianisque ritibus, Ioui, Martique offerri thura, & repugnantes dirissimis cruciari suppliciis, iubentur. Mox peractis vicennalibus, per vniuersas gentes dirus mucro perstringitur, infinita cæde funestatis Prouinciis, corporibus discissis, auulsis membris, truncatis, ceruicibus, decurrentéque, amnis in morem, trucidatorum sanguine: insignes relatis à pugnantibus triumphi, crebræ victoriæ, nobilissima trophæa: summa inter cruciatus, mortémque ostentata animorum constantia, summa virtus, irrisæ pœnæ vltro accersitæ, cum ludibrio Augustorum, ingentes prædæ partæ, & clarissima spolia, vel in Cæsareo ginæceo, Augustarum frontibus Augusta cruce micantibus, superata persecutorum audacia, retuso mucrone, aut hebescente acie demum cruentissimis præliis concursum, præclarissiméque à Nostris debellatum, compulsis priuatam ad vitam, deposito trabearum fulgore, Diocletiano, & Maximiano.

Igitur cum fremitu missi, qui Virginem ad Tribunal attraherent; magnus circa Virginem parentum, æqualium, ancillarúmque subortus fletus, repercussis manibus, passóque crine. At ipsa Virgo interrita, vultúque lætissima, affari, placidéque suam lugentes vicem, consolari, ac certa de victoria, ipsis lictoribus dignatione oris, corporísque venerabilis, ad Præfectum accessit. In eximia Virginis forma, adspectúque, aduersarij mollita ferocitas, & ingeminata erga filium charitas, non in vilia, & pudenda labantem. Oratio quoque mollis, & blanda, longo captato initio: mox minæ additæ, & respectata vis cruciatuum; omnibus à Virgine illusis. Postera die paribus laboribus insudatum, haud feliciori euentu. Si horrerent sacra thalami, si castitas tantopere illi probaretur, si Geganiam, Vereniam, Canaleiam, Claudiam æmularetur, si cuperet Sibyllæ nomen, & famam, expulsis Christianis ritibus, & ferali damnatarum artium murmure, Vestæ ante aras obuoluere genu; esse in locum, vel ad famam, vel ad gloriam. Adseruari in eo sacrato Virginum cœtu, ignem perpetuum, ac sempiternum, Romaníque fatale pignus Imperij Palladium, Troianas inter flammas, cineréque ereptum: nihil illi posse honorificentius, augustius accidere. Triginta annorum virginitatem posse ingenti sua gloria claudere. Non spernendum illum sacrarum Virginum conuentum queis submitteret fasces æterna Senatus, Augustorúmque auctoritas; de via cederet, & triumphorum intra gaudia, splendorémque tantum tribueret; hoc non dedignatas vel nobilissimas, pulcherrimásque æuo in omni, ostentare. Cui Agnes: *Filij paulo ante tui nuptias sum detestata, aliis fortasse non spretas: qui etsi in vestigio labat, & patrio ad occasum more decurrit, vtitur tamen benigno cœli adspectu fulgentis, non aura, lucéque priuatur, viget opibus, specie, roboréque iuuentæ. Hunc, Christi ob amorem, spreui, destinatáque haud immerito sum: compellor nunc saxeis, æratisque flectere idolis, in summi contemptum Dei? Atrox impietas, summum scelus, inexpiabile nefas. Etenim apud omnes gentes desciscere à religione horrendum piaculum, & meritò, Christianis verò non modo id funestum, sed propè absque spe reconciliationis. Non enim in fictili structura, aut artificis manus exarata, diuina Christi consistit maiestas. Is pedibus astra premit, ipse nos motu, & aura donat, & ab eo pendent omnia; ipse principia statuit rerum, & certo in ordine locauit. Vestam istam Pythagoreorum haud inficior non solum volui circa ignem, veluti æternæ virtutis imaginem, à Numa Rege amico (vt vestræ fabulæ canunt) Nymphis, Camenísque constitutam, verum etiam igne cremari sempiterno, iam vestrorum ab occasu*

patiendorum

patiendorum non incertum cruciatuum pignus habetis. De Regina, & Dea vestra, nullis conspecta viris, supplicium apud inferos sumitur. Idem & vobis, illius cultoribus manet. Alia mihi mens est, & multum ab inscitia, erroribúsque vestris diuersa: non nisi Christum colere, & illi seruire, in animo est. Si illius ob nomen, amorémque tormenta subeam, id mihi in fama, & gloria. Quam Præfectus elate loquentem admirans, simúlque excipiens: *Puellarem* (inquit) *istam ætatulam, quam velim ratione firmatam? Magnis contumeliis inuicta Deorum numina facessis, tolero haud impatienter: damus id nimis tenellæ ætati, damus pulchritudini. Noli, quæso* Agnes, *te ipsam eo insania deiicere, vnde instas numinum iras sentias. Trahit aliquando omnia debita secum vltio. Lacessitique Dij rebellantes dignis solent mactare suppliciis, quos antea insanientes multa miseratione pertulerunt.* Cui Agnes: *Ne tibi mea contemptum ætas pariat. Fides, & Religio haud quaquam percensis annorum lustris, sed consilio nititur: & mens accepta Deo magis, quam spatia ætatum. Nullum apud te, tuósque Deos deprecor gratiæ locum. Si quid ipsi à me velint, me alloquentur. Eorum non horreo adspectum, nec reformido congressum; satis eorum noui imbecillitatem, & nudata robore pectora, & sæpè delusa terga, spretámque dexteram, satis inscitiam, & fraudes. Id per te agunt, id moliuntur, in hoc ardentissimè, cupidissimeque incumbunt, vt omnia secum in exitium trahant, paréssque secum sentiat omnis mortalitas pœnas. At tu frustra desudas, ruétque in irritum, tam impiæ spei votum: nec ipsi in suscepti discrimine belli, signorúmque mox conferendorum terrore fortunam suam lætanter excipient, méque sibi cessisse tripudiabunt. Cuncta iam belli ipsa felicis omnia, certaque pignora victoriæ habeo; quandoquidem eo in pectore, vbi Christi efflorescit amor, vigétque pietas, nullus insidet mortalium pauor, certísque inest de vestris Diis, Tyrannorúmque crudelitate triumphus, & palma.* Et Symphronianus: *Duorum tibi eligendorum optio datur, aut aliis cum Virginibus, patrio ritu, ac pietate procumbendi Vestæ ante simulacrum, æternósque focos, aut ad gentilium dedecus turpiter in lupanari, inter multorum amplexus, & libidinem amittendæ pudicitiæ; &, ad aceruandum dolorem, facessendámque insigniorem contumeliam, à tuo arcebitur congressu, sacrilegum Christianorum genus, vt horum impiis denudata carminibus, ad summam Christi tui turpitudinem, cælestísque (vt ipsa dicis) ludibria tori, inter infanda, atque obscæna verseris.* Et Virgo: *Ideo sic scelerate faris, sicque crudeliter fremis, támque impia, & indigna Romano homine minaris, quia Dei mei, nondum clade tua, es virtutem expertus, tremendíque roboris ictum. At perspectæ mihi illius opes, summa potestas, notáque benignitas, & largiter communicati fauores, omnem tui, idolorúmque timorem eximunt, penitúsque propellunt. Extenta meum in auxilium, fauorémque* IESV CHRISTI *dextera tonat, iam fulminat. A nullo corpus violabitur meum, multóque cruore vadenti ad facinus pudicitia stabit* Agnetis, *emicabítque alterius cum pernicie cælestis mucro, nec indignas libidini dabit inferias. Non fragilis pro me obiicitur murus, non tuorum ariete Deûm, non vllo fraudum, scelerúmque machinamento quassandus, aut minarum sternendus, vellendúsque terroribus: Adsurgant licet æra in prælium, capessant marmora pugnas. Hominum funduntur in vsum, sæpéque his, plateæ sternuntur, effulgéntque inter tessellati operis, vermiculatíque emblematis pretium pauimenta domorum, & curiæ. Pro, quam neglecta Deorum turba, quam vile agmen, quam præfracta acies, nulli metuenda bellanti sub Crucis vexillo.* Tunc Præfectus, vehementer indignatus, exui vestibus Virginem, & ita nudam duci in lupanar, pérque buccinatorem inuitari ad scelus impudicos, simúlque his pœnis Deorum expiari diras, soluente noxam puella iubet.

Sed nudatæ *Agneti* (cum vndique lasciua à iuuentute, ad spectaculum auidissimè conuerterentur, iamque omnium mentes agitarentur, vorarenturque inæstimabilis decora pulchritudinis) laxati fudere se crines, frustrati spectantium lucem, atque cupidinem, obtecta niue. Non animaduersum prodigium cœca apud pectora, & auida vltionis, & haud affixum Martiæ gentis animo, si intellectum, haud adscriptum veneficiis, damnatóque carmini, nec itum tantum in dedecus dehonestatis pudicorum oculis, mentibusque nullius verecundia virginalem excellentiam, gloriámque, & gentilitia insignia tuente. At Virgo, ad fornices Circi Agonalis, vbi ædes illi nunc dicata conspicitur, non digna moles tanto certamine, & arena (licet ad lupanarias Suburranas Cœlio in monte, scortis olim constitutus esset locus) tracta, Dei Angelum paratum inuenit, qui terribili eam splendore circumdaret, obtusa intuentium acie, & flammæ in morem emicante pariete, profusa demissè ad preces, albentem cœlitus demissum sibi vestitum membris adaptat, nudáque operit, singularibus pro summo beneficio actis Sponso gratiis. Is vestitus ideò iustam Virginis staturam occupabat, vt ad id data opera omnino factus crederetur; tantusque emicabat candor, vt haud cœleste dubitaretur, id opus esse. Nefarius ille locus Virginis honestatus adspectu mutarat faciem, & vsum; sacellum, non lupanar, iam videri. Rigabatur Virginis lachrymis pro aduersariis effusis, qui scortantium luxuria, & affluentia voluptatum inundarat; piissimas voces excipere, qui meretriciam procacitatem exhauserat; sacrata Virgine, summæ castitatis, ac puritatis honestari, qui non nisi nudata lasciuientium membra viderat. At Præfecti filius, cuius gratia Virgo in iudicium trahebatur, vehementer afflictus, anxiusque, votis suis incassum effusis, erectus in spem victoriæ, vel in inuitæ triumphandi Virginis amplexibus, stupróque, decurrerat ad locum, succinctus solita audacium, atque in ganeis exercitatorum cohorte elatus, tripudians, & scomma iactans; præmittit tamen ex sodalibus nonnullos delectos, seu vt Virginem acriorem facesseret contumeliam, ex multorum osculis, amplexibusque, seu, vt repulsam vlcisceretur, aut occultiori aliquo consilio tegeret prurientem libidinem, prætextu humanitatis. Sodales, incitati stimulo dicentis, suopte simul ingenio, & longa exercitatione deiecti in venerem, tantáque in Virginis pulchritudine impotenter exardescentes, ferociter, impudentérque irrupere in cellulam, elusa maiorum continentia, ac veluti ferrei sæculi duritie non mediocriter improbata. Sed intrantibus obiectus cum terrore splendor, refrigerata venere, contusisque spiritibus; extemplò trepidis pectoribus relatus extra limina pes, demisso etiam ore cum admiratione. Verùm Præfecti filius, atrocius in furorem, & libidinem ruens, irridere sodalium metum, fractas vires, languidos animos, & torpida pectora damnare: Non tentatum ob ignauiam prælium, non concussum puellæ vallum, non prælibatam Virginitatem; sed non eo dignos prærogatiuæ fauore, non tam rara, & excellenti pulchritudine, fato sibi eam portendi palmam expugnatæ Virginis; haud tantam sibi inesse mollitiem, aut puerilem spiritum; pollere audacia, valere viribus; non insuetum talibus baccari, nec reformidaturum (quæ adorauerat) toruam oculorum aciem, & turbata ora, aut iniiciundas pectori manus; exciperent modo ipsi ignaui, imbellésque, & non digna soboles Romana eiulantis Virginis voces, pulsatáque anhelitu pectora, visuri insuper raptæ, protritæque trophæa Virginitatis.

Mox agentibus furiis ingreditur ad Virginem, nixis demissè genibus apprecantem; & haud quaquam, scintillanti luce conterritus, ipsiúsque Virginis facie, Solis æmulante fulgorem, audaciter ad

Agnetem,

Agnetem, nec data salute, amplexandam, quasi Laydem, aut Floram, Gentiam, aut aliam ex vulgaribus scortis, festinanter accurrit; cùm subitò, non dimota Virgine loco, & haud illa tacta, veluti ictus fulmine, præclusis faucibus, miserabiliter illisus humo, exanimis concidit. Longa interim tracta mora, solita ad obsidendas mulierum ianuas, inuigilandumque stupro, sodalium caterua, existimans iuuenem Virginis esse in amplexibus, frui tranquillitate lucis, & amoris, præteritas ærumnas, ignémque largissimè crebra inter oscula, intérque lachrymulas excusatæ audaciæ, & rigoris, ac petitæ veniæ solantem, incusare se ipsam, quòd à pristina imprudentia, in optatissima occasione turpiter, pauidéque degenerasset: tortísque suspicione, atque inuidia animis; cùm vnus iuueni longa amicitia, paribúsque moribus illi charior, gratulaturus audaciæ, atque illecebris cellulam intrat; sed, exanimem conspicatus iuuenem, suffusam pallore faciem, terribiléssque intuentibus oculos, & rigentia dirum in modum membra, turgida labia, spumáque oppleta, pietate, ac dolore saucius, inclamat: *Accurrite Romani, pientissima gens, accurrite: iacet extinctus flos Romanæ pubis. Impudicissima meretrix in alterius tripudiat occasu. Hæc præmia feralibus ex Christianis sacris Roma refert? En, antequam patria iterum cremetur, cinereísque valletur aggeribus, mactate nocentem, vertite in auctorem scelus.* Statim ad hanc vocem ingens exorta perturbatio, metus, rabies, admiratióque: incertæ voces effundi, fremitus, & diræ exaudiri. Pars noxiam rapi ad cædem, & vnco in Gemonias trahi, clamitare. Pars innocentem credere, & propulsatam iniuriam, iusto Deorum iudicio, non illatam, pudicitiam, vel in sacrilegâ, patriorúmque contemptrice numinum cœlo caram, infandam pœnam, & degenerantem à maiorum castimonia, nimis crudelem superis visam, & ideò versam in auctorem: haud tantum habere virium magica carmina disserere. Sed aduentu Præfecti omnia subito mutata. Decurrebat ille, audita filij morte, non præeuntibus lictoribus, non prælatis fascibus, non purpuratus, sed exangui facie, tunicatus, oppletúsque lachrymis, inter amorem filij, & desiderium, intérque vindictæ cupidinem; longus quoque comitum ordo, & ipse lugubris, cum multo squalore, excitis etiam lachrymis ad ostentationem, mœstos præseferre vultus, & oculos, ac supplices manus tendere ad populum, Iouem, Martem, Quirinum, Indigetésque Deos obtestantium.

Præfectus, vbi ad exanime cadauer adstitit cum amicis, *En* (inclamans) *dirissima fœminarum, Medusa peior, & nocentior, iusta iam dolori soluisti, magicique vi murmuris per funera meorum impudicitiæ parentasti.* Hæc sæpius ingeminans, osculari filium, & abluere faciem lachrymis, artúsque fouere: deinde plorans, parcénsque haud gemitibus, rimatur ab *Agnete* causas interitus, & originem. Cui pia Virgo: *En, qualem sibi filius optarat tuus, sortitus est exitum. Militabat inferorum Principi; perauidè illius imperata compleuit, & dignam meritis mercedem tulit: stratus suo malo, sua libidine iacet. Aliorum primo in occursu cecidere vires, cessit audacia cum stupore, ideò procul ab illis pulsa Cacodæmonis vis, atque potestas. Nemini enim cruenta illa bestia, nisi volenti per flagitium, & scelus nocere potest. Certæ quoque grates moderatori rerum sunt actæ: is mihi beatam mentem, cum candidissima hac cyclade misit, vt beneficio suo turpitudinem, & impudentiam vestram procul eiiceret, notarétque: is florem intemeratæ meæ seruauit castitatis, quam nutrici vbera sugens, illi voueram. Huius cœlitus irrumpentium oculis offusus splendor furentes libidine in preces adegit animos; at perfricata impudentissimi filij tui frons, impurus animus, & furibunda libido, nullis est refrenata miraculis, nullis absterrita ostentis; nec me*

Virginem Ciuem suam, clarissimis ortam parentibus, nec inurbanè, incurioséque educatam, existimauit; sed inter stridorem irarum, illecebras libidinum, intolerandæque fremitum audaciæ, ruit in immane nefas, exarsitque inaudito facinore, & tanquam bellua acerrimis morsibus, intolerabili impetu, vehementissimáque rabie, ac summo furore, grauissimóque incursu, & feritatem, & libidinem exasperauit, inflammauítque suam; ideóque Regnantis fulmine stratus, Veneri suæ infelici libauit occasu. Tunc Præfectus, seu temeritatem suam agnoscens, indignéque in Virginem peccatum, innoxiam credens, seu necessitate adactus, traductus etiam in spem, sanctitate Virginis, recuperandi filij, versus ad *Agnetem* dixit: *Ex hoc intelligam, haud quaquam maleficio tuo filium occidisse meum, si in id Angelum precibus attraxeris, vt sospitem, valentémque mihi illum reddat. Quod assecutus, haud incertè omni te sceleris suspicione liberabo.* Et puella: *Quamquam non ista ritus recipiant vestri, ac pectoris angustiæ, nec de nobis benemerita vnquam voluntas, tamen, vt cunctis Summi patescat gloria, numénque Dei, haud grauatè tuas in preces descendam. Vos hinc igitur abscedite omnes, vt solitas, dignásque Deo perferam voces, & vota.* Abeuntibus omnibus, *Agnes*, vt erat mitissimi ingenij, & fœmineo nequaquam more vltoris, præsertim tantis lacessita contumeliis, animo verè Christiana, deuolutis iam ad preces aduersariis, hoc in triumpho ponens, vincere officiis, & pietate, genibus solum premens, demississimè, & multa cum religione, ac lachrymis, Christum pro luce, auráque extincti iuuenis impartiunda, afflandáque iterum membris, apprecatur. Haud difficulter exceptæ preces: adimpleta statim petitio: missus è cœlo Angelus, puellam, piè flentem, consolatur, erigit, ostenditque Christi peramplum erga ipsam fauorem: iubet lætanti animo esse, neminem in terris existentem Christo chariorem *Agnete* præfatus: mox iacentem aura, & vita donat.

Tunc, Virgine ouante, Romanus (extincta penitus, quà antea impotentissimè, nefarióque deflagrarat libidine) demisso vultu, humilis, ac pudibundus, Virgini gratiis actis, deprecatus iniuriam, & audaciam, foras prorumpit, vociferans: *Inania esse Deorum simulachra, teterrima sacra, inanes cultus, & funesta thura; omnia prophana, & obscœna; extorum, fibrarúmque ridendam inspectionem. His non nisi Superûm conciri iras, & luem, ac fatum in pectora viuentium rapi. Expertum se esse pœnas, expertum immania supplicia. Omnes Deos, & Romana Numina, nihil aliud esse nisi furias, & scelus; secum arsisse, secum volutata per ignes, & gelu, acerbissimósque cruciatus, multorúmque vidisse amicorum, gentilium, atque affinium spiritus. Vnum reperiri Christianorum Deum, perennem, sempiternum, ac beatissimum.* Qua re audita, populus obstupescere, alter alterius ora contueri, quasi ancipitibus, varias trahi in partes, hiscere, mussitare. Hoc animorum motu Auguribus, sacrificulo, Dialibus, Ædituis, Flaminibúsque nuntiato, tantus stupor, tantáque superstitiosos subiit animos, vlciscendi libido, vt vniuersi ad locum decurrerint, conclamantes, haud incertis signis iram portendi Deorum, non per ambages supplicia cani ventura, egeri expiatione Pop. Rom. nomen, esse iam profanata vetustissima sacra, cœlo accita, cœlóque auctore instituta: Cæremonias Quirini, Numæque vnius conciliati sideribus, alterius Deorum congressu verendi, temeratas nefario vnius saltatricis scelere, impiissimóque sacrilegio. Affusa cœlo ancilia, tripudia, sollistima, haruspicinam, Cerealia, Lectisternia, Solitaurilia, Lupercalia, Parilia, Saliorum instituta, ac Saturnalia, Quinquatria, Augurale ius, disciplinámque; & ipsa Quirinalia spreta, quæ maiores tanta religione, venerationéque in dirissimorum discriminibus bellorum constituerant, vnde illis im-

mortale decus, noménque cum propagatione Imperij ad confinia terrarum partum; nunc in anilem, contemptámque sectam, magicis artibus famosam, tàm turpiter, & nefarie à veris, patriisque numinibus desciscí. Vexandam, affligendam, discruciandam, trucidandam, perpetuísque inferorum suppliciis deuouendam, quam protinus magam, eiusque cruore parentandam offensis Diis, placandósque maiorum Manes. Quibus vocibus inflammata plebs, prona in crudelitatem, inconditis passim clamoribus perstrepere, vociferari, fremere, minitari, exposcere ad necem Virginem, nunc Medeam; nunc Circen, immutatis hominum mentibus, compellans. Alta cura pressit animum Præfecti; eximi fauore suo discrimine *Agnetem* non posse, acceptæque par referri gratiæ. Veritus tamen Augurale iudicium, & calumniam Pontificum, in superstitiosissima Ciuitate, relicta concione, tristis abscessit, in Aspasium Vicarium reiectare. Hic subdoli, ac turbidi ingenij, miræ artis, addictissimus patriis cæremoniis, & ob id nostris infestissimus, popularem auram capturus, satisfacturúsque Flaminum precibus, & dictis, magnum illico accendi rogum, puellámque in eum coniici iubet. Lætabunda, & haud trepidè ingrediente Virgine, bifariam secessere flammæ, cum non exigua spectantium clade. Vnde acerbior vulgi ira, clamórque maior, ac terribilior, discrepantibus vocibus, mixtísque stridoribus. Discursare circa plebes, iactare ligna à longe, non audere cominus accedere, ac maledictis, vocibúsque lacessere. Nobilitas ad tantam pulchritudinem, ac tenellam ætatem misereſcere clarissimæ Virginis, incitari religione Deorum; nemo palam tueri, & pauci in occulto damnare. At *Agnes* extensis per flammam palmis, ita cœlum intuens, fatur: *Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini Nostri IESV CHRISTI, tuum æternis nomen cantibus excipio, qui per Vnigenitum Filium tuum frustrata sum impiorum manus, & illecebras, ac fomenta libidinis immaculato pede calcaui. Ecce nunc, leniter flante aura, nefaria, diræque faces extinguntur; earúmque globi, vndaque in sceleris euibrantur ministros, ipsi diro mactantur incendio. Attollo te, Pater prædicande, quando intactam, incombustámque per flammarum ardorem ad te peruenire sinis. Ecce quod credidi, oculis haurio; quod speraui, teneo; quod exoptaui, complector; te labiis, animóque confiteor; te totis visceribus expeto. En ad te vado, Verum, Viuúmque Deum, qui cum Domino Nostro IESV CHRISTO, Filio tuo, Almóque Spiritu viuis, & regnas æua in sempiterna.* Vix completa oratione, ignis amisso ardore frigescit, penitúsque emoritur. Quare animaduersa, vulgus magis, magísque cruciari, & in Virginem fremere, & propè cunctanti maledicere Aspasio, quòd trahendo moram, fineret tàm impiè illudi Diis, cum Christiani nominis gloria. Quamobrem Aspasius impatiens clamorum, & ipse in cędem, & diritatem pronus, iugulum mucrone transfigi, & sic mactari victricem Virginem iubet. Sauciata *Agnes* sese effundente cruore, magnanimè, honestissiméque (vt Virgini, & Romanæ par erat) corruit XII. Kal. Februarij. Tumulatúrque à Parentibus ad Viam Nomentanam, haud longè à mœnibus.

En S. illustrissimæ Agnetis acta Martyris, quæ licet prolixiori, quam hactenus, eruditissimo exarata, & concinnata stylo. Alia scripsere Italo idiomate Flamm. fol. 133. Ioann. Bapt. in Legend SS. Virg. Rom. Romæ edito cum iconibus ann. 1593. fol. 135. Anton. Gallon. Hist. SS. Romanar. Romæ typis Ascanij Donangell. ann. 1591. fol. 16. Saluian. Razzi. tom. 1. Act. SS. Martyr. & Virg. Romanar. fol. 47. Philipp. Bergomens. Latine, Hist. Mulier. illustr. c. 96. fol. 74. edit ann. 1483. quorum nec meminit Bollandus. Alia etiam Grass. Truxill. & Claud. de Rota. Hispano Sermone Millan, Sanctor. Villegas, & Ribadeneyra. Nunc licet prolixus appaream, hoc encomion à P. Ioanno Bapt. Masculo fol. 41. n. 29. conscriptum, ausculta:

SANCTA

SANCTA AGNES VIRG. ET MART.

SYNOPSIS.

Alluditur ad eius dictum: Sanguis Christi Sponsi ornauit genas meas. *Item ad nomen victimæ proprium. Laudatur cùm pudor, tùm mira in puella constantia, & subeundæ necis pro Sponso desiderium.*

ENCOMIVM XXIX.

Maluit AGNES *vellere cruento esse, quàm aureo.*
Nunquam pulchrior sibi visus est pudor,
quàm cum in eius insedit genis,
nempe diuini Sponsi sanguine illitis.
Quid illa castius, cui lupanar cessit in templum?
Mira res. Sedit in prostibulo Magistra pudoris.
Quid illa promptius? Adoletur agna nondum adulta,
induit lacteo cruore secespitam.
Defluxere de tenui corpusculo vincula;
quippè libera mactari voluit hostia;
Infulæ non magis victimæ insignia fuere, quàm regni;
adeò regium præsetulit animum.
Odit moras, increpuit victimarium agna balatu,
torpentem dexteram cunctantis excussit.
Inter rubentes aræ flammas
magis erubuit impietas victa.
Non oportuit abdita notari huius viscera victimæ,
læta ne, an tristia essent auspicia.
Patuit hilaritas vel fronte, vel gestu.
Plus inuentum est roboris in miti agna,
quàm in ea gente, cuius fuit actor
nutritus à fera lupa.
Vanæ fuerunt olim hostiæ dictæ Prodigæ,
hac litatum est, quæ immolanda cucurrit ad ferrum,
prodigiosa constantia, sui prodiga sanguinis.

C CORPVS AGNETIS primò Constantinopolim, pòst in Hispaniam translatum, & apud Manresam conditum, cum aliorum Sanctorum pignoribus, vt referunt P. F. Ant. Vinc. Domen. Hist. SS. Cathalon. l. 1. fol. 83. P. Boll. Act. Sanct. t. 2. fol. 360. Sed quia isthæc translatio euenit die 30. Augusti in illum reiicimus acta translationis excribere.

S. MALCALINVS, seu *Maclinus.* Quis iste S. Abbas fuerit, non apparet. S. M. Maximus, qui anno 566. in Chron. hæc subiungit verba. *S. Maclinius Benedictinus Mo-*

nachus Toletum veniens, à Petro Toletano Pontifice, Comprouincialibúsque Episcopis, consecratur. In Martyrolog. Monast. Menardi inuenio *Malcalinum* hoc die, & lib. 1. Obseruat. fol. 186. eum vocat Hibernum; P. Bolland. fol. 385. tom. 2. eius etiam meminit, probátque illum vitam egisse ad annum DCCCCLXXVIII. Alterum refert Andr. Saussay. in Supplem. Martyrol. Gallic. tom. 2. fol. 1081. his verbis: *Ipso die* S. Malcalini *Abbatis, & Confessoris, qui prænotato S. Michaëlis* (de Lotharingia) *Monasterio Diœcesis Virdunensis, ob clara Sanctitatis lumina præpositus, animas sibi commissas diutinis moribus informauit, functúsque perutili regimine, ad præmium sibi paratum à Domino, cui seruiuit sincero affectu profectus est.* At istorum vnus ne fuerit, an alius? penitus ignoro. Nostri hic nomen apposui, ne eius memoria obliteraretur, & occasione istorum vocabuli sympathiæ.

VNDECIMO KALEND. FEBRVARII, DIES XXII.

A. S. VINCENTIVS *Leuita B. Valerij Cæsaraugustani Episcopi, & S. Laurentij illustrißimi Martyris consanguineus, sub Daciano Galliarum, & Hispaniarum crudelißimo Præside, Valentiæ in Edetanis Hispaniæ, deuictis furoris procellis, calcatis fauoris illecebris, quatuor suffragantibus elementorum operationibus, tandem omnia vincens, & nulli succumbens triumphator eximius ouans in astra conscendit. Cuius sacra pignora primò Valentiæ, deinde ad Promontorium Lusitaniæ sacrum, demùm Vlyßippone allata in Cathedrali Basilica adseruata quiescunt.*

B. *Apud Pacem Augustam, Anæ flumini appositam, Vettoniæ, triumphus* SS. Vincentij, Orentij, & Victoris *Martyrum, Qui vnà cum istius* Patre, & Aquilina *Matre, à Ruffino Præside ad martyrij palmam pro fide intrepidè peruenerunt. Quorum lipsana Pontius Paulinus, cum in Italiam deferret numinis monitu; apud Ebrodunum in Gallia miraculosè detenta, ibidem sepeliuit.*

C. *Gerundæ in Hispaniæ Authetanis natalis* SS. Inuenti, & CCCLIX. Soc. Martyrum, *qui in immanißima Impp. Diocletiani, & Maximiani persecutione, instantibus primò Daciano, & pòst Ruffino Præsidibus, vna voce, & vnanimi confeßione coæquali celeritate martyrij metam intrepide peregere.*

NOTÆ.

NOTÆ.

A SANCTVS VINCENTIVS *Leuita*. Illustris apud omnes Christianæ religionis vrbes Nostri Sanctissimi Leuitæ memoria perseuerat, vt vix sit Prouincia, quæ *Vincentij* non veneretur nomen, quæ Martyris non admiretur numen. O felix Hispania tanti Leuitæ parens: tanti Agonistæ nutrix. De tui ortu, quot non celebres certant ciuitates? De tui sepulchro, quot non contendunt insigniores Prouinciæ? Omnibus cœlestibus ditas donis, illis ob fidei efficaciam, istis ob pignoris existentiam. Gallia te Patronum agnoscit, Hispania te Filium fatetur. Vtrique gratus existens, & illic mirabilia patras, & isthic magnalia confers. Heu quantum valent fidei visceralia pensa! Ergo *Vincentio* elogia concinnare aggrediamur. S. Hieronymi Martyrologium, sic: *Spania Ciuitate Valentia, S. Valerij Episcopi, &* Vincentij *Diaconi*. Beda luculentiori calamo, sic: *In Hispaniis natale* S. Vincentij *Diaconi, & Martyris, qui cum Valerio Episcopo suo, è Cæsaraugusta Ciuitate Valentiam vsque, grauibus nexus catenis, iubente Daciano, perductus est, ibique fame, & squalore carceris diu maceratus, tormentis equulei, & vngularum horrenda laceratione vexatus, aruina guttis, & crepitante sale perfusus est: post hæc in teterrimum carcerem trusus, diuaricatis in neruo cruribus, super acutissima testarum fragmenta proiectus est: vbi nocte lux ingens apparuit, & virtute Dei solutus Martyr inter Angelos, à quibus visitari meruit, hymnum canebat, ita vt ipse custos crederet. Manè autem facto, cùm iussisset eum Dacianus in lecto mollissimo reclinari, vt aliquantulum recrearetur vt acrius denuo torqueretur, infatigabilem spiritum Christo reddidit. Tunc Dacianus corpus eius in campum feris, & auibus iussit exponi, sed mox CORVVS diuinitus ad custodiam eius datus, non solum alias aues arcebat, sed & immanem lupum à Sancto corpore repulit. Quod cùm nuntiatum Daciano esset, iussit eum insutum culeo in profundum maris cum grauissimo saxi pondere, immergi, sed prius virtute Dei, super vndas natans, ad litus delatus, & arenis conditus est, quàm remiges portum attingere potuissent. Inde cùm se Sanctus Martyr cuidam fideli anui Ionicæ reuelasset, cessante persecutionis rabie, à Christianis reuerenter sublatus, & in Basilica conditus est.* Eadem Ado, & Notker. Politiùs Rabanus, Concisiùs Vsuardus, Maurolyc. Prim. Cabilonens. Petr. Equilin. in Catal. SS. lib. 2. c. 111. Galesin. Alexand. de Peregrin. Const. Felic. & plerique in suis Martyrologiis. Bapt. Mantuan. in fast. sacr. fol. 13. Bachot. in fast. Christian. fol. 121. Michaël Monach. in fast. Capuan. fol. 454. Græci in Menolog. ex Maxim. Cythereo, sic: *Martyrologia.* *Menea.*

Vincentem digne laudabo,
Vt Diaconum, & Martyrem Domini.

Hic sub Maximiano Imperatore, Præside Domitiano (repono Daciano) *Augustopoli oriundus fuit. Captus verò cum Valerio Episcopo in vrbem pertractus est, quæ Valentia dicitur, atque in custodiam coniectus. Inde ad Domitianum* (Dacianum) *raptus, virgis cæditur, & ferreis vngulis laniatur, ac suspensus lampadibus aduritur, subulisque ferreis, & ignitis lancinatur. Sed cùm illæsus permaneret Sanctus, lictores verò deficerent, Præses ipse desperabundus, blanditiis eum conatur peruertere. Sanctus autem in preces effusus Deo spiritum reddidit. Sanctæ verò eius reliquiæ ibidem sepultæ sunt à piis, & religiosis hominibus.*

Iidem Græci XI. die Nouembris, & hoc die in Menæis similiter eius agonem recolunt, ferè hisce verbis, vt videre est, apud Bolland. fol. 394. Item Martyrologia Romana Gregorij XIII. Clementis VIII. & Vrbani VIII. Castellanum P. Dionys. Vasq. Lusitan. S.I. Hispan. P. Higuer. Gallican. Andr. Sauss. Ex Breuiariis Hispaniæ antiquioribus, nullum inuenies in quò duplici officio eius non reiteretur triumphus. In Calaguritano singularibus Antiphonis, Hymnis, Lectionibus, & Responsoriis, in nuperrimo Valentino, & vetustissimo Muzarabi absunt Prudentij hymni. *Menologium.*

Scriptores Ecclesiastici etiam sua Martyri obtulerunt symbola. Herman. Contract. in Chron. anno 300. fol. 200. lit. B. sic: *In Ciuitate Cæsaraugustana* Vincentius *Diaconus*. P. Philipp. Bergom. in Supplem. Chron. lib. 8. ann. 301. ad fin. sic: *Leuita* Vincentius *Vir inuictissimus, atque Sanctissimus, natione Hispanus, Beatiss. Papæ Sixti discipulus, Diuique Laurentij Martyris, scientia, & virtute germanissimus, per hæc quoque tempora apud Valentiam Hispaniæ seu Cathaloniæ vrbem, vnà cum Valerio ipsius Vrbis Episcopo* (pro Cæsaraugustano) *acerbissimum martyrium à Daciano Præside pertulit*. Petr. Opmer. in Chronol. orb. vniuers. 1. p. ann. 306. fol. 260. col. 2. Iacob. Gault. in Chronogr. ann. 303. sæcul. 4. fol. 276. Ioann. Vass. in Chron. Hisp. ann. 306. Braul. in Chron. ad Max. ann. 301. Sancti Patres in concionibus ad Populum, inter quos D. August. de Sanct. serm. 8. & 9. & 12. & 13. & de Diuers. serm. 44. & 102. S. Leo Pap. serm. 4. S. Bernard. serm. 66. Demùm Historiographi innumeri S. Greg. Turonens. Hist. Franc. lib. 3. c. 29. Ado Viennens. in Chron. ann. 527. Sigebert. in Chron. Ann. 542. S. Greg. Turon. de glor. Mart. c. 89. & 90. Ex Nostris Marin. Sicul. de Regib. Hisp. lib. 5. c. de SS. Hispan. P. Truxill. in Thes. Concionat. tom. 2. fol. 529. P. Ioann. Marian lib. 4. c. 13. Franc. Didac. de Ains. Hist. Oscens. lib. 2. c. 12. Beuter. Hist. Hisp. lib. 1. c. 25. Padill. Hist. Eccles. Hisp. cent. 4. c. 9. Moral. lib. 10. c. 8. Garibay. lib. 7. Annal. c. 44. Gasp. Escolan. Hist. Valent. tom. 1. lib. 2. c. 6. ex n. 7. & c. 7. P. Morill. Hist. Cæsaraug. 1. p. c. 25. D. Martin. Carrill. Hist. S. Valerij c. 9. Mariet. Hist. SS. Hisp. lib. 2. c. 9. D. Maur. Castell Hist. S. Iacob lib. 2. c. 23. Ludou. Lop. Hist. Cæsaraug. p. 1. c. 18. fol. 277. & 2. p. c. 8. fol. 432. P. Biu. ad Dextr. Ann. 300. in Append. fol. 342. P. Diago Hist. Valent lib. 4. c. 23. Georg. Cardos. Offic. SS. Lusitan. Andr. Resend. in oper. Rithmic. de translat. S. Vincentij. P. Vasconcell. in Descript. Lusitan. fol. 548. n. 1. Ex aliis exteris Octau. Pancirol. in Thes. Abscond. Alm. Vrb. Regul. 3. Eccles. 11. Cardinal. Baron. Annal. Eccles. ann. 303. n. 137. tom. 2. & ann. 541. n. 3. tom. 3. Thom. Boz. de Signis Eccles. tom. 2. sign. 62. lib. 15. c. 6. fol. 114. Omnium ergo Scriptorum qui de S. Vincentio Nostro Leuita scripsere nomina referre, prolixioris temeritatis notæ cognomen carperem; quia vt dixit S. August. cum de illo verba faceret: *Quæ hodie regio, quæve prouincia vlla, quousque Christianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare* Vincentij *Diaconi?* Quo sic supposito ad acta veniamus. P. Laurent. Sur. tom. 2. ex Simeonis metaphrasi hoc die acta retulit, ab eo Grass. & Claud. de Rota, ex Veteribus MSS. alia concinnauit P. Bolland. in Act. SS. tom. 2. fol. 394. Cayrasco, Millan. Sanctorus, Villegas, Ribadeneyra, & alia Sanctoralia apud me, Hispano sermone, aut concisè, aut prolixè alij. Ego mediam inter tantos seligens viam, nouiter ea compaginans ex omnibus, & à Prudentio Nostro carmina congerens, in flosculi modum, libentissimè prolixiori offero stilo, licet obtuso, vt dicitur, calamo.

Chronologi. *Sancti.* *Scriptores.* *Flores SS.*

VINCENTIVS Eutychij, Enolæque filius, quem Osca, Valentia, & Cæsaraugusta, illustrissimæ Citerioris Hispaniæ Ciuitates alumnum sibi vindicare contendunt, ob bonum Hispaniæ fatum, Hispaniæ nascitur. Quoad sæculum illustrissimis oriundus originibus, quo ad Deum perillustrioribus ortus virtutibus. Si primam conspicimus prosapiam, Eutychius eius Pater, nobilissimi Agresti, seu Agresi Consulis filius dignoscitur, qui & Enola fœmina nobilissima coniux, verè, & fideliter Christi D. N. baltheum cingentes, fidei augebant numerum Christianorum. Peregit virtutum cumulis *Vincentius* infantiam, & vt quidam referunt, transeunte S. Sixto PP. Cæsaraugustam, Laurentium, & Vincentium eius consanguineum, secum Romam adducens, vterque sub tanto pædagogo Ecclesiasticis ministeriis, & bonis operibus fuit imbutus; Quò transactis Vincentius aliquot annis in patriam remeans, B. Valerio Cæsaraugustano Præsuli adhærens, eius insigniora opera meditans, Antistitis exhausta virtutum ebibebat indefessus agmina sitiens. More tunc Apostolico, B. Valerius septem in opus ministerij Diaconos habens, vnum Vincentium ex Galliæ Agenn. ad fidei catholicæ prædicationem in Patriam dimisit, qui, cognitò, quod propter veritatis confessionem, & Christi professionem, fuerit ibidem martyrio coronatus; in eius locum Vincentium

in Diaconij Valerius arcem adsciuit, tradēs illi concionādi munus, eo quòd S Pontifex vitio linguæ balbutiret. Erat vtriusque insignis vita, & in vtriusque signis operatio eminebat insignior. Episcopus à prædicatione vacans, orationi, & diuinæ contemplationi insistebat sedulus. Diaconus vtrumque complectens, vices sæpe Pontificis opportunis silentio, & voce exequebatur assiduus. Quo multiplicem Ciuium censum exigebat Ecclesia, & vbique Christi nomen publicis efferebatur, cordialibúsque in cœlum laudibus. At pax hæc disturbari cœpit. Nam Diocletianus, & Maximianus, Imperatores, implacabiles Christianorum hostes, nostrorum crudeles rituum, & librorum Osores, Deorum fabulis deuincti, edicta in Nostros atrocia promulgare, Nos peregrinarum religionum inuentores, Nos deceptores hominum, Nos Deorum Immortalium despectores, Magos, & præstigiatores dicere. Hispana Præfectura Daciano fuit demandata, è Græcia oriundo, Imperatorum moribus simili, qui ab ipsis instructus pari aduersus Nos rabie Cæsaraugustam deueniens, horridis præconum vocibus sibi commissa à Principibus munia diuulgare præcepit; ne quis ignorantiæ prætextu, eius indignationis virgam, & verbera subterfugeret. Nec tantus edictorum animos Valerij Antistitis, & Vincentij Archidiaconi intrepidos metus affecit, quin potius illico vterque fidei baltheo præcinctus, spei scuto subnixus, & Charitatis ardore incensus, in Christi confessione consistens, in Deitatis prædicationem alacriter cucurrit audacius. Nec mora, protinus Satellitum murmure deferuntur Daciano, veluti Christianæ Religionis ministri, edictísque Cæsarum repugnantes, nutantium Christianorum confouentes, opibus sustentantes, auctoritate amplectentes animos demissos, intérque vrbis Christi asseclas concursu virtutum, & sanctitate præcipuè eminentes. Quo audito Præses, qui similium, vt considerabilium capitum, sanguinem inhiabat; missa illico militari manu rapi Dacianus ad tribunal iubet. Illi, quo erant fidei calore, ac robore Sanctitatis, cum Tyranno in arenam descendere intrepidi; & *Vincentius* animo in Christi gloriam acriter inflammato, rabidi hostis, atque in Christum sæuientis insaniam, interritus adiit, modestius sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse, vt resisteret, nesciens elatus esse, quo vinceret.

Ergo Dacianus primo aspectu indubie colligens, tam intrepidum sæuis non esse expugnandum tormentis spiritum, iussit *Vincentium*, vnà cum Valerio Episcopo, fœdis accitos iniuriis, ponderosis oneratos catenis, & tabida afflictos fame, nudis pedibus Valentiam duci, quo proficiscebatur, & illic sub carcerali custodia, diutino horribilis ergastuli squalore, ac catenarum stridentium sonitu includi crudeliter imperauit. Et si primò Cæsaraugustæ grauioribus iuberet illos affici suppliciis, quæ tàm dura *Vincentio* inlata, vt sanguinis fluxus, venarum irrumpens limites, diffusus stolam Leuiticam purpurauit. Progressi ergo Martyres, post Valerij gurgitis haustum, quo puteus adhuc perennis Cariñenæ inuisitur, Segoruicam adeunt, vbi adhuc hospitium, quò mansere dignoscitur, demúmque Valentiam intrantes, vt imperata Satellites adimplerent, in carceris caueam, pro itineris tanti solamine eorum includunt lassitudinis defectionem. In huius fœtidis spelæi latumiis, vt Nostrorum traditio est, ab spiritu, & communi luce, ab initio Maij, ad finem Decembris, constanti halitu iacuere sepulti, quousque Dacianus timens ne sæuitiæ suæ damna paterentur, aut nolens eos ante tormenta, vitam finire, è carcere educi permisit. Quos vbi, præter opinionem, vidit integros, nulláque macie deformatos, & inter tot squaloris horrida, ergastuli fœtida, carceris hispida fortiores,

res, integris viribus, vultibus hilaritate compositis, custodum arguebat fidem, satellitum increpabat incuriam, & omnium execrabatur errorem. Vnde mox furore, & amentia præceps, ad carceris Præfectum: *Tu* (inquit) *scelestè, quare istos cibo, potúque recreasti, & in deliciis habuisti? Et vnde tantam pulchritudinem corporum, tantum oris sunt splendorem consecuti?* Deinde vultu truculento, & voce minarum eructanti; *Valeri* (dixit) *qua animi audacia, tu per religionis speciem, Imperatorum mandata contemnis? Tu ex Romana origine, nemini splendore natalium cedens, sic Romanorum numina, propter sectæ infandæ præstigia respuis?* Quibus cùm summissis Valerius præbuisset responsum, verbis, accensus veritatis zelo *Vincentius*, hæc sanctissimo Episcopo, cuius simplicitas, & innocentia erat mirabilis, licet non absque scientiæ stimulis, sed impediente lingua, vocis organum titillaret; expressit: *Si iubes Pater responsis iudicem aggrediar.* Cui Valerius: *Fili charissime ab exordio tuæ ordinationis, quæ per Spiritus Septiformis placitum, mearúmque manuum contactum ad tanti ordinis adscendisti fastigium, tibi diuini commiseram curam sermonis, hic ergo vtere lubentius præcepto, cùm & hic pro fide verbo, & opere militemus.* Tunc Leuita, cuius mens tota iam erat coronæ conscia, conuersus ad Dacianum.

Tibi ista præsint numina,
Tu Saxa, tu lignum colas,
Tu mortuorum mortuus
Fias Deorum Pontifex
Nos lucis auctorem Patrem,
Eiúsque Christum Filium,
Qui solus, ac Verus Deus,
Daciane confitebimur.

Exarsit illico ad fulminatæ vocis strepitum Dacianus, & dum contemni se, ac despici Deorum nomina, & Cæsarum scrutatur numina, ingemiscens Valerio exulato, grauiora in Vincentium poposuit inferre supplicia. *O infelix* (aiebat) *quis tu, vt ius publicum, Principúmque imperata despicias, verbisque asperis Deorum placita violes? Nónne tua commouent viscera, & sacri iuris violati voces, & mei fœdati tribunalis querimoniæ? Ergo quale consilium capias, edicito. Aut tibi ara nunc est precanda thure, aut de te vindictam tantæ iniuriæ sumam sanguine.* Intrepide Agonista sacer, dixit:

Age ergo quidquid virium.
Quidquid potestatis tibi est,
Palam reluctor: Exere.
Vox nostra quæ sit, accipe;
Est Christus, & Pater Deus,
Serui huius, & testes sumus,
Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, vngula,
Stridénsque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum vltima,
Mors Christianis, ludus est.

O vestra

O vestra inanis vanitas,
Scitúmque brutum Cæsaris,
Condigna vestris sensibus
Coli iubentis numina;
Excisa fabrili manu,
Cabis recocta, & follibus,
Quæ voce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His sumptuosa splendido
Delubra crescunt marmore,
His colla mugientium
Percussa Taurorum cadunt.
Adsunt, & illic spiritus,
Sunt sed magistri criminum,
Vestræ, & salutis auspices,
Vagi, impotentes, sordidi.
Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare iustos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt, & ipsi ac sentiunt
Pollere Christum, & viuere,
Eiúsque iam iámque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulsi è latebris corporum,
Virtute Christi, & nomine
Diuíque, & iidem dæmones.

Tunc Dacianus vbi se repulsum videt ferociter, animi dolore incensus, iámque præ ira pænè extra se positus, Leuitam nudari, & in equuleum suspendi iubet, vt, intra cruciatus, corruente audacia, resipisceret, mentémque ad saniora consilia retorqueret. Nec mora carnifices, illico imperata disponunt, discissis protinus vestibus (non enim Prætoria rabies lente denudari sinebat) euinctis manibus, & pedibus, super equulei machinam Vincentium volutari, deartuaríque satagentes. Incepto supplicio, iam iam ossium compagine diuorciata, iuncturarúmque diuulsione, totis in membris stridor interpellantibus funium tractibus resonabat. Iam corpus lacerum ferreis vngulis discerptum viscerum intestina Præsidis crudelitati producere valuit palpitantia, & per vulnerum lacunas retectum voracitati præbere festinat iecur. Omnia hæc Leuita ridebat, & increpans Carnificum manus cruore madentes, vt quid non profundius, interiora dilaniarent harpagine. Certabat minister ad pœnam, anhelabat Diaconus ad gloriam, ille defessus funes dimittere, iste confessus maiora quærere concupiebat; ille labore turbidus, iste

passione

passione lætus, vnus iam languide percutiebat, alius continuo intrepidus spectabat, donec Præsidis præsentia, & vocis vlulatu Dacian, quæ Carnifices de ipsorum ignauia, Martyrem de illius lætitia, monitos, iterum ad nouæ stragis pensum crudis ictibus recurrere. Hic Dacianus inter repetita resonantium verborum vlcera, sic Vincentio alloquitur. *Vincenti quid ais? Putásne illam tui pectoris fortitudinem concidisse? Vbi conspicis tuum iam miserabile corpus? Sic illam tua libertatem vocis refrenabitur.* Cui Sanctissimus Archidiaconus, nec silentio parcens:

Erras, cruente, si meam
Te vere pœnam sumere,
Quem membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Est alter homo intrinsecus,
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus, integer,
Exors dolorum tristium.
Hoc quod laboras perdere,
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum ac fictile,
Quocumque frangendum modo.
Quinimo nunc enitere
Illum secare, ac plectere;
Qui perstat intus, qui tuam
Calcat Tyranne insaniam.
Hunc lacesse, hunc discute,
Inuictum, insuperabilem,
Nullis procellis subditum,
Solique subiectum Deo.

His saucius verbis, hac infixus constantia Præses furore pallet, bili rubescit, & insana lumina intorquens, dentibus fremens, femora iaciens, spumas & euomebat, & deglutiebat, quoad seueriorem transtulit martyrem ad quæstionem, vt molestiora percurrat tormenta. Sicque ad carnifices conuersus, *Deponite* (inquit) *illius pertinacia temeritatem, & ardentes pectori lamina comprimantur, & liquefacto inter ipsas candentes ferri acies liquore guttarũ stridens respergatur flamma, vulnera vulneribus infligantur, tormenta tormentis desæuiant, sales ignibus sparsi, crepitantibus minutulis per membra desiliant, & iam non ad artus, sed ad ipsa viscera suppliciorum tela iaciantur.* Abnuit ferociter Satellitum manus, & deposito ex ligno corpore, cùm iam strues carbonum pateret flammantium, inque craticula lapiata posuere corporis frusta, vbi ferreis vngulis, & ligneis vallis, per ignem, prunas, & testas euoluta, cutis assari, ossa exuri omnia dirissimè vexari cœpere. Ministri (annuente Præside) strato Diacono recentes, ardentiorésque prunas superfundere, substernere, & violenter latera versare, festinant. At *Vincentius* magnanimo pectore, in acerbitate pœnarum, non obturbari, vocésve

emittere,

emittere, ſed Chriſtum animo complectens, laniatus ouare, ingénſque ore gaudium præſeferre, interque vſtionem carnis, vímque incendij, atrociores in Dacianum iaculari faces, immanémque Præſidis animam ea inſigni ſtupendáque tolerantia generoſe depopulari. Dum ergo Martyr cruciatur, dum torretur, dum omnis in affligendo eo barbaries ſuperatur, dum ſtrident artus, ignis ſanguine conſperſus fumat, infuſóque ſale furit, dum non iam caro, ſed titio flammeſcens conſpicitur, Dacianus ſacrorum comburenda librorum volumina depoſcebat, Cui intrepidus Martyr ignea lingua, & flammante voce reſpondet.

Quem tu maligne myſticis
Minaris ignem literis,
Flagrabis ipſe iuſtius.
Romphæa nam cœleſtium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.
Vides fauillas indices
Gomorrhæorum criminum,
Sodomus nec latet cinis,
Teſtis perennis funeris.
Exemplar hoc, ſerpens, tuum eſt,
Fuligo quem mox ſulphuris,
Bitumen, & mixtum pice
Jmo implicabunt tartaro.

Miratus tantam Martyris tolerantiam Præſes inter furoris redundantiam æſtuans, & inter timoris (ne vinceretur) exiſtentiam ſiſtens, quo ſe verteret, ignorabat. Qua ad incepti facinoris exitum illum indignatio rapiebat, vt vinceret; illa, vt victus ab incepto verecundiæ laſſitudo deprimens, inter ancipitis opinionis luctamen verſabatur. Demum vincente *Vincentio*, è craticula intermortuus corpore Leuita depoſitus, in tetrum carcerem refertur, horrenda tenebrarum caligine formidabilem; in cuius latebroſi hiatus planitie, thalamus Martyri præparatur, non ad corporis aduſti requiem, hæc erat illi mors, ſed ad maius doloris acumen, nam humus teſtis ex vtraque parte acutiſſimis ſubſternitur, ibidémque corpus lacerum includitur, vt & lucis, & ſolatij deſtitutum, maiora angoris, & horroris tormenta pateretur. Credens Dacianus hoc *Vincentium* vincere ſqualore, vel quia, qui flecti non potuit pertinacia cruciatuum, nec coërceri valuit inſolentia carbonum, ſemper aut duret in tenebris, aut ipſius pœna ne in publicum prodeat verecunda Præſidis. Ibidem Archidiaconus Sacer inter teſtularum cuſpides volutatus, & ligno (vt opinatur) eius ſacri pedes infixi, laniatus, cruore madens, attrito decoris flore, adhuc tamen ore egregius, nec fractus animo, & oculis in cœlum eleuatis primas noctis traduxit vigilias, & licet membrorum crudeſceret aduſtio, & vulnera, ictúſque igneſcerent, non ex hoc mens in Deum elata defecerat, quin religioſe Chriſtum laudans, in eius manus victoriæ terminum reponebat. Cum en, nocte intempeſta, cum prima quies feſſos

custodum

cuſtodum artus vincente laxaſſet ſomno, illius carceris ergaſtulum, cœleſtem accepit lucem nunquam hactenus illi inuiſam, & cuſpidum dirities in nitentium roſarum ſpeciem mutatæ, iam non cruciamina, ſed mollitiem diffundebant. Spirituum cœtus cælo dilabitur, & ſolutis Martyris vinculis, inter tantorum procerum agmina copulatus *Vincentius* æterna carmina modulatur. Illi Diaconum vallant, fouent obſequio, & ſimili demulcent alloquio:

Exurge Martyr inclyte,
Exurge ſecurus tui,
Exurge, & Almis cœtibus
Noſter ſodalis addere.
Decurſa iam ſatis tibi
Pœna minacis munia,
Pulchróque mortis exitu
Omnis peracta eſt paſſio.
O Miles inuictiſſime,
Fortiſſimiſque fortior,
Iam te ipſa ſæua, & aſpera
Tormenta, Victorem tremunt.
Spectator hæc Chriſtus Deus
Compenſat æuo intermino,
Propriæque Collegam Crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum vaſculum,
Compage textum terrea;
Quod diſſipatum ſoluitur:
Et liber in cælum veni.

Dantur hic laudes Deo, & reſonantibus Angelicæ vocis organis, modulata procul diffunditur harmonia; quæ ſingula cuſtodes rimulis captantes, mirantur; ſéque Chriſtianos fatentur, cupientes iam mente mutata, deuotionis ſuæ ei obſequia impendere, cuius antea fuerant nece graſſati. Venerat, & multitudo vicina fidelium, & Ethnicorum contigua curioſitas, illa dudum de illius mœſta ſuppliciis, licèt iam de conceſſa cœlitus gloria lætata: iſta idolorum pœne vanitate percepta, admirata tumeſcit, & alterutrum deſpectans confuſione veritatis grauatur. Dacianus omnium certior, ignominiam nulla vnquam temporis longinquitate delendam pertimeſcens, in lectum mollibus ſtramentis compoſitum traduci *Vincentium* iubet, quo Martyr poſitus, hæc à Tyranno lætitiam ſignificante percipere, creditur, blandimenta.

Te ſuper afficior, Vincenti: *(expelle ſatelles*
Inſtrumenta feræ ſanguine lenta necis)
Quid iuuat ætatis tenerum præcidere florem?
Quid reuocare breues, in breuiora, dies?

Dulce

Dulce oculis iubar, & cœli spirabile lumen;
Quid iuuat ante diem præcipitare suum?
Fert animus gratas tibi vitæ extendere metas,
Et vitæ dulces reddere delicias.
Mutaui ingenium, mea me clementia vicit,
Durities mentis cedat iniqua tuæ.
Quem mala non terrent, nec lucra ingentia flectunt,
Os hominis: duræ cætera rupis habet.

Cognouit interiora Præsidis tentamina Diaconus, & de gloria, quam inhiabat, securus, vt in omnibus Dacianum vinceret, nec verbis cedens, responsum, animum iudicis vlcerantem, simile præbuit.

Quem non horrueram nota feritate Tyrannum,
Formidandus ades calliditate Draco.
Vicimus immanem; blandum vincemus, vt iras
Fregimus, est animus frangere blanditias.
Non tàm se Protheus transmutat, & alterat arte,
Præses, vt ingenita calliditate facis.
Sis Leo, sis Draco, virgato sis corpore Tygris:
Tot referam titulos, quot geris arte feras.

His dictis adhuc in plumis Dacianus cogitabat de pœna; Vincentius in ipsis deficiens, adspirabat ad gloriam, Christus clementer disponebat de præmio. Quid ergo? Leuita mollitiem caducam abhorrens, æternam à Domino deposcebat. Dacianus ne in agone decessisse crederetur, in lectulum requiescere desinebat. Caput Martyrum istius cogitata delusit, illius expectata concessit. Vincentius vincens in cœlos agminibus stipatus Sanctorum adscendit. Dacianus in prætorio circundatus vulgari satellitum caterua inglorius defecit. At vt sempiterna obliuione, tàm præclarum Martyris certamen, cum sui nominis dedecore, inuolueret, corpus feris, & volucribus, in campo, cum valida custodum manu escam exponi imperitauit. Quo expleto, cum diuersæ volatu procero volucres illuc irruerent, Coruus quidam, atro colore, tanquam pulla indutus, veste, luctum præseferens, eas impigrè persequens, cunctas è loco illo abigebat. Sed, & Lupus repentino cursu prædam expetens, non tam Corui persecutione, quàm corporis Sanctitate est in fugam versus. Dacianus autem nouis his perculsus miraculis, exclamauit:

Vincimur in terris: mediis vincamus in vndis:
Occulat opprobrium mobilis vnda meum.
Vicerit vt Viuus, non vincat mortuus, illum
Expertem tumuli marmora nigra tegant.
Nesciet exuuiis tumidus mansuescere Pontus:
Parcere, nec Superis marmoris vnda solet.
Mobile ludibrium tremulis iactabitur vndis:
Exta feris nostris monstra marina trahent.

Æquore si vincor, vincendi nulla superstes
Spes mihi: Vincenti *quin locus omnis erit.*

Vix hæc affatus, cùm Eumorphius, homo prophanæ mentis, & sacrilegi spiritus, hanc sibi prouinciam à Iudice vltrò deposcens, collectis ex vrbe nauticis viris, infandum scelus aggreditur; & facto agmine nauem conscendens, corpus sanctissimum culeo insutum aduectans interiora pelagi perlustrauit. Coruus itidem expansis alarum remis sacra pignora, eius curæ commissa, nec deserens, per immensa Ponti cacumina, nauem inspectans, velociter sequebatur; Cui deuota dixit inspectio:

Corue, quid exuuias, diuinique ossa Parentis
Insequeris; medio dum natat ille salo?
Sponte sequor numen: quo plus natura reclamat,
Maior in obsequio est gloria, maior honos.
Territat Occeani num te inclementia? Sacro
Numine securum me comes esse facit.
Monstra maris metuis? Non horeo mõstra, timerẽ
Obsequiis Domino non superesse meo.
Quæ tibi sunt epulæ liquida inter cærula? Nullæ:
Martyris est facies, pro dape, visa satis.
Quæ tibi causa trahit? Reuerentia. *Quæve fugabis?*
Nulla. *Quis est portus?* Quò comes ibit, eo.
Anne times mortem? Non horreo funera, solùm
Interitus, Martyr si mihi desit, erit.

Ergo vbi Eumorphij, & comitum montium sunt subducta cacumina, litúsque euanuit omne, sacra pignora saxo pendentia, in medium maris vorticem impressere. Qui redeundo vrbem Daciano hilares retulerunt optata, etsi sine præmio executa. At Dei prouidentia, vt in omnibus elementorum operationibus *Vincentius* monstra placaret, decreuit, aut ministerio Angelorum, aut eius manus virtute quòd illud quod impedebat saxum corpori, pumicis naturam arripiens, inter vndas enatans, sacra pignora ad litoris oram, comportaret. Ibidem illa Deitatis benignitas, quæ Martyrem è tantis reseruauerat angustiis inter maris arenas tumulum corpori præparauit, quo delituit, licet Coruo inspectante, donec Sanctus Leuita Ciuem in somnis monens, vt de litorali sepulchro ad aliud decentius pignora deportentur, locum significans; sed de visione aliquantulum hæsitans, dum tardius tanto funeri monstratum exhiberi parat obsequium; commonita in somnis quædam vidua, nomine Ionica, ætate, & sanctitate plenissima, vera signa quiescentis corporis accepit. Non hæc tardè obsequuta, quin potius conuocantibus clam aliquot Christianæ religionis viris, vt ad negotium sibi cœlitus ostensum vna pergerent, solerter eos exhortari curauit. Ad litus ventum vbi mox B. Vincentij corpus inter ipsa soli, aquarúmque commercia reperiunt, quem diuina miracula pro suæ sanctitatis merito, & terris clarificauerant, & pelago. Itaque propter Gentilium furorem non valentes cum digno venerationis tumulare cultu, ad quandam paruulam detulerunt Basilicam sepeliendum. Tandem autem cessante perfidorum crudelitate, ac fidelium crescente deuotione Beatissimus Martyr ad sepulturæ honorificentiam inde leuatus, digna cum reuerentia deportatur, & sub sacro altari

extra

extra muros Valentiæ, ad quietem reponitur, quo ego hoc pro epitaphij singraphe octasticon ponerem Morelli.

Tormentis victus nullis, quæ excogitat ira
Sed digna impietas plurima sæua nimis,
Fortior in blandis verbis Hispanus IESV
Pro caro hic tegitur nomine cæsus homo.
Ingenium dignum conseruat nomine, dura
Cordato poterat pectore ferre magis.
A benè re gesta felix cognoscito nomen,
Non id fortuitum, nouerat ante Deus.

In noua ergo translationis techa sacra quieuerunt lipsana, multiplici concurrentium Christicolarum agmine, venerationis causa; quò innumera patrarunt mirabilia, & Dei magnificentia miraculosa conferebant occurrentibus beneficia, ad laudem, & gloriam nominis Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in sæculorum sæcula. Amen.

Hactenus acta, vt in nostris annalibus reperitur. Ea carmine heroico describit P. F. Antonius Resendius, quæ missa, vt prolixiora, licet candidissima, facio Baptistæ Mantuani epitomam referam, quæ pulcherrimis cecinit versibus, sic: in Fastis Sacr. hoc die:

Altera Vincenti *tua lux, tua gloria gentes*
Hesperias decorat, sicut Carbunculus aurum;
Vnio sepmentum, splendor Titanis Olympum.
Cùm clamore ferox fureret Dacianus atroci
Magna minans, vt te Stygiis submitteret vmbris;
Sic memorant crudo te respondisse Tyranno:
Pone minas, operam perdis Daciane, memento
Christigenas, quoties pro religione duellum
Ingruerit, solitos ferrum contemnere, & ignem,
Lætari in pœnis, fusum ridere cruorem,
Expectare necem, tanquam conuiuia semper
Duratura, velut grandẽ, æternumque triumphũ.
Cæsareæ Augustæ tunc in certamine tecum
Vrbis Pastor erat, sed cum frigentia verba
Vix daret, & timido voces disperderet, ore:
Tu miseratus eum: Languentia murmura pone,
Et sine *(dixisti)* dare me responsa Tyranno.
Sãcte Pater de Christo alacri sermone loquendũ est.
Formident qui sacra colunt simulacra putantes
Esse Deos; metuant obscœnam attollere frontem.
Nos qui corde Deum ferimus, qui vera tenemus
Numina, liberius fari decet, atque potenti
Ore per Hesperias sermonem effundere gentes.
Nos Ioue contempto, templa hæc Daciane, Deósque

Qui sunt tartarei manes, infernáque monstra
Detestamur: eant pessum. Regnétque Tonantis
Inclyta progenies æterna in sæcula Christus.
Sic ais. At iudex in te crudelis, atrocem
Exaturare ardens iram, sene cuncta relicto,
Ante oculos ferri iubet instrumenta dolorum;
Terribili quorum aspectu, nil territus: Istis
Vtere (*dixisti*) quo tandem agnoscere possis
Christigenum magno quæ sit constantia cordi;
Et quali Omnipotens mortalia pectora Christus,
Vt firmare solet; cum vult aperire tuorum
Nequitias, fraudes, & vaframenta Deorum
O vocem plusquam humanam fortem intrepidamq;
Et dignam, cui concedat Deus æthera, & astra.
At neque magnificis fuit experientia verbis
Inferior. Tu namque focos, chalybemque tulisti,
Excelso, grandique animo; tormenta videre
Tanta Valentini vix sustinere Penates.
Hoc animo robur menti vigor iste remansit.
Semper, & in pœnis facta est magis ardua virtus.
At molles demum plumas translatus, ab igne
Ægrius id stratum, quàm sanguinolenta tulisti
Verbera, & ignitas crates. Lectóque teneri
Mens tua non potuit; potuitque incendia ferre,
Atque ideò laceros fugiens euanuit artus:

Huic proposito scripsit (ne è memoria excidat) epigramma facetum P. Anton. Pimenta, è Societatis Iesu lib. 10. Poëmat. Sacror. epig. 3. sic:

Certant carnificum sæuo cum Iudice, dextra,
Dum te Vincenti *vincere, victor abis.*
Pectora sulcantur, diris generosa flagellis:
Sulcat, vt agrestem vomer aduncus humum.
Viscera rupta patent: feriuntur pectora virgis:
Ignibus amburit flammea lamna latus.
Pruna per effossos Vulcania mergitur artus:
Fumant per ruptos exta perusta sinus.
Poneris in pluma, mollíque recumbis in ostro.
Inque rosa tenera; nec mora, vita fugit.
Victorem ò tenerum! tenero qui cedis amori!
Credibile est, aliter non potuisse mori.

Ferè

Ferè eundem conceptum expressit alius Poëta Lusitanus, nescio quis, in hoc decasticho nec Pimentæ inferiori, relato ab Eman. Campos fol. 371.

Nihil face, nil ferro, nil ore, atque vngue ferarum
Impietas contra pectora firma valet.
Nobilis in pugna Vincentius *omnia vincit,*
Et vincens partes, sæua minantis, agit.
Irrisa impietas, strata hic mollißima ponit,
Rideat, vt mediis fortia membra rosis.
Expirat, rosa cùm primos aspirat odores,
Fortior in mediis, qui fuit ante rogis.
Mutauere vices tormenta, & blanda voluptas,
Illa dabant vitam, præbuit ista necem.

Prosequitur Mantuanus:

Exanimum corpus campo Dacianus aperto
Alitibus dedit in prædam, canibúsque ferisque
Cum verò in gyro volitans, roströque cruento
Increpitans coruus volucres, feráque fugaret:
Ad freta delatum, pelago sepelitur in alto.
Sed mare turbatum, subito de sedibus imis
Cùm staret placidus, ventis cessantibus aër
Auditum est mugire graui cum murmure, & æstum
Tollere spumantem, grandésque exire procellas.
Nam sese indignum reputans, quòd sacra teneret
Viscera, correctum fluctu saliente cadauer
Transtulit in littus, populis reuerenter habendum.
Christigenæ vero, cum nox altißima crebris
Ignibus arderet, Nemeæque ascenderet astrum,
Conuenere, manu faculas, & thura ferentes;
Exuuiásque animæ sacras de littore in vrbem
Secretis egere viis, quas inclyta quædam
Nomina non licuit sciri matrona sepulchro
Condidit, & summum victori exoluit honorem.
Festa Valentini calles celebrate propinquo
Ora afflata mari: violas producere tempus:
Transit hyems, abigit gelidas Vincentius *auras,*
Et reuocat tepidi clementia sydera veris.
Nix abeat, fruticet tellus, refloreat arbor.
Tu quoque Patrono lætare Valentia tanto.

Propè innumera sunt, quæ de Nostro Sancto Vincentio conscripsere carmina, hymnos, & soluta oratione deuoti. Versibus heroicis D. Vincent. Blasco de Lanuza

in Coron. SS. Aragonensinm lib. 1. fol. 6. & 7. Ioann. Bapt. Mascul. lib. 10. Lyric. od. 18. fol. 379.

In istius ecphrasis contextu, sunt nonnulla, elucidanda. PRIMVM *de Patria*, In quo licet à nonnullis hallucinatum sit, concors iam meliora sentientium pro *Osca* sententia est. Cæsaraugusta contenta sit Baptismate, & Diaconatu, Valentia eius agone, & sanguine. Pro ista insudent Escolanus, & Diagus, pro illa defatigentur Villar, & Ludouicus Lopez. Pro *Osca* Antiquorum scripta, Ecclesiarum monumenta, Pontificum diplomata, & Regum placita, quorum farraginem compaginarunt Ainsa Yriarte, Carrillo, & Brizius, quibus absque controuersia cohæreo, eorúmque opinionem amplector lubens.

SECVNDVM *de Consanguinitate Laurentij*. De quo multa congerunt Gasp. Escolan. Histor. Valent. 1. part. lib. 1. cap. 8. num. 5. & cap. 9. Briz. Histor. Pinnatens. lib. 1. cap. 50. num. 7. Ludouic. Lop. Histor. Cæsaraug 2. part. d. cap. 8. Amicus, & Historiographus Regni Aragonum D. Ioann. Francisc. Andreas in Vindiciis Origin. S. Laurent. cap. 5. fol. 61. & sequentib. qui omnes hanc mutuarunt assertionem à S. Marco Maximo Cæsaraugustano Præsule, in libell. de Elog. SS. fol. 229. sic:

Vincenti egregiam referens ab agone coronam,
Atque Leuitarum dulce Leuita caput.
Sacra domus firmæ, quæ nomen adepta Columnæ,
Hæc tibi victuro puluis, & vmbra fuit.
Maximè de Septem celebrata in sede ministris
Martyr adis votis, supplicibúsque tuis.
Hinc prodis rutilans fidei spectandus in armis,
Inde Valentino das documenta solo.
Inque Illiberitano das maxima cœtu
Signa tui infracti pectoris, & fidei.
Testis est ô Valeri genitor fortissime, tanti
Pectoris, hoc socio prælia nonne subis?
Archileuita Sacer (cui secretaria cordi
Sunt tibi) qui constans agmina sacra doces.
Sanguis erat tuus ille potens *Laurentius*, ignes
Extinguere de totis artubus ille potens.
Ille tibi documenta dedit præclara micandi,
Ipséque das aliis: estis in arte pares.
Ille parit Romæ, Patriæ paris ipse coronam,
Patria vtrique eadem, laurea, robur idem.
Respice nos præsens stellata in veste Minister,
Atque tuos Ciues, Ciuis & ipse, iuua.

En ex Maximo consanguinitatis nexum. Ogganiunt quidam ex Criticis istius sæculi, & pro intelligentia illius carminis, *In Illiberitano das maxima cœtu signa tui infracti pectoris, & fidei*, desudant. Euoluúntque Conciliorum, & Sacrorum voluminum schedas, vt inquirant annum fixum Concilij Illiberitani, vt ex hoc deprehendatur, an illius congregationi potuerit interesse S. Vincentius. De quo videndi Mendoza in Not. ad illud Concil. & Don. Martin. Carrill. in Vit. S. Valer. cap. 15. Mea fert opinio, illic non interfuisse Vincentium Nostrum; nec obstat distichon, in quo

quo non de assistentia personali, sed de recordatione eius agonis agitur. Nam si adsticit personaliter, in quo illa *maxima signa sui infracti pectoris, & fidei* Concilio demonstrauit? Ergo de memoria eius passionis, in qua omne illud exhibuisse fatendum est. Hoc confirmatur ex eo quod post relationem martyrij *Inde Valentino das documenta solo*, Quando hæc documenta Valentiæ per suppliciorum trophæa exhibuit, additur, *Inque Illiberitano:* ex quo ab ordine literæ sic distychon intelligendum est.

TERTIVM *de Anno Coronæ*. In quo cum Cæsar. Baronio Annal.Eccles.tom.2. ann. 303. num. 137. conueniunt vniuersi, martyrium euenisse ad annum CCC. III. Imperantibus Diocletiano, & Maximiano. Summum Pontificatum obtinente S. Marcellino.

Vltimo vetustissimorum officia Sanctoralium, quibus singulare quid de Nostro S. Vincentio reperitur, subiiciemus. S. Gregorius Magnus in suo Sacramentali, post Orationes hoc congerit præfationis exordium:

Vere dignum, & iustum est, æquum, & salutare; Nos tibi semper, & vbique gratias agere Domine sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus, per Christum Dominum Nostrum, pro cuius nomine Gloriosus Leuita VINCENTIVS *& miles inuictus rabidi hostis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse, vt resisteret, nesciens elatus esse, vt vinceret, in vtroque Domini, ac Magistri sui vestigia sequens, qui & humilitatis custodienda, & de hostibus triumphandi, suis exempla sequenda monstrauit. Per quem, &c.*

S. Isidorus in Breuiario Muzarabi ab ipso concinnato, à S. Eugenio aucto, à S. Ildephonso, & aliis Toletanis Præsulibus obseruato, núncque in S. Ecclesia Toletana conseruato hæc legitur Oratio:

Deus, qui Leuitam tuum VINCENTIVM *tanto virtutum munere decorasti, vt ministerij sacro fretus officio filium tuum Dominum Nostrum, secuturus in passione eiusdem Christi tui, calicem ministraret prius credentibus in salutem: tu nos facito coram te digna tractare suscepta ministeriorum officia, quorum gestandam suscepimus obsequelam. Quo Martyr tuus* VINCENTIVS *diuino auctus spiritu persequentem Dacianum obiectibus duris adgreditur, cum contra eum Valerium Episcopum suum leuiter musitasse conquereretur, meritis suis tribuat omnibus in hac vita feliciorem excursum, in futura regnum beatitudinis infinitum; vt sicuti eum inter pœnas suscepisti te confitentem, ita nunc iubeas, exaudire pro nobis orantem, cum ad te proclamauerimus è terris.*

Missale peruetustum, quod in oppido, cui nomen *Tabernas*, vno circiter ab *Osca* milliari extare refert Ainsa Yriart. in Hist. Oscens. à quo Bolland. fol. 395. hanc etiam deprecationem conseruat:

Deus, qui vrbem Oscensem natiuitate Sacratißimi Martyris Vincentij *decorasti, tribue quæsumus, vt Confratres, & plebem dictæ vrbis, in domo, qua natus est, eius solemnia celebrantes, ab omni aduersitate custodias, & ipsius meritis ad gaudia æterna perducas.*

Quoad translationem attinet, hic congerere historiam decreueram, sed in diem XV. Septembris eius ecphrasim iure omittam, quia illo Vlyssipponensis Ecclesia translationis concelebrat festum. Pro coronide ecce encomion P. Ioann. Bapt. Mascul. in Cœlit. encom. fol. 42. n. 30.

S. VINCENTIUS MARTYR.

SYNOPSIS.

Igni ambustus est; excruciatus item fragmentis testaceis, & vngulis ferreis excarnificatus: sub dio cadauer iacens à feris tutatus est Coruus, rostro, & alis eas abigens. Denique in mare demersus est.

ENCOMIUM XXX.

Salue Hispanicæ virtutis auspex, VINCENTI,
Legionum semper victricium signifer.
Acclamatus es victor, antequam miles;
Non alienis indiges ad præconium linguis,
satis clare te victorem illæ loquuntur,
quæ tui rogi micant in flamma.
Magis tu per ora volitas omnium,
quàm hæc per latera volitauit tua.
Fixisti inter sarmenta, trophæa victoriæ;
pyra ipsa nobilem tibi cessit in pyramin.
Tractus deinde per fragmenta testacea,
ostendisti, frangi non posse virtutem.
Cum te lictor totum ferreis concerpsit vngulis
dubium reliquit, vtrum plures fecerit vias,
mananti ne sanguini, an potius gloriæ.
Proiectus post necem iacuisti sub dio,
vt testem faceres constantiæ cœlum,

Custodem

Custodem cruenti Corporis rapacem nactus es Coruum,
qui rostro, qui alis te defendit à feris.
Præsto fuit olim Vati coruus, vt ille comederet,
tibi ne comedereris.
Infidus alter nuntius pastus est cadauere;
læuum illud omen fuit adhuc irati Dei, hoc dexterum mitis.
Frustra quoque te in mare demergunt, Phocarum cibum.
Parcent marinæ belluæ, cui pepercere syluestres.

VALENTIA *Hispaniæ* Ciuitas Archiepiscopalis, & totius Regni caput, hodie VALENTIA DELCID. Olim peruetustissimorum originum exordia trahens, in Edetanis sita, ad Turij amnis ostia contra Ebusum Insulam. Vrbs Regia, ampla, elegans, situ plano, ac amœno, & forma rotunda, mœnibus præaltis cincta, & nonnullis pontibus lapideis suburbia vrbi iungentibus, & hortis, viridariisque planitiem illius exornantibus. De ea Ptolom. Plin. & Geographi omnes. De eius extinctione varij varia dixere, Ioann. Viterbiens. lib. 12. c. 23. contendit hanc vrbem dictam primò fuisse ROMAM à Romo antiquissimo Hispanorum Rege, quod vocabulum lingua Aramæa, idem quod Latina *Valentia* dicitur, *Ergo* (prosequitur) *vrbem, quam more Principum à se Romus Hispanus* Romam *vocauit, postea Romani, seruata nominis interpretatione* Valentiam *ad hanc ætatem dixerunt: vrbem profectò vetustissimam ab hoc Romo conditam, & inclytam S. Vincentio Martyre.* Et lib. 16. in Comment. ad Manethon. Ægyptium. Ann. 35. Zeti fol. 148. eadem refert. Quam opinionem amplectuntur Tarraph. de Regib. Hisp in Romo. Ann. Mundi. 1350. Ioann. Vass. in Chron. c. 10. Ann. 967. post Diluuium. Beut. Hist. Hisp. lib. 1. c. 11. Diag. Annal. Valent. lib. 2. c. 10. Florian. de Campo Hist. Hisp lib 1. c. 27. Ludouic. Non. Hispania. c. 68. Alios inferius referre conditores paramus:

B SS. VINCENTIVS, ORONTIVS, *& Socij.* Istorum illustrium Martyrum, & Patriæ locus, & agonis situs variè à Martyrologiis consignatur. Antiquiores cùm tumuli requiem inspectassent, apud Galliæ *Ebrodunum*, sequentes literam, & ablegato sensu, tanquam illius vrbis Martyres, ibidem eorum passionem apposuere. Moderni iam meliori illuminati luce, martyrium apud *Gerundam* agnouere, & *Ebroduni* corpora adlata conscripsere. Vtrorumque absque dubio error demonstrabitur, nunc ad elogia pergam. Molanus apud Vsuard. h. d. sic: *Ipso die ciuitate Ebroduno Sanctorum Martyrum* Vincentij, Orontij, & Victoris. Ado eadem; Maurolycus addit: *Qui eos sepelierat, eiusque Patris, Diocletiano imperante, sub Præside Ruffino decollatorum.* Martyrol. Roman. sequitur Molani placitum; item Notker. Felic. Bellin. Alexand. de Peregrin. & alij. Martyrolog. Germanic. martyrium in Hispania fatetur, sic: *In Galliis ciuitate Ebroduno Sanctorum Martyrum* Vincentij, Orontij, Victoris, qui in Hispania *tempore Diocletiani crudelissimi Imperatoris à Præside Hispaniæ Ruffino decollati sunt.* Ferrar. in Catalog. General. SS. sequens acta Ecclesiæ Gerundensis, nemine contradicente, vrbem definxit, sic: *Gerundæ in Hispania SS. Martyrum* Vincentij, Orontij, Victoris, & Aquilinæ *Matris.* Huic vrbis assignationi ansam præbuit Gerundensis Ecclesiæ decretum, die VI. Mensis Iunij, Ann. M. D. XXII. confectum, quo *statuerunt* (inquit) *in honorem Sanctorum Christi Martyrum* Vincentij, Orontij, *&* Victoris, *& ordinarunt, quod de cætero perpetuò fiat, & celebretur festum dictorum Sanctorum Martyrum, qui in præsenti Ciuitate passi sunt, cum solemnitate in festis signi noui assueta, habeatque dictum festum, ipsum signum IX Lectionum, penultima Ianuarij.* A quo hæc acceperit illa Capitularis congregatio, vt similem actum Capitularem statuisset; ipsi sciunt; nam P. F. Anton. Vincent. Domenec. in Hist. SS Catalon. lib. 1. fol. 11. nec Hieronym. Pujad. Hist. Cathalon lib. 4. c 78. fol. 213. neutiquam rationem inueniunt, licet credant, tot doctos viros, quorum in decreto nomina recensentur, nulliter absque causa, simile decretum conficere valuisse. At hæc ratio non releuat, quia si Adonem Viennensem, Petrum Equilinum in Catal. SS. lib. 2. c. 112. Lipomanum in act. SS. fol. 324.

fol. 324. & ex Noſtris Ambroſ. de Morales. Hiſt. Hiſpan. lib 10. c. 13. Mariet. lib. 2. Hiſt. SS. Hiſpan. c. 39. & lib. 4. c. 51. Padill Hiſt. Eccleſ. Hiſpan. tom. 1. cent. 4. c. 18. Vincent. Bellouac. lib. 12. c. 38. conſpicimus, nullus Gerundæ nomen accepit. Tot ſedauit contentioſa iurgia L. Fl Dexter. in Chron. ann. 308. his verbis: *Apud* Pacem Auguſtam *Anæ flumini appoſitam, triumphus Sanctorum Martyrum* Vincentij, Orontij, *& aliorum, quorum corpora miniſterio Angelorum, Pontio Paulino diuinitus admonito, ad vrbem Ebrodunum conſtiterunt.* En verum agonis theatrum. Ecce reſtitutus locus martyrij. Quo reſoluetur machinatio Ætherij, & aliorum, qui ab incognito, & ſuppoſito Abbate (vt ſomniant) Hiſpano acta confinxerunt, vt refertur in Actis à Bollando excriptis n. 21. Nam quis dubitabit potiorem fidem dandam eſſe Dextro V. C L. illuſtri Chronographo, cuius auctoritas ab ipſo D. Hieronymo extitit comprobata (vt cæteros omittam) in cœlum vſque laudibus elataque, quam iis MMSS. exauctoratis, & acceptis ab anonymo, & incognito fabulatore. Vt quid Dextro Noſtro paſſim calcaneum mordet Bollandus? Quis melius Dextro potuit cognoſcere cauſas? quis loca? quis agones? Si ille penè illo in viuis æuo erat. Nec Domenec. & Pujades proderit actum Capitulare, quia potuere Canonici illi errori aliorum adhærere; & demum, cùm à ratione cadant, à fortiori à lege cadere præciſum erit. Quod ergo à noſtris ſcriptoribus, & antiquis monumentis accepi, in ſubiecta actorum relatione cognoſces.

VINCENTIVS, & ORONTIVS fratres fuere in amœniſſima Italiæ regione progeniti, qui patrem Lucam, & matrem Aureliam cognouere, à quibus in Chriſti fide eruditi, clariſſimam in ſæculo, virtutibus præeuntibus, indolem coniunxerunt. Creuit in vtroque fides, operum intereſſentia exculta, ne illa ſine iſtis moreretur, ideóque certatim, quis maiorem illorum manipulum, abſque elatione, colligeret, per virtutum ſemitas cucurrere. Erat enim tunc temporis paululum in Chriſtianos mitigata Ethnicorum rabies; ſed ſedatis aliquorum Barbarorum incurſionibus, illa ſerenitas paulatim verſa in nubem, ſubito obturbata, diu per aëra lentè volitans, ad VIII. Diocletiani Iouij, & Maximiani Herculei VII. Conſulatum, & ad ipſa amborum Vicenalia, fœdiſſimum cruoris, cædium, & fulminum imbrem effudit. Huius procelloſæ epidemiæ fulgura, vt Hiſpanos quoque terrerent, vltimam Occidentis oram penetrarunt. Nam de immaniſſimorum Principum prodiere fornace, inter alias duæ contra Catholicæ Hiſpaniæ Eccleſiæ flammantes agmina ſcintillæ, Dacianus, & Ruffinus eius Legatus, qui penè totum Chriſtiani gregis incenderunt crudeliter famulatum. Dacianus ergo cùm primùm Hiſpaniæ pedem fixit, & Barcinonæ, Cæſarauguſtæ, Valentiæ, & ferè totius Carthaginenſis, & Tarraconenſis Prouinciæ vrbes luſtraſſet, ibidémque Sanctorum innumera Martyrum agmina, per cruciatuum inſolentium examina in cœleſtem beatitudinem tranſmiſiſſet, dimiſſis aliquot Vicariis, ſeu Legatis in alias Regionis Vlterioris ciuitates, qui crudeliter Chriſticolas perſequerentur, Toleti quieuit. Vettoniam, & Luſitaniam ingreſſus Ruffinus, apud Pacem Auguſtam celebrem Prouinciæ Coloniam ſiſtens, Chriſti nomen perdere, eiúſque numen abolere deſiderans, in Chriſtianos, vt ipſius membra ferociter ſæuiendi cupidus, edicta publicis imperialia clamoribus diuulgauit.

Erant tunc temporis in domo cuiuſdam Sanctiſſimi Leuitæ, cui Victor vocabulum, ipſius vrbis accolæ, hoſpites Vincentius, & Orontius, qui deſiderantes martyrij lauream, relicta patria, in Hiſpaniam traiecerant, & ſuum pro Chriſto diffundere ſanguinem ſatagentes, in Pacem Auguſtam deuenientes, & Sanctum Leuitam inuenientes, ab illo humaniter ſuſcepti, in propriam domum recluſi, ibidem rebus ſuis adamuſſim enarratis, cauſiſque peregrinationis apertis, diuini Numinis præſidium quilibet pro cœpto opere flagitabat. Sed cùm tunc Ruffinus, vt leo rapax omnia circuiret, quem deuoret, quæritans,

tans, continuo in illius peruenit auditum, quod in domo *Victoris*, nonnulli Christiani peregrini delitescentes, in Principum, Imperiíque despectum, sui numini Crucifixi, quotidie intrepidi sacra soluebant. Quo audito Vicarius in furorem actus, in Leuitæ hospitium accurrens lictoribus stipatus, & cùm illic *Vincentium*, & *Orontium* deprehendisset, acribus in ipsos contumeliis effusis, in carcerem coniici, vt prima comperendinatione sisterentur, præcepit. Ad tribunal statuta ventum die, *Vt quid* (Ruffinus ait) *nobilitas Itala, illustris prosapia, & generosa indoles, Iuuenes strenui, si diualibus rescriptis rebelles, & Augustorum numina temnitis, & aliena Deorum nomina quaritatis? Princeps caput est Reipublicæ, vos vt istius membra, capitis insectari placita debere, ni monstruosè viuere cogitatis, debetis. Illorum est mens, vt omnes Imperij homines, vnam, æternam, & inconcussam tot sæculis illibatam Iouis, Deorúmque Populi Romani religionem, absque alterius immixtione conseruent, & sine diminutione amplectantur. Qui his sanctissimis resistunt placitis, monstruosis membris similes reputantur, & vt putrida amputandi religio est. Ergo aut Deorum iussa, & Augustorum imperata complecti, aut per pœnarum, & gladij rigorem ad ipsorum obedientiam deuenire, erit, cauteriis conuenientibus præmissis, necessum. De vobis maiora pro patriis ritibus, fauore intercedente, quem vobis à nostris Principibus exposcere, meum erit, lubens impendia expecto.* Cui intrepidè Martyres vno alloquio, & intemerata fide: *Principibus iniustis obedire mandatis Apostolicum præceptum est. Iusta Diocletianus imperet, & vt iusto obediemus capiti. At Ruffine, si hoc delirat, quæ membra tunc sequentur errorem? Si tu eius nomine nos sculptilia adorare compellis, qua ratione in tantum conueniemus delirium? Confundantur qui adorant sculptilia, pereant qui simulacra Gentilium venerantur. Ergo Dij Cæsaris, qui manufacti, sculptilia sunt? Si simulacra; Augusti, tu, & qui illa venerantur, & peribunt, & confundentur. Nos qui Deum Patrem, & Iesum Christum eius filium incessabili voce, infracto corde confitemur, & si corporis confusionem patiamur, non vt pereat, quia omnes capitis nostri capilli numerati sunt, nec minimus illorum deficiet, est ipsorum Deus sedulus custos, in æternum manentes illæsi, post huius ærumnosæ vitæ intercapedinem, ad visibilem Dei nostri intuitum, coronis flammantibus perueniemus.* Ignem oculis euomebat Iudex, & dentibus stridens, eum haud penè sella capiebat, & post blanditias, & alia promissa, quæ Martyres despexere, demum in illorum iugula sæuiens, illa præcidi rubore perfusus, & constantia confusus illico imperitauit. Nec mora, in locum Martyres deducti supplicij, amborum, oratione humiliter confecta, vnus præcidit capita mucro. Quo ad triumphum accedentes, illos excepit lætabundâ in cœlestibus Sanctorum, & cœlitum cohors, quos verè eadem passio fecit esse germanos.

S. VICTOR Leuita euentum inspectans, cùm corpora trunca, & capitibus ablegata conspexerit, suffragantibus venturæ noctis silentiis, in locum, quo sacra pignora abiecta cognouit, descendens, illorum frusta colligens, linteóque inuoluens in proprium deferens domicilium, ibidem non sine cordis affectu, & profusione singultuûm, lachrymarúmque copia, honestiori, quam potuit sarcophago collocauit. Nec hæc fuit actio incognita Iudici, quin potius, vt eius accepit audaciam, ad tribunal deduci iubet Leuitam, quò inter verborum insolentium dicteria, & verberum sæuientium ictus, vt similem patiatur pœnam, quam Martyres subiere, sine causæ cognitione damnatur. Satellitum manus in Martyrem irruentes sacrum, nec sententia contenti, vltra eius formam excedentes, Leuitæ brachia dilaniantes, postmodum in locum supplicij, quo & *Vincentius*, *Orontiúsque* occubuerant, deportantes, amputato capite Martyris, recessere, quo illius

victrix

victrix anima in cœlum ouans ingreditur. Omnia *Pater* Leuitæ, & *Aquilina* mater agnoscentes, illum horridæ mortis metus circundedit, matri æmulatio victoriæ hospitum, natique sancta coegit, vt pro Christi nomine, ad martyrij agonem descenderet. *Pater* perterritus sese vertere in fugam satagit. *Aquilina*, vt martyrio accedat compellit maritum. Vicit amor fœminæ Viri timiditatem, & vterque, qui coniunctione carnis vitam transegerant immaculatam, & ad mortem, Ruffino instante gloriosam, nec dissoluto iugo, licet corporum iugulo dissoluto Martyres cucurrere. Parentum, Filiique corpora à Christianis custodita, vnà cum exuuiis Sanctorum *Vincentij*, & *Orontij*, secreto cubiculo condita sunt. Donec post datam Ecclesiis pacem, quidam Pontius Paulinus, diuinitus admonitus, omnium pignora plaustro imposita, Angelis ductoribus, Italiam vsque perducere cogitauit. Sed cùm ad Ebrodunum in Galliæ Alpes vrbem pertingeret, taliter boûm vehentium plaustrum iuges illinc stetere, vt illo ab loco dimoueri haud possibile fuit. Quo Dei voluntate perspecta, apud Ebrodunum deinceps quieuere, & honorificè condita, omnium populorum deuotione culta, adhuc plausibili veneratione coluntur.

Istorum Sanctorum si acta desideras veriora, hæc perlegito, quæ cum antiquis Nostrorum historiis ad vnguem conueniunt, illa quæ excripsit Bollandus nec approbo, quia multa inaudita confingunt. Aliquot referam, vt eorum commenta innotescant. In c. 3. n. 10. Primo, Pontium Paulinum Episcopum Gerundensem assignant acta. Quis iste Præsul? Nullum inter illius Ecclesiæ Antistites, tali compellatum vocabulo reperies. Secundo, Si Victor Leuita Martyrum corpora in domus suæ reposuit cubiculo (vt eadem acta, ipso n. 10. referunt) vt quid Pontius pernoctauit pro reuelatione pignorum sacrorum? hæc Leuita à suo Episcopo valuit abscondere? Grauis inter sanctos diffidentia esset. Sed esto, quod euenerit, quod pernoctauerit, quod reuelarentur, quid est, quod ipsi Victori reuelationem referat, & plaustri conductionem commendet? Forte Victor, qui corpora sacra deduxerat, illorum ignorabat secretum? Absit. Omne merè commentum est. Maius n. 13. illic asseritur, quod quidam *Hactor nomine* (non nisi hic in Scænam adductus, & per embolium, aut tragulam inductus) *qui iussionem* (inquit confictor) *S. Pontij Pontificis erat impleturus reposuit corpora parentum S. Victoris, & cum plaustra præparata essent tres gloriosissimos Martyres Vincentium, Orontium, & Victorem Leuitam plaustris imponens*, perrexit. Huc huc accurrite veritatis amatores. Si reuelatio Pontio de pignoribus reducendis (adhuc in viuis Victore) in Italiam, tantùm *Martyrum meorum* (dixisse Christum fatetur n. 10.) *Vincentij, & Orontij* facta est, quo nutu, corpus *Victoris* in plaustrum imposuit, & Parentum pignora reposuit? De duobus alterum, aut contra Christi votum expressum operatus est, aut aliam à Domino reuelationem agnouit. Primum, nec erit credendum: Secundum, si euenit, inter atramentorij gosypia delituit. Adhuc peius figmentum ausculta. Martyrium istos impleuisse Sanctos ad annum CCCIII. aut circiter, manifestum est, vt infra dicemus. Eo ipso anno reuelatio (nam viuo S. Victore Leuita euenerat) Pontio fuit facta vt ipsa acta à Bollando excripta n. 10. referunt, Si ita est, quo miraculo, apud Ebrodunum suscepit hæc sancta lipsana S. Marcellinus ipsius vrbis Episcopus, qui vixit tempore Valentiniani, aut Theodosij, & ex ipsius actis constat, fuisse consecratum à S. Eusebio Vercellensi circa annum CCCLXX. Ergo aut Pontius seu Hactor consumpsit in itinere sexaginta, & septem & amplius annos, quod erit ridiculum. Aut vixit alius Sanctus nomine Marcellini Episcopi Ebrodunensis, per illa tempora; quod est apocriphum. Aut acta sunt haud absque suspicione; quod verius credo. Nec in hoc sunt audiendi P. Biuar. ad Dextr. n. 14. Com. 2 fol. 369. & in Indice, verb. Pontius, qui hunc Pontium facit Episcopum Ebrodunensem. Quia si ex Gallia, diuina reuelatione motus Pontius in Hispaniam deuenit, pro aduehendis sacris exuuiis ad suam sedem, ad quid currus affixio apud illam vrbem miraculosa vocitatur? si illinc adsportabantur, quæ causa miraculi? Ergo perperam Pontius Ebrodunensis asseritur Pontifex. Minus Roderici caro sententia amplectenda est, dicentis, hunc fuisse Paulinum Nolanum, quia inter vtrosque diuersa concurrere tempora. Nec erat

hæc

hæc actio omisibilis in eius scriptis; esto quod suo euenerit æuo. Crediderim hunc S.Pontium Paulinum non Episcopali dignitate fuisse promeritum, cùm nec Ecclesiæ, nec tituli vocabulo Dexter vtatur, sed forte quiuis alius fidelissimus Domini seruus, qui talia à Christo meruerit. Alia nonnulla imperfectionum in illorum actorum stamine deprehenderentur, si intuerentur attentius, sed prolixitatis gratia omittere erit in votis.

De Anno *Martyrij* Noster Fl.Dexter agit, sed illum ad CCCVIII. consignat. Baronius ad annum CCCIII. Leuis est dissensio. Igitur ipsos Martyres passos creditur Imperantibus Diocletiano,& Maximiano, Summum Pontificatum obtinente S.Marcellino.

Pax Avgvsta. Ciuitas est Episcopalis Hispaniæ, hodie Badaxoz, inter Extremaduræ vrbes,& antiquitate illustris, & amœnitate conspicua. Grauis olim dissensio inter Scriptores Nostros,& Portugallenses exorta diffundebatur, An hæc *Pax Augusta* eadem fuisset, ac *Pax Iulia*, quæ hodie dicitur *Beja* in Portugallia? Scindebatur in contraria Scriptorum calamus. Vnusquisque & euolabat pro patria,& certabat pro suis. Andreas Resendius Portugallensium doctissimus, acerrimus fuit pro *Beja* dux, vt ex Antiquit. Lusitan. lib.4. & in Epistol. ad Vasseum pro Colon. Pacens. patet. Hunc sequuntur Barrer. in Geograph. Lusit. Nonius in sua Hisp. c. 33. Ambros. de Moral. lib.9. c.32. Bernard. Brito in Geograph. Lusit. c.4. Pro *Badajoz* Vass. in Chron. in Nomenclatura Episcopatuûm. P. Mariana lib.5. c.25. P. Biuar. & Roder. Caro ad Dextr. in Chron. ille ann.64. n.6. iste ann.308. lit.F. fol.119. Roder. de Osma in integro tractat. *de las Antiguedades de Badajoz*, & alij propè innumeri relati à Roder. Mend. Silua in Populat. Hispan. tit. de Extremadura, c.... Contrariorum sententia tenet quod *Pax Augusta* eadem est, ac *Pax Iulia*. Nostri quod diuersæ fuere vrbes. Alia cognomine *Iulia*, quæ *Beja*. Alia vocabulo *Augusta*, quæ *Badajoz*. Ptolom. in Turdetanis Lusitaniæ consignat vrbem *Pacem Iuliam*. Plinius lib.5. c.32. meminit *Pacis Augustæ*. Cui adhæret Strabo lib. 3. Geograph. & Abraham. Ortel. in Thesaur. verb. Pax Iulia. Vtramque confundunt Portugallenses. Vtramque diuidunt Nostri. Quis eorum accipiet pallium? Flau. Dexter pro nobis est, sic ann.64. n.6. *Hoc enim anno Martyr fit* (quidam Martyr anonymus) *in* Pace Augusta *vrbe Hispaniæ, ad Anam fluuium appositim vrbi præclaræ.* Et ann.308. loquens de Nostris SS. Martyribus, sic: *Apud* Pacem Augustam, Anæ flumini appositam. Ergo si Anæ flumini *Pax Augusta* adiacet, quo prætextu de *Pace Iulia* XXXII. M. P. dissitæ à flumine Anæ, verificabitur Dextri situatio? Eandem consignauit S. M. Maxim. in Chron. ann.529. loquens de *S. Apringio*, qui fuit *Episcopus* Pacis Augustæ *in Hispania non procul ab Emerita Augusta, quæ* Pax *Anæ fluuio apposita est.* En diuersitas vrbium. Illam discrepantiam agnouit Ginef. Sepulueda apud Vass. in Chron. c.20. Aubert. Miræus in Geograph. sacra. fol.380. Pro hac est antiquus lapis in vrbe Pacis Iuliæ apud Grut. fol.

Pace Avgvsta.
Crasso Ivniori. M. Crassi. F. Patria.
Lobetanorvm Servata qvæ Ivre.
Belli Militi in Prædam danda.
Erat Popvli Lobetani Viri.
Magna virtvte servati.
Statvam ei in Ære Avratam.
In aditv templi deæ Bellonæ.
Posvere.

Alia, quæ ad huius vrbis illustrationem pertineant suis in locis interseremus; hic dicta sufficiant, ad locum tumuli pergo.

Ebrodvnvm, siue *Ebredunum* Ciuitas est Archiepiscopalis Galliæ Narbonensis in Allobrogibus, intra Alpes Maritimas, ad Durantium flumen, super Saxo in valle, montibus altis cincta, non admodum ampla, at antiqua, & difficilis expugnatu. Hodie

Hodie EMBRVM. De ea Ptolom. & Anton. in suo Itinerario, vbi Zurita fol. 354. Aubert. Miræus. Notit. Episcopat. lit. E. fol. 315 Carol. à S. Paul. Geograph. Sacra. lib. 5. §. fin. fol. 156. Abraham. Ortell. in Thes. Geograph. verb. Ebrodunum. Bolland. h. d. n. 1. fol. 389. tom. 2. Notit. Veter. Prouinc. Galliæ, apud Duchesne tom. 1. fol. 6. & alibi.

SS. INVENTVS, *& Socij.* Illorum memoria vix inter Martyrologiorum Scriptores reperitur, licet Philippus Ferrar. in Catal. General. SS. h. d. fol. 40. sic eorum compaginat elogium. *Gerundæ in Hispania* S. Inuenti, *& aliorum Trecentorum, Quinquaginta nouem Martyrum.* P. Ioann. Bolland. in act. SS. tom. 2. h. d. fol. 414. Qui acta à P. F. Antonio Vincentio Domenec in Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 119. Hieron. Pujades Hist. Cathalon. lib. 4. c. 72. fol. 208. col. 4. desumpsit, in hæc verba.

ACTA EX P. F. ANTONIO Vincentio Domenec Ordinis Prædicatorum, de SS. Cathaloniæ.

Cum Imperium Romanum administraret Diocletianus, vt vir erat astutus, & sagax, statúsque sui amplificandi, ac nominis ad posteros quoque propagandi studiosus, Deorum suorum sibi ad id conciliandum fauorem iudicauit. Frequens igitur ab iis responsa exposcere, magnifica, & multa offerre sacrificia. Cúmque in re graui, & ardua idolum quoddam consuluisset, post longam moram, id tantum tulit responsi: *Silentij sui causam esse homines iustos, qui in Imperio Romano commorarentur.* Hoc per idoli sacrificulum affatus dæmon, conticuit. Quærere Imperator, quinam ij sint iusti. Respondetur, indubiè Christianos esse, qui quocumque aduenirent nemini quidquam iniuriæ inferrent, ac bene de omnibus mererentur, eámque videri perfectam iustitiam. Hæc erat tunc Christianorum vitæ ratio. Hinc oblata impio homini occasio decimæ excitandæ aduersus Ecclesiam persecutionis, longæ immanissimæ,

Continuo conferta Christianis captiuis ergastula, cùm impunè latrones, sicarij, adulteri, grassarentur. Eripi cœpta innocentibus vita, dari mille suppliciorum reis libertas. Accessit impio Principi consors, adiutórque crudelitatis Maximianus. Missus ab his in Hispaniam Præfectus Dacianus, eorum sæuitiæ strenuus administer. Hic Emporiæs venit, vbi comprehensum S. Felicem, Ruffino Legato suo tradidit, à quo est interemptus. Ab his quoque *CCCLX. Martyres,* quos Ecclesia Collegiata S. Felicis veneratur, aut eorum plerique affecti martyrio sunt. Huius coniecturæ fidem facit Epistola, quam Vir illustris D. Berengarius Episcopus Gerundensis anno M. LXXXVII. ad Sigarhdum, Monasterij S. Afiæ Augustæ Abbatem scripsit, qua testatur se ei mittere manum S. Romani socij S. Felicis. Cùm igitur constet Felicem Ruffini iussu necatum, consequens est S. Romanum, eius & peregrinationis, & certaminis socium, iisdem Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus palmam martyrij adeptum. Qui proculdubio fuit vnus ex trecentis & sexaginta istis Martyribus.

Eadem Diocletiani, & Maximiani persecutione occisus est S. Narcissus, cùm rei diuinæ operaretur, cui plurimi videntur, pro illorum temporum pietate, sacrorúmque peragendorum, aut participandorum rariore opportunitate, adfuisse, quos omnes in eundem referimus numerum. Idem dici posse de *S. Inuento* videtur, fuisse ex eorum Sanctorum Atletarum felici cœtu. Opitulatur præcipuè *S. Inuentus* quartana febri laborantibus, cuius rei gratia magna ei adhibetur veneratio. Eius in eadem S. Felicis Ecclesia imago cernitur in tabula Altaris B. Virginis del Rosario, vti & in veteri fuerat. Consueuerant olim pridie eius celebritatis vigilias in eadem æde agere. Hæc ab eiusdem templi Sacerdotibus omnia accepi.

Numerus

Numerus eorum Sanctorum omnium Martyrum colligitur ex compendio quodam Indulgentiarum Ecclesiæ S. Felicis excuso; in quo dicitur: *Isthic requiescunt corpora Sanctorum Narcissi, & Felicis, & aliorum CCCLX. Martyrum.* Idem asserunt quædam Bullæ Pontificiæ quæ in eius Ecclesiæ extant archiuio.

Hactenus Domenec, & eadem Pujades, qui expressè fatetur hos SS. Martyres fuisse de illis Christicolis, qui accesserant pro audienda Missa S. Narcissi tempore, quo ab infidelibus expetitus occubuit, & in Christianos sæuientes, hos CCCLX. Martyrio coronarunt.

De consuetudine inuocandi S. Inuentum *pro opitulatione febris Quartanæ*; En antiqua Collecta, quæ à multis retro sæculis ab Ecclesiæ illius ministris decantari solebat:

Oratio S. Inuento pro sanitate Quartanæ.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus, vt intercedente B. Inuento *Martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.*

Item aliorum CCCLX Martyrum memoria veneratione debita à multis, & merito, recolitur. Nam sæpè sæpius eorum intercessione, & ciuitas, & ager ab imbrium, & fluminum alluuionibus præseruata dignoscitur. Quo veneratio ipsorum hac in sacrificiis, & deprecationibus, cum collecta perseuerat.

Oratio SS CCCLX. Martyribus Gerundensibus.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus, vt qui Sanctorum tuorum, quorum corpora hic requiescunt, natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, eorum intercessione liberemur. Per Dominum.

Apud illius regionis accolas idiomate proprio *S. Inuentus* vocitatur communiter *S Trobat*, quæ vox latine sonat *Inuentus*, & vt coniector, hoc non proprium Martyris fuisse nomen, sed appositiuè introductum, vt euenit in *S. Adaucto*, & aliis, quorum ignorata vocabula, ex accidenti, quæ agnoscimus, perseuerant.

ANNVS *Martyrij*, cum idem sit, ac martyrij S. Narcissi, à fortiori tenendum est, euenisse ad annum CCXCVII. vt probat Domen. ex Velsero in vita S. Afræ. Quo anno Imperij Romani Diocletianus, & Maximianus, Petri claues tenebat S. Marcellinus.

GERVNDA De hac vrbe diximus supra die XVII. huius Mensis, primámque expressimus de conditore sententiam. Num aliam subiiciemus. Ergo non à Gerione conditam, vt diximus, sed ab eius filiis trigeminis, quos antiquitas *Lomnimios* vocitabat, ideóque ab illis & *Lomnimia* hæc vrbs compellata cognoscitur. Huius opinionis auctorem exhibeo Hieronym. Pujad. Hist. Cathal. lib. 1. c. 17. fol. 15. qui Ioannem Sedenyum allegat. Et hoc meo videri intendebat dicere Ioann. Ger. Episc. in Paralip. Hisp. lib. 1. tit. de vrbib. ante Hercul. aduent. cum appinxit hanc vrbem triangularem fuisse extructam, & in vnoquoque anguli latere arx, & in qualibet arce vnus ex Gerionibus domicilium tenuisse. Quidquid sit, hanc reiiciunt sententiam plurimi, suo loco quid sit tenendum proponere curabimus.

DECIMO KALEND. FEBRVARII, DIES XXIII.

A. *Toleti in Carpetania natalis* S. Ildephonsi *ipsius Episcopi Ciuitatis; qui natus, in ea vrbe, toto fuit in orbe notus, vicißitudine immunis ætatum, illibato candore ad obitum, infans; grauitate morum ab ortu, senex; viridi virtutum iuuenta; maior homine Vir, Viróque maior, & homine Monachus; Cui Virginis Matris, Filius Virginitatis vindicias Virgini commendauit ad quem Leocadia Martyris, Mater, interuentu, obstupescente orbe, & admirante vrbe, grates facinoris delegauit. Cui ipsa Virgo Virginum, concentu cælitum, obsequio siderum nostras descendens, alloquitur, veste cælesti illum induens, Toletanam Basilicam sacrauit. Pontifex integritate conspicuus, sapientia præditus, miraculis clarus, ad secundam, æternámque remunerationis gloriam, ab hinc emeritus euolauit.*

B. *Ancyræ Galatiæ paßio* S. Agathangeli *Hispani ex matre* Illicitana, *qui à B. Clemente Ancyranæ vrbis Antistite sacro chrismate delibutus, ipsique adhærens, demum Diocletiani, & Maximiani persecutione comprehensus, & Romam vinctus cum Episcopo missus, è carcere aufugiens, post resipiscens, & ad ergastulum rediens, immanißimis suppliciorum generibus agonem compleuit.*

C. *Apud Betullonem Hispaniæ, prope Barcinonem martyrium* S. Anastasij *Ilerdensis Ciuis, &* LXXIII. Sociorum Militum, *qui sub Decio Imperatore, cùm in Romanis Legionibus apud Ilerdam subscripti, Christo militarent, pro eius fide comprehensi, primò Tarraconæ, pòst Barcinonis, demum Betullone in vinculis acti, per vlcerum pœnas, ad cælitum gloriam intrepidi peruenere.*

NOTÆ.

NOTÆ.

A SANCTVS ILDEPHONSVS. En natalis illius Illustrissimi Dei Matris Virginis *Sacellani* festiuitas, omnibus veneranda se offert. Ecce ipsius intrepidi *Anchoræ Fidei* celebritas repetitur. En Hispani *Chrysostomi* dies mirabilis consecratur. Cuius Ecclesia concelebrat Catholica honorificis trophæum iubilationibus, *Toletanaque* omnium Hispaniæ mater splendens, Phœnix in sui Pastoris, & Patroni rediuiua triumphum, iteratis modulationibus. Quo submittens corda, voces, & opera, amoris indicium lætabunda demonstrat, vt illi, à quo tot meruit fauoribus honorari, tot honoribus faueri, tantum muneris debitum, obsequiis interuenientibus rependat. Istius elogia aggreditur calamus, effectui suppleat affectus, & pro insufficientia deuotionis ardor adsistat. Igitur illius natalem, hoc die, conscribunt manu exarata, excussaque Martyrologia. Quorum si referre insignia licuisset elogia, vt ipsissimis codicibus conscripta reperio, longam potius, quam necessariam prouinciam aggrederer, ideóque insignioribus contentus, cætera, nominum consignatione probatus, omittam. *Toleto Ciuitate* (inquiunt MSS.) *Sancti* Ildephonsi *Episcopi, & Confessoris, fide, & doctrina clarissimi. Qui* (addunt aliqua) *miro deuotionis studio, laudem, & honorem B. Dei-Genitricis, & semper Virginis excoluit.* Pro omnibus M.R. sic: *Toleti* S. Ildephonsi *Episcopi, qui ob insignem, singularémque vitæ integritatem, susceptámque defensionem aduersus Hæreticos Dei-Genitricis virginitatem impugnantes, ab eadem, candidissima veste donatus est, & demum sanctitate celebris in cælum vocatus.* Quibus conueniunt Maurolycus, Molanus, Galesinus, Alex. de Peregrinis, Felicius, Ghinius, qui *Canonicum Regularem* appellat. Martyrolog. Lusitan. Castell. P. Dionys. Vasquez. Hispanum MS. P. Hieron. Rom. Benedictinum Vvionis, Dorganij. Hugonis Menardi, Dominicanum, & pleraque alia innumera. De illo antiquitus ferè apud omnes Hispaniæ Ecclesias celebris festiuitas, vt in Breuiariis Hispalensi ann 1498. 1528. Compostellano 1468. Palentino, Placentino, Asturicensi MS. apud me Era 1346. Benedictino, Dominicano, & in aliis, quorum recensere catalogum, longum erit. Duo Toletana peruetusta alterum ann. 1505. alterum 1564. Eius acta compaginarunt ex antiquioribus Zixila eius successor in Sede, & Iulianus, licet breui compendio, post aliam longiori calamo vitam scripsit P. F. Michaël de Carranza Carmelitanus in eius operum à se editorum exordio Valentiæ 1556. Alias Hispano sermone Doctor Salazar de Mendoça Canonicus Toletanus, P. Portocarrero, & P. F. Alphonsus Vasquez D. Thom. Tamayo de Vargas, qui Zixilæ acta notis illustrauit, quam suis inseruit Bollandus tom. 2. fol. 536. Alteram Abbas Caetanus, & D. Episcopus Turiasonens. de Primat. Toletan. tom. 1. p. 1. c. 14. fol. 322. Agunt de eo Truxill. in Thes. Concionat. tom. 1. fol. Marin. Sicul. de Reb. Hispan. lib. 5. Vass. in Chron. c. 20. P. Ioann. Marian lib. 6. c. 10. Mariet. Hist. SS. Hisp. lib. 5. c. 49. Ambr. Moral. Hist. Hisp. lib. 12 c. 39. fol. 154. Franc. Piss. Hist. Tolet. lib. 2. c. 14. D. D. Prudent. de Sandoual in fundat. Mon. S. Benedict. lib. 13. Anton. de Yep. Hist. S. Bened. tom. 1. cent. 1. Ann. 554. c. 5. & tom. 2. cent. 2. ann. 657. c. 2. Padill. Hist. Eccles. Hispan. cent. 7. c. 48. Ioann. Maldonat. in Compend. vit. SS. fol. 53. Petr. Equilin. in Catal. SS. lib. 1. c. 76. licet XV. Kal. Ianu. eius consignet, & perperam natalem. P. Anton. Belinghen in Kal. Marian. h. d. fol. 42. Fasti Mariani h. d. fol. 54. in quo celebre elogium. P. F. Francisc. Feu-ardentij in scholiis ad librum de Virgin. B. Mariæ. Parisiis 1576. Ioann. Magn. Episcop. Vspalens. Hist. Gothor. lib. 16. c. 21. Ioann. Trithem. de Scriptor. Eccles. fol. 201. Baron. Annal. Eccles. tom 8. Ann. 667. n. 4. Surius tom. 1. Cornel. Grass. in act. SS. tom. 1. fol. 457. & nonnulli alij, quos infra suis in locis referemus. Nunc acta ex peruetusto Asturicensi Legendario MS. ab Era M. CCCXLVI. Anno Domini M. CCC. VIII. subscribam.

INCIPIT LEGENDA B. ILLEPHONSI Archiepiscopi Toletani secundum Regulam Asturicens. Ecclesia.

PRÆFATIO.

Beati Illephonsi cujus hodie natale illud gloriosum, quando gloriosa eius anima mole carnis libera, cœlo nata est, quando ab Angelis, & Archangelis, cœlo suscepta est, quando in æterna beatitudine cum cæteris sanctis glorificata est, celebramus. Illius gesta, & quas adhuc in corpore manens vidit reuelationes, nobis dilectissimi, narraturi, priùs hortamur vos, vt ea veluti boni auditores, diligenter audiatis, diligentiúsque attendatis, & sicut præsens vobis recitanda narrabit historia, ita esse confidenter credatis.

Sanctus igitur *Illephonsus* Vir honestæ vitæ, vrbe Toletana oriundus, Toletanis *Stephano, & Lucia* nobilissimis parentibus progenitus, tàm generositate, quam moribus præclaris, possessionum, & multarum diuitiarum locupletibus. Quos Deus tanta virtutum, & gratiarum abundantia, & morum honestate dotauit, vt omnes Regiæ vrbis magnates, longissimo superarent interuallo. Nonnullam hi tantarum opum suarum partem, pauperibus, honestisque locis annis singulis conferebant. Vtque interim complura eorum insignis memoriæ opera silentio prætermittamus, hoc vnum obiter ab eisdem Sanctissimis Viri Dei progenitoribus factitatum insigne opus memorabimus, Proseucham nimirùm, in Suburbio Toletano, qua miseri, & calamitosi pauperes, & fouerentur, & alerentur, propriis sumptibus mirificè constructam. Quibus per multa annorum spatia in sancto matrimonio, sine prole vitam ducentibus laudatissimam; Lucia mater, Virgini MARIÆ sedulum quotidie exhibebat officium, deuotissimis precibus, ac lachrymoso singultu, ab ipsa filium postulans, quem eiusdem obsequio perpetuo, honorique manciparet. Beatissima tamen Virgo precibus non defuit supplicantis. Quippe cum perseueranter orasset, longissima neutiquam expectati doni dilatione turbata, clementissimam Dei Matrem, corpore licet dormiens, corde tamen non segniter vigilans, nocte quadam videre promeruit; huncque eidem gloriosa Virgo, in somnis fuit affata sermonem: *Quia infracto animo, iustissimas preces mihi diligentissima obtulisti, assequeris haud dubie, quod fideliter postulasti; pulsoque procul mœrore, gaudium experieris optatum. Filium namque tibi eximia sanctitate fulgentem, honorisque mei acerrimum defensorem, & Ecclesiæ Catholicæ clarissimum sydus, cœlesti dono promitto. Hanc denique lucem ex te Lucia nascituram intellige, quæ prodigioso radiorum splendore, totam, hæreticorum tenebris, offuscatam Hispaniam sine intermissionis nebulis illustrabit.* Absoluta itaque promissione recessit visio. Mox Lucia voti compos effecta, concepit filium, & impleto tempore nimis læta parturiens, in lucem edidit, quem lux diuina promisit. Qui domum lætificans, familiam illustrans, Toletum honorauit, Hispaniæ terminos decorauit, & Dei Ecclesiam mirabilibus ampliauit. Baptizatur Infans, ac diuino nutu Illephonsus vocatur. Tenerrime quidem puerulus à matre dilectus, non parùm deuotè, ac religiosè ab ipsa educatur. Vix enim erat duorum annorum, quando ætas infirma, vires tenellæ, captus imbecillis, affectusque ad eximia immaturus esse solet, & iam iam infans sanctissimus *Salutationem Angelicam*, à matre religiosa, non minus fructuosè, quàm di-

ligenter edoceretur, quam adeo infans memoriæ fixit, vt vix aliud in ore toto die gestaret. Crescebat sensim, & corpusculi membra paulatim solidans, animi dotes ad virtutes, studiáque repente conuertit. Temporibus autem Aurasij Toletanæ sedis Metropolis Episcopi, virtutis, ac eruditionis nomine clari, & Christianæ literaturæ titulo singularis, vir erat Eugenius, sanctitate, ac omnigena sapientia celebris, Ecclesiæ Toletanæ primùm Clericus laudatissimus, post autem, progressu temporis, eiusdem Metropolitanus Antistes, & *Beati Illephonsi* auunculus. Huic Sanctissimus Puer grandioris ætatis à parentibus traditur instituendus. Quem cùm Eugenius auunculus, puerilia prorsus obliuiscentem, animum ad maiora, & præstantiora protinus conuertisse, & in Christiana philosophia non vulgariter consummatum omnes coætaneos, cùm scientia, tùm etiam virtute, honestatéque superasse videret; aptiorem locum, vbi sanctissimi Pueri pectus consummatam ebiberet disciplinam, & omnium scientiarum encyclopædiam absolueret, cœpit inquirere diligenter: Eugenio tandem Isidorus Hispalensis Episcopus, primùm in mentem venit, quem sic vnicè diligebat, & vicissim alter amabatur ab altero, vt nulla præter hanc, eo tempore, haberetur amicitia consummatior. Isidorus autem Hispali collegium construxerat opulentum, in quo selecta adolescentum ingenia excolerentur, & in desideratissima Theologiæ sapientia prorsus erudirentur. Cuius nomen celebre, vndéquaque diffusum id effecit omnino, vt multi eo confluerent, in quo, & summoperè floruere. Eo se *B. Illephonsus* contulit, literis à B. Eugenio acceptis, quibus B. Isidorus nimis lætus, & hilarior factus, ceu filium recepit commendatissimum, ac ipsum in præfato collegio accersiri iussit. Quo *Illephonsus* cum illius esset subiectus dogmatibus, honestis exercitiis toto mentis affectu superintentus, ab illicitis omnibus abstinendo, coadulescentulos, quos in liberalibus secum elaborantes habebat, ad benè operandum incomparabiliter informabat. Nullus enim, eo studio, suæ lectioni instabat, nullus frequentius orationi vacabat. Motus illicitos carnis, quos necdum experimento senserat, sed quos, viuificante doctrina, humanam naturam infestare didicerat, volens in se deprimere, suum castigabat corpus, & in seruitutem debite redigebat. Cùm igitur Sanctissimus Vir laboribus multis, vigiliis assiduis, frequenti exercitatione, omnigenam eruditionem, cum summa probitate coniunctam, vt in votis erat, fuisset consequutus omnino; à B. Isidoro gratia & benedictione suscepta (expleto in illius contubernio duodenario) proprios decreuit repetere lares. Hunc igitur sic eruditum Ciuem, virtutibus, ac generosis viris Hispalensibus stipatum, Toletana felix patria recepit. Ibi autem cùm se totius eruditionis titulo, singularem, & acumine ingenij nemini ferè secundum, facundia præditum, scribendi stilo facilem, atque deuotum, morum grauitate eximium, & vitæ sanctitate præclarum ostendisset, Venerabilis Helladius Toletanæ Sedis, tunc temporis, Metropolitanus Episcopus, qui Ecclesiam Toletanam Octodecim rexerat annis, vltimo vitæ suæ tempore, ipsum Leuitam ordinauit, quemadmodum ipsemet de seipso testatus est. Mortuo etiam Helladio, ab omnibus, qui post ipsum secuti sunt Archiepiscopis, plurimum Vir Sanctissimus adamatur. Iustus eiusdem Sedis successor Helladio, & in monastica eruditione discipulus, Beatum Virum plus cæteris diligebat. Post quem Eugenius, etiam S. Helladij, & discipulus, & successor, Sanctissimo Viro se nihil charius possidere putabat. Tandem B. Eugenius *S. Illephonsi* auunculus, & prædicti Eugenij successor gloriosus *Diuum Illephonsum* Ecclesiæ Toletanæ

Archidiaconum fecit, ac Vicarium suum, totiúsque Episcopatus visitatorem generalem instituit. Qui cùm honores huiuscemodi, veluti sibi plus satis onerosos moleste ferret, profundiúsque cadere timeret, dum altius eleuaretur, obedientiæ merito, & regularis obseruantiæ iugo submittere colla duxit. Re igitur maturè considerata, diuino spiritu ductus Agaliense Monasterium Ordinis S. Benedicti, secrete quoad eius fieri potuit (vno tantum rustico, qui ipsum euntem viderat excepto) mutatis vestibus adiit. Pater verò ab ipso rustico certior factus, cùm filium vnicum, & omnium hæredem bonorum optatum, monachum futurum in Agaliensi suspicaretur cœnobio, Magnatum magna comitatus caterua, illum insequitur. Quem filius iratum timens, diuertit paulisper à via, & sub vmbrosa petra, quousque transiret pater, Vir Sanctissimus latitabat. Quid plura? Subito iratus pater monasterium inuadit, vim armis adaugens ingreditur, Abbatem Deodatum, cæterósque monachos, atque adeò totam domum destruere pollicetur, nisi aut filium restituant receptum, aut deinceps venientem à monachali consortio sine mora repellant. Cui Abbas, cæteríque Agalienses Monachi religiosè responderunt, se neque filium, neque alium quempiam iuuenem recepisse. Furibundus itaque recedit pater: ac intrepidus accedit filius: Deodatum humilis salutat Abbatem, votum copiosè explicat, séque ibi postulat monachum fieri. Quem cùm Deodatus doctum, & illustrem colligeret, Comitio illum offert, & (ô mira res, & beati Abbatis dignitas admiranda) facili negotio ad communem ipsorum viuendi modum ab omnibus recipitur religiosis. Quos tunc deuotissima, & eleganti concione *B. Illephonsus* ita lætos reddidit, vt hominem sibi diuinitus datum singuli faterentur. Cæterùm pater, re protinus intellecta, &iam orbatum filio seipsum sentiens, quodam furore repletus, & mentis spasmo proculdubio cæcus, apud D. Eugenium Antistitem leuirum, de Abbate, fratribus, & monasterio conquestus est, & cunctis ferox ruinam minatur, quòd filium vnicum, & vnicè dilectum, eo inuito, monachum reddidissent. Tunc temporis B. Eugenius patrem magna sermonis acrimonia redarguit, & vti dignitas personæ exigebat increpans, dixit: *Nosti filium tuum, in Ecclesia Hispaniarum primate à me plus cæteris honoratum, nosti diuitem, nosti meo fauore vnquam destitutum, nosti à cunctis adamatum, beneuolum, & exaltatum, in quibus vita singularis, & morum probitas, praestabilem, & gloriosum effecit: non elatum, sed oppressum, non superbum, & exaltatum in mirabilibus super se, sed humiliorem cunctis, abiectum, atque despicabilem valdè. Hæc omnia nostrâ, siue pro dignitate collata, vti stercora arbitratus est, solùm vt Christum nudum, húncque Crucifixum lucraretur. Quid tu ergo effrænis cogitas contra stimulum calcitrare? Ecquis poterit resistere spiritui, qui in eo fortior operatur? Caue igitur audax, ne dum ineptè carni modicum adquiescis, non reddens quæ sunt Dei, Deo, spiritum in die mala experiaris afflictum.* Flectitur hic pater, & à Deo (vt creditur) repente mutatus, ab incepto prorsus diuertit adsensu. Attamen læta mater Lucia, clarissimis comitata fœminis Toleti, monasterium adgreditur, Abbatem, cæterósque illius professionis monachos salutat vrbanè, alloquitur prudenter, ac pro filio, eorum cœtui coniuncto, gratias retulit ingentes. Tum filium sibi videndum tradiderunt. Quem cum insolita lachrymarum affluentia, charitatem, pacem, ac ordinis laudatissimi rigorem, & obseruantiam, plurimùm inter cætera commendasset, in Domino benedixit, se suáque omnia monasterio seruitura promittens. Quod etiam pater sequenti die lachrymis, & suasionibus amantissimæ delinitus

vxoris, præsentibus viris claro stemmate natis, & promisit, & præstitit. *S. Illephonsus* parentibus suis pacatis omnino, & à propria sententia prorsus declinantibus, se totum Deo, regularisque obseruationis iugo submisit, ac Domino studiosè deseruiens in vigiliis, & orationibus, & rebus literariis, totum tempus, vsque adeò consumebat, vt omnes illius cœnobij fratres tantam huius viri sanctitatem, haud immeritò mirarentur. Transacto autem alicuius temporis spatio Abbas, Deodatus præsentis vitæ miserandos labores, æterna gloria pacificè commutauit. Quæ cum monachi de Abbate deligendo in vnum conuenissent. *Illephonsus* omnium suffragiis, pastorali cura, cæteris dignior inuenitur, & vt onus iniunctum subiret, ab omnibus electoribus rogatur. Sed ô vera Sanctissimi Patris humilitas, renuit omnino, ac se tanto honore indignum, laboriosæque Pastoris curæ disparem publicè confitetur. Vtpote qui ætate, scientia, moribus, & sanctitate, vel eorum minimo esset inferior, & in monastica vita parum exercitatus. Cæterum cùm illi vehementius vrgerent, & supplices iuxta vniuersorum suffragia, dignum esse iterum repeterent, non potuit Sanctissimus Vir, tantorum patrum ætate, vita, & eruditione venerandorum votis, piisque ipsorum desideriis non adquiescere. Curam ergo illius domus non honoris causa, sed potius, vt huiusmodi onus, ac laborem subeundo, opportunius inseruiret Deo, suscepit. In cuius muneris principatu, taliter se gessit, vt non arrogantior, non elatior, sed & inde humilior factus. Prius erat inter omnes sanctitate specialis, deinde factus est minister omnium singularis. Solus res Ecclesiæ ordinabat, omnibúsque ministrabat necessaria. Mores omnium circumspiciebat, qualitatésque prouide attendebat morum. Singulis provt iustum, & necessarium sibi arbitrabatur, se exigebat promptissimum. Mansuetis erat mansuetus, contra offensos verò, offensos habebat adfectus; hinc de illo dicitur: *Ensis in offensis, erat Abbas Agallensis.* Norma verò Monachorum in omni sanctitate ordinata decenter. Parum verò post susceptam Pastoralem administrationem, Stephano orbatur patre. Mater etiam post annum periculosè cœpit ægrotare, & ad extremam vitæ suæ horam perueniens, cùm Beatissimæ Virgini Mariæ esset deuota, meruit ante mortem Mariæ Deiparæ visione frui, ac dulci frequentíque ipsius colloquio consolari, vt sequenti die, facta re diuina, gloriosè obdormiret in Domino. Sanctissimus filius matrem iuxta patris sepulchrum, vt personæ, & meritorum dignitas postulabat, honorificè sepeliuit. Deinde verò parentum suorum hæreditate suscepta, in honorem B. Virginis in villa quæ Biensis appellabatur, Virginum ædificauit cœnobium, & propriis facultatibus sufficienter ditauit. Concilio autem Toletano X, sub B. Eugenio Archiepiscopo Toletano, Fugitiuo Hispalensi, & Pontamio Bracarensi, aliisque XXII. Episcopis *B. Illephonsum* creditur Abbatis nomine interfuisse. Nam institutum legimus ibi festum B. Mariæ semper Virginis, quod etiam nunc tota Hispania *Expectationis* nomine celebratur VIII. ante Seruatoris Nostri natale Quod nutu, & voluntate Sanctissimi Viri B. Virginis, singulariter deuoti, creditur factum. Quia vt Conciliorum habet volumen, dies solemnis *Annunciationis* frequenter cadit in diem ita propinquam Passioni, aut Resurrectioni Dominicæ, vt ab Ecclesia, & Christiano Populo, die proprio de more celebrari nequiret. Hoc autem festum postmodum fuit celebrius Hispanis, eo quòd B. Dei Mater, eodem die apparuit *S. Illephonso*, vt statim explicabitur. Nono quidem anno Catholici Regis Reccesiunthi moritur Eugenius Toletanæ Sedis Episcopus, postea verò in Diuorum numerum

relatus,

relatus, cui omnium eligentium consensu *Illephonsus Abbas* licet inuitus, meritò subrogatur. Mox verò Pontificali potestate accepta, thesaurum viuificantis doctrinæ diù ante reconditum dato tempore reseruauit, Nam ne ministerium sibi creditum, velut seruus inutilis vsurparet, prædicationis mensam subiectorum mentibus præparabat, in qua pro diuersorum qualitate, diuersorum genera ferculorum discretissimè apponebat. Alios admonebat in orationibus vigilandum, in fletu, & planctu. Aliis secretorum sacramenta cœlestium reuelabat; aliis, ne margaritas ante porcos spargere videretur, penitus occultabat; alios dulci alloquio demulcebat; alios virga discretionis corrigebat, non ferrea: alios redarguebat modestè, alios Matris Ecclesiæ sinu fouebat; alios à communione sequestrabat ad tempus; alios delictorum satisfactione præhabita, ad communionem, vt primitus reuocabat; ad hoc enim istius Sanctissimi Viri tendebat intentio, vt in grege sibi commisso glorificaretur Altissimus. Hoc tempore, cum tres hæretici ex Gallia Gothica in Hispaniam, eructati deuenissent, & inuiolatam MARIÆ virginitatem, sacrilego ore, & prauo pestilentis animi dogmate, essent polluere conati, impij Arrij volentes virus procaciter excitare, protinus à Sanctissimo Pontifice: vt Virgini deuoto gratissimo, orationibus, & gemitibus præeuntibus, & ab ipsa humiliter auxilium postulante, suumque honorem fideliter zelante, facundiæ gratia, & Scripturarum testimoniis, ita refutati sunt, vt illos confusionis, & verecundiæ plenos incursio Præsulis abegerit strenua. Quo elegantissimum librum de Virginitate illibata Mariæ Sanctissimæ diligenter scripsit, & per diuersas Hispaniæ, Galliæque Gothicæ partes transmisit, cuius sententiarum pondere, & verborum grauitate, totum fœdissimum dogma protinus exulauit, omnibus ad fidei Catholicæ veritatem tùm citò redactis. Post hæc Sanctus Præsul cum adhuc esset in corpore multis miraculis, ac reuelationibus glorificari promeruit. Nam cùm festum S. Leocadiæ Virginis immineret, & Martyris; & Clerus, & Populus conuenirent, vt Missæ, & celebritati tantæ interessent festiuitatis de more, postquam permulta sæcula, quò Sanctissimum Virginis Toletanæ latuerat corpus ignoratum, ibidémque *Illephonsus*, Rex, & Palatini domus Regiæ adstitissent, repente sarcophagum, quo S. Martyris corpus delitesceret aperitur. Tunc ipsa Leocadia læto vultu, adstantibus cunctis sese Pontificis conspectui præsentauit, cuius merita expandens, demum simili exclamatione conticuit: VIVIT DOMINA MEA PER VITAM ILLEPHONSI. Quo dicto velum, quod membra viuentis texerat, illi prætendit, cuius partem Vir Sanctus Reccesuinthi Principis cultro præscidit, & thecis argenteis collocauit. Tum Virgo sepulchrum sibi tanto tempore familiare, iterum petit. Pro cuius rei magnitudine, insolita visione, susceptóque dono, qui simul aderant admirantes, Deo Optimo gratias agentes, quòd tantum mysterium, mortalium oculis patefecit. Post aliquot verò dies, cum festum S. Deigenitricis, quod Expectationi sacrum colebatur immineret, & idem Sanctus ad matutinalia obsequia persoluenda ad Ecclesiam, clero comitatus, & populo, perueniret, ipsiúsque familiares, qui ei luminaria præferebant, cum valuas aperuissent Ecclesiæ, ob nimium Claritatis fulgorem, quem intus conspexerant, consternati, retrorsus abirent, S. Antistes audacter Basilicam est ingressus, & statim eadem apparuit ei B. Virgo Maria choris Apostolorum, Martyrum, & Virginum comitata, vestem ei sacram, qua in facienda re diuina vteretur, dedit, tanquam diuinæ gratiæ, & fauoris sui pignus, & obsidem, Cui sic Sanctissimam Dominam alacri demonstratione dixisse

perhibetur:

perhibetur: *Propera in occursum meum Serue Dei charissime: accipe munusculum de manu mea, quod de thesauris Fily mei tibi adtulli. Sic enim tibi opus est, vt benedictione tegminis, quæ tibi delata est in meo tantum die vtaris. Et qui oculis fidei fixis in meo semper seruitio permansisti, & laudem meam diffusa in labiis tuis gratia, tám dulciter corda fidelium depinxisti, & vestimentis gloriæ in hac vita ornaberis, & in futura in promptuariis meis, cum aliis seruis Filij mei lætaberis.* His dictis cum glorioso cætu, quo sibi apparuerat, ad gloriam Fili remeauit. At Sacratus Sacerdos, & Pontifex de promissis securus, suscepto munere lætus remansit, cunctis sacram vestem tangentibus, ab omni morbo, quantumuis periculoso, liberatis: & pro beneficio suscepto, Deo ac eius Matri ingentes gratias referentibus. Tandem *B. Illephonsus* cum Ecclesiam Toletanam annos Nouem, supra Menses duos rexisset, omniaque bona sua pauperibus, & indigentibus tribueret, cunctos errores ab Ecclesia expulisset Hispaniæ, in omniúmque corda fidelium fidelem MARIÆ amorem introduceret, illud cœpit Sanctissimi corporis ægrotari ædificium, quod in breui consumptum est. Quo XVIII. Reccessuuinthi Principis anno, nempe Era DCC. XII. Incarnationis verò Dominicæ DC. LXXIV. Imperij Constantini IX. Ætatis verò suæ LXII. & amplius, die XXIII. Ianuarij domicilio Carnis exuitur, & in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ tumulatur, ad laudem, & gloriam Domini Nostri Iesu-Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Hactenus acta ex Legendario, cui propius adhæsit Carranza, licet nonnullis additis, nonnullísque intercisis. Nos aliqua supplebimus, quæ illinc defecere, vt actorum integritas conseruetur. Ergo sic:

Ad Superos, demum *Illephonsi* gloriosa, & purissima anima deuoluta, eius sanctum Corpus magno Regis, & Procerum mœrore, Cleri apparatu, & Populi frequentia in S. Leocadiæ Basilica, vbi S. Virgo nata, educatáque fuit, ad pedes auunculi, & prædecessoris sui Eugenij III. sepelitur. Cui Iulianus eius Discipulus hoc posuit sepulchrale carmen in Sarcophago.

ALPHONSI iacet hoc corpus venerabile saxo.
Sed virtute magis nobilitate micat.
Inuenit Iuuenis portum, sæclóque relicto,
Cœnobij cellas Agaliensis amat.
Hinc Toletanam raptatur Præsul in Vrbem,
Cui fuit in votis Sede latere sua.

Fuit ergo Sanctus Pontifex, vt ex antiquis, quæ adhuc extant chronicis apparet, procero corpore, multum venerabilis facie, & vultu venerando, modesto, pulchro, & verè Regio, colore roseo, candore singulari permixto; Sermoni eius Deus dederat miram suaueolentiam, & leporem: semper erat hilaris, mitis, mansuetus, & blandus omnibus, & omnibus amabilis, siue Secularis, siue Monachus, siue Pontifex semper in pretio fuit. Scripsit varia opuscula scilicet: Liber *Prosopopœiæ imbecillitatis propriæ.* Liber *Synonymorum B. Virginis.* Liber *de perpetua virginitate, & parturitione eius-*

dem.

dem. Liber *Sermonum XII. de ea.* Liber *de proprietatibus Trium perſonarum in Trinitate.* Liber *Annotationum in Sacramenta.* Liber *de cognitione Baptiſmi.* Liber *de Via Eremi Spiritualis.* Catalogus *Illuſtrium aliquot Scriptorum.* Liber *Epiſtolarum ad diuerſos.* Liber Miſſarum, Hymnorum, & *Epigrammatum.* Supplementum *ad Chronicon Iſidori.* Item alia multa, aliqua incepta, aliáque ſemi plena, variis rerum, ac moleſtiarum occupationibus præpeditus, reliquit.

Nunc ad actorum comprobationem calamum conuertamus. Et primò de origine, & nobilitate generis agemus, quæ etſi virtuti ſubdatur, quando iſta, & illa in vnum coaleſcunt, vtramque tanto vinculo innixam, vberiores Eccleſiæ fructus prorſus eructare quis ambigat. *Stephanus* Pater ex Regio ſemine Oriundus dignoſcitur. Nam Regis Athanagildi filium, & ipſe *Illephonſus* & cæteræ Hiſpanicæ Hiſtoriæ fuiſſe proclamant. *Lucia* Mater patres agnouit Euantium, & Bleſillam, qui ex Nicolao Comite illuſtriſſimo prodiere. Quos ſuſceperit Lucia fratres, ex ſequenti arbore deprehendes.



En generoſam quoad ſæculum ſplendoris lineam in Præſule. *Irrepſit* mendum in editione Luitprandi Aduerſ. num. 131. vbi Nicolaum Comitem, maritum Blitiſæ, ſeu Bleſillæ credunt, cum Euantius Nicolai filius duxerit illam in vxorem; niſi fortè Bletiſa, diuerſa ſit à Bleſilla, de quo non liquet; & quod peius eſt, quod ipſe Nicolaus pater illinc appingitur Luciæ, Matris *Illephonſi.* Do verba excuſa: *Nicolaus Comes duxit vxorem Blitiſam, ſororem, vel filiam Cindaſuinthi Regis, genuit ex ea Euantium Comitem, & Ducem Eugenium, qui poſt fuit Archiepiſcopus Toletanus, Luciam, & Euantiam. Hæc nupſit Ophiloni Palatino; Illa Stephano, filiis Regis Athanagildi, fratribus Reginarum Brunechildis, & Galaſiunthæ. Ophilo genuit Ophilonem Cubicularium, Comitem, & Ducem, ex quo Toletanorum domus. At Stephanus genuit* Ildephonſum *Sanctiſſimum Archiepiſcopum Toletanum.* En periodum genuinum ex meo MS. *Euantius Comes Nicolai filius duxit vorem Bleſillam,* &c. Quod ex aliquot Epigrammatum notis à Sancto Eugenio, & Sancto Illephonſo conſcriptis apparebit. Ergo hoc Sepulchrale carmen Eugenius Nicolao Auo conſcripſit, ſic:

EVGENIVS

EVGENIVS
Nicolao Comiti Auo Epitaphium
Conſcribens.

Quiſquis Romulidum faſces, clarúmque Senatum
Concelebrare cupis, quod venereris habes.
Si tibi bella placent, aut te prudentia mulcet,
Profer ad hunc tumulum funeris obſequium.
Jlle Nicolaus per opes, quem fama loquetur,
Cuique reor ſimilem ſæcula nulla ferent.
Poſtquam magnificos geßit ex hoſte triumphos.
Dura ſorte necis hic tumulatus agit.
O felix vita! ò mortis ſententia dira!
Sic vixiſſe placet, ſic obiiſſe dolet.

Si ergo ex hoc non comprehendis Epigrammate noſtram de Nicolai Aui Eugenij ſententiam, adhuc ſub iudice lis eſt. En aliud, quo Patrem, Eugenius Euantium ſubmittit in in Octaſticho loquentem, de eius Patre Nicolao.

EVANTIVS
Nicolao Comiti Patri.

Ecce patent aditus, & Lucæ ianua Templi,
Reddite vota Deo; ecce patent aditus.
Hanc in honore Dei ſupplex Euantius aulam
Sacraui fabricans, hanc in honore Dei.
Hic patrios cineres præciſo marmore clauſi;
Seruet vt Omnipotens, hic patrios cineres.
Nicolae Genitor pro te deuotio ſumma eſt,
Hic tibi fructus erit, Nicolae Genitor.

Reſpicis, qualiter Euantius confitetur Patrem, & Genitorem fuiſſe Nicolaum? Igitur iam non erit quid dubites. Sed ne pro Archidiacono Toletano ſuſpiceris, en aliud veritatis ſymbolum ab ipſo Eugenio compactum, quo Euantius Patri Nicolao adloquitur, in primis literis *Nicholao* in vltimis *Euantius*, carmine Teleoſtichido.

Nobilis, & magno virtutum culmime cels E
Jngens conſiliis, & dexter belliger act V
Chare mihi Genitor, & vita charior ipſ A
Hoc tibi Nati pietas offert poſt funera carme N
Offerri incolumi, quod mors infanda negaui T
Lux tibi ſumma Dei, necnon, & gratia Chriſt I
Adſit perpetuo, nec deſit temporis vſ V
Omnipoténſque tuis non reddat debita culpi S.

Toto aberrarunt, vt aiunt, Cœlo P. Portocarrero, & Ducheſne, ille in vit. S. Illephonſ. cap. 2. hic tom 1. Script. Gall. fol. 518. epitaph. 15. qui ſomniarunt hoc carmen fuiſſe inſcriptum à S. Eugenio Euantio patri, quod ex ipſo appareat, non niſi Nicolao nomine Euantij, quem introduxit loquentem. Huius aſſertionis cauſa dignoſcitur, ex eo quod allecti ex acroſticis literis, teoloſtichidas reſpuerunt. His cognitis ad Matris Luciæ & Eugenij verum vocabulum deſcenſdamus, vt mendum in prælo Luitprandi innoteſcat. En ipſius Sanctiſſimi Præſulis carmen Matri.

EVGENIVS
Blaſilæ Matri Epitaphium
inſcripſit.

Sparge roſas lector, & lilia candida pone,
Matris rite ſacrum ſic venerare locum.
Hic dilecta Deo recubans Blaſila quieſcit,
Clara parentatu, clarior, & merito.
Virtutum gemmis, & morum flore venuſto,
Hanc imitare lubens, ſi bonus eſſe cupis.

Omnia hæc Noſter Pontifex *Illephonſus* vno complectitur Epigrammate; vbi pulchra verborum ambage honeſtiſſimam, & illuſtrem parentum familiam, operáque ab ipſis ſacra conſtructa deſcripſit; quo ſingula à nobis ſeiunctim, eruditorum gratia, diſperſa, miro coaceruat ordine Præſul.

ILLEPHONSVS
De Parentum operibus ſacris
Toleti extructis.

Lucæ ſacrauit ſupplex Euantius *ædem:*
Cui Nicolaus *erat nobilis ipſe* Pater.
Lucia *noſtra* Parens, *ſoror*, & Euantia, *frater*
Eugenius *Præſul huius & vrbis amans.*
Lazarus à Genitrice mea tecta optima pauper
Accepit hoſpitibus, pauperibúſque domum.
Quin Auia illuſtri de ſanguine nata Gothorum,
Templa ſimul Marco ſancta Blaſila *facit.*
Quin eius ſoboles Nicolai Euantia, *coniux*
Ophilonis *amans, & venerata Deum,*
Templa ſuperba Petro ſub mœnibus erigit vrbis;
Auget item reditus, complet honore domum.
Hic Ophilo *Regis ſoboles fuit* Athanagildi,
Atque meus Genitor *frater item* Stephanus.

De *Reciberga* Regina, ſorore matruele *S. Illephonſi* adeſt ipſius epitaphium, ab ipſo S Præſule inſcriptum, ex MS. Illuſtriſſ. D. D. Petri Ponze de Leon Epiſcopi Placentini apud Hiſpanos, ſic:

En

En Regina cubo Marci Reciberga *sub Aula*,
Et bibo, quas fundit Vir mihi lachrymulas.
Chindasuinthe *tori consors tibi* Reccisuinthum,
Et Theodofredum, *tum* Fauilam *peperi.*
Euantij *soboles*, Euantij *neptis*, *& ipsa*,
Quin Pater, & Frater Præsulis Eugenij.
Annos qua septem cum dulci coniuge vixi,
Natorum hunc facio quatuor ipsa Patrem.
Omnes hi superant cum patre superstite; Christum
Deprecor, vt viuant, cum Patre Rege diu.
Claudere debueram, sed Auo, sed lumina Patri,
Proh dolor! ante diem clausit vterque mihi.
Transit vita breuis, tenerarum more rosarum,
Quæ manet æterna est vita; proinde caue.

De Natali S. Illephonsi. Luitprand. in Chron. Ann. 606. sic: *Toleti nascitur* S. Ildephonsus *præclarissimus parentibus Stephano, & Lucia XVIII. die Decembris.* Iulian. in Chron. 323. & omnes passim. En aliud ipsius S. Pontificis carmen de Patribus, & Auunculo.

Lucia cum Stephano, Genitrix, sed Auunculus illum
Compulit Eugenius Præsul ad hospitium.
Lazarus hoc Mendicus habet sub mœnibus vrbis.
Quò via Complutum cursibus apta patet.

De Contubernio apud S. Isidorum. Nulli dubium. Iulian. Perez in Chron. n. 323. credit hanc transmissionem factam fuisse, eo tempore, quo Isidorus ab vrbe Hispalensi pulsus, Macitanam ciuitatem adibat, in qua aliquot tempus delitescens, Nostri Præsulis primos virtutum flores agnouit. Quod & P. Martin. de Roa Hist. Malacit. c. 12. fol. 40. secutus est. Sed pulso Gordiano Hispalensi intruso, Vterque Sanctissimi Episcopus Isidorus, & Discipulus *Illephonsus* in vrbem Romuleam reuertuntur.

De Diaconatu à S. Helladio recepto. Diuersæ adsunt sententiæ Scriptorum, pro Helladio stat Legendarium Asturicense, à quo Carranza, imò & ipse S. Antistes in carmine sepulchrali, ipsi Helladio inscripto, sic:

Ildephonsus ego, quem fecerat ille Ministrum
Persolui Sancto carmina pauca Seni.

Cum qua transeunt D. Thom. Tamayo in not. ad vit. S. Ildephons. & alij plerique. Luitprandus verò, & Iulianus Per. ille num. 40. in Chron. iste num. 323. asserentes, quod propter oblatum ab Helladio ministerium, in Agaliense diffugerat monasterium, intelligendi sunt, non de Leuitæ ordine, quem iam ab ipso receperat, sed de Archidiaconatus dignitate, quam non ambiebat, cum prorsus dignitates sæculi abhorreret. En verba Luitprand. à quo Iulian. *Reuersus Hispali Toletum* Ildephonsus, *cum Archidiaconum suum* Helladius *facere volebat, ille vero cedens sæculo, vitam agit in monasterio Agaliensi.*

De Agaliensi Cœnobio. Magnam Prouinciam ingredior. Non tantis illud disiectum suspicor fragmentis, ac quotidie varia pullulat opinionum inuentio capita. Sed antequam has Cymmeras, vt aiunt, vmbras collustremus, de nomine agendum

 erit.

erit. Ab *Agalia* villula fatentur omnes. Sed *Quot fuerint cœnobia Agaliensi nomine compellata?* Hic opus, hic labor. Vt ego coniector, duo sub *Agaliensi* vocabulo monasteria apud Toletanos extitisse. Alterum SS. Cosmæ, & Damiano dicatum alterum S Iuliano inscriptum, & hoc per emphasim *Agaliense* vulgò vocitatum. Illud istius filium, hoc illius genitor, illud discrimine loci, hoc diuersitate situs Toleto contiguum. Ambo eodem licet seiunctim ambitu, ambo diuersis Prælatis distinctum, sed *Agaliense* ambo. In primo Monachus, & Præpositus; in secundo Abbas ex quo in Toletanam conscendit sedem Illephonsus Adsint testes ne sublatæ fidei annalium consarcinator appaream. *De S. Iuliani cœnobio.* S. M. Maxim in Chron. ann. 562. sic debitum soluet: *Athanagildus in planitie suburbij Toletani ædificat monasterium S. Benedicti in honorem* S. Iuliani *apud Aruernos passi*, Agaliense *dictum.* Luitprand. Aduers. num. 113. & fere omnes. *De SS. Cosmæ, & Damiani monasterio.* Idem Maxim in Chron. ann 636. conditorum, & situm indigitet: *Reccaredus Rex hortatu S. Pontificis Adelphi Toleti readificat monasterium* SS. Cosmæ, & Damiani *ad septentrionem positum, quod Toleto distat plus II. P. M.* Idem Luitprand. d. n. 113. Zixila, in Vit. S. Illeph. & omnes quotquot de eo scripsere. Vides duo monasteria situ, conditoribus, & dedicationibus diuersa: Quid ergo Lydium lapidem refricas? Sed siste. Adhuc in distantia disparia. De Agaliensi S. Iuliani, Maxim. d. ann. 562. sic: *Agaliense dictum ab Agalia villula propinqua, quod distat minus quam CCL. Pass. ab Ecclesia Prætoriensi SS. Apostolorum Petri, & Pauli.* De Agaliensi SS. Cosmæ, & Damiani, idem an. 636. his verbis: *Quod Toleto distat, plus II. M. P.* Eadem Luitprand. d. n. 113. Si ergo non credis hæc, crede Conciliis, vbi diuersitas Prælatorum agnoscitur. In XI. Concilio Toletano interfuit *Gratindus* Abbas *SS. Cosmæ, & Damiani.* En subscriptio: *Gratindus Ecclesiæ Monasterij* SS. Cosmæ, & Damiani *Abbas hæc gesta synodica à nobis edita consentien subscribo.* Et paulo post loco VI. *Auila* Abbas *S. Iuliani* En Chirographum: *Auila Ecclesiæ Monasterij* S. Iuliani Agaliensis *Abbas, hæc gesta synodica à nobis definita consentiens subscripsi.* Sed ne per circulorum semitas procedamus, omnia à me proposita roboris plenitudine confirmet Luitprandus in Chron. an. 624. n. 40. hac epigraphe: *Monasterium* Agaliense *quod in suburbio Toleti est, (vt nosti) Septemtrionem versus, non procul a Tago flumine, & à Prætoriensi templo S. Leocadiæ extra muros in planitie, quod ego dum Toleti fui, frequenter inuisi. Et etiam alterum,* Agaliensis, *huius Coloniam, ad pagum, Benalhautam à Mauris, dictum plusquam II. P. M. à Toleto distans.* Eadem repetit Aduers. n. 113. & 115. Quam sententiam (etiam illo non viso) tenuere Ambros. de Moral Hist Hisp lib. 12. cap. 39 Francisc. Pis. Hist. Tolet. l. b. 2. c 24 Et eo viso D. Thom. Tamayo in not. ad Luitprand. fol. 47. vers. restat. Portocarrer. & Primat. Tolet. & alij.

Cuius instituti hæc fuere cœnobia? Altera Hydrela est. Sed breui periodo aderit in Herculis concordia fax. Olim pro *Canonicorum Regularium* erat sententia, quæ ex antiquis Lectionibus Breuiarij Toletani receperat firmitatem, cùm in illis hæc legebantur verba: *Solus habitu quodam dissimulato* (Ildephonsus) *ad Monasterium* Regularium Canonicorum *extra vrbem non longe distans* (*quod Agalia dicebatur*) *gressus dirigens.* Hanc amplexati sunt, aliqui ex Scriptoribus, quos refer D. Thom. Tamayo. fol. 47. Gabriel Pennot. Histor. Canon. Regul. lib. 2. cap. 31. num. 9. fol. 352. Sed iam hæc opinio antiquata penitus quieuit, vt ex Maxim. in Chron. ann. 562. Iulian. in Chron. num. 321. tenent Alcozer Histor. Tolet. lib. 1. cap. 35. Garibay lib. 8. cap. 56. Man. Roder. Quæstiunc. Regul. quæst. 2. artic. 4. Mich. Carranc. Mariet lib. 5. cap. 49. Hieron. Rom Histor. Eccles. lib. 3. cap. 25. Sandoual, & Yep. Chron. Benedict. tom. 2. cent. 2. ann. 657. cap. 3. D. Thom. Tamayo d. fol. 47. & alij innumeri, quos longum erit recensere.

De Monasterio Virginum ab Ildephonso constructo. Adhuc contentio est. Acta nostra *Biensem* vocant villulam, qua conditum fuit. Iulianus Successor. S. Præsulis, illam nominat *Deibiensem.* Sequuntur Luitprandus, & Iulianus Archipresbyter, ille aduers. num. 223. aut 195. iste de Eremiter num 3. & 4. licet iste in Chron. n. 330. (vt est excussus) appingat *Ibiers.* Quæ vox, vt infra dicemus, defectu literarum, absonat. Hæc quoad nomen. Quoad situm, Alcozer Histor. Tolet. lib 2. cap. 30. contendit

contendit hoc fuisse monasterium intra vrbis mœnia, vbi nunc est *S. Dominico exiliensi* dicatum, & vulgo *Sancto Domingo el Antiguo* cognominatur, forte propter contiguitatem domus ipsius S. Pontificis. Sed illi fit satis Pisa lib. 2. cap. 24. sicut & Michaeli Carranza, qui suppresso situs termino confusè totam vrbem pro situ consignauit. Aluar. Gom. de Castro, in Monasterio Sislæ. Pisa in planitie Toletana, nunc *La Vega*, autumant. Ludprand. ad villam *Illeoscam.* Iulian. ad villam *Ilcocensem.* Qua voce allecti Couarruuias in Thesaur. Ling. Castell. verb. *Illescas.* & D. D. Laurent. Ramirez de Prado in notula ad Iulian d. num. 330. forti deuotione affectúque credunt, hanc villulam esse, quam hodie *Illescas*, mediam inter Toletum, & Matritum, dicimus. Quia adhuc ibidem veneretur antiquissima B. Virginis MARIÆ imago, titulo *De Nuestra Señora de la Caridad.* Quibus libenter adhæsissem, ni ipse Iulianus in loci mensura animum reprimeret, qui in Chronic. d. num. 330. situm Monasterij indigetans, ait: *Nec multo post* (S. Illephonsus) *in pago de Ibieri* (Deibiensi repone) *CCXL. Pass. distante Toleto, ad oppidum Illescas, in cœnobium Monialium Ordinis S. Benedicti, quod adhuc venerabile est aduocationi* S. MARIÆ *condidit, in eóque posuit imaginem B. Virginis* MARIÆ *quam ille deuotè venerabatur assiduè.* Si ergo tantillum à Toleto distabat cœnobium Deibiense, quo miraculo poterit affirmari, quòd hæc villula correspondeat hodie ad oppidum Illescas XXIV. P. M. Toleto distans. Nisi tempore Iuliani Illescas propior Toleto adesset, aut passuum mensura longior. Ego crederem de duobus vnum Iuliani codice excusso, aut quod abundant verba *Ad oppidum Illescas.* aut quod deficiunt. *Via qua itur.* Quo, erit sensus. *Nec multo post, in pago Deibiensi CCXL. Pass. distante Toleto, via qua itur ad oppidum Illescas.* Nec placet inductio nominis à D. D. Laurentio Ramirez præscripta, vbi: *Ibieri, idem ac* Illescas; τὸ *Iberi, quasi ibi erit:* Illescas, *quasi illic quiescas.* Quia nec tempore Iuliani hoc nomine vocitabatur *Illescas*, sed *Illesches*, vt patet ex scriptura cambij celebrata inter Imperatorem Adefonsum, & Episcop. Secobiens. cuius ditioni parebat *Illesches*, anno M.C. XXIV. in qua hæc formalia verba: *Ego Adefonsus Hispaniæ Imperator, vna cum vxore mea Imperatrice Domina Rica, & cum filiis meis Sancio, & Ferrando Regibus, Vobis D. Vicentio Secouiensi Episcopo, omnibúsque successoribus vestris facio, cartam concambiationis de illa villa quæ est in termino Secouiæ, & vocatur Aquilafont, & de illa alia, quæ est in termino Toleti, & vocatur Bobadella. Has duas supra nominatas dono vobis pro cambio de villa* ILLESCHES *quam vos mihi datis. Facta carta Toleti Era M. C. LXII. XII. Kalend. Aprilis.* Quo anno adhuc in viuis erat Iulianus, qui Chronicon suum exposuit ad annum M. C. XXXV. Demum quia punctuatio in codice Iuliani excusso *de Ibieri* clarum continet errorem, imo potius merum barbarismum. Nam illa particula *de* aliquid ante nomen cœnobij in lingua Latina, cum sit mere Castellana? Ergo *Deibien.* erat scribendum decurtare, vt pro Abulensis, scribitur Abulen. & pro Hispalensis notatur Hispalen. Hoc credo verius.

De Apparitione S. Leocadiæ. Nemo est qui dubitet. *De Descensione B. Virginis.* Sequenti die agemus. Hic tantùm, ne tanta antiquitatis monumenta depereant, hymnum eius festiuitatis in S. Ecclesia Toletana cani solitum, vt ex eius Breuiario anni 1505. deprehenditur; & officium quotidianum à nescio quo compositum, cuius apud me MS. copia subiiciam.

HYMNVS IN FESTO S. ILLEPHONSI ex Breuiario antiquo S. E. Tolet.

Celsi Confessoris
Festum venerandum
Nobis vt est moris
Adest celebrandum.
Laudibus canoris
Nobis est instandum,
Debitum honoris
Illephonso dandum.
Vrbs Toleti gaude
Prole gloriosa:
Tanti Patris laude
Vbiquè famosa.
Patrono applaude
Vrbs imperiosa;
Et pro cunctis aude
Esse pretiosa.
Ildephonse tuos
Iuua prece pia,
Fac iuuet, vt suos
Nos Virgo Maria.
Illephonsi Christe
Decus tuæ laudi
Instat chorus iste
Piè hunc exaudi.
Sit laus Patri, decus
Nato, par his vnus
Spiritus, his æquus
Ferat, vt his vnus, Amen.

Officium vero, quod hic apponere curo, nulliter, quod sciam, apud aliquam Hispaniæ Ecclesiam recitatum fuisse crediderim. Nam in exordio hunc habet titulum.

SEPTEM HORÆ BREVES B. ILLEPHONSI Archiepiscopi Toletani, B. V. M. fidelissimi Capellani, scripta ad petitionem Magnifici D. D. Alphonsi Osorij Pimentel, filij II. perquam illustris D. D. Petri Aluarez Osorij Marchion. Asturicensis.

AD MATVTINAS.

Dictis, dicendis, & mutatis mutandis, vt in officio.

PROSA.

Surgens Illephonsus hora matutina
Libellum à se editum de Virginitate
Beatæ MARIÆ, *mente diuina*
Legendum duxit in ipsius festiuitate.

ANTIPHONA.

Sancte Illephonse intercede pro nobis, vt consortes gloriæ Sanctorum, tecum effici mereamur.

℣. *Ora pro nobis Sancte Illephonse.*

℟. *Vt digni efficiamur gratia Christi.*

ORATIO.

Spiritu scientiæ, & pietatis reple nos Domine, qui B. Illephonso tribuisti, vt sua doctrina, B. MARIÆ *integritatem ab impiis defenderet hæreticis. Per Dominum nostrum.*

AD PRIMAM.

PROSA.

Ingressus Ecclesiam Beatus Archipræsul
Vidit cœli Reginam MARIAM.
In choro, Sanctis stipatam Virginibus,
Sedentem, eúmque mutuo adspicientem.

Antiph. & ℣. vt in Matutinis.

ORATIO.

Visionis gloriæ tuæ, quæsumus Domine, fac nos fore participes, intercedente B. Illephonso, cui Beata tua Genitrix in templo Toletano dignata est apparere. Qui viuis.

AD TERTIAM.

PROSA.

Accessit ad Dominam, humilis seruus,
Eámque adorans pronus in terra;
Vnde, inquit, mihi hoc tale donum,
Vt Mater Dei veniat ad me?

Antiph. & ℣. de Matutin.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus Omnipotens Deus, vt sicut Vnigeniti tui Mater Beatum Illephonsum in templo Toletano visitauit, sic nos ipsius Illephonsi interuentu, visitari iugiter, ac consolari digneris. Per eund. D. N.

AD SEXTAM.

PROSA.

Cœli Regina tale Illephonso dedit responsum.
Quia tu, inquiens, de me bene scripsisti,
Meamque Virginitatem ab impiis defendisti,
Hac sacra veste dono cœleste;
Qua Filij mei, meisque in sacris, semper vtare;
Nullúsque, te dempto, ea abutatur,
Nam si sic abutetur, morte morietur.
His dictis Virgo disparuit,
Cœlestique iubare templum caruit.

Antiph. & ℣. de Matutin.

ORATIO.

Stola iucunditatis, & innocentiæ indue nos Domine, interuentu Beati Illephonsi, qui etiam in hac vita, à tua Sancta Genitrice meruit cælesti exornari veste. Qui viuis.

AD NONAM.

PROSA.

Virgo, & Martyr Leocadia reserato tumulo
Coram cunctis Beato hæc dixit Illephonso:
Vita Illephonsi Domina viuit mea:
Cuius velum Illephonsus præcidit,
Reccessundi Regis ganipulo.

Antiph. & ℣. de Matut.

ORATIO.

Beatæ Leocadiæ Virginis, & Martyris tuæ nos, quæsumus Domine, tueatur oratio, quæ Beato Illephonso, suo aperto sepulchro, apparuit, eúmque coram Populo magnificauit. Per Dominum.

AD VESPERAS.

PROSA.

Vespere suæ vitæ à Deo vocatus
Mortisque infirmitate aggrauatus

Suos

Suos, confeßione, diluens reatus,
Cum Sanctis perenniter gaudet Beatus.

Antiph. ℣. & Oratio de Matutin.

AD COMPLETORIVM.

PROSA.

Maria Virgo, quæ prædilectum suum
Illephonsum, veste hic decorarat,
Ipsum, mortis hora, cælos euexit,
Vt ibi cum parentibus Stephano, & Lucia
Semper gaudens, sine fine requiescat.

Antiph. ℣. de Matut. Orat. de Prima.

Recommendatio nomine ipsius Magnificentißimi Domini ad quem diriguntur istæ horæ breues.

Has horas septem
Illephonsus Illephonso tibi recolo,
Vt me tuæ participem gloriæ
Tecum esse facias in Polo. Amen.

Demum sciendum est, quod Nostri Doctoris, & Sanctissimi Antistitis *Illephonsi* annualis in Ecclesia Vniuersali festiuitas celebratur antiquitus, vt ex Breuiario Romano à Paulo PP. III edito, & recognito per Eminentissimum D. D. Franciscum Quiñones S.R.E. Presbyterum Cardinalem Anno 1548. liquet. Quæ nunc per reformatum à Pio PP. V. sublata fuit, dempta Ecclesia Hispaniæ. *Demum* pro coronide hic subiungere libuit, quod Palbert. *in Stellar. Marian. lib. 1. p. 4. c. 2.* ex opinione Ioann. Ægidij, siue Ioann. Minoris in libello, cui titulus *Scala Dei.* Ferreol. Locrius *in Marin. August. lib. 7. c. 3. fol. 696.* August. Vvicmans *in Sabbathism. Marian. c. 2. fol. 20.* & alij referunt, dicentes: *Sabbathinum Deiparæ officium*, B Illephonsi *Archipræsulis Toletani opus fuisse, eique exordium attributum.* Quod in maximum istius Sanctissimi Prælati encomium, & in totius Nostræ Hispaniæ gloriam, accessisse quis dubitet?

TOLETVM. De eius antiquitate verba fecimus die I. huius mensis, nunc de eius fundatore secundam dabimus sententiam. Ioann. Episcopus Gerundensis in Paralip. Hispaniæ lib 1. c. *de Tarracone & aliis vrbib.* contendit conditam à Iunio Bruto, cognomine *Gallæco* propter deuictam Gallæciam. Eius verba perpende: *Brutus insuper cognominatus est Gallæcus, qui cum obtenta Gallæcia, diutius cum Lusitanis pugnasset, illósque vicisset*, Toletum *vrbem, ex natura loci munitissimam, in præsidium Lusitanorum construxit.* Hoc (si verum fuisset) euenisse crediderim Anno à M. Condito III. M. DCCCXLVI. vt refert Opmer. in Chronol Orb. Vniuers. fol. 184. p. 1. & ante D. N. Natalem anno CLXXXVII. vt placet Ambros. de Moral. lib. 7. c. 14. Sed hæc sententia diluitur per rationes à Florian. lib. 2. c. 2. Ludou. Non. de Hispan. c. 59. Eamque præcipuè, propter authoritatem T. Liuij lib. 35. vbi asserit, quod anno D. LVI ab V. C. tempore M. Fuluij Proconsulis, qui antecessit Iunio Bruto, iam condita erat. Verba en Liuij: *Ad Tagum ire pergit.* Toletum *ibi parua vrbs erat, sed loco munita.* En Nonij: *Sed ex T. Liuij verbis constat, ante Bruti ætatem multo tempore conditam esse, proinde hæc, vt incerta mittamus.* Nosque ad alia pergemus.

B S. AGATHANGELVS. Istius S. Martyris memoria multiplici conseruata reperitur

ritur elogio, in actis S. Clementis Ancyranæ Sedis Præsulis. Sed quia ad nostræ solùm pertinet occupationis excursum *S. Agathangeli* anamnesis, ideo illius acta veraciter seligemus. Græcorum Menæa, sic:

Eòdem die S. Agathangelus *gladio diem finiuit.*
Benignus Angelus aliquis decretum Agathangelo
Misit: Mortis decretum per gladium.

Menologium à Canisio editum. Molan. in add. ad Vsuard. Martyrol. Roman. Castellan. P. Vasquez. Lusitanum Alexandr. de Peregrin. & Hispan. P. Higuera. De eo Nicephor. Calixt. lib. 7. Hist. Eccles. c. 14. F. P. Ludou. de Granad. in Cathec. 2. p. c. 20. P. Iacob. Gault. in Chronog. sæcul. 3. Ann. 290. pag. 226. Baron. in not. h. d. lit. G. Copiosius Simeon. Metaphr. à quo Laurent. Sur tom. 1. Lippoman. Grasis, Ribadeneyr. Sanctor. Fiamm. Marchant. Rosvveid & Bolland. in Act. SS. tom. 2. pag. 458. Præter citata Martyrologia, adest egregium Actorum in Antologio Græcorum à Clemente PP. VIII. approbato, testimonium.. Ex quibus & ex Nostris Luitprando in Chron. n. 346. & Iulian. n. 339. simile compagino florarium.

ACTA S. AGATHANGELI M. ex variis.

AGATHANGELVS Patrem habuit ciuem Romanum, & Matrem ex Ciuitate Ilicitana Hispaniæ, in Contestanis, aut Icossetanis accolam, quò ipsis demorantibus, natus est sæculo, Romæ renatus Deo, & Ancyræ viriliter coronatus. Nam cum Parentes relicta Hispania Vrbem remeassent idololatræ, & filius illorũ, & mores suxerit, & doctrinam, euenit, vt S. Clemens Ancyranæ Ecclesiæ Pontifex vinctus Romam duceretur ad Imperatorem Diocletianum fidei causa, qui Martyrem, aut ad Deorum cultum reuocaret, aut suppliciorum sæuitia interficeret, eiúsque haud creditam experiretur constantiam. Post varias ergo tormentorum ambages, promissorum circuitus, ventum ad rotam, vbi adligatus Clemens cæditur, & conteritur, sed Martyre orante, protinus rota conturbata cessauit, Martyr illæsus inuisitur, lictor membrorum dissolutionem patitur, multi ex adstantibus miraculo conuertuntur, inter quos *Agathangelus*, qui cum cæteris ab Episcopo Sanctissimo baptizatus, de fonte in ergastulum, imperante Diocletiano, cum aliis neophytis truditur indistinctè. Omnes autem in carcere inclusi, ne tempus deficeret, à Clemente in fidei rudimentis edocti, ab Angelo, qui corpus, & Christi sanguinem aduexerat, vt communione reficerentur, visitati, & à S. Pontifice tanto roboris præsidio suffulti, ad capitis abscissionem peruenere. Solus inter tantos è carcere aufugiens defecit *Agathangelus*, cuius animus erat aliquanto iuuenilior; non ergo disparuit, vt certamen effugeret, sed vt cum maioribus potius tormentis colluctaretur, eáque essent insignium occasio coronarum. Sed cùm spe omni victoriæ de S. Clemente exutus sese agnosceret Diocletianus, Nicomediam Martyrem ad Maximianum transmisit, vt si à sententia, vel blanditiis, vel suppliciis amouerẽ nequiret, bestiis traderet, acerbissiméve tormentis è medio tolleret. Ducitur Clemens ad Nauem non absque suorum lachrymis, hoc inuiserat *Agathangelus* continuóque ad litus accurrens, se in eadem sociauit Martyri naui, vt cum eo præclarum pro Christi nomine subiret certamen. Cum autem diù, noctúque preces multiplicarent, & omni corporali cibo destituti essent, fuit eis cœlitus alimentum panis Angelorum præstitus, donec prospero cursu Nicomediam appulissent. Illic deuentum Maximianus

lectis literis, & cognita Martyrum constantia, à congressu abstinuit, ne, si victus, opinionem de se intrepidi iudicis, fœdaret conceptam, ideo causam Agrippino commisit. *Agathangelus* itaque de nomine, & conditionis qualitate interrogatus, cum se intrepide Christi seruum esse respondisset, & paratum pro eius nomine, atrocissima quæque supplicia subire, primùm eum bouis neruis crudelissime verberari iussit; sed cum leuiora ea tormenta esse cerneret, quam vt eius virtutem frangere possent, eum carceribus mancipauit, vt altera die exquisitissimis suppliciis fatigaret. In carcere autem constituto Angeli protinus adfuere, qui eum ad martyrij palmam inuicto animo percipiendam hortati sunt. Quo spectaculo nonnulli ex custodibus, & vincti in Christum credentes, & per baptismum expiati, è carcere oratione Sanctorum liberati sunt. Hoc per Agrippinum intellecto, confestim *Agathangelum*, vt leo rugiens, in theatrum arripuit, feris, atque Leonibus obiecit, qui posita omni feritate, non secus, quam canis suo Domino, martyri blanditi sunt. Agrippinus hæc inspectans ab impotenti mentis furore victus, iussit candentes subulas, per medios vtriusque manus digitos Martyris infigi. Populus hoc spectaculo vehementer commotus, eam non sufferens crudelitatem, sublato ingenti clamore Martyrem liberari postulabat. Agrippinus autem acriori succensus furore, iussit alias subulas, sub eorum axillis ad humeros vsque transfigi, ita vt nidor, & fumus aërem replerent. Tum plebs non diutius tantam sæuitiam ferendam ratus, missis vndique in Magistratum lapidibus, cum valido clamore *Magnus est Deus Christianorum*, omnes in effusam fugam conuerterunt, & Martyri liberam facultatem ad montem Pyramin, non absque alacritate præbuere. Compressa ergo pòst vulgi seditione Agrippinus, missis eum satellitibus perquisiuit, denuóque *Agathangelum* comprehensum, sacco insuit, & graui pondere lapidis prægrauatum, per montis latera, tanto impetu deturbauit, vt in profundum maris per litora dilaberetur. At Angelorum ministerio extractus, in robore confirmatus, & de corona securus, denuò in vrbem ingreditur, cunctis Dei magnalia prædicans, mirabilia operans, & sublimia cœli præmia inhians festinanter. Ad aures igitur Præfecti, cùm hæc deuenissent omnia, animum abiiciens, Martyrem ad Maximianum, iterum direxit, qui & ipse eius formidans congressum, Ancyram ad Ducem Curicium transmisit. Is existimans se præclaram gloriæ materiam esse nactum, mira quàdam diaboli versutia Martyrem est aggressus; atque eum, vt à fidei constantia dimoueret, finxit sibi admodum displicere, tot, tantáque ipsi illata fuisse tormenta, se quoque animo affici, & vel sola eius auditione frangi, omniúmque calamitatum, quas perpessus fuerat fieri socium, bonóque esset animo, quia Dij quem tantis eduxerant è periculis, indubiè eius quæritabant salutem, eísque monebat ipsum gratias agendas, & de more sacrificandum suadebat. Sed Martyr, spretis Ducis tergiuersationibus, cognitis blanditiis, & reconditis fallaciis, se nulla re magis, quam periculis, & suppliciis pro Christo toleratis delectari, testabatur. Curicius grauiter efferatus, *Bene* (inquit) *se habet, si cruciatibus delectaris, ego liberaliter, & magnifice tuo desiderio faciam satis.* His dictis, statim candentes laminas axillis subiici, *Agathangelum* sublimem à lictoribus sustolli, ac postremò latera, & tibias eius cædi iussit, quousque satelles defessus abiret. Hæc Curicius videns, timore, pariter, & admiratione correptus, iussit Martyrem, inops consilij, in carcerem prætextu quodam charitatis abduci. Inde verò ad Amesenorum ciuitatem à militibus ad Domitium deductus est; qui cæteris Iudicibus truculentior, in cisternam, calce viua scaturientem demisit, & ne quo Christianorum auxilio, ab iis suppliciis

liberaretur,

liberaretur, duos milites fortissimo robore custodes adhibuit. At cùm ille totam diem nullo malo affectus, diuinam virtutem, bonitatémque miris laudibus extulisset, vespere lux cœlitus dimissa, illum circumfulsit. Qua milites alacriter visa, in calcem insiluere, séque Christianæ militiæ deinceps consortes esse velle constanter testati sunt. Prima luce Vicarius, qui Martyrem iam planè consumptum credebat accessit; atque, vt illæsum cum militibus, in laudibus Christi exultantem offendit; milites quidem (quorum nomina erant Psengo, & Eucarpus) cruci affixit, *Agathangelum* verò in grabatum ferreum igne copioso accensum deposuit, & ne quid ad supplicij atrocitatem deesse videretur oleum, picem, & sulfur immisit, infuditque. Flamma autem, & fumus tantam caliginem omnium oculis offudit, vt adspectum penitus adimeret. Interea Martyr doloris omnis expers Christum Agonothetam suum venientem conspexit, qui eum forti, & inuicto animo esse iussit. O felix animi! cui subitus fauor, tam præsentis opem Numinis attulit. Iam non te mollis inertia; Lucis non amor improbus, Pœnarúmque leues minæ, nec mortis superat timor. *Nam duris empta laboribus fortes palma viros beat.* Ergo cùm præter opinionem tam sæua tormenta ignis vidisset superasse Domitius Martyrem, intellexit se oleum perdere & operam, quare eum ad Maximianum, qui tunc ex Tarso, Ancyram reuertebatur, remisit. Milites spe præmij, & vanæ gloriæ cupiditate inescati, Martyrem omni festinatione ad Imperatorem, apud Tarsum deduxerunt. Tum Cæsar nullum non mouere lapidem, vt eum à fide Christi in suam sententiam abduceret. Et primùm quidem postquam multis blanditiis, atque muneribus, frustra certatum esset, ad supplicia ventum. Quia continuo fornax adspectu horribilis accensa, in quam cum Martyr esset iniectus, cœlesti protinus rore perfusus, totam noctem, & diem in diuinis traduxit laudibus lætus. Eius rei certior factus Maximianus admirans accurrit, atque, vt Sanctum incolumen, sublatis in cœlum manibus Deum benedicentem, conspexit, summa consilij inopia implicatus, raptim eum inde in carcerem arripuit, & quadriennali squalore damnauit. Sperabat enim fore, vt quam atrocia tormenta animi magnitudinem superare non valuerant, diuturni ergastuli fœtores tandem aliquando frangerent. Sed hanc quoque calamitatem, vt cætera omnia, spes futurorum facilem ei reddidit, & ardens Christi desiderium effecit, vt carcerem non secus, ac magnificas ædes, & regium palatium reputaret. Quamuis enim corpore esset in loco teterrimo, mente tamen in cœlis versabatur, & inter Angelorum agmina, assiduus Deo hymnos concinebat. Exacto ergo præscripto tempore Maximianus concilium ordinum indixit, vt quid tandem de *Agathangelo* fierèt, communi omnium sententia decerneretur. Erat inter eos Sacerdos quidam nefandus, qui cùm persuadendi facultate multum valeret, tùm vero impietate, atque in inferendis suppliciis, tantùm poterat, vt multos iis rationibus à fidei constantia, in pestem, & flagitium pertraxerit. Huic omnes statuunt, Martyrem esse committendum, vt si non posset dicendi adulatione, & sermonis verbositate, grauitate verborum, & tormentorum dexteritate, vel conuinceret, aut internecione crudelissima deleret. Fuit diù verbis certatum, diutius autem suppliciis sæuitum, donec *Agathangelus* præclara de tyrannide potitus victoria, iterum est in ergastulum redire coactus. Sed cùm Dux quidam Maximus nomine, cuius apud Imperatorem auctoritas fuerat nota, tanta de admiranda Martyris fortitudine, & constantia audiuisset, turbine quodam vehementis commotus iræ, ab Imperatore, vt sibi, suæque potestati Martyr traderetur efflagitans, asserens se eum Diuorum legibus Cæsarum subditurum, vel tanta

fatigaturum

fatigaturum crudelitate cruciatuum, quod cæteri timore repulsi Christi religionem desererent. Quo obtento, primum per blanditias, fraudes machinari, & per summam simulationem pietatis insidias ei statuere decreuit. Sed cùm his Sirenarum vocibus Martyr adsuetus, in fraudem pelli non posset, aperto eum aggreditur marte. Primo furoris impetu *Agathangelum* liquefacto perfusum plumbo terribili affecit supplicio. Sed cùm Martyr hæc omnia, eadem qua prius constantia superasset, & inter tàm horrenda tormenta, arcano quodam Dei consilio vitam retineret, Maximus miraculo obstupefactus, spem superandi abiiciens, eum in profundo carceris spelæo, vt ibidem, omni destitutus vitam finiret solatio, reduci præcepit. Nec defuit alius Tyrannus, qui vt nouam aliquam apud Maximianum gratiam iniret, Martyrem sibi tradi postulauit. Is erat quidam Persa Aphrodisius nomine, qui multa sæpè tormentorum genera aduersus Christianos excogitauerat. Concessa igitur sibi ab Imperatore potestate, domum secùm adduxit Martyrem, & cœna opiparè instructa excepit, credens iis se rebus, & verborum lenociniis inuictum mollliturum Agonistam. At postquam didicit eum terrenas respuere epulas, & solis delectari cœlestibus, vehementer commotus, è suo conspectu submotum in custodiam tradidit. Postridie tamen *Agathangelum* immani pondere adligatum, cum summa ignominia, vt ille existimabat, lapide, per mediam educeret ciuitatem, euenit, vt non minima populi multitudo, eius confessione, & inuicta animi virtute, permota, ad Christum transiret, & inanes illos Deos, nullàque virtute præditos conclamaret, cùm mortalem vnum hominem haud superare valuissent. Maximianus his auditis, extremo pudore suffusus, perpetui eum carceris damnauit; ne tanta eius virtus, atque constantia, cum præsenti Imperij dedecore, mortalium conspectui deinceps appareret. Post diuturnas demum in latomiis macerationes, squaloréique, cùm Maximinus Maximiano in Imperio successisset *Agathangelum* Ancyram ad Lucium Præsidem destinauit. Qui immani crudelitate vir, Martyri ignitas per aures iniecit fibulas, lateribúsque ardentibus facibus crudeliter exustis, postremo caput gladio væsaniter amputauit. Atque hic quidem *Agathangeli* finis, qui Martyrij gloria inclytus V. Nouembris, Anno Christi CCCVIII. Angelorum choris sociatus est, superstite adhuc S. Clemente Episcopo, eius Magistro, qui eadem passus supplicia, demum hoc die XXIII. Ianuarij è viuis per Martyrium excessit. Anno Domini CCCIX. Corpus Martyris Nostri, à pia illa, & Martyrum amantissima Sophia sublatum, compositum, & odoribus conditum in quodam sepulchro profundissimo, in ingressu templi, venerabili deuotione reposuit.

En acta, quo iure Nostrum ex Hispanica *Illice* depingo, quæritabis? En pro responsione Luitprandi Diaconi Toletani, responsum: *Celebratur memoria in Hispania* S. Agathangeli *passi cum S. Clemente Ancyrano Episcopo. Fuit* Agathangelus *Patre Romano* Illici *natus in Hispania*. Illum sequutus Iulianus Perez. d.n.339. clarius originem edisserit Maternam, sic: *Floret memoria in Hispania* S. Agathangeli, *Patre Romano, Matre* Illicitana *Hispana, qui passus est cum S. Clemente Ancyrensi*. Martyrologium MS. Patris Higuera, licet in loci situatione erroris notam contraxerit, sic: *En Ilice, oy Origuela la fiesta de* San Agatangelo *Ciudadano Romano que padecio este dia con S. Clemente de Ancyra*. Latinè sic: *Illici hodie Origuela festiuitas* S. Agathangeli *Ciuis Romani, qui hoc die cum S. Clemente Ancyrano passus est*. In cuius ecphrasi P. Higuera (extra loci situationem) in die Agonis excessit. Nam non hoc die sed quinto Nouembris martyrium compleuisse indubitati iuris est, vt ex actis relatis, & ex congestis à Simeone, Lippomano, Surio, Anonymo Græco à Ioanne Scapelink S. I. Latino, Gentiano Herueto, Leppoleo, & aliis, liquet. Ratio ergo festiuitatis huius diei, in eo versatur, quia cum communis fuisset agonis arena inter S. Clementem, & S. Agathangelum,

gelum, ne relationis ſcinderetur excurſus, vno feſtiuitatis cultu coniunxit Eccleſia, quos æqualis paſſio conexit æquales. Pro complemento en carmen ex MS. meo de aliquot Sanctis Hiſpaniæ.

Ad S. Agathangelum Martyrem Hiſpanum, Decaſtichon.

Ex patrio penetras AGATHANGELE *lumina Solis*
Limine, cum ſolus Numina vera colis.
Nilque paterna tibi valuit tunc Roma propago;
Nil Hiſpana Matris, profuit alme tibi.
Illice dum prodis, Roma dum perfida Diuis
Thura litas; Chriſtum comperis igne flagrans.
Denique vt ignotas penetres en Martyris vrbes
Et nomen refugis, nomen at ipſe capis.
Te Ancyranus amet, te Hiſpanus, & alma coronet
Vrbs, & tréſque ſimul foue, refoue pius.

ILLICE vrbs Hiſpaniæ vetuſtiſſima inter Populos *Conteſtanos*, & *Leoſetanos*, vt placet Plinio lib.3. c.3. qui referens oppida Conteſtaniæ, ſubiicit: *Reliqui in ora fluminis Tader, Colonia immunis* Illice, *vnde* Illicitanus *ſinus, in eam contribuuntur Icoſetani.* Pompon. Mela lib.2.c.6. Ptolom. Panuin. & Ortell. Garſias in Murgit. contendit eius nomen Græcum fuiſſe ex verbo *IL* quod ſonat oppidum, & *ISIS* Græcorum Dea. Vel ex *IL* oppidum, & *Licia* Græciæ regio, quaſi *ILLICIA*, oppidum Liciorum. Qui illam, tempore quo Hiſpaniam appulerant, ad auri ſarcinas extrahendas, condidere. Eam *Alicante* credidit D.D. Anton. Auguſt. Antiquit. Numiſm. Dialog.7.fol.103. Latinè Antuerp 1617. Italicè fol.145.n.12. Hiſpanicè fol.290.n.12. Qui duplicem delineat nummum, quorum alter eſt huiuſmodi.

Caput Mulieris Victoria Auguſta cum palmæ triumpho, in reuerſo Taurus, cum hiſce literis: *Caio Balbo, & Lucio Portio Primis Duum-Viris. Colonia Victrix Illice.* Gaſpar Eſcolanus Hiſtor. Valent. lib.1.c.19.n.4.& lib.6.c.9. P. Franciſc. Diago Annal. Valent. lib.2.c.17. probant, hodie hanc Ciuitatem eſſe, quam nos dicimus *ELCHE*. Quibus lubens ſubſcribo. Quia Pompon. Mela *Illicitanum ſinum* comprehendere *Alonem*, Lucentium, & *Illicem* fatetur. *Alone* hodie *Alicante* ad oram maris. *Illice* nunc *Elche* in mediterraneis. Ex mediterraneis Antonini manſionibus fortè aliquid exhauriemus. En iter ab Arelate ad Caſtulonem, apud Zuritam fol.91.

Sucronem. M. P. X X.
Ad Statuas. M. P. X X I I.
Ad Turres. M. P. V I I I I.
Adellum. M. P. X X I V.
Aſpida. M. P. X X I V.
Illicim. M. P. X X I V.

Quò

Quò agnosces, quòd si hoc iter Legionarij facturi essent per oram maritimam, præcisè Dianium, Lucentium Latinorum, illius litoris celebres vrbes erant ingressuri, quibus exclusis, & Aspada includens, quæ intra mediterraneas ad montana conspicitur, nulli dubium est, quin Legionum mansiones, non per litora, sed per mediterraneum, itineris limites perferebant. Quo cognito, quis credet *Illicem* mediterraneam, fuisse *Alicante* litoralem, quæ à mansionibus Leogionum immunis conspicitur. Hoc & hodie fatentur Ciues istius vrbis, quia erecta in Collegiatam Ecclesia S. Nicolai hanc in marmore in perpetuum monimentum epigraphen apposuere.

✠ IESV CHRISTO SÆCVLORVM REGI. SANT. ✠
VT NOVO SÆCVLO NOVVS QVOQVE
HVIC VRBI HONOS ACCEDERET
EX AVCTORITATE
CLEMENTIS VIII.
P. O. M.
ADNITENTE
PHILIPPO III. HISPANIARVM
ET INDIARVM REGE CATHOL.
P. P. P.
IOSEPHVS STEPHANVS
VALENTINVS EPS. ORIOLANVS
HANC ECCLESIAM S. NICOLAI PVBLICIS
S. P. Q. A.
REDDITIBVS PVBLICA ALACRITATE
DOTATAM IN COLLEGIATAM EREXIT.
ANNO DOM. M. DC. IX. KAL. AVG.
N. R. A. COSS.

Verba enim S. P. Q. A. distinctis clausulis leguntur *Senatus Populúsque Alonensis,* ex quibus clarè liquet *Alonam* esse *Alicante*, non *Illicem*, quæ est *E L C H E.* Iulianus Petrus Noster diuinat *Illicem*, esse *Orcolam.* Et P. Higuera, vt supra diximus, & in Not. ad Luitprand. Ann. 618. n. 28. explicat *Origuela*, sed fallitur, nam hæc *Oringe* dicebatur, vt erudite probat P. Diag. Hist. Valent. lib. 3. c. 7. Quibus excussis ad alia transeo.

C S. ANASTASIVS, *& Socij.* Perseuerat adhuc Nostrorum Martyrum memoria in membranis antiquorum Scriptorum. Et licet illorum acta irreparabilis ignauia temporum deperisset, à modo adhuc non contemnenda conseruauit memoria nobilis frusta. Audi Petr. Cabilon. in Topograph. verba: *Ilerdæ Hispaniæ Tarraconensis Ciuitas. Hic habitabat* Anastasius *miles Diocletiani, qui diu fuit in vinclis, Tarraconæ, Cæsaraugustæ, & Barcinone moritur.* Idem paulo superius. *Betulo eiusdem Prouinciæ litoralis Ciuitas propè Barcinonem. Hic* Anastasius *miles ex Ilerda cum Sociis LXXIII. Martyribus.* De eis scripsere Noster Iulian. Petr. in Chron. n. 86. & 87. Philipp. Ferr. in Catal. SS. General. h. d. Mariet. Hist. SS. Hisp. lib. 2. c. 33. Anton. Vincent. Domen. Hist. SS. Cathalon. fol. 121. lib. 1. Villeg. in flor. SS. 1. p. de SS. Hispan. P. Franc Diago Hist. Comit. Barcinonens. lib. 1. c. 11. Hieronym. Paul. in sua Barcinon. n. 10. Viladamor. Hist. Cathalon. c. 60. Ambros. Moral. Hist. Hisp. lib. 10. c. 28. Hieronym. Pujad. Hist. Cathal. lib. 4. c. 89. fol. 223. Fernandus del Castillo Hist. lib. 1. c. 1. P. Ioann. Bolland. in Act. SS. tom. 2. fol. 457. Maurolyc. h. d. Eorum acta ex Anton. Vincent. Domenec. præscisis superfluis, ausculta.

ACTA SS. ANASTASII, ET LXX. Sociorum Martyrum apud Betulonem Hispaniæ ex Domenec.

ANASTASIVS Cathaloniæ oriundus ex antiquissima Ilerdæ ciuitate, cùm ad perfectioris ætatis annos deuenisset, militari baltheo cinctus, nomen inter Legionum turmas conscripsit. Sed cùm huius vitæ illecebras, & militiarum terrestrium ærumnas pertulisset, agnouissétque, cœlestia feruidus agmina augere desiderans, sub Crucis Christi vexillo iam iam militare decernens, arrepto inter vndantium fluctuum scopulos, secundæ tabulæ per baptismum fragmine, securum in Ecclesia portum iniuit. In orbe Romano ad Imperij culmen tunc Diocletianus deuenerat immanis Christi ascetarum hostis, qui teste Nicephoro, in exordio regiminis illorum taliter est misertus, vt non solum non insectaretur actiones, verum honoribus cumulatos, & ipsos, aut domi retinebat officiis, aut illis militaria munera deferens, aut Prouinçiarum Præfecturas committens, alacri & fideli spiritu dimittebat. Sed humani generis inimicus, omniúmque virtutum inuidus hostis, pacem hanc Ecclesiis datam tantis furoris, procellarúmque flatibus disturbauit, Christianorum tunc hoc peccamina promerentia, vt protinus variabilis huius vitæ conditio omnia euertens, omnia confundens, Christianos & honoribus denudauit, è domo eiecit Principum, & Præfecturis exutos, non solum in officia desæuiebat, sed ad corpora crudeliter descendens, carcerum ergastula illis pertinaciter oppleuit. Quo imbuti furore Principes edictorum tabulas in orbis terminos dimisere, quibus de extirpando vbique Christi nomine Præsidibus consignabatur ordo. Quo Proconsules, Præsides, Præfecti, & huius alij farinæ satellites aduersus Christicolas coniurantes, immanissimis cruciatibus, proscripta supellectile, ferociebant. Inter tot Martyrum turmas Ilerdæ deprehenditur pro fidei confessione *Anastasius*, quem Militum priuilegio suffultum intuentes accensi ad Præsidem Tarracone consistentem transmittunt. In cuius vrbis carcere diu tentus Miles Christianus, post ad Cæsaraugustam remissus, vbi diutius in ergastuli fouea delitescens, ad Præsidem arreptus, vt Diis litet, blanditiis, & promissionibus persuadetur. Sed constanter Christum retinens, & thura Idolis offerre recusans, illum Barcinonem vinctum ferociter missitauit. Quò cùm peruenisset, & iterum ad tribunal perlatus, illic sisteretur, nec à proposito resilire visus esset cum aliis septuaginta tribus sociis capite damnatus apud Betulonem vrbem Barcinoni proximam martyrio cum cæteris coronatur, XXIII Ianuarij Anno Domini N. CCCV. Imperantibus Diocletiano, & Maximiano.

Hactenus Domenec. Iulian. Petr. Noster, eorum memoriam recolit, sic: *Betulone in Prouincia Tarraconensi* S. Anastasius *Miles Legionarius, sub Decio Præside, & Marcello Iudice, qui cum militaret* Ilerdæ *cuius Ciuis erat, audito Cæsaris edicto Decij, se Iudici (vt creditur) sponte sua obtulit, & pro Christi nomine, post varia tormenta moriens ad cœlos euolauit, adeóque fuit celebre, & illustre martyrium, Vt V. die Decembris Græci in suis menologiis, huius fortissimi Militis, & Martyris meminerint. Eodémque die, & loco LXX. quoque Milites, & Socij* S. Anastasij, *sicut eius fuerunt socij, sic difficillima pugna, & corona.* Quod si *Anastasius* qui in Menologio recensetur, noster Ilerdensis est Martyr, proculdubio illustriorem egit agonem. En acta ex ipso, & Iuliano.

ACTA SS. ANASTASII, ET LXX. Soc. Martyr. ex Græcorum Menologio, & Iuliano Archipresbytero Toletano.

S. ANASTASIVS Ciuis Ilerdensis, & Miles ipsius vrbis Legionarius, qui tempore Decij Imperatoris, cum militans Ilerdæ, edicta Cæsaris, de abolendis Christianis, à Decio Præside Tarraconensis Hispaniæ Prouinciæ publicata conspiceret, quorum normam Marcellus exequebatur in Martyres, Nostérque tantos à Gentilibus inquisitos agnosceret, propter Dei confessionem membratim discerpi, ipséque esset Christianus, considerans, quanta illis à Deo reposita essent bona, cupiens illa consequi, quodam die corde accensus, cruce totum corpus signauit, in stadium cucurrit, & stans in medio consessu, magna voce clamauit: *Inuentus sum ab iis, qui me non quærebant, Manifestus factus sum, his qui me non interrogabant.* Cum vero omnes illum intuerentur, dixit: *Audite vos omnes ministri Diaboli, audite, inquam, Christianus ego sum, atque in Dominum meum Iesu Christum credo, & Idola vestra, cum adoratoribus suis anathematizo, atque auersor.* Illi vero ita liberè prædicantem audientes, obstupuerunt, statímque exuentes flagris cæsum, carnifices obtruncarunt, & in mare proiecerunt. Quod factum apud Betulonem ipsius Prouinciæ, & cum eo L X X. Milites Sancti Martyris socij, quos si eadem coniunxerat militia, eos vtique æqualis gloriæ copulauit corona, V. die Decembris Anno Domini C C. L I I. vel circiter Imperante Decio, Summum Pontificatum obtinente S. Cornelio I. Martyre.

Pro primis actis stant Nostri Scriptores, fortè quia Iuliani sententiam ignorantes, communem insequentes, ad alia haud intenti, illi communi calculo subscripserunt. Pro hac adest hoc Saphicum, ex meo M S.

Ad S. Anastasium Ciuem Ilerdensem, Betulone Martyrem

HYMNVS.

Clauditur Miles tumulo Beatus,
Crudas ærumnas patiens Ilerda,
Cœlum corona redimitus iuit;
Siste viator.
Imperans dirus Diocletianus
Duxit per orbem grauidúmque iussum,
Nullum scribi Christo reseruientem
Bellico signo.
Martyris virtus radians Beati
Luxit, offendit sociúmque labes,
Militum vero inuidúsque liuor
Martyrem vrsit.
Betulo fauces iugulauit ante,
Betulo vero cineres recolit,
Nunc nobis esto pius, atque Pater
Martyr amande.

Ego ſecundæ, propter Iuliani auctoritatem, lubens adhæreo. Quia vt omnes contrariæ fatentur opinionis, adhuc acta deſiderantur, & literis mandata, tantum confuſa traditione innituntur, quæ facilè temporum euolutione variatur. Noſtram Iulianum auctorem antiquiſſimum, patrem, & patronum agnoſcere fatendum eſt, pro qua ad manus peruenit meas huiuſmodi Octaſtichon.

Clauditur hac celebris petra (nunc ſiſte viator)
Martyr Anaſtaſius, Spiritus aſtra petit.
Cæſaris & Decij tunc tempore cinxerat arma:
En Decius Cæſar, clamyde rubra ſagit.
Militis ærumnas natus tranſegit Ilerdæ,
Iam cœlo plenus ſerta recepit ouans.
Bætulo quæ caput iugulo diſpoſuit ante;
Colligit en cineres, buſtáque docta parat.

Nec obſtabit diſcrimen in celebrationis die, quia qui haud agnouere geſta, & agonis diem ignorare potuere. Quo facilis datur tranſlatio. Solùm hic lectorem animaduerſum volo, quod non ex hac mea reſolutione, à concepta ſententia deſiſtat, imò quam maluerit eligat. De S. Anaſtaſio V. Decemb. agit Baronius cum Rom. Martyrol. & alij.

I L E R D A Patria Noſtri Martyris, Ciuitas Hiſpaniæ Tarraconenſis Epiſcopalis, antiqua, celebris, & nobilis ad Sicorim fluuium, hodie L E R I D A tranſuerſis literis licet, omnes continens, & ab *I* media ſi inceperis, antiquum vocabulum, indiſtinctè comperies. Forma, editiori loco, oblonga, media inter Barcinonem, & Cæſarauguſtam X X I I. M. P. H I S P. Inter Ilergetes adnumerat Ptolom. & Plin. lib. 3. c. 3. *Ilerdenſes* (ait) *Sardaonum gentis, iuxta quos Sicoris fluuius.* Gaſp. Barrer. locum Plinij reſtituens pro *Sardaonum*, legendum putat *Sardonum.* Nam iſti Ruſcinonenſem cum habitent regionem, contigui conſpiciuntur. Eius ſitum deſcribit Lucan. lib. 4. Pharſal. ſic:

Colle tumet medio, leníque excreuit in altum
Pingue ſolum tumulo, ſuper hunc fundato, Vetuſta
Surgit Ilerda *manu, placidis prælabitur vndis*
Heſperios inter Sicoris *non vltimus amnis.*

Etiam eius meminere Auſon. ad Paul. epiſt. 25. & de Profeſſor. Burdeg. Epigr. 24. S. Paul. ad Auſ. Epigram. 2. Quibus in locis videndi Vinet. ad Auſon. & P. Ruſvveyd. in Not. ad Paul. Horat. & alij. De conditore varia, apud varios, vt noſtri eſt moris, per omnium ſententias diſcurſitabimus. Ioann. Epiſc. Gerundenſ. in Paralip. Hiſpan. lib. 2. Ab Illyricis conditam diuinat. En verba: *Vrbem itidem conſtruxerunt* Illyrici *qui Achæi ſunt, & apud nos hodierno idiomate Sclauones dicuntur, quæ apud amnem* Sicorim *ſita, inſtar eorum propriæ regionis, agrum valde fertilem ſortita eſt. Hanc à propriæ gentis cognomine nominarunt* Ilerdam. Contra cuius ſomnium inſurgunt Ludouic. Non. in ſua Hiſpan. c. 84. Hieron. Pujad. Hiſt. Cathal. lib. 1. c. 14. & 22. & ſolita eruditione amicus Noſter D. Fernand de Valdes Ortiz, Iuuenis ſupra ætatem literatus, & cum admiratione eruditus in Hiſtor. Ilerdenſ. c. 1. fol. 4. & ſequent. Quo Epiſcopi perſcrutans errores, totam prorſus machinam labefactat.

B E T V L O Martyrij paleſtra. Ciuitas fuit peruetuſta, inter ſtipendiarias Laletanorum; in agro Barcinonenſi ſita, cuius mœnia fluuius Betulo lambit. Hodie vrbs B A D A L O N A. ad Barcinonem IV. M. P. Hiſp. diſtans. Fluuius alij *Beſes*, alij *Beſon*, alij *Beſons* appellitant. De ea Plin. lib. 3. c. 3. Mela lib. 2. c. 6. Ptolom. & Hortel. Anton. Auguſt. Florian. de Ocampo lib. 1. c. 2. lib. 4. c. 12. Tarraph. de Regib. Hiſp. in Bætho. [illegible] ab ipſo conditam contendit, quem ſequuntur Hieron. Pujad. lib. 1. c. 16. P. Franc. [illegible]iag. Hiſt. Comit. Barcin. lib. 1. c. 11. Inferius ad alia procedemus.

NONO KALEND. FEBRVARII, DIES XXIV.

A. *Toleti celebris* DESCENSIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ *ad ipsius vrbis Sanctam Basilicam, pro cœlesti donanda S. Illephonso cappa, festiuitas perseuerat, titulóque* S. MARIÆ *de Pace nostris agnoscitur communiter temporibus.*

B. *Apud Odonem Carpetaniæ oppidum passio* S. BABYLÆ *Episcopi Pampilonensis Vuasconiæ Hispaniæ, qui excisa à Mauris eius sedis vrbe, Toletum aduentans, vt Muzarabibus præberet solamina. Ad dictum oppidum secedens, ibidémque Eremitoriolum struens, ludimagister effectus, vt inter literarum rudimenta, spiritus fundamina puerulos edoceret, tandem à Sarracenis decollatus, cum duobus fratribus, & LXXXIII. infantibus eius discipulis ad cœlos Martyr euolauit intrepidus.*

C. *Carthagine Spartariæ festum* DEDICATIONIS *ipsius vrbis Ecclesiæ, cuius cultus & splendido repetitur anniuersario, & insigni annuatur festiuitas splendore.*

NOTÆ.

A DESCENSIO BEATÆ VIRGINIS MARIÆ ad Templum Toletanum. Festiuitas ista annorum ferè mille superat antiquitatem in Toletana Ecclesia. De ea omnes Martyrologiorum Scriptores, qui de Sancto egerunt Ildephonso, indiuidualiter Philipp. Ferrar. in Catalog. SS. Gener. h. d. fol. 43. sic: *Toleti in Hispania festum.* Descensionis BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. Cuius cultum non tantùm consuetudine, & traditione commendatum comperimus, sed Pontificum auctoritate firmatum, Conciliorum adsensu auctoratum, Ecclesiarum vsu receptum, Regum præsentia, & voto suffultum, & Scriptorum recensione decoratum. Quorum comprobationem post facti anamnesin repetemus. Interim, vt euenit, ausculta:

ACTA DE DESCENSIONE *Beatæ Mariæ Virginis cum veste ad S. Ildephonsum, à Zixilane Tolet. Antist.*

HIS excursis, alia adhuc miracula Spiritus Sanctus per eum (*Ildephonsum*) in ipso Dominico Aduentu, non per multos dies peregit, sed quia longa sunt recensere omnia, quæ eius temporibus in Toletana vrbe Dominus Vrbanus, & Dominus Euentius, per eum facta narrabant, vel ex multis pauca aggrediamur, quamuis, qui mecum hoc audierunt, cum hæc legerint, dolebunt me prætermisisse, tam multa, & magna, quæ mecum sciunt. Superueniente verò die Sanctæ, & semper Virginis MARIÆ antre tres dies, tribus diebus Letanias peregit, & Missam suprascriptam, quæ in eius laude decantaretur, perfecit, quæ est Septima. At vbi ventum ad eius sanctam solemnitatem, supradictus Rex (*Reccesuindus*) minus de timore Dei solicitus, & de suis iniquitatibus male conscius, ad audienda solemnia de more accessit. Nam seruus Dei *Ildephonsus* maiori adhuc munere fretus, dum Dominæ suæ, cui Deo Præsule seruiebat, celebritatem ouans susciperet, & in laude Genitricis Dei, hoc quod supra prænotauimus, summo cum cordis affectu, harmoniæ modulatione composita Musicæ appeteret, & Libellum virginitatis, more synonymo testimoniis veteris, & noui Testamenti plenum comptè ederet, & digna facundia, & magnificentia iam præfatæ Dominæ suæ exornaret; dum ante horas Matutinas, solito more ad obsequia Deo peragenda consurgeret, & vigilias suas Domino consecraret, Diacono, & Subdiacono ante eum, faculis præcedentibus, subito, ostia aperientes, & Ecclesiam intuentes, atque splendore cœlesti oculos defigentes, lumen quod ferre non valuerant, cum tremore effugientes, lampadas, quas manibus tenebant, reliquerunt; & sua vestigia per quæ venerunt, adeuntes, prope mortui reuersi sunt ad sodales. Solicite omnis congregatio requirit, quid de Dei seruo ageretur cum Angelicis choris, qui tam subito expauerint custodes, & terga ab ostio Ecclesiæ dantes reuersi sunt ad proprias ædes. At ille sibi bene conscius, ante altare S. Virginis procidens, reperit in Cathedra ipsam Dominam sedentem, vbi solitus erat Episcopus residere, & populum salutare. Quam cathedram nullus adire tentauit Episcopus, nisi Dominus Sisebertus, qui statim sedem ipsam perdens, exilio relegatus est. Et eleuatis oculis aspexit in circuitu eius, & vidit omnem absidam Ecclesiæ repletam Virginum turmis, de canticulis Dauid, modulata suauitate aliquid decantantibus. Aspiciénsque in eum (vt ipsis sibi consciis, & benè charissimis referebat) hac eum allocuta est voce: *Propera in occasum meum, serue Dei rectissime, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro Filij mei tibi attuli, sic enim tibi opus est, vt benedictione tegminis, quæ tibi danda est in meo tantum die vtaris, & quia oculos fidei fixos in meo tantum seruitio tenens permansisti, & laudem meam diffusa in labiis tuis gratia, dulciter in cordibus fidelium depinxisti, & vestimentis gloriæ iam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuariis meis, cum aliis seruis Filij mei lætaberis.* Et hæc dicens, ab oculis eius, vnà cum Virginibus, & luce, quà venerat, remeauit. Remansit igitur Dei seruus in tantum sollicitus de adipiscenda gloria, in quantum præscius de sibi donata palmæ victoria; præstante Dom. Nost. Iesu-Christo, qui cum Deo Patre, & S. Spiritu viuit, & cuncta regit per infinita sæcula sæculorum.

Quo miraculo, illicò Sanctitatis opinio *Ildephonsi* per omnes Europæ circulos diuagauit, & cum ad Vitaliani Papæ peruenisset auditum, *mittit* (inquit Iulian. in Chron. num. 347.) *Apostolicum Legatum, & re comperta, fit socius eiusdem Ecclesiæ, & exinde inoleuit mos, nocte Natiuitatis, quando ipse abest mulctari.* De quo etiam copiosius egit Aduers. num. 466. hisce verbis. *Fama miraculi de cælesti cappa, quâ* S. Ildephonsus *Toletanus Pontifex à B. Virgine ornatus est, peruenit ad aures* Vitaliani *Romensis Papæ, quæ fama quóque per omnes circiter Orbis partes diuagata fuerat, qui, vt fertur, misit Toletum Deodatum, & Domnionem Cardinales, qui re tanta per illos diligenter comperta, vestem venerarentur, & se sacrósque Pontifices Rom. & Imperatores, volente quoque, & precante eodem facerent Canonicos, & fratres tàm tremendæ quidem Ecclesiæ.* Eadem ante scripta reliquerat Luitprand. Aduers. num. 221. sic: *Petrus, qui postea fuit Episcopus Aquileiensis mittitur à* Vitaliano *Toletum, vt sciret verúmne esset miraculum de data cælesti veste* D. Ildephonso, *qui fuit etiam socius eiusdem Ecclesiæ.* Idem Aduers. num. 219. sic: *Et ob id diuulgato per Orbem miraculo Rex Reccesuindus, &* Vitalianus *Pontifex, nomine suo, & suorum successorum, vouerunt se visuros esse die Natiuitatis illius Ecclesiam, quam propter aduentum B. Virginis, idem Ildephonsus* lib. de Scriptor. in Addit. ad lib. D. Isidori, *vocat terribilem.* De hac assistentia in choro die Natiuitatis, Pontificum, & Regum, agunt Salaz. de Mendoz. in Vita S. Illeph. P. Portocarr. de Descens. cap. 21. Blas. Ortiz de Templo Tolet. cap. 10. Qui (nondum euulgatis Luitprando, & Iuliano) licet ignorauerit originem assistentiæ, ipsius debitum fassus est, sic: *Cæterum ad excellentiam, priuilegiúmque huius Basilicæ spectat, quod Hispaniarum Reges à Primo die* Natalis Domini *vespertinis horis, vsque ad Missam tertij diei peractam, quæ S. Ioannis Euangelistæ est, sub certa pœna, in hoc sacro templo adesse tenentur. Quin & ipse* Romanus Pontifex *nisi in iisdem diebus adfuerit, simili pœna pariter mulctatur, quod vsque in præsentem diem inuiolabiliter seruatur. Neque aliunde ducere originem praexistimandum est, quàm ex illa cælesti, & per Orbem terrarum celeberrima, ac vulgatissima Virginis* MARIÆ *descensione.* Et paulo inferius prosequitur: *Libri vetustiores, & Kalendarium, quod memoriarum dicitur, in quibus hoc multatitium statutum indubitanter promulgatum reperitur, hac de re testificantur.* Extra supradictum Pontificem, adsunt Sixtus IV. qui officium approbauit anno M. CCCC. LXXVII. Pius V. anno M. D. LXXI. Gregorius XIII. vt referunt Loaysa in not. ad. cap. 1. Concil. X. Tolet. fol. 506. Portocarr. c. 34. Vrbanus VIII. anno M. DC. XXXVIII. Ex quibus Pontificum placita deprehendes.

Ad Concilia deueniamus, *Lateranense* celebratum anno M. CC. XV. per Innocentium III. Pont. Maxim. in quo interfuere CCCC. LXXXIV. Prælati; ibidem de Primatu Hispaniæ actum, & inter cætera, quæ ad S. Ecclesiæ Toletanæ celsitudinem probabantur, hæc nobilior, & excelsa visa est *Ipsa Virgo Sanctissima* (inquiunt acta Concilij) *præsentia sua inuisere voluit, atque dignata est, cum quondam* B. Ildephonso *Archiepiscopo Toletano sacrificium Domino offerenti, & omnibus præsentibus, qui diuinum audiebant officium, visibilem se præbuit.* Vt ex MS. peruetusto Eccles. Tolet. referunt idem Loaysa in not. ad Decret. Gundem. §. 5. fol. 291. Portocarr. cap. 21. Item aliud ad Concilium Prouinciale apud oppidum *Peñafiel* in Vacceis congregatum ab Ægidio Albornoz, In quo D. Gonsaluus Paloméque Archiepiscopus Toletanus secundas tulit, vt refert P. Marian. Histor. Hispan. lib. 14. cap. 5. & Abrah. Bzou. Annal. Eccles. tom. 14. ann. 1302. Ibidem hic titulus: *De festo S. Ildephonsi colendo.* Cui adhæret simile decetum: *Item quia Mater Dei, & Saluatoris Nostri Iesu-Christi, gloriosa, & semper Virgo* MARIA *Capellanum, ac suæ virginitatis specialem præconem* B. Ildephonsum *Patriarchalis Toletanæ Sedis Præsulem, ac Rectorem, post suam Assumptionem descendens de Cælo empyræo corporaliter visitauit, & donis ac muneribus spiritualibus decorauit, in signum spiritualis deuotionis, & amoris, & quos Mater Dei diligit, nos tenemur diligere, & honorare; statuimus, & ordinamus, vt per totam Toletanam Prouinciam, eius festiuitas, tanquam præcipua, Duplici officio celebretur.* Nota in decreto causam impulsiuam, quo Nostram virtualiter confitetur. Post hoc innumeræ adsunt synodi, quibus hoc festum præcipitur celebrari.

Quatenus

Quatenus ad Regum vota, iam ex Luitprando, & Iuliano, quorum verba retulimus de *Recceſuindo* didiciſti. En extra illa, alia Iuliani verba Aduerſ. num. 466. in quibus, & Cæſares deprehendes: *Inde venit vetuſtiſſima conſuetudo, quæ ex eodem tempore in hoc conſeruata eſt, quam obſeruari fecit.* Recceſuindus, *qui ſequutus Papam, & Cæſarem voluit eſſe Canonicus, & cæteri* Reges Hiſpani *ſimul eſſent.* Quod obſeruari adhuc referunt Salazar de Mendoça, & alij. De *Sancto* Rege Anno M. C C. L X X X I. qui ob honorem tantæ feſtiuitatis nobile conceſſit Eccleſiæ Toletanæ priuilegium, in quo cauſam ſignificans conceſſionis, *Quia* (inquit) *Dominus Noſter permiſit, quod Virgo* M A R I A *eius Genitrix illuc deſcenderet corporaliter, ſub honoris prætextu, & illic ſuum offerret munus nobile, & veſtem pretioſam Sancto Confeſſori* Ildephonſo *Archiepiſcopo iſtius loci.* De ſubſequentibus Hiſpaniæ Monarchis, nullo dempto, cæteros, ſine dubio conſcribe.

Eccleſias Hiſpaniæ ſi quæritas, quotquot illa capit, tot de illa feſtiuitate egiſſe, depinge. Antiquitus Toletana proprium recitabat officium, vt in Breuiario anni 1505. in quo Oratio:

Supplicationem ſeruorum tuorum, Deus miſerator, exaudi, vt qui in Deſcenſione Dei Genitricis, & Virginis M A R I Æ *congregamur, eius interceſſionibus complacatus, à te de inſtantibus periculis eruamur. Per Dominum,* &c.

Aſturicenſe MS. Breuiarium anni 1306. inter alia carmina Sanctorum, ſequentem conſarcinat hymnum, quem credo hoc die ab eius Eccleſia cani ſolitum ſcilicet ſine titulo, lemmate, aut alio ſignaculo feſtiuitatis.

Virgo Beata cælitum
Mater, Regina Spiritûm
Concepta, ſacro munere,
Ab omni labe criminum.
Tu Noſtra, Virgo, nomine,
Réque Aduocata numine,
Vt Ildephonſo ſolueres,
Cælos en Alma deſeris.
Cæleſte cappa Præſulem
De theſauris Altiſſimi,
Ornas, vidente Populo,
Choro ſtupente cælico.
Hac veſte, promens, vtique
tibi, retento ſæculo,
quam conſigno nunc vtere,
quouſque ſcandas ſydera.
Dixítque aceruus Virginum,
Matrem ſecutus Virginem,
Angelicis tunc cœtibus
permixtus aſtra aſſumitur.
Præſul fauoris conſcius,
Dat ergo grates protinus
Vt potuit trino Deo
Necnon Matri per ſæcula.

Hodie, vt diximus, hæc feſtiuitas appellatur S. M A R I A D E P A C E originem ſciſciaberis; en ex probatis auctoribus, traditione ſulfultis; Vrbs Toletum ab Alphonſo VI. circundata, obſeſſa, & abſque auxilio redacta, cum eſſet, in eius venit ditionem, ea pactione, inter alias, vt maior Meſquita (quæ tempore Gothorum fuerat Patriarchalis Eccleſia) eſſet Arabibus applicanda, & Baſilica, quæ de *Alficem* dicebatur, & Muzarabum temporibus vices Cathedralis exegerat, Chriſtianis ingreſſuris aſſignanda eſſet. Paruit Alphonſus contractui, & deditione facta, ipſe cum omni exercitu, Regina, Archiepiſcopo, & Chriſtiano populo Regiam intrauit vrbem. Poſt aliquod temporis ſpatium Legionem vſque progreditur, tunc Bernardus Toletanus Antiſtes, annuente Regina Conſtantia, & abſente Rege, in noctis ſilentio, valida manu, Meſquitam ingreditur, luſtrat, conſecrat, ſacrum Dei officium

officium peragit, turrim tympanis decorat, imaginibus Sanctorum maiorem, minorésque aras exornat, linteamininibus vetustat, & cætera perficit, quæ ad verum Dei templum necessaria cognouit. In Maurorum cognitionem esset cùm ventum, lachrymantur, de Regis infidelitate conqueruntur, pacta transgressa clamitant, ipsósque Regia deceptos fide vociferantur. Ad Alphonsum (concilio habito) ipsorum proceres exlegant, Qui Regem in itinere prehendentes, infortunium exponunt, fidem regiam conculcatam declarant, eorum miseriam significant, consequentiam in subsequentibus patefaciunt, & iusiurandi fractionem execrantur. Excanduit Alphonsus, & reiterato itinere Toletum reuertitur, tali furore incensus, vt nec propriam parciturum coniugem promisisset. At Arabum interim attentior caterua Procerum in melius reducta consilium, Regi, de offensione illata omnibus veniam concessuros, spondent, ipsúmque Regem, eis efflagitantibus, in eorum assensum deuenturum & ratio expostulauerat, & iustitia, depoposcerat. Quo Alphonsus omnibus parcens, Sarracenis subueniens, & Populo plaudens, quia huius pacis concordia, hac die celebrata dignoscitur, ideò à Bernardo Præsule festum Virgini dedicari decreuit. Virgini, quia Toleto fauoribus prosecuta in similem diem eius descensionis festiuitas agebatur. De Pace, quia eodem Pax per eius intercessionem omnibus in illa commorantibus orta est. Sic P. Marian. lib. 9. cap. 17. Pisa lib. 3. Histor. Tolet. cap. 21. Salaz. lib. 2. cap. 2. Carril. Annal. lib. 4. Ann. 1086. fol. 310. Alcozer. Hist. Tolet. lib. 1. cap. 67. fol. 55. & Nos infra die III. April.

B S. Babylas. Est Noster Antistes diuersus ab aliis huius nominis, de quorum actis etiam hodie contendunt Martyrologiorum Scriptores, tam Græci, quam Latini. Quorum contentio, & discrepantia, ventilata est fortiter apud Baronium in not. ad Mart. Rom. lit. A. & tom. 2. Annal. Eccles. ann. 241. num. 1. Bolland. in Act. SS. h. d. §. 2. ex num. 6. vsque ad num. 14. fol. 570. Sed explosis illorum altercationibus, cùm ad Nostrum non conferant Martyrem, quid de eo reserauerit antiquitas, etsi iam breui cartula, vt nihil præter nomen, sedem, agonem, & theatrum inueniatur, attingam. Ergo Luitprand. in Chron. ann. 715. num. 195. hoc de Martyre elogium consarcinat: *Per hac tempora* S. Babylas *Episcopus Vrinensis, & Pampilonensis (vtrobique enim prædicauit) animo videndi captiuos, & miseros Muzarabes, Toletum venit, & inde ad* Odonem *oppidum, & propè, in Eremitoriolo pueros docet primas literas, & venit cum duobus fratribus, qui fiunt Eremitæ, & postea omnes martyrium patiuntur.* Iulian. Petr. in Chron. num. 413. amplius progreditur, sic: *S. Babylas Episcopus Pampilonensis, capta Pampilone, venit in Carpetaniam, & prope oppidum* Odonem *docet pueros, & cum illorum LXXX. à Sarracenis patitur martyrium.* D. Thom. Tamayo de Vargas in Not. ad Luitprand. fol. 118. contendit Græcorum menologium, de quodam *Babyla* Ludi Magistro ad IV. diem Septembris agere, & cum LXXXIII. pueris martyrium complente, credens de hoc nostro locutum. Sed toto aberrat cœlo; nam illo tempore Decij, aut Numeriani, Noster in ipso Sarracenicæ cladis ingressu, fere post illum ann. CCCCL. ad martyrij laurum cucurrit. Nec me mouet eiusdem D. Thom. Tamayo assertio dicentis, istius Martyris memoriam inueniri in Breuiario Muzarabi; quia si hymnus attente legatur, de Antiocheno Babyla Præsule carmina concinit, sic:

Formam exempli Babylas Antistes;
Nobis tenendam dimicans impressam,
Ne templi Dei ostia pandantur
Callido hosti.
Hic vir virtute fidei munitus
Antiochenam rexerat arcem,
Spreuit prophanum atriis à sanctis
Numerianum.

En

En in hymno Antiochenus Babylas, ergo à Pampilonensi procul. Indubitatæ fidei est Nostrum *Babylam* fuisse à relatis diuersum, cuius acta à nemine (quod sciam) congesta, cuius elogium à nullo Martyrologo conscriptum, inuenies, ideo opus erit nouum in eius memoriam actionum ædificium fodere, quo eius acta Hispanis, & exteris populis innotescant.

ACTA S. BABYLÆ, EPISCOPI Pampilonensis, & Martyris Odonens. Cum Soc. Ex variis.

BABYLAS apud Pampilonem antiquissimam Hispaniæ in Vvasconia vrbem, vt creditur, primos lucis inuisit fulgores, & cùm temporibus Vviticæ, & Roderici Hispaniarum stragis fautorum, auctorúmque fatalis, post adeptos minorum ordinum, meritis præcedentibus, titulos ad sublime Præsulatus Pampilonensis peruenisset fastigium, in eius muneris sedem collocatus, vltimum regionis, propter hominum peccamina, Deo vindice, prædicebat exitium. Hoc, irruente Sarracenorum illuuie, accepit exordium anno Domini DCC. XIV. & tanta per orbem Hispanum breuitate clades irrepsit, vt anno sequenti ad Pyrenæi radices vsque perueniens, omnia ingluuies populauit iniqua. Cessit Arabi Pampilona, quò exardescens sæuus aduersus Dei Ecclesiam furor tyrannicus omnia subuertit', cuncta vastauit, vniuersa dispersit, insequens Episcopos, Presbyteros, Abbates, Leuitas, & omnem Clerum, & quoscumque illa tempestate capere valuit, ferro deuinctos, quasi mortuos sæculi subterraneis specubus submergebat. Viduauit Ecclesiam sacro ministerio, priuauit oraculo, alienauit officio, nec illo erat tempore Christianis oblatio, defecerat sacrificium, infumabat incensum, subticebant cantica, & omnes dispersi aut montana captantes, aut plana sequentes simulatis vestibus personabant. *Babylas* vt tantam propriæ ciuitatis, Ecclesiæque circumspexit ruinam, sine grege Pastor insistens, vt alias prodesset, arrepto itinere, Toletum deuenit, quo adhuc Christianorum, titulo Muzarabum, aut Mixtarabum, cœtus permittebatur, sic in vrbis deditione permittentibus pactis. Illic aliquantocius commoratus ad oppidum cui nomen *Odon* secedens, duobus comitatus fratribus, illinc Eremitoriolo, Sarracenis permittentibus, erecto, vitam eremiticam, magnis virtutum laudibus, sedulus Agonista peregit. Magnorum operum crescente cespite, & mirabilium auctis facinorum aggeribus, etiam eius sanctitatis opinio per illius Carpetaniæ vicos percurrebat, & vrbes. Quo oppidanorum cateruatim ad illum strues innumerabilis adcurrebat. Illos humilis Eremita suscipiens, solamine fouens, dogmate fauens, vniuersos ad propria alacres remittebat. Nonnulli ex Muzarabum proceribus, intellecta vitæ puritate, prolem suam literis erudiendam commisere, ne in vrbe illecebris irretita, Arabúmque permixtione confusa, Christianam, occasione instante, indolem euanesceret. Omnes sub contubernio recipiebat Antistes, & omnibus in virtutibus, literarúmque rudimentis, progressis, ad proprios parentum lares sedulus dimittebat. Nec tantummodo Muzarabum animos, ad huiusmodi educationis pensulum demulcebat, sed & ipsos Arabum præstigiebat spiritus, vt etiam eorum filij erudiendi primis literis traderentur. Hoc intendebat Sanctissimus Ludimagister opere, non solùm, vt in templi Dei ornatum, Christianam expoliret iuuentam, sed etiam rudem Arabum indolem, adhuc vita postposita, denuò subtiliter informaret. Agnouit

intentum

intentum Maurus, & propalata cautela, in scholam irruens audacia, furore comitante, & implente Sanctissimum Præsulem, fratrésque, & Octuoginta pueros, absque defensione pertinaciter collocauit. XXX. die Octobris Anno Domini Nostri Iesu Christi DCC. XV. Eo regnante in sæcula sæculorum. Amen.

En quæ potuimus excerpere acta. Nulli dubium sit *Babylam* apud nostros fuisse. Nam illius inter alios Martyres Hispanos meminit S. Eulogius in Memor. SS. lib. 1. num. 17. & 18. Sic de illis qui se mucroni incompulsi veraciter obtulerunt: *Sic Beatissimus Thyrsus, sic electus Adrianus, sic Iustus, & Pastor, sic Eulalia Virgo Barcinonensis, sic* Babylas Pontifex *multique alij sponte, se obtulerunt, & coronati sunt.* Nullus ex aliis *Babylis* se obtulisse comperimus, vt Noster, qui inter medios irruens hostes, & vitam exponebat intrepidus, & edocebat audacter. Imò ad quid inter tot Sanctos Hispanos, exterum erat adducturus Eulogius, quando inter proprios, tot illustria exempla suppeditabat Hispania? Et magis quando ipse Sanctus Martyr è peregrinatione redux, omnes ferè regiones Sanctorum Martyrum commemoratorum, altrices perlustrasse fateatur. Quo in promptu eorum agones, & acta præcisè retenturum crediderim Eulogium. Sed omnia vehementius vrgeat, antiquus hymnus in meo MS. Codice, in quo lemma, & saphicum.

PRO SANCTO BABYLA EPISCOPO, & Martyre, Hymnus.

Pampilonensis Babylas, *vt ipse*
Perferas Christum, proprios relinquens,
Alienos quæris, trepidus penates
Præsul Ibere,

Non tamen cedis, licet alienos
Quærites ciues, tumulo relicto,
Nam tuis victis, cupidus hic Maurus
Cuncta funestat.

Ales excelsus properans, agonis
Pandit atrocis forulúmque nostras
Dirigens ergo, Cumulatus ades
Lumine Martyr.

Hic, Pater docens pueros amorem
Vnici Christi, relegas phrenesim
Impiæ sectæ, qua religiosus
Creditur Arabs.

Ergo splendorem renuens Tyrannus:
Illico fremens sciuit, vt suorum
Filios audax glomerasses altè
Dogmate Christi;

Arripit dirus Babylam, *inurens*
Quotquot ad ludum retulit camæna;
Téque confestim laqueo reuinctum
Verbere tonat.

Denique adflictus nouiter cruentum
Perpetis mortis, silicis ad instar,
Vltimum soluens Deo (vt re liquet)
Martyr agonem.

Gaudeat plebs tanto religiosa
Martyris nostri tumulo Beati;
Sanctiorem clamet, & ille plebem
Noster Odonis.

D.D. Laurent. Ram. de Prado in Not. ad Luitprand. num. 195. refert extare adhuc Eremitoriolum, quod appellatur DE S. BABILES tribus à Matrito leucis dissitum, & ab oppido *Odone* dimidio milliari, cui Noster dedit nomen Martyr. Aliudque extat in Regio secessu Matritensi. Quem Martyrem pro herniæ morbo infantibus communi conformis matrum deuotio aduocatum proclamitat. Eius festum hoc die reposuimus, licet XXX. Octobris passio à Iuliano consignetur, quia apud illius Populi accolas memoria hodie quotannis repetitur.

ODON ipsius nominis oppidum, licet secunda litera, O, longa à Matrito XII. P. M. distans, de quo hæc D. Thom. Tamayo fol. 119. *Extat hodie in Carpetanis, eodem nomine, quod ab antiquissimis temporibus conseruatum, sunt qui putent, nempe ex Hebræo* אדם, *à verbo:* אדם. Adam, rubescere *Nam gleba huius oppidi rubra.* Eadem D. Sebast. Couarruu. in Thes. Ling. Castell. verb. Odon.

¶ DEDICATIO Sanctæ Ecclesiæ Carthaginensis. Vetustissimi moris adfuit in Ecclesia Dei, hoc est in Congregatione fidelium, altarium conseratio, vtpote ab exordio nascentis doctrinæ, & legis Euangelicæ, qua Apostoli, & omnes vrbium Antistites, & si latenter altaria, domi, speluncis, & aliis reclusioribus locis, competenter tamen ornatis, illa erigebant, consecrabant, venerabantúrque. Hæc autem occulta consuetudo inoleuit, vsque ad Magni Constantini Imperium, quo cùm pax, propter fidem Catholicam susceptam, daretur Ecclesiis, ideò Sanctissimus Pontifex Romanus Siluester I. anno CCC. XXIV. Palatium Lateranense, ab ipso Constantino Pontifici donatum, in Ecclesiam publicè erexit, Domino Saluatori Nostro Iesu-Christo dedicauit, publicis acclamationibus consecrauit, & omnibus Christi fidelibus venerandam præbuit. Cuius dedicationis exemplo, & Magni Cæsaris vbique permissu, deinceps per totius Orbis ambitum, Patriarchæ, Episcopi, & omnes Catholicæ religionis Antistites innixi, illicò templa palàm erigere, Ecclesias Saluatori, dedicare, Virgini Matri, Ioanni Baptistæ, Apostolis, postea Martyribus, & demum Confessoribus incepere. Et ob memoriam huiusmodi erectionis, & *Dedicationis* quælibet Cathedralis Ecclesia similem repetit anniuersaria iubilatione festiuitatem. *Carthaginensis* Hispaniæ ergo Ecclesia, vt maiorum conseruet morem, hoc die mirificè festum suæ peragit Basilicæ, de quo Philipp. Ferrar. in Catal. Gen. SS. hæc verba subnectit: *Carthagine in Hispania* Dedicatio *Ecclesia Cathedralis*. Hæc, vt creditur, Episcopali fuit sede ornata à S. IACOBO ZEBEDÆI filio, Hispaniarum Apostolo, qui Sanctum Basileum ibi reliquit Episcopum, diuersum ab alio Sancto Basileo Portuensi, post Braccarensi, & demum apud Ambraciam in Vettonia cum Sancto Epitatio Ciue ipsius vrbis Tudensium Episcopo, post Ambraciano, Martyre. Dedicata conspicitur D. V. MARIÆ cognomine *De Gratia*. Hanc sedem rexere Sanctissimi Præsules, quorum Catalogum breui calculo describemus.

I. S. BASILEVS Discipulus S. IACOBI Episcopus Carthaginensis I. cum aliis in Concilio Congregatis apud Chersonesum martyrium compleuit, die IV. Martij. Anno LVII. 57.

II. S. EPENETVS à B. Petro electus Episcopus Carthaginensis II. Paulum Apostolum apud Carthaginem soluentem, recepit, comitatur, & tandem XV. Iulij Ann. LXIV. occubuit. 64.

III. S. VINCENTIVS Episcopus Carthaginensis III. patitur cum Datiuo, & aliis anno XCV. colitur die 27. Ianuarij. Dext. h. An. Iulian. Aduers. n. 472. fol. 132.

IV. S. AAGAPIVS Episcopus Carthaginensis IV. cum in Cyrtem exularet, ibidem cum S. Secundino martyrio coronatur 3. Kalend. Maij anno CC. LXII. Iul. aduers. 533.

V. S. HYPOLITVS Episcopus Carthaginensis V. Martyr cum aliis in eadem Ciuitate ad cœlestem euolauit gloriam III. Februarij Anno Domini CC. LXX. 270.

VI. S. FELIX Episcopus Carthaginensis VI. qui passus est in eadem Ciuitate sub Daciano V. die Aprilis anno CCXCVIII. Iul. Aduers. 470.

VII. S. GRATIANVS Episcopus Carthaginensis VII. Vir sanctitate pollens, qui sacrauit Libisosæ Basilicam SS. Vincentio, & Læto, eius vrbis Martyribus, eius memoria ad annum CCC. LIII. 353.

VIII. S. LEONAS Episcopus Carthaginensis VIII. ex Comite Africæ interfuit Conciliis Toletano à S. Asturio indicto anno CCCC. & Cæsaraugustano I. ann. CCCCXXIV. Iul. Aduers. 468. & 473. fol. 110.

IX. S. SALOMON Episcopus Carthaginensis IX. natus Seguræ qui obiit Ianuæ prope illud oppidum cuius dies colitur die XXVIII. Septembris. Iul. aduers. 468. fol. 131.

X. S. EVGENIVS Episcopus Carthaginensis X. cuius tempore Seuerianus ipsius vrbis Dux Leandrum filium suscepit, eius memoria ad An. CCCC. LXX. 470.

XI S. HECTOR

XI. S. HECTOR Ferrandus Episcopus Carthaginensis XI. Discipulus, S. Fulgentij Ruspensis, post Archiepiscopus Toletanus anno CCCC. XCIV. cuius dies colitur. 31. Maij.

XII. S. VICTOR Episcopus Carthaginensis XII. celebri sanctitate, & literis praeditus peruenit ad annum DXXIX. 529.

XIII. S. LICINIANVS Episcopus Carthaginensis XIII. Vir in sacris Scripturis eruditus, de quo S. Isidorus celebre elogium, moritur Constantinopoli non sine suspicione veneni IV. Maij Ann. D. LXXXI. 581.

XIV. DOMINICVS Episcopus Carthaginensis XIV. ex vrbe Hispali oriundus, qni longaeuus viuere desiit, Ann. DXCII. 592.

XV S. FVLGENTIVS iterum, atque iterum Episcopus Carthaginensis XV. post Astigitanus, sanctitate, miraculis, doctrina, & nobilitate illustrissimus, frater SSS. Leandri, Isidori, & Florentinae de quo egimus die XV. Ianuarij, moritur ad annum DC. XXXVIII. 603.

XVI. VINCENTIVS Episcopus Carthaginensis XVI. qui successerat S. Fulgentio in Episcopatu ann. DCIII. quot annos vixerit ignoratur. Post eius obitum reuertitur Fulgentius, & anno 638. defecit. 603.

XVII. BONIFACIVS Episcopus Carthaginensis XVII. Qui interfuit VI. Concilio Toletano, infulas induit anno DCXXXVIII. 638.

XVIII. IOANNES Episcopus Carthaginensis XVIII. Qui interfuit Concilio Toletano anno III. Regis Vvambanis congregato, quo sedes Episcoporum diuiduntur, apud Luitprandum, Aduers. n. 266. Erat Episcopus Ioannes, Anno DC. LXXV. 675.

XIX. FLORIVS Episcopus Carthaginensis XIX. vltimus post excidium Hispaniae, quod anno DCC. XIV. successit. Hos vltimos Praesules, nec Cascales, nec M. Ægidius Gonzalez recensuere, 714.

XIV. Hispanica clade, omnia turbata, hac defecit sedes. Donec anno Dom. DCCCL. VIII. LVPVS Episcopus Carthaginensis Titularis interfuit Concilio Toletano, quo S. Eulogius in Cathedram Toletanam suffectus est, vt ex Iuliano patet in Chron. num. 439. 858.

POST Anno MCCXLI. Murcia, quae olim Bigastrum recuperata per Infantem Alphonsum cognomento Sapientem, ibidem sedes erigitur retento titulo Episcopatus Carthaginis Spartariae in qua sequentes Episcopi.

XV. D. F. PETRVS Gallego Episcopus Carthaginensis XV. ex Ordine Minorum, Regi Alphonso Sapienti à Confessione moritur ann. M. CC. LXVII. 1267.

XVI. D. GARSIAS Martinez Episcopus Carthaginensis XVI. ex Decano ipsius Ecclesiae ad Episcopatus culmen prouehitur, Vir strenuitate nobilis, è vita discessit, post annum M. CC. LXXII. 1272.

XVII. D. DIDACVS Martinez de Morgaz Episcopus Carthaginensis XVII. transtulit Cathedralem Ecclesiam ex Carthagine Murciam, propter crebram Maurorum infestantium in vrbem irruptionem, qua nec diuina officia, debita gerebantur solemnitate, nec oppidanorum numerus ad defensionem necessarius inueniebatur, quo securiorem vrbem elegit eminus trepidatio. ad superos euolauit post annum M. CC. XCII. 1292.

XVIII. D. MARTINVS Episcopus Carthaginensis XVIII. (quem praetermisit M. Ægidius Gonzalez) Praesulatus infulas induerat ad annum M. CCC. IX. vt ex priuilegio Alphonsi XI. à Cascales relato liquet, quo pro cambio Castri Lumbrin, donat Rex Episcopo, & Ecclesiae oppida

da Alguaza, & Alcantarilla. Quam donationem attribuit M. Ægidius Gonzal. D. Garsiæ Martinez, & perperam, quia iste Episcopus non potuit ad hunc annum peruenire, nec Regis Alphonsi XI. regnum pertingere. 1309.

XIX. D. IOANNES Munoz de Hinojosa, huius nominis I. Episcopus Carthaginensis XIX. ad Calaguritanam sedem promotus, ibidem vitam laudabiliter egit, anno M. CCC. XV. 1315

XX. D. PETRVS de Toledo, huius nominis II. Episcopus Carthaginensis XX. qui à Ioanne XXII. Pontifice maximo. Legatus electus, ad purpuratorum agmen ascitus, vitam clausit anno M. CCC. XXVIII. 1328.

XXI. D. PETRVS Barroso, huius nominis III. Episcopus Carthaginensis XXI. (quem antepostuit M. Ægidius Gonzalez non obseruato annorum circulo) factus est Presbyter Cardinalis (refert D. Fernandus Vrghellus in sua Italia sacra, titul. de Episcop. Sabiniens. num. 40. fol. 201.) tituli Sanctæ Praxedis à Ioanne XXII. anno 1327. à Benedicto XII. Cardinalis Episcopus Sabinus. Auenione decessit XIV. Iulij M. CCC. XLVIII. Iste longe diuersus est ab illo de quo Ægidius Gonzalez, quem inter Episcopos Seguntinos compaginat, refert carceres, exilium, & subterfugium, timore Regis Petri Castellæ 1345.

XXII. D. PETRVS de Peñaranda huius nominis IV. Episcopus Carthaginensis XXII. Qui primus construxit Ecclesiam Cathedralem Murciensem, loco vbi hodie claustra visuntur, & Virgini Matri MARIÆ DE GRATIA dicatam, eius memoria Ann. M. CCC. LIII. 1353.

XXIII. D. ALFONSVS de Vargas Episcopus Carthaginensis XXIII. ex hac sede ad Cordubensem translatus est anno circiter M. CCC. LX. 1360.

XXIV. D. NICOLAVS de Aguilar Episcopus Carthaginensis XXIV. Ecclesiam suam fontium baptismalium donatione ditauit, Librum scripsit, cui titulus: *Fundamentum Ecclesiæ Murciensis.* eius memoria ad annu M. CCC. LXVI. 1366.

XXV. VVILIELMVS, quem Cascales, & Gonçalez cognominant de *Gimiel*, Vrghellus in Episcop. Sabiniens. num. 43. *de Angtfolio*, Episcopus Carthaginensis XXV. post Cæsaraugustanus, Cardinalis Sabiniensis, moritur ann. M. CCC. LXIX. 1369.

XXVI. D. FERDINANDVS de Pedrosa Episcopus Carthaginensis XXVI. primum posuit lapidem in Basilica Cathedralis huius vrbis Murciæ, loco quo adhuc visitur, & ex tunc: *Hoc die scilicet XXIV. Ianuarij incepit celebrari festiuitas eius Dedicationis.* eius Episcopi memoria ad annum M. CCC. LXXXV. 1385.

XXVII. D. PAVLVS de S. Maria Episcopus Carthaginensis XXVII. ex Burgensi vrbe, natione Iudæus, qui ad fidem conuersus, literis insignis, & sanctitate insignior, ad infulas huius peruenit Episcopatus, post ad Burgensem translatus, ann. M. CCCC. VI. moritur Burgis M. CCCC. XXXV. 1404

XXVIII. D. F. DIDACVS Badan huius nominis II. Episcopus Carthaginensis XXVIII. ex Ordine Minorum, primo Pacensis, deinde istius vrbis, demum Placentinus, ad annum M. CCCC. XXIII. Placentiæ è vita discessit anno M. CCCC. XXVI. Error adest in codicibus excussis historiæ Cascales, & Theatri M. Ægidij Gonçalez, ad annum 1428. scribitur peruenisse, cum contrarium in epigraphe eius legatur sarcophagi, sic:

Bic

Bis Septingentos Domini post annos,
Sex, & viginti adduntur numero,
Die hac, & Mense migrauit prædictus. 1423.

XXIX. D. DIDACVS Comontes huius nominis III. Episcopus Carthaginensis XXIX. scripsit historiam prædecessorum Præsulum suæ sedis, quæ, non sine eruditorum offensione, delitescit, moritur anno M. CCCCLVIII. 1458.

XXX. D. LVPVS de Ribas huius nominis II. Episcopus Carthaginensis XXX. Qui suo conclusit tempore Cathedralem Basilicam, moritur anno M. CC. LXII. 1462.

XXXI. D. RODERICVS BORGIA SVMMVS VNIVERSALIS ECCLESIÆ PONTIFEX MAXIMVS, Primo Episcopus Carthaginensis XXXI. à Calixto III. auunculo Diaconus Cardinalis, S. Nicolai in Carcere, creatus est, Vicecancellarius, atque Archidiaconus S. R. E. Inde sub Sixto IV. eidem Portuensis obuenit Episcopatus, ann. 1476. Demum in locum Innocentij VIII. III. Idus Aug. 1492. suffectus est, sedit annos XI. dies VIII. Moritur XV. Kalend. Sept. M. D. III. 1476.

XXXII. D. BERNARDINVS de Carauajal Episcopus Carthaginensis XXXI. ex vrbe Placentina oriundus, primo Episcopus Pacensis, postea Carthaginensis, deinde Seguntinus, inde Placentinus in Hispania, Sabiniensis, & Ostiensis, purpurato galero insignis, eius elogia consarcinat Vghellus in sua Ital. Sacra titul. de Episcop. Ostiens. n. 72. fol. 94. Carthaginensem dimisit sedem anno M. CCCCXCV. Moritur M. D. XXIII. Sepelitur in Basilica S. Crucis in Hierusalem quo iam olim præclaro fuerat titulo insignitus, huiusmodi epitaphio eius laudes prodente. 1495.

BERNARDINO CAVAIALI. NATIONE HISPANO.
PATRIA PLACENT. EPISCOP. OSTIENS. CARD. S. CRVCIS.
OB EGREGIAS VIRTVT. DOCTRIN. Q. SING.
AB ALEXANDRO. VI. PONT. MAX.
INNVMER. PATR. ASCITO.
PLVR. LEG. PRO. R. CHR. FVNCT.
INTEGRE. SAPIENTER. Q. PROSP.
FORTVNA MODERATE. ADVERSA CONST.
VSO. OMNEM VITAM. PIE. AC RELIGIOSE VIXIT.
ANNOS LXVII. MENSES. DIES. VIII. OBIIT.
XVII. KALEND. IANVAR. ANNO
M. D. XXIII.

XXXIII. D IOANNES de Medina huius nominis III. Episcopus Carthaginensis XXXIII. qui post fuit Segobiensis, de quo sic Colmenares, fol. 650. è Methimna Campestri patria, post alias dignitates; legatione ad Innocentium VIII. functus, ordinatus Episcopus Asturicensis, Pacensis, Carthaginensis, ac tandem Segobiensis Anno M. D. II. Obiit III. Kalend. Febr. Ann. M. D. VII. Ad Patriam sepultus in Sacello à se constructo. Hactenus Historiograph. Segouiens. 1502.

XXXIV. D. IOANNES Daza huius nominis IV. Episcopus Carthaginensis XXXIV. Qui primò Ouetensis, deinde Carthaginensis, demúmque Cordubensis, ad hunc ad annum M. D. V. translatus, in quo moritur die XXI. Maij Ann. M. D. X. 1505.

XXXV. D. IOANNES de Valesco huius nominis V. Episcopus Carthaginensis XXXV. fuit Calaguritanæ sedis ad Ecclesiam postea translatus, dein ad Palentina, moritur Anno M D. X X. 1508.

XXXVI. D. MARTINVS de Angulo, huius nominis II. Episcopus Carthaginensis XXXVI. ad Cordubensem translatus anno M. D. X. in eo moritur anno M. D. X VI. 1510.

XXXVII. D. MATTHÆVS Langius ab Vvudemburgh, Episcopus Carthaginensis XXXVII. fuit natione Germanus, Augustanus, à Iulio II. vocatus ad purpuram, sub titulo S. Angeli, ann. 1511. à Paulo III. creatus Episcopus Albanensis, ann. 1535. Post fuit Archiepiscopus Salzburgensis in Germania, de quo egregium elogium apud Vghell. in Ital. Sacr. titul. de Episcop. Albanensib. num. 80. fol. 315. moritur ann. M. D. XL. 1540.

XXXVIII. D. IOANNES Martinez Siliceo huius nominis VI. Episcopus Carthaginen. XXXVIII. sui sæculi insignis, & egregius Doctor, ad Ecclesiam peruenit istam, meritis redundans, ad Toletanam ascendit, precibus vacuus anno M. D. XLV. Eius elogia patrio idiomate conscripsit M. Ægid. Gonçalez. in Theatr. Carthag. tom. 1. fol. 320. Moritur anno M. D. LVII. 1545.

XXXIX. D. STEPHANVS de Almeyda Episcopus Carthaginensis XXXIX. qui ex Legionensi, ad istum translatus fuit. Interfuit Concilio Tridentino, & in vrbe Sedis Collegium Societatis Iesu condidit. Illic moritur Anno M. D. LXIII. 1563.

X L. D. GONSALVVS, Gallego Arias Episcopus Carthaginensis XL. qui ex Gerundensi sede, ad istam inuenitur mutatus. Ex suo tempore separata fuit Ciuitas Origuela, quæ Carthaginensis erat Diœcesis, sed per Bullam Iulij III. Ann. M. D. LXIV. in Cathedralem erecta, deinceps proprium habuit Antistitem. Moritur anno M. D. LXXV. 1575.

XLI. D. GOMESIVS Zapata Episcopus Carthaginensis XLI. frater Comitis de Barajas, ex hac sede ad Conchensem translatus anno M. D. LXXXIII. Moritur Anno M. D. LXXXVII. 1583.

XLII. D. HIERONYMVS Manrrique Episcopus Carthaginensis XLII. ab hac sede ad Abulensem præficitur anno M. D. XCI. Abulæ inuenit sacra lipsana S. Secundi. Ad Supremum S. Generalis Inquisitionis tribunalis Præsidem suffectus, moritur M. D. XCV. 1591.

XLIII. D. SANCIVS DAVILA, Episcopus Carthaginensis XLIII. post Giennensis, Seguntinus, & Placentinus, ex ista ad secundam Ecclesiam relabitur anno. M. DC. Moritur apud Xarayceium Placentini Præsulis cameram, anno M. DC. XXV. vbi requiescit. Eius auctoritate aliquot sacra pignora SS. Fulgentij, & Florentinæ, ex oppido Berzocana ad suam Murciensem Ecclesiam sunt delata. 1600.

XLIV. D. IOANNES de Zuniga huius nominis VII. Episcopus Carthaginensis XLIV. ad Inquisitionis Generalis supremum consilium Præses deuenit anno M. DC. II. & relicto præsulatu moritur anno M. DC. VI. 1602.

XLV. D. ALPHONSVS Columna huius nominis II. Episcopus Carthaginensis XLV. ex Barcinonensi Ecclesia ad Carthaginensem translatus, ibidem vitam cum morte commutauit Anno M. DC. VI. 1606.

XLVI. D. FRANCISCVS Martinez de Cineros Episcopus Carthaginensis XLVI. ex Insulæ Canariæ sede ad Carthaginensem euocatus, post ad Giennensem translatus anno M. DC XVI. Ibidem moritur Anno M. DC. XVIII. 1616

XLVII. D. FRANCISCVS Gamarra huius nominis II. Episcopus Carthaginensis XLVII. adhuc instante promotione ad Abulensem translatus Ann. M. DC. XVI. 1616.

XLVIII. D. ALFONSVS Marquez de Prado huius nominis III. Episcopus Carthaginensis XLVIII. Ex Episcopo Dertosano, ad istam prouectus sedem, inde ad Segouiensem anno M. DC. XVIII. translatus fato interceptus occubuit anno M. DC. XXI. 1618.

XLIX. D. F. ANTONIVS de Trexo Paniagua Placentinus, Episcopus Carthaginensis XLIX. ex Ordine Minorum, qui pro Conceptionis Virginis Matris indemnitate declaranda ad Paulum V. Pontif Maxim. Romam Philippi III. Regis Catholici exlegatus accessit. Moritur anno M. DC. XXV. 1635.

L. D. FRAN

L. D. FRANCISCVS Manso huius nominis *III.* Episcopus Carthaginensis L. ex Ecclesia Mexicana, ad Carthaginensem ascitus, post ad Burgensem promotus anno M. DC. XL. adhuc ibidem Metropolitica infula 1640.
Pastor eximius inuisitur.

LI. D. MENDVS de Benauides Episcopus Carthaginensis *LI.* ex Segouiensi sede, ad Carthaginensem electus, hic vitæ expleuit curriculum anno M. DC. XLV. 1645.

LII. D. IOANNES Velez de Valdiuieso huius nominis *VIII.* Episcopus Carthaginensis *LII.* fuit primò Lucensis, dein Abulensis, demum istius Sedis Præsul factus, adhuc gregem Catholicum pascuis salutaribus alens, æternam retributionem seruus bonus à Domino spectat. Demum in epidemica Murciensi contagione moritur Anno *M. DC. XLVIII.* 1648.

LIII. D. DIDACVS Martinez Zarcosa huius nominis *IV.* Episcopus Carthaginensis *LIII.* primò Tudensis, doctrina, & gubernatione conspicuus, plebem sibi commissam cum omnium admiratione, catholicis imbuit dogmatibus. Adhuc in palestra est.

En veram Præsulum Carthaginensium ecphrasim, quam suppeditauere Francisc. Cascal. in Histor. Murcit. M. Ægid. Gonzal. in Theatr. SS. Eccles. Hispan. tom. 1. fol. 293. Didac. Colmen. Histor. Segouiens. Paton. Histor. Giennens. Portocarr. in Catal. Episcop. Seguntin. P. F. Alfons. Fern. Histor. Placent. Nos in vit. S. Epitatij. fol. 411. cap. 7. Ioann. Paul. Martyr Rizzus Histor. Conchens. Anton. Cianca Histor. Abulens. S. Secundi. lib. 3. cap. 1. D. Fernand. Vghellus Ital. Sacr. in Variis Episcopatibus. Ex quo breuiter, quos quælibet Hispana Ecclesia Episcopos procreauit, accipies. De forma *Dedicationis Ecclesiarum Cathedralium*, suis in locis appingemus, hactenus dicta.

OCTAVO KAL. FEBRVARII, DIES XXV.

A. *Apud Vlyßipponem Portugalliæ Metropolim festum* TRANSLATIONIS XII. *capsarum, quibus sacra diuersorum Sanctorum pignora condita iacebant, in Societ. Iesu Domo professa, titulo S. Rochi subfulta; cuius annualis memoria, cum plenißimo iubilæo feruentißime perseuerat.*

B. *In Oratorio Marchionis Castri-Roderici sacrum adseruatur honorificè Corpus* B. SABINI *Martyris Romani, quod vnà cum aliis Sanctorum exuuiis dùm Oratoris Regij fungeretur officio Romæ recepit.*

NOTÆ.

A TRANSLATIO Reliquiarum. Huius festiuitatis memoria refertur à P. Ioanne Bollando Societ. Iesu in Act. SS. hoc die in prolegomen. fol. 611. Cuius ecphrasis, primò à Manuele Campos Lusitano sermone conscripta, post Castellana facta ab Aluaro de Veancos, hic, resciſsis superfluis, latinam dabimus, vt tantæ molis magnificentiam admireris tanti thesauri sacri munificentiam venererísque.

RELATIO DE TRANSLATIONE Reliquiarum SS. ad S. Rochum Soc. Iesu Vrbis Vlyßipponensis.

GVBERNANTE Sereniſsimo Infante Cardinale Archiduce Alberto Portugalliæ Regnum, & Vice-Regis munere fungente pro Philippo II. Rege Catholico anno M.D.LXXXVII. Mense Octobri adlatæ sunt XII. capsæ reliquiarum Sanctorum plenæ, quas magno studio ex variis locis conquisierant D. Ioannes Borgia, & D. Francisca de Aragon eius coniuge, & præcipuè à Rodulpho II. Imperatore, & Maria eius Matre efflagitarant, quæ cùm ex Matrito Vlyſsiponem attingerent die XVII. Octobris, anni præfati, traditæ fuerunt P. Petro Fonseca domus Profeſsæ S. Rochi Præposito, vnà cùm donationis, iubilæi perpetui à Sixto V. conceſsi, &

cæterarum

cæterarum ſcripturarum veritatem, antiquitatem, & fidem reliquiarum comprobantium, cartulis, diplomatibus, Breui, & authenticis teſtimoniis, Cæſareæ Maieſtatis Rodulphi II. Imp. Sereniſſimæ Imperatricis Mariæ, eius Matris, & aliorum, aut ſacellorum Imperialium Regalium, Dominationum, Capitulorum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, à quibus fuerant extracta lipſana, quorum fidem teſtabantur diuerſam Nuntiorum Apoſtolicorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum S. R. I. Principum, Abbatum, & aliorum Prælatorum Eccleſiaſticorum teſtimonia. Quæ omnia rite, & recte à D. Michaele de Caſtro Archiepiſcopo Vlyſſipponenſi viſa, tacta, lecta, & comprobata, cum fuere, illico ea, ordinaria poteſtate laudauit, probauit & vt vera in publicum adſportari, in Eccleſia collocari, & à fidelibus venerari præcepit, iuſſit, & ordinauit. Tantorum pignorum cœleſtium theſaurum ad vrbem aduentaſſe, cùm cognoſceret Sereniſſimus Infans, ea pietate, qua religionis venerabatur inſignia, vt fidelibus deuotionis ſtimulus, & hæreticis confuſionis augeretur inſtantia, præcepit vt ſolemni apparatu, & proceſſionis pompa, ſacræ aduehererentur exuuiæ ex Metropolitica ad S. Rochi Baſilicam, omnia ipſo Catholicæ fidei zelo, liberaliter auctorante. Varij ad tranſlationis pompam fuere dies conſignati, ſed imbriferis tempeſtatibus ſuccedentibus, in hunc vſque dilata feſtiuitas, fuit, qui exoptabilis à veſperis primis ad octauæ finem, ſerenus extitit & pacatus; ſolemnitas cœpit deuotis Campanarum ſonis, luminarium lucibus, & miſſilium globorum ignibus celebrari. Ad proceſſionem ventum, viis publicis, & periſtromatibus, exornatis, & ciuium oppidanorúmque concurſu, ordine debito in tabulamentis, feneſtris, & tegminibus, diſtributis, triumphantium arcuum, & pyramidum machinis dilargitis, feria II. die XXV. Ianuarij, Anno Domini M.D.LXXXVIII. exorditur proceſſio, in cuius primo loco (in tres diuiſit ſedulitas theſaurum collocationem) quatuor erant fercula, ſic diſpoſita:

FERCVLVM I.

Hic truncum ex ære aurato faciem Virginis exprimens, corpus, in cuius medio, caput vnius ex XI. M. Virginum viſebatur.

Item Reliquarium ex argento auratum in ouali formam, in quo inſignis reliquia S. Barbaræ *V. & M. quæ fuit extracta ex Cœnobio S. Ioannis Euangeliſtæ Torcellenſi, vbi aderat corpus S. V. & Martyris, & Venetiarum Reſp. Mariæ Imperatrici remiſerat.*

Item aliud eius formæ, & materiæ, in quo inſignis Reliquia S. Cordulæ *ex XI. M. Virginum.*

Item aliud caput integrum vnius ex ſupradictis Virginibus.

FERCVLVM II.

In hoc erat aliud truncum corpus, primo ſimile, in quo erat aliud caput alterius ex præfatis SS. Virginibus.

Item techa deaurata in qua Os S. Procopij

Abbatis,

Abbatis, Bohemorum Patroni, cuius festiuitas illinc IV. colitur Iulij.

Item caput integrum S.Chrysanti *Episcopi Basiliensis, & coniunctim, aliud alterius Virginis, ex cœtu superiorum.*

FERCVLVM III.

Hic inspiciebatur aliud corpus superioribus simile, in quo Caput S.Geuæ *Virginis, & Martyris, ex progenie Comitum Viensium.*

Item theca ad formam brachij gemmis vermiculati, in quo tres apparebant orbes chrystallini, per quos pellucebatur brachium S.Elisabethæ *filiæ Regis Hungariæ.*

Item aliud in quo brachium S.Iosippæ *Amitæ S.Vrsulæ.*

Item theca argentea christallinis laminis, in qua Os integrum S.Mathiæ *Apostoli.*

FERCVLVM IV.

In hoc quod erat vltimum primæ (ex tribus) distributionis, inspectabatur Crux argentea semilibrarum XXIV. trium dodrantium altitudinis, cũ dimidio, anaglyphata, & ad terminos deaurata, variisque vnionibus graphicè perpolita, in cuius medio orbis chrystallinus, in quo Crvx ex vero Christi Crucis ligno *cõfecta. Quam R.P.Claudius Aquauiua Generalis totius S.I. eidẽ domo Professæ S.Rochi remiserat.*

Item brachium argenteum, in quo quatuor orbes chrystallini, per quos explorabatur Brachium S.Othonis *Episcopi Bambergensis, qui primus Pomeraniæ Apostolus vocitatur.*

Item aliud brachium argenteum auro celatum, ad formam Episcopalis brachij infulati, & chyrotecis ornata manus, in quo Brachium S.Ioannis Eleemosynarij *Patriarchæ Alexandrini. Cuius corpus primo ex Hierosolymis, Budam Vngariæ curiam, post in Collegialem Ecclesiam Possoniensem eiusdem Regni translatũ, in Sacrario Basilicæ S.Martini Episc. & Confessoris honorifice adseruatur. Ex quo extractũ hoc pignus, Episcopo Agrianensi instante, perhibetur.*

Hoc

Hoc primum tetraphorum excepit Vlyssippo Ciuitas lætabunda, & vt alacritatis spiritum demonstraret, hoece sextasthico Diuos salutauit.

Spartanæ sapiens, non vrbi excelsa Lycurgus
Mœnia, pro muris, sed dedit ille Viros.
Aduentu secura tuo, sacra turma, triumpho:
Tu mihi præsidium, tu mihi murus eris.
Me bene non poterant uuo consumpta tueri
Mœnia : Ero Diuis nunc bene tuta meis.

Sed ne absque symbolo progrederentur fereulorum exuuiæ, singulis deuotio ministrauit sequentia.

Ad S. Cordulæ reliquiam in ferculo I.

Cordula viuis adhuc de tot modo millibus, vna?
Inter tot cædes, Cordula viuis adhuc?
Lactea magnanimæ ferre dant colla sorores,
Exultantque mori, Cordula viuis adhuc?
In mare virgineum, & pelago premit arua rubenti
Vrsula fixa iacet, Cordula viuis adhuc?
Vna fides fuit, vnus amor, fuit vnica vita,
Cur non mors etiam? Cordula viuis adhuc?
Hinc amor, inde timor connixi bastilia crispant,
Quam timor abscondit, denique prodit amor.

Vt intelligas epigrammatis emphasim, scias cupio, hanc Sanctam Virginem die latuisse martyrij, sed sequenti fidei stimulo concitata, sese satellitibus, militibúsque cruciandam præbuit. In hisce XII. ferculis, siue feretris, quam plurima SS. Virginum S. Vrsulæ sociarum interfuere lipsana, pro quibus omnibus varia carmina prodiere, sed longius pergam, en vnum pro multis.

Ad S. Vrsulam, & Sociis VV. & MM. Quarum in variis feretris insignes reliquiæ.

Quam bene in Arctoa regis Vrsula classe Puellas:
Tam male barbaricas trux regis Hunne manus.
Quam bene virgineis volat agmen in æquore pennis:
Tam male castra parant insidiosa dolos.
Quam bene pandis iter casta Dux inclyta classi:
Tam male sulcatas impedit Hunnus aquas.
Quam bene componunt sese Occeanitides vndæ:
Tam male cæruleas purpurat ensis aquas.
Quam bene virginitas vocat ad spectacula cœlum:
Tam male Hyperboreos concitat ira lupos.

Quam

Quam bene nudasti pectus Regina sagitta:
Tam male nudatum tela inimica petunt.
Ergo age victrici Regina in morte canamus:
Audiat ab Stygiis carmen, vt Hunnus aquis.
Quondam mille Saul pallentibus intulit vmbris;
Infer Vndecies Vrsula Mille Polo.

In tertio feretro, sexto, & octauo erant brachium, & alia pignora S.Elisabeth Viduæ, Vngariæ Regis filiæ, quibus hoc intonuit epigramma.

In Reliquias D.Elisabethæ Viduæ.

Mille catenatos pateris Matrona labores,
Viuens mille subis funera, mille cruces.
Post obitum sacri tumulo referuntur honores,
Vita olim vilis, mors pretiosa fuit.
Agmen ad exequias gemmantibus aduolat alis,
Miraque solemne voce parentat auis.
Relliquia manant olea cœlestis oliuo,
Spirat ab extincto corpore dulcis odor.
Mille modis olim fuit æmula vita Tonanti
Æmula funeribus busta Tonantis erunt.
Det pietas aurum? Mens aurea despicit aurum.
Donet opes? Magna despiciuntur opes.
Regna det, & titulis ingentia? reddat honores?
Grandia cum titulis sub pede regna iacent.
Repperit in loculis cœlestia dona superbis,
Plena sacri, dixit, Numinis ossa dabo.
Et dedit; ambo sacro ne possent munere vinci,
Relliquias donant pro pietate suas,
Aurea sic pietas, victa est pietate duorum,
Et nihil vlterius, quod dare posset, habet.
Denique adhuc certant, pietas vincare necesse est,
Te nisi cum cœlo prodiga tradideris.

In quarto feretro brachium S. Ioannis Eleemosynarij Patriarchæ Alexandrini, qui propter innumeras pauperibus elargitas eleemosynas hoc nomine compellatus, sic ad ipsius longanimitatem Disthicon.

Cuius erit tam larga manus? Quæ Dextera cunctis
Munera largitur; Dextera digna Deo est.

Ad Crucem de Ligno Crucis.

Quod tam dulce solum felix te protulit arbor?
Quo tibi tam dulci flumine lympha sonat?

Dulcia

Dulcia cuncta tenes : Sunt brachia dulcia, rami
Dulces, è ramis dulce pependit onus.
Fructus odore polos recreat, dulcedine mundum:
Frondibus, & libro nullus amaror inest.
Dulce est quidquid habes, diuino nectare manas,
Accipit vnde suas Regia summa dapes.
At bene percipio causam dulcedinis : Olim
In te cælestis mellificauit Apis.

Post sequebatur secundum tetraphorum in medio processionis, in quo alia quatuor fercula, hoc ordine:

FERCVLVM V.

Hic visebatur aliud truncum corpus ex ære conflatum superioribus persimile, in quo caput vnius ex XI. M. Virginum. Et aliud bene ornatum sericeis textaminibus.

Item aliud Caput vnius ex SS. Martyribus Thebæis, qui socio Mauricio, & Duce, ad palmam peruenere.

Item theca eleuata cum globulo chrystallino, in quo Os S.Praxedis *Virginis, sororis S. Potentianæ.*

FERCVLVM VI.

Aliud hic percipiebatur corpus dimidiatum superiorum simile, in quo inclusum Caput S.Aureliæ *Virginis.*

Item duo crania SS. XI. M. Virginum, iisdem ferè ornamentis exculta.

Item theca argentea mirabiliter laborata, quæ inter specularia, rosulæ gemmatæ pellucentes, labyrinthis intricabilibus connexæ venustum oculis præbebant obiectum. In ea XXXVIII. cellulæ, & in eis similes visebantur Sanctarum exuuiæ.

De Tunica interiore B.V.M.	De S.Cæcilia V.& M.
De velo capitis eiusdem.	De S.Euphemia V.& M.
De clamyde, eiusdem.	De S.Marina V.& M.
De Tunica S.Ioannis Apost.	De S.Apolonia V.& M.
De S.Maria Salome.	De S.Margarita V.& M.
De S.Maria Magdalena.	De S.Dorothea V.& M.
De S.Martha Virgine.	De S.Clementia.
De S.Photina Samaritana.	De S.Prisca V.& M.
De S.Catharina V.& M.	De S.Iosippa Vir.M.
De S.Barbara V.& M.	De S.Barbara V.& M.

De S.Cordula V.& M.
De S.Sponsa V.& M.
De S.Benigna V.& M.
De S.Gertrude V.
De S.Milia V.
De S.Casaira V.
De S.Corana V.
De S.Eulalia.
De S.Heduyge Ducis. Polon.
De S.Hyppolita.
De S.Odilia.
De S.Tenella V.& M.
De S.Anastasia.
De S.Agnete ex XI.M.VV.
De S.Paulina.
De S.Iustina.
De S.Kunegunda.
De S.Elisabeth.Vngarica.
De S.Lutmilla Auia S.VVinceslai Regis Bohemiæ.

De quibus adest diploma, per Horatium Malaspina Nunt. Apost.ann.1579.

FERCVLVM VII.

Hic aderant duæ thecæ ligneæ ex sericis exornatæ crustis & specularibus vitreis. In prima erant Sanctarum reliquiæ insignes, licet præ nimia vetustate haud legibiles rotuli. In secunda LIV. lipsana XI. M.VV.

Item inspectabatur effigies fusilis Virginis MARIÆ *in vlnis Puerum* IESVM *complectens, duorum dodrantium, & amplius latitudinis, super thronum argenteum reposita, in quo sex explorabantur loculi vitreis specularibus illiniti, quorum foramina sequentia capiebant Sanctorum insignia pignora.*

De S.Stanislao Ep.& M.
De S.Ioanne Eleemosynario.
De S.Eustachio M.
De S.Palmachio M.
De S.Ægidio Abbate.
De S.Vvolphango Ep.Ratisp.

Item ad formam cruris, argentea theca, crustis vermiculata gēmeis, in qua respiciebatur tibia S.Rochi. *Quam dono dederat Imperatrix Maria DD.Ioanni Borgia, & Francisca de Aragon, vt ex authenticis liquet scripturis.*

FERCVLVM VIII.

Hic CRVX *alia argentea duorum, & amplius dodrantium intuebatur. In cuius lateribus XVIII. visuntur foramina. In pede XXXVI. In primis hæ clauduntur admirabiles reliquiæ.*

De Ligno Crucis.
De Mappa Mensæ Domini.
De Tunica interiori B.V.M.
De S.Ioanne Baptista.
De S.Petro Apostolo.
De S.Paulo Apostolo.
De S.Andrea Apostolo.
De S Iacobo Maiori Apost.
De S Philippo Apost.
De S.Iacobo Minori Apost.
De S.Bartholomæo Apost.
De S.Thadæo Apost.
De S.Thoma Apost.
De S.Matthæo Apost.
De S.Mathia Apost.
De S.Barnaba Apost.
De S.Marco Euang.
De S.Luca Euang.

In

In XXXVI. sequentibus hæc lipsana SS.MM.Confess.VV.& aliarum.

De S.Laurentio M.
De S.Stephano M.
De S.Sebastiano M.
De S.Georgio M.
De SS.Cosma,& Damiano.
De S.Christophoro M.
De S.Erasmo M.
De S. VVinceslao Bohemorum Rege M.
De S.Vincentio M.

Episcoporum, Doctorum, Confessorum.

De S.Gregorio PP.
De S.Augustino.
De S.Hieronymo.
De S.Ambrosio.
De S.Gregorio Episcopo.
De S.Nicolao Episcopo.
De S.Benedicto Abbate.
De S.Dominico Patriarcha.
De S.Bernardo Abbate.

Virginum.

De S.Euphemia V.& M.
De S.Agnete V.& M.
De S.Barbara V.& M.
De S.Apollonia V.& M.
De S.Cordula V.& M.
De S.Catharina V.& M.
De S.Lucia V.& M.
De S.Christina V.& M.
De S.Dorothea V.& M.

Aliarum SS.

De S.Maria Magdalena.
De S.Elisabeth Vidua.
De S.Maria Salome.
De S.Photina Samaritana.
De S.Anna Matre V.Mariæ.
De S.Afra M.
De S.Eluira.
De S.Maria Ægyptiaca.
De S.Elena Imperatrice.

Omnes has sanctißimas exuuias inuisit, approbauit,& auctorauit præfatus Horatius Nuntius Apostolicus, vt ex diplomate Psagæ expedito XXIX. Martij Anno M.D.LXXXI. constat, quod in Auctographo S. Rochi adseruatur.

Item hoc feretrum adferebat brachium argenteum, cum manu eiusdem metalli, quæ inter digitos vasculum ad alabastri formam trahebat, in quo brachio insignia S.Mariæ Magdalenæ *ossa occludebantur.*

Item aliud brachium argenteum armis brachialibus indutum,& manu apprehensam fustem, in quo brachium S.Gereonis *Martyris, vnus ex Ducibus Legionis Thebeæ.*

Nec huic defuit tetraphoro Vlyssiponis encomium, quin potius tantis ditata thesauris, veris flosculos deprecabat, sed Sanctorum floribus diues veris candores oblita, ad Sanctorum fulgores prouoluta, proclamat.

Cur non vere nouo, vestri celebrantur honores?
Poscebant vernos talia festa dies.
Tunc mea vernanti riderent compita fronde,
Velarent nostrum florea serta caput:
Calcaret violas tectis effusa iuuentus,
Per medias tereret lilia sparsa vias:
Sed quid ego flores mediis in floribus opto?
Quid ver quaro aliud vere beata meo?
Ver mihi reliquiæ, ver Diuum insignia præbent,
Hæc mihi dant flores ad sua festa suos.
Lilia Virginij reddunt spirantia cœtus
Sanguineas vitæ prodiga corda rosas.

Vbi magna insunt obiecta, latiora, vt ingeniis præbeant pensamina, necesse est. Sic Lusitanorum camænæ hoc in loco redundantia carminum florentium stromata contexuere. De Thebeis in V. feretro P. Pimenta.

In Martyrium Sanctorum Thebæorum.

O D A.

Permissa dira frena licentiæ,
Laxata fœdæ frena libidini:
Permista libertas nefastis
Monstra odiis fera machinantur.
Iustis soluti legibus impij,
Thebæa cingunt agmina: sæuiunt,
Bacchantur, instigant, minantur,
Diripiunt, lacerant, trucidant.
Minus leonum pignora sæuiunt,
Minus reiectant vincula tygrides,
Inter iuuencorum timores,
Quam manus Herculeis tyranni.
Enses corusco fulmine sæuiunt,
Thebæa mucro corpora lancinat:
Truncantur artus, & cruenti
Cæde rubent, radiántque vultus.
Adduntur atro funera, funeri:
Per cuncta sæui vis ruit impetus;
Matura procumbit, senecta
Associat iuuenilis ætas.
Emota ferro lumina sedibus;
Raptantur aures, post caua lumina;
Genæ cruentantur: reuulsa
Lingua salit, tremit icta ceruix.
Carent rescissis brachia dextris:
Truncata raptis corpora brachiis;
Vix seruat in toto recisum
Corpore, iam sua membra corpus.
Hiant, patenti pectore, vulnera
Adiecta plagis grandibus: additum
Addensat ingentes aceruos
Triste cadaueribus cadauer.
Augusta virtus prodiga sanguinis
Quærit Nerones: inter adoreas
It cædis indigna corona
Sanguineis pretiosa guttis.
Fides Beati conscia nectaris,
Perrumpit ignis fumiferos globos;
Secura Neptuni frementis
Imposito pede calcat vndas.

Tormenta

Tormenta siccis luminibus videt
Horrenda pœnis: funere fertilis
Erumpit in fœtus: coronas
Lethiferæ pariunt ruinæ.
Post funus armat vis adamantina
Corpus sepultum: post cineres sacros
Fides triumphat; bella norunt
Post obitum tenues capilli.

Quid blanda molles quærimus otia?
Vitamque in vmbra ducere molliter?
Ad astra pugnaces, ad astra
Sanguineo properant duello.
Ad astra virtus æmula fortium
Torosa, factis mascula peruenit;
Labuntur imbelles ruina
Præcipiti, Stygis in profundum.

De Tunica Interiori B.V.M.
Eiusque velamine.

Velum quo frontem, Textum quo membra tegebat,
Nobis optatas Virgo reliquit opes.

De Reliquia S. Ioannis Apostoli
in Cruce inclusa.

Ante Crucem steteras ô Vir dilecte Tonanti,
Nunc tibi nobilior, quam fuit ante, locus.
Te fateor, dulcis nimium dilexit amicus;
Molliter in lecto, qui iubet esse suo.

Ad SS. Virginis imaginem Deiparæ in cuius
basi inclusæ sunt Reliquiæ.

Oris quantus honos? Deiecto lumina vultu
Sat mihi sub plantis figere Virgo tuis:
Sub pede Diuorum cineres includis, honorem
Mirata est pietas, oscula fixit ait.
Quid capite augusto, Quid corde includet? In vno
Quæ pede, Diuorum numina tanta premit.
Non equidem subter vestigia sacra laborant
Numina, quæ subeunt dulce Parentis onus.
Ante laborabant, cum pondera nulla ferebant,
At modo tam gratum pondera tollit onus.

In Reliquias S. Rochi nuper allatas
in VII. Feretro.

Ante peragrarat magnis erroribus orbem,
Viseret augustis, vt sacra templa locis:
Nunc etiam, vt videat delubrum insigne; remota
Ecce peregrinum Numen ab vrbe venit.

In Crucem Reliquiis onustam.

In Cruce relliquias, Magnorúmque ossa Parentum
Conspicio, tumuli quàm pretiosus honor!
Pars tenet ima sacri, sed pars fastigia ligni,
Brachia gemmata pars Crucis alta tenet.
In Cruce viuebant quondam, dum vita manebat:
Post generosa Crucis funera durat amor.
In Cruce vixissent æterna in sæcula, quando
Non licet, extinctis Crux monimenta dedit.
In Cruce cœlestes ô terque, quaterque Beati,
In Cruce siue libet viuere, siue mori.
Nusquam aliquis melius, quam vos super arbore, vixit,
Nemo etiam tumulo nobiliore iacet.

Ad Mappam mensæ Domini.

Lysia gens fidei proauitæ insignis honore,
Quam pietas claro stemmate nobilitat;
Exhibuere tibi superi conuiuia, Mappam
Ad mensam ecce Deus commodat ipse suam.
Sternitur in terris cœlestis Mappa, dapesque.
En capita, en Diuûm brachia, colla, manus
Ingeniosa nimis pietas, dabis oscula Mappæ,
Mappa tibi cœlum fercula missa dabit.

Ad Reliquias S. Ioannis Bapt.

Sacra bipennifera feriuntur colla securi,
Cognita per syluas vox sine voce iacet:
Cerno Thyesteas imitantia fercula mensas,
Regia cæde rubent pocula, cæde dapes.
Porrige Rex sæuam monstrosa ad fercula dextram,
Sacrilegas rubro sanguine tinge manus:
Non epulis exempta fames, satiare cruore,
Non satur es Bacho, Rex bibe crude necem.
Cerne oculos sceleris supremo in funere testes:
Cerne ad delicias lumina clausa tuas.
Non tam morte graui clauduntur lumina, quantum
Horrent luxuriæ grandia monstra tuæ.
Si nunc relliquias, & non fera crimina nosses:
Protinus è mensis surgeret Ara tuis.

In

In Omnium Apostolorum
Reliquias Crucis.

Mittit in hanc Vrbem, quos totus Christus in orbem
Miserat: Vrbis erit, qui fuit Orbis honos.

In SS. Martyrum reliquias
Cruci affixas.

Sanguine si Diuûm sacro Deus irrigat hortos:
Qualis vbi est tantum sanguinis hortus erit?

Ad Diuos Confessores in Cruce.

Quam benè pugnantes armis sine, prælia miscent,
Dúmque sibi, cælo fortia bella mouent.
Sauciat hic artus immani pondere saxi;
Hic sua sanguineo verbere terga ferit.
Hic tenet ingentis fastigia summa columnæ;
Perstat hic, & nulli dat sua membra thoro.
Ille catenato numquam pede tecta relinquit;
Stat super hybernas frigidus ille niues.
Innumeras tormenta parat metuenda per artes,
Quisque sibi grauior, quam ferus hostis erat.
Diuûm opus adspicio, vestitáque corpora pœnis,
Pœna grauis, pœnas non potuisse pati.
Martyris sors dura breuis, spatiosior hæc est;
Longius, & longo tempore, martyrium.

Ad SS. Virginum, Viduarum, ac Martyrum
Reliquias Cruci inclusas.

Aspice Virginibus capita à ceruice reuulsa,
Queis fuit, & primus, sarcina magna thorus.
Gloria sit quamuis dispar, vitæ exitus idem,
Omnes pro vita tradere colla neci.

De Diua Maria Magdalena.

Lysia post mortem recipit te, Gallia viuam:
Hæc vita, viuet Lysia morte tua.

Alia apud Campos inuenies carmina in variis Sanctorum huius sęculi metris exuuias, quorum si annectere elogia censeremus, prolixam lectoribus prouinciam mandaremus, ideò ad aliud pergo tetraphorum.

Hoc vltimum, etiam alia quatuor fercula continebat, his distributa compartitionibus, quarum ecphrasim, vt in superioribus appingemus.

FERCVLVM IX.

In eo aliud erat corpus truncum ex ære conflatum deaurato, & in eo caput vnius ex vndecim mille Virginibus.

Item duo Capita duorum Sanctorum, quorum nomina in albo scripta vitæ, nobis fidei veneratione reliquerunt.

Item alia theca argentea, basi prolixa, & orbiculis christallinis exornata, in qua aliquot S. Iustinæ *Virginis exuuiæ.*

FERCVLVM X.

Hic aliud corpus argenteum superioribus simile cuius materiam superabat opus, in eiúsque viscerum foramine Caput integrum S. Brigitæ *Virginis, quod Imperator Rodulphus II. detulit D. Ioanni de Borgia, extractum ex Imperiali sacello Neÿstatensi, quod trium clauium erat vinculo roboratum. Cuius pignoris intuitu Sixtus V. in die Natali huius Virginis, I. Februarij perpetuum concessit in S. Rochi domo iubilæum.*

Item duo crania graphice perpolita, in quorum ambitu Caput S. Vadasti, *& aliud vnius ex XI. M. Virginibus.*

Item aliud Reliquarium argenteum duorum, & amplius altitudine dodrantium in quo XXXIV. visebantur reliquiæ ex Diuis sequentibus.

De Ligno Crucis.	De S. Martino Episcopo.
De S. Sindone Christi.	De S. Gregorio Taumathurg.
De Mappa mensæ Domini.	De S. Felice Archiep. Treuer.
De S. Andrea Apostolo.	De S. Valero Archiep. Treuer.
De S. Vincentio M.	De S. Florentio Duce.
De S. Longino M.	De S. Vigberto Sacerdote
De S. Blasio Episcop. M.	De S. Philippo Apostolo
De S. Aldaberto Episcop. M.	De S. Bartholomæo Apostolo.
De S. Petro M. ex ordine Prçd.	De S. Matthia Apostolo.
De S. Theodoto M.	De S. Stephano Prothomart.

De

De S. Laurentio Martyr.
De S. Sixto PP. M.
De S. Valentino M.
De S. Clemente Episc. & M.
De S. Iuliano M.
De S. Rufino M.
De Gregorio PP.
De S. Nicolao Episc.
De S. Maro Archiep. Treuer.
De S. Medardo Episc.
De S. Chrysanto Basileiens.
De S. Simeone Eremita.
De S. Mauritio M.
De S. Nicodemo Decurione

Omnia hæ admirabili compositione contexta, & perpolita.

FERCVLVM XI.

In eo corpus truncum argenteum facie venerabilem senem præseferens, mitratum, cuius textamen vnionibus, adamantibus, & pyropis excultum visebatur. In corporis visceribus Caput sacrum S. Gregorij Taumathurgi *Neocæsariensis in Ponto Antistitis. Cuius festiuitati concessit aliud Sixtus V. perpetuum iubilæum, in domo S. Rochi.*

Item caput S. Clementis *Episcopi, & Martyris, vnius ex agmine SS. XI. M. Virginum. Item earum aliud caput. Vtrumque mirifice sertis, floribus perpolitum.*

Item alia Crux argentea, trium dodrantium, & amplius latitudinis, in qua alia de Ligno Crucis *Crux inspectatur.*

FERCVLVM XII.

Hic theca ad formam sarcophagi argentea, duorum longitudine dodrantium, supra quatuor infixa orbes, in quo XII. foramina chrystallinis speculis pellucentia. Supra thecæ corpus bini inspectantur Angeli, genuflexi, sustinentes pyxidem, quæ includit Crucem duplicem ex Ligno Crucis *perpolite contextam. In basis XII. specularibus hæc pignora.*

De SS. Innocentibus.
De S. Coloniano M.
De S. Floriano M.
De S. Osualdo Rege Angliæ.
De S. Eleutherio M.
De S. Ægidio Abbate.
De S. Acacio M.
De SS. XL. MM.
De S. Candido Duce M.
De S. Procopio Abbate
De S. Albano M.
De S. Clemente PP. & M.

Hic finem accipiebant tetrophora. At sub vmbella explorabatur theca mirabili arte compacta, ex argentea materia variis delineata coloribus, cuius altitudo ad duplicem pertingebat dodrantem. Cuius acrotheria releuato pegmate eructantia, coronarum decem, gemmeis vinculis illigata apicem manifestant. Hic in maximo orbe, duo adstant Paranymphi in manibus orbatum chrystallum gestantes, in cuius circulo venerabantur Spinam ex Sacra D. N. IESV-CHRISTI corona.

Quam cum aliis condiderat Carolus IV. Rom. Imp. apud Collegiatam Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani antiqua Boleslauia, quæ hodie dicitur Brandais *in Bohemiæ Regno. Ex cuius sacrario excerpserat Vratislaus de Pernestan magnus ipsius Regni Cancellarius, qui eam concessit D. Ioanni Borgiæ. Supra orbem præfatum chrystallinum inspicitur alia Crux de* Ligno Crucis. *Et in foraminibus acrotherij hæc visuntur lipsana.*

De S. Andrea Apost.
De S. Bartholomæo Apost.
De S. Stephano Prothom.
De S. Vincentio M.
De S. Nicolao Episcop.
De S. Iacobo Maiore Dens.
De S. Barnaba Apost.
De S. Laurentio M.
De S. Blasio Episcop. M.
De S. Maria Magdalena.

Quibus feretra reliquiarum absoluebantur, etsi Poetarum Lusitanorum spiritus incipiebant. Quos fraudare iniquum; ideo en carmina.

VLYSSIPPO RELIQVIAS Excipiens.

Quis putet exuuias sibi quas deposcit Olympus,
Has hominum fragiles inter adesse manus.
Miror vt aligerum non sese exercitus aula
Fundat ab æthereа, qui ferat ossa Polo.
Si quia terra colit, superis ea dona negantur
Vt colat, & seruet, corpora Olympus amat.
Hæc ego cùm refero, cinctum pietate Senatum
Audio Apostolicum, dum sua membra videt;
Corpora seruentur terris, quas nostra tuetur
Dextra, frequēs pignus, quod damus, Ara ferat.
Cum cineres flammis postrema resoluerit hora
Vtile erit cineres, hoc latuisse solo.
Maxima pars cinerum, cœlo hinc mittetur, & alter
Quæ dabit vrbs cœlo munera, olympus erit.

Capitis secuta est camœna lætitiam, prosecuta pietatem, & subsecuta prosodiam, ideo hisce pignorum frustis iuuentus eloquens spiritus ardorem exercitans in Diuos sic agitata calescit.

In D. Vincentij Leuitæ reliquias.

Vicerat ardentes alacer Vincentius ignes,
Et tormenta feri vix numeranda Ducis:
Dux ferus ingenium transmutat, & alterat arte,
Spargit odoratas flore recente domos.
Murice fulcra tori distincta parantur, & auro,
Membra super teneras collocat ægra rosas.

Tunc

Tunc ait ingenti victor Vincentius ore!
Addecet imbelles mollia ferre nurus.
Blanda pati forti dura est iniuria; princeps
Dura magis cupio vulnera, nolo rosas.

In SS. Clementis PP. & Laurentij Martyrum reliquias.

Æquore dum periit Clemens, Laurentius igni,
Talia dicturi si loquerentur erant:
Et flammam, & rapidas cursu tranauimus vndas
Nec mare, nec flammæ dulce morantur iter.
Nunc Pater in dulci per te requiescimus vmbra,
O quanta est facili parta labore quies.
Ossa quibus sacro nunc das requiescere in auro,
Pignora cœlestis certa quietis erunt.

In Longini M. Reliquias.

Erras vtiliter mundo Longine, quod hasta
Diuinum reseras sanguinolente latus:
Funera das Matri, solatia dulcia mœstis:
Prodige cœlestis, quam bene perdis opes.
Regna patent, arcana patent, noua sacra parantur,
Tartara Tartareo cum duce victa iacent.
Infelix, felixque simul feliciter erras
Pérque scelus veniam; sed sine fraude paras.
Dum latus ingreditur, tua te felicior hasta est.
Grandia regna tenes, si sapis hasta, mane.
Talia nec possem, nec regna relinquere vellem,
Si semel intrassem: si sapis hasta, mane.
Per quam nunc tot opes, oracula, regna patescunt,
Non erit hæc mundo lacea, Clauis erit.

Ad D. Gregorij Taumaturgi Caput.

Vnde noua hæc vrbi rerum spectacula? Cœtus
Visuri aligerum deseruere Polos.
Roma secunda opibus Diuûm fit Lysia, & vna
Orbis diuitias condit in æde suas;
Spectantis Populi ora silent, muta ossa loquuntur,
Friget hyems, pectus corripuere faces,

Corpora

Corpora dant vesti pretiosa induta nitorem,
Spectat plebs aurum, nec cupit attonita:
Nil mirum si tanta vides miracula, portet
Cum Thaumaturgi nobile pompa caput.

In coronæ Domini Spinam.

Spina olim fuerat, Rosa nunc rubet ignea: Quidni?
Facta Rosa in roseo vertice Spina fuit.
Magnetis ferrum attactu fit nauticus index,
Ducit, & æquoreas per vada cæca rates.
Spina Caput terebrans, quo ferrea corda trahuntur
Ad superos melius per mare pandit iter.
Quot spinæ cerebrum rumpunt, tot sanguine fontes
Exundant, animos abluit iste liquor.
Quam bene relliquiis roseum dat Spina nitorem,
Nascitur has inter quam bene Spina Rosas.

De D. Iacobi Maioris Hispaniarum
Apostoli, Dente.

Pontus Vlyssæum postquam exhorrere tridentem
Spreuit, & in dominam sæuiit ipsa suam:
Fert Iacobus opem tribus, & pro dentibus, vnum
Dat, sceptrum Oceanus; quod veneretur erit.
Ergo maris Regina tuum depone Tridentem,
Hoc vno melius nam freta Dente reges.

In D. Osuualdi Regis Nortumbriæ
Reliquias.

Discite iustitiam geritis qui regia dextra
Sceptra, quibus cingit fulgida gemma caput.
Sacra docet Regum Osualdus præcepta Magister,
Discant vt Reges quærere iustitiam.
Reddidit hic sceptro rectum, verámque coronæ
Regali adiunxit cum pietate fidem.
Quin etiam Regum titulis pia nomina iungens,
Par Diuûm titulis Diuus honore fuit.
Sunt hæc Principibus propria ornamenta, potenti
Justitiæ libras æquiparare manu.

Sic finem accepit Ferculorum insignis apparatus, & processionis solemnis deprecatio, & pompa quæ per vrbis vias discursitans, cùm primũ ad *Ruam-nouam* peruenere feretra, in eorũ obuiam processere

Sanctorum

Sanctorum Lusitaniæ illustrissimæ effigies, suo Ordine distributæ. Et pro Braccarensibus Diuis sic S. Petrus Ratensis eius vrbis Apostolus aduenientia lipsana salutauit.

Deseruere Polos Superi, cœlum, aspice, Nostra
Clauditur vrbe; suos Lusitania Diuos
Aduocat è cœlo, Vos, vt, sacra dona, salutent.
BRACCARA *ad obsequium studet officiosa praire.*
Pastor ego primus tanti gratator honoris
Agmen ago, quem sanguineo mors purpurat ostro.
Insignes baculis, & maiestate thiara,
Hinc Martinus *adest; hinc stat* Gerardus, *& ille*
Cui Fructu *nomen virtutum exuberat. Ardens*
Ignescit radiis Victor *cui palma triumphi*
Purpuream intexuit chlamydem. Gonsaluus, *amico*
Arridet vultu, Roseo Rosendius *ore.*
Victrius monimenta necis cui dextera seruat
Aspice Pantaleon, *ille est lux maxima Regni.*
Idem omnes simul ardor agit, sacrata tueri
Ossa, triumphalémque sequi primo ordine pompam.
Hesperia primas ego sum, nunc cedere prastat:
Primus ad obsequium titulo meliore praibo.

Post Petri triumphum, Sanctorum Conimbricensium agmen peruenit, Quorum Damasus primam ferens aciem pro se, suísque Consociis, heroico carmine, sacras feruenti exuuias spiritu gratulatur.

Lysiaci quondam Regni caput, amula Athenis,
Huc me sydereo Conimbrica traxit Olympo,
Diuinas vt opes, Augusta sacraria Diuûm
Excipiens, patriis gratator honoribus adsim.
Vltro se comitem vultu Regina verendo
Elizabeth *meritis, quam sceptro ingentior addit.*
Accedunt alta Socij de Stirpe Minorum
Qui Marrocheas *calcarunt ter pede lunas,*
Grandia pro Christo pugnando, vulnera passi.
Consortes Aquilas, titulis, & honore Columba
Pone sequens, fert diua sui monimenta triumphi.
Stemma Crucis, lectum claudit Theotonius *agmen,*
Inconcussa Dei, qui nomine numina seruans,
Altius æthereum sub pectore figit amorem.
Ergo omnes noua cura mouet, nouus allicit ardor
Obsequij; sed me vinclis proprioribus arctat

Dulce solum patriæ, meritas exoluere grates.
Hospitibus iubet, & solemni incedere pompa.
Ibo pedes dulci cœtu stipante meorum,
Celsior in solio, quàm cùm me Roma locauit,
Et pedibus totum prouoluit ad oscula Mundum.

Vltimo loco adfuere S. Vincentius Leuita; & nonnulli Diui, quos Vlyssippo, Ebora, & Scalabis, vt suos venerantur. Qui sacras excipientes glebas, pro omnibus Vincentius sublimi excultus stylo, sic omnium aduentantium pignora affatur.

Queis vos obsequiis, queis vos sacra fercula pompis
Excipiam? studiis vrbs hæc sua facta minora
Demiratur amans; nec vota æquare valebit.
Ars licet, immensúsque labor desudet honorum.
Hactenus vrbis eram Patronus, iam mihi cœli
Patronus videor; quantum cœli instar in vrbe est?
Cœlitum spectanda cohors; quos gloria tangit
Vrbis Vlyssææ, & stimulis proprioribus vrget,
Accurrunt, faustum in primis Antonius *astrum,*
Plurima per totum spargens miracula Mundum.
Sydera terna dehinc rubro lita sanguinis ostro
Irradiant, Giliúsque *Erebo virtute tremendus,*
Hiren *sequitur, Scalabim quæ nomine claram.*
Mantius *Eboræ primus Pater vrbis, & alter*
Morte mihi, & vita similis Vincentius *adstat;*
Cui Christeta *soror, fratrísque ad bella* Sabina.
Huc Nos vester honos, è cœli gloria traxit:
Non erat hospitio par terra; asciuit Olympum.

Quibus absolutis, progressa deprecatio est, quousque ad templum S. Rochi perueniens, diuitias exoluens, & grates Deo omnium auctori referens, finem accepit. At per Octo sequentes dies celebri veneratione festiuitas supergressa est.

En amice Lector huius translationis anamnesis, quam etsi breuiori compendio cingere, permisisset pietas, vltro fecissem, sed ne tanti apparatus elegantia, spirituum Lusitanorum excellentia, Sanctorúmve memoria deperiret, in flosculum colligere, tuæ deuotioni offerre, & æternitati consecrare, decreui.

S. SABINVS Martyr Romanus.] Inter plurimas, quas Excellentissimus Dominus D. Emanuel de Moura, Marchio Castri-Roderici, Limiarum Comes, Româ extraxit sanctorum exuuias, dum illic Oratoris Regii fungeretur officio, CORPVS S. SABINI Martyris Romani, auctoritate Vrbani VIII. Pontificis Max. accepisse constat ex diplomate à D. Ioanne Baptista de Alteriis, olim Episcopo Camerinensi confiato, cuius copiam postea dabimus. Ad elogia igitur Martyris accedentes cum Donato & Agapi passum SABINVM refert, licet locum palæstræ omittat. Petr. Galesin. illum apud Aruernos Galliæ contendit, quem sequutus Andreas Saussayus inter Gallicanos Martyres Claro-Monti Aruernorum ingerit. P. Ioannes Bollandus

in

in Act.SS.Ianuar.tom.2.fol.616. vtriusque errorem depromit, & agonizasse Puteolis in Regno Neapolitano cum Arthema, Antimasio, Leodicio, & Teugene ex vetustissimo S.Ieronymi Martyrologio probat. Quidquid sit SABINVS Martyr aut alibi martyrio coronatus Romam peruenit, etsi non viuus, attamen mortuus, dum eius sacra pignora Romæ inuenta, Marchioni donata, Madridium inuecta, adhuc in eius Oratorio honorificè seruantur. Eius ACTA nondum in Nostras peruenere manus, ideo istâ commemoratione contentus ad Diplomatis existentiam pergo:

IOANNES Baptista de Alteriis, olim Episcopus Camerinensis, Eminentiss. Vrbis Vicarij Vices-Gerens, & Iudex Ordinarius, Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis fidem facimus, & attestamur, qualiter Nos ad maiorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum suorum gloriam, tradidimus, & consignauimus Illustriss. & Excellentiss. D. D. Emanueli de Moura, Curiæ Regali, Marchioni Castri-Roderici, Comiti Limiarum, Militiæ Christi Magno Commendatario, Terrænouæ, & Quatuor Insularum Maris Occeani, S.Georgij, Faiali, & Pici perpetuo Præsidi, Censui Regio in Lusitania Præfecto, Hispaniarum Dynastæ, Philippi IV. Hispaniarum Regis auratæ clauis cubiculario, & nunc apud S.D.N. Vrbanum VIII. Pont. Max. dignissimo Oratori, nonnulla Corpora Sanctorum, atque Sanctarum Martyrum, inter quæ corpus S.SABINI Martyris, aliàs à Nobis ex Callixti cœmeterio de mandato eiusdem S. D. N. Vrbani VIII. extracta. Eidémque tenore præsentium, vt ab Vrbe transmittere, seu transportare, aliis donare, & in Ecclesia, seu Ecclesiis sibi beneuisis collocare, & exponere possit, vt à piis fidelibus deuotè venerari valeant, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. Dat. Romæ hac die XXV. Iulij Anno Domini M. DC. XLI. Ioann. Bapt. Episcop. Camerinens. Vices-Gerens.

Hæc antiqua, & recentiora nobis suppeditauere monimenta; amplius progredi impossibile, quia quando Vetustorum calamus sic breui enarratione procedit, quo sensu Nostra longius sese dilatabit oratio.

SEPTIMO KAL. FEBRVARII, DIES XXVI.

A. *Laodicææ natalis SS. Martyrum* THEOGENIS, &c. XXXVI. Sociorum, *qui ex Hyppone antiqua vrbe Hispaniæ illuc transfretantes, ibidem pro Christi confessione coronam vitæ martyrio adipiscuntur æternam.*

B. *Apud cœnobium S. Stephani ad ripam fluminis Sili, in tractu Lemensi, in Gallæcia Hispaniæ, depositio sacrorũ pignorũ* SS. Ansurij *Auriens. Ecclesiæ*, Vimarasij, Viliulphi, & Alphõsi *Tudensis*; Sisnãdi, & Petri *Iriensis*; Pelagij *Lucensis*; Gonsalui *Asturicẽsis, aut Legionẽsis*; & Froalingi *Conimbricẽsis, Pontificũ, quò honorifico seruata sarcophago, publicæ venerationi exhibẽtur.*

NOTÆ.

A SANCTI THEOGENES, & XXXVI. Socij. Quam plures huius nominis Martyres agnoscit deuotio, ex quo aliqua confusa, nonnulla turbata, & ferè omnia disiecta comperies. Concordiæ Bollandus immisit rhomphæam, quò etsi non omnia compescuit nubila, ad minus clariorem reddidit caliginem. Ille videndus tom. 2. de Act. SS. fol. 708. qui, vt generalem Orbis Diuorum congessit anamnesim, ad nominum omnium comprobationem descendit. Ego de Hispano Nostro agens, illa recuso, & ad intentum pergo. De *Theogene* hoc die, apud Laodicæam passo, cum XXXVI. Sociis, de quibus noster est sermo, loquuntur expresse Constantinus Felic. & Galesin. hisce ferè communibus verbis, licet idiomatibus diuersi, sic: *Laodiceæ SS. Martyrum* Theogenis, *& aliorum XXXV. Sociorum, qui contempta morte, pro Christi gloria, sempiternam vitam adepti sunt.* Addit Felicius: *Sub Maximino Imperatore.* Vsuardus, & Bellinus: *Sub Licinio*; quod parui refert, nam Maximinus, & Licinius consortes in sceptro fuere, vt Baron. tom. 3. Ann. 307. num. 26. & sequent. refert. De eis Sanctorius M. R. Lusit. Castellan. Hispan. Petr. de Natal. lib. 3. cap. 25. Maurolic. & Canis. Quibus accedit Notker. & alij plerique. Eorum acta periere, ex relatis elogiis breue aliquod en perlege eloquium.

THEOGENES natione Hispanus, patria Hypponensis in Hispaniæ Carpetania, quoad sæculum nobilis, quoad Deum illustris, virtute clarus, fide inuictus, & constantia intrepidus. Patriam reliquit temporibus Maximini, & Licinij Romani Imperij consortes, Diocletiani, & Maximiniani tàm in purpura hæredes, quàm in sæuitia contra Christi ascetas teterrimi successores. Cum aliquibus Conciuibus Laodiceam vrbem insignem Asiæ, Noster aduenit Martyr, vbi Christi regulam insectans, cuius in ea vrbe maximus aderat obseruātiæ stimulus, tanquam vna ex VII. vrbibus Asiæ, quæ Catholicam primo fidem receperat. Ibidem pullulante in Christianos persecutione, anno, vt creditur, CCCVII. aut sequenti, in fideles sæuitum horrendo Gentilium murmure, quo in *Theogenem*, & Socios irruens crudelitas, ad carceris obscura lathomia perduxit insontes. Qui vitæ huius pericula contemnentes, Tyranni cruciatus, & verbera despectantes, pro æterna gloria insudantes, & trophæi palmam perquirentes (votis accurrens Numen) ad aspiratum agonis terminum deuenientes, & ex illo ad conquisitum sanguine conuenere triumphum die XXVI. Ianuarij anno CCCVIII. imperantibus Maximino, & Licinio, sedem Apostolicam regente S. Marcello.

Breui periodo includuntur merita multa, quæ, & qualia fuissent, qui illum coronauit, Martyrum capita, in vitæ libris perennibus conscripta seruabit. De origine Hispano quæret scrupulosa curiositas: en Luitprandi pignus Aduers. n. 128. sic *Theogenes, & Socij Carpetani ex Oppido Hyppone, vel Tepes, in Laodicea passi sunt, nec desunt, qui dicant Hyppone.* Ex hoc ebibisse, crediderim fonte Baronium sententiam, quam insertam in M. Rom. à se compaginato perlegimus, sic: *Hyppone in Africa S. Theogenis.* Etsi in antiquo M. Rom. Peregrinis, deficiat martyrij locus, & Episcopatus notula, quàm perperàm inseruit Baronius. Qui legens Hyppone passum, aut, quod verius credo, natum *Theogenem*, Hispanam vrbem ignorans, ad Africanam Regiam, & Martyrem, & agonem inuexit. Nec obest quod Hyppone in Africa templum de *S. Theogene* comperiretur tempore S. Augustini; quia qui illuc deduxit, imò introduxit festum *SS. Fructuosi, Augurij, & Eulogij Martyrum Hispanorum Tarraconensium*, quo illum sermonem perorauit S. Augustinus; potuit etiam *Theogenis* Basilicam condere. Demum à quo desumpsit Baronius, illud templum fuisse

Theogeni

Theogeni Episcopo dicatum? A quo Hipponensem Episcopum suxit martyrio coronatum? Audi Bollandum n.fin.in fine fol.709. *Potuit isthic alius ab hoc Episcopo* Theogenes *templum habuisse, vel ob reliquias eò translatus, vel ob eorum, qui id condiderant, pietatem, ac votum, vti suam habebant festiuitatem* SS.Fructuosus, Augurius, & Eulogius Tarraconenses, *& Agnes Virgo Romana.* Si potuit, nullus extra Baronium scripsit. Et sic tenendum Nostrum Martyrem Hyppone Carpetaniæ natum, & Laodiceæ passum, vt antiquorum conseruat memoria. En sextasthicon ex meo MS.

Lætetur numeris plenis nunc Nostra Hypona,
Quæ innumeros genuit cæloque terra choros.
Lætetur tanto nunc Carpetania tota,
Pignore, cum sociis nascitur hic Theagen.
Laodicææ sistitur, ergo sequente caterua
Illic si patitur, Nos apud hic colitur.

HYPPO vetusta fuit vrbs apud Carpetanos Hispaniæ, dequa T. Liu. lib. 39. Moral. antiquit.verb.Beturia. fol.101. Abraham Ortel.in Geograph. Roder. Car. ad Dextr. fol.84 vers.Biuar.fol.274.n.2.Luitprand. Aduers. n.127. recens appingit nomen, sic. *Oppidum* Hippo *in Carpetania, corrupte vocatum est* YEPES, *nec multum post vastationem Hispaniæ dirutum.* Quis eius fuisset conditor, ignoratur. In varias itur sententias apud Nostros. Francisc. Pisa. Hist. Tolet. lib.1.c.3.fol.12.col.3. refert conditam fuisse à Nabuc Adnazer Duce exercituum Hebræorum, qui magnis copiis Hispaniam inuisens, totius Regni Toleti solum incoluit, & inter alias, quas condidit vrbes, hanc construxisse, illique nomen imposuisse IOPE, tanquam Colonia Iopensium Ciuium alterius Asiæ. Quam opinionem sequuntur Garibay lib.4.cap.26.& lib.5.cap.4. Puente in Conuent. Monarch. lib.2.cap.9.§.2.f.128.col.2. Arias Montan. in Abdiam, idem Puente lib. 3. cap.23. §. 5. fol. 153. col. 2. & alij plerique, sed non arridet P. Ioan. Marian. vt inferius videbimus.

LAODICEA in Asia Ciuitas Episcopalis Lydiæ, seu Cariæ, vtriusque terminos attingit, ad Lycum fluuium. Vna (vt diximus) ex VII. Ecclesiis apud Asiam dispersis, quorum accolæ primitus Christi receperunt fidem. Olim præclara, ac post Ephesum, aliarū Asiæ vrbium nobilissima. Conuentus finitimarum Iuridicus, inter Hieropolim, & Antiochiam, à Philadephia in Astrum, supra XL.M.P. distans. Plinio teste: *Celeberrima* (inquit lib.5.c.29.) *vrbs* Laodicea *imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo, & Capro, appellata primo* Dios polis, *dein* Rhoas. De ea vetus Inscriptio apud Goltz. in Thesaur. Abraham. Ort. & alij Geographi. Hodie dicitur LAVDICHIA. Stephan. de Vrbibus; ab Antiocho Stratonices filio conditam fuisse credit. Eique nomen impositum ab vxoris vocabulo, quam Laodice cognominatam fatetur. Ad cuius compellationis impulsum, fuisse Antiochum perductum, instante Numinis oraculo, quod ipse refert Stephan. quem si velis, videas.

B SS. ANSVRIVS, & Socij. Acta Nostrorum Præsulum antiquauit, aut Scriptorum desidia, aut temporum ingluuies. Nomina seruauit pietas. Sedes disturbauit confusio. In his assihnandis labor immensus, ideò vnusquisque propriam insectans sententiam, aut aliorum calcans vestigia, in diuersa diffunditur. Omnium placita recensere, post meum subscribere sensum curabo, vt Lector in meliorem adsit opinionem. Philipp. Ferrar. in General. Catal. SS. hoc die, sic: *Auriæ in Gallæcia* Sancti Isauri *Episcopi. In Monasterio Ripensi Sanctorum Episcoporum* Vimarasij, Gonsali Offorij, Froalengij, Seruandi, Athaulphi, Pelagij, & Alphonsi. Petrum omisit, & pro *Ansurio*, scripsit *Isaurum.* In Notula sedes adiungens, sic: *Vimarasius Episcopus Auriensis fuisse traditur, Gonsalus, Offorius, & Froalengus Conimbricenses, Seruandus, & Pelagius Irienses, Athaulphus, & Alphonsus Asturicenses.* P. F. Ioan. Mariet. (à quo Ferrar.) lib. 5. cap. 63. sic eorum nomina, & sedes distinguit: *Ansurius, & Vimarasius Episcopi Aurienses, Gonsalus Offorius, & Froalengus Conimbricenses, Seruandus; Viliulphus, & Pelagius, Irienses, Alphonsus Episcopus Asturicensis, & Auriensis, Petrus absque titulo.* Licentiatus Molina, qui Gallæciam carminibus

minibus Hispaniis peruestutis, quæ *de Arte mayor*, seu Asclepiadei Choriambici vocitantur, sic, per Nos correspondentibus versibus immutata.

Ad ripas fluuij nomine Stephani
Antrum, quod Silij vocitat Hesperus:
Quod Sancti Monachi sæculo ab horuito
Christi per vigiles semita quæritant.
Ergo hicque Patrum plurima iungitur
Concors ex variis sedibus agminis
Compago; radians quilibet eminùs
Orbem Occiduum. Hic Monachalium
Ordo percelebris singula Præsulum
Vitæ miracula sequitur, attigit.
Septem quod faciunt sedulò Præsules,
Vt quidni facient ordine præditi?

Et licet hic tantum de septem Præsulibus meminerit, quorum suppresserat nomina, antiquioribus est eredendum. In Glosula ad rhytmum Castellanum, sic eorum enumerat sedes: *Primus Iriensis, Secundus Ouetensis, Tertius Lucensis, Quartus Mindoniensis, Quintus Auriensis, Sextus Asturicensis, Septimus Tudensis.* At hæc pro arbitrio conscripta. Subiicit ergo postea: *Horum nomina, & tẽpus, quo obierant in vniuscuiusq; sepulchro erant descripta. Verum à XL. eóque amplius annis Reformator quidam, qui isthuc venisset, comtempta vetustorum sarcophagum fide, & illustri Diuorum memoria, omnia isthac subruit monumenta, atque ossa commixta, vnà in arca inclusa, post maius Altare illius Ecclesiæ reposuit, vbi etiam num adseruantur. Reperit idem digitis SS. Antistitum hærentes pretiosos annulos, quibus multæ etiam hodie fiunt curationes, tùm insertorum lapidum virtute, tùm præcipuè ipsorum Sanctorum meritis.* Marieta sic eorum memoriam refricat: *In Prouincia Gallaciæ, in territorio Lemensi adest S. Stephani Ordinis S. Benedicti cænobium, quod Ordonius Rex Oueti à primis condidit fundamentis, hic diuersis tumulata temporibus corpora Sanctorum Nouem Episcoporum, quæ in propriis extiterant lapideis feretris, in quibus vniuscuiusque epitaphium adspiciebatur, in claustro. Sed cùm forte hoc reædificaretur Monasteriũ, euenit, quod (recollectis SS. exuuiis, & adseruatis, vt publicæ venerationi propalarentur) marmora euulsa in opus fabricæ consumpserunt. At cum traditio ex antiquiori æuo vsque nunc prolapsa in SS. famam vigeret, in tabula affabre facta, & in altaris Maioris planitie reposita, Sanctorum Præsulum effigies, & nomina sculpsit deuotio, & intus eorum sacra lipsana collocauit cultus, quo venerantur.* P. F. Anton. de Yepes in Chron S. Bened. tom. 4. cent. 5. Ann. 909. c. 11. ad longum Nostrorum Antistitum memorias repetit, qui post nominum expressionem, subiungit. *Extra traditionem de cultu* (*vt dixi*) *SS. Præsulum, adest notabile eorum Sanctitatis testimonium, in quodam Regis Alphonsi priuilegio, scripto Era M.CC.LVIII. qui donat domui isti quædam prædia, & nemora in honorem Nouem SS. Episcoporum, quorum ibidem tumulata sunt corpora.* Postea fragmentum diplomatis inserit, in hunc modum. *Ego Alphonsus Dei gratia Rex Legionis, & Gallaciæ notum facio per hoc scriptum, tam præsentibus, quàm futuris, quod Ego do, & Concedo Monasterio S. Stephani.* & Nouem Corporibus Sanctorum Episcoporum, *qui ibi sunt tumulati, pro quibus Deus* infinita miracula facit. *omnia quæ pertinent, ac pertinere debent ad ius Regale in toto copto Monasterij.* Prosequitur inde P. Yepes in explorandis Nostrorum Antistitum sedibus, & contendit *Ansurium*, primò fuisse Aucensem, & demum Auriensem. Quod probare nititur ex actis Synodi Ouetensis, quam, pro restituendis Prælatis Ecclesiis Tudæ, & Lamecæ, ab illis Maurorum clade & temporum excidio, orbatis, colligi curauerat Ordonius II. Rex, vt refert P. Hieron. Roman lib. 5. Hist. Eccles. Ex qua liquet, quod *congregatis in vnum Oueti Era DCCCCLII. Recaredo Lucensi,* Froalengo Conimbricensi *Iacobo Auriensi, Gennadio Asturicensi, Sabarico Dumiensi,* Ansurio Auccensi, *Atila Zamorensi, Frunimiro Legionensi, Ouecco Ouetensi, &c.* Actum est de restauratione Prælatorum

Roboratur.

Roboratur eius opinio auctoritate Martyrologiorum VVionis, Dorgani, & Menardi, in quibus titulo *Aucensis* compellatur. Sed salua pace tanti viri crediderim, nunquam *Ansurtum* fuisse Ecclesiæ *Aucensis* Præsulem, sed tantum *Auriensis*. Moueor, quia ille *Ansurtus* cuius subscriptio est in Ouetensi Synodo, longe diuersus est, à Nostro, primo quia de translatione non constat. Secundo quia si Era 952. erat Episcopus *Aucensis*, ex coniectura Yepes, & post fuit translatus ad *Auriensem*; quo modo confirmat priuilegium ipsius Ordonij II. factum eidem cœnobio S. Stephani, Era DCCCCXLVII. à prædicta Synodo inchoata quinque ferè retrò annis? Constat ex diplomate ab ipso Antonio de Yepes excripto eod. tom. 4. n. 31. fol. 450. *De Froalengo* patet ex Synodo fuisse *Conimbricensem*. Nisi sit alius eius nominis, qui confirmat quandam scripturam Regis Alphonsi Casti V. Idus Martij, Era DCCCLXVIII. apud Sandoual in eius vita fol. 174. *De Vimarasio* quem Auriensem facit Marieta, crediderim *Tudensem*. Quia D.D. Prudent. de Sandoual. Hist. Tudens. fol. 95. de illo verba faciens, inquit: *Vimara, seu Vimarasius Asturicam adiit ex congregationis indictione, qua omnes Episcopi Regni conuenere Era DCCCCLXXV. die XV. February, quo Salomon Asturicensis Præsul donauit Monasterio S. Iacobi de Peñalua, Ecclesiam, & oppidum S. Columbæ. Inter alios confirmat donationem* Vimarasius Tudensis, *Hic fuit Antistes Sanctus, nam Episcopatum dimittens, secessit in Monasterium S. Stephani ad Ripam fluminis Sily, quo sanctissimè vitam finiuit. Eius corpus ibidem tumulatum, illic custoditur cum aliis sanctorum ossibus.* En vera Vimarasij sedes. *De Viliulpho* quem *Iriensem* Præsulem compellat Marieta, etiam *Tudensem* agnoscit Sandoual in Antiq. Tudensib fol. 98. De quo postquam ad annum DCCCCXCIII. eius vitam extenderet, subiicit: *Hinc deficit huius Prælati memoria, constat enim, quod relicto Episcopatu in cœnobium S. Stephani ad Ripam fluminis Silij secedens, vitam egit monachalem. Nam est vnus ex IX. Episcopis, quorum ibidem sancta fuere consepulta corpora, & in chartula peruetusta eorum scripta nomina, intra illorum sepulchra fuere inuenta. Nec obest, quod aliqui dicant fuisse* Auriensem, *quia nullus istius sedis, eius nominis inuenitur Episcopus.* Et patet, nam anno 962. Noster hic Episcopus, vt *Tudensis* confirmat in diplomate Regis Sanctij cognomento Crassi, quo omnia bona monasterio Samiensi oblata à prædecessoribus salua fore decernit. XV. Kalend. Iulij Era M. De quo est mentio apud Sandou. Hist. Regis Syli. fol. 149. *De Sisnando, aut Sisenando* difficilior probatio erit. Nonnullos huius nominis Episcopos per illa comperio sæcula. Irienses tres, & vnum Legionensem. Primus Iriensis qui successit Quendulpho in sua iacet Basilica tumulatus. Secundus, cuius vitam sanctissimam Angelorum turma in mortis articulo præcinebat apud Compostellam iacet, & eius anni ad 920. peruenere. Tertius fuit ille vanitate sæculi imbutus, pompis parens, illecebris deditus, bonorum Dei, Apostoli, & Ecclesiæ prodigus dissipator, & magis armis, quam infulis memorabilis. Is à sede expulsus ad Formelos oppidum à Nortmandis sagittæ ictu confossus anno 979. vitam exuit, vt prædixerat S. Rodesindus. Istos tres refert M. Ægid. Gonzalez, sed ego alium *Sisenandum Iriensem* agnosco; ab illo prætermissum, qui vixit ad Eram M.XCIV. Anno Domini M.LVI. Quod deprehenditur ex clausula in Codice MS. Conciliorum S. Æmiliani, hodie apud Scurialem conseruato, scripta, quam refert D. Prudent. de Sandou. Hist. Ordon. II. fol. 256. Quam referre libuit, vt agnoscatur, quanta obseruantia illis temporibus diuinum recitabat officium Ecclesia Hispaniæ; En ergo tenor:

> *Regnante Carolo Francorum Rege, ac Romæ Patricio, & Ordonio Rege in Legione, Ioannes Papa Romanam, & Apostolicam Sedem tenebat:* Sisenandus vero Iriensi sedi *tenenti corpus B. IACOBI Apostoli præsidebat. Quo tempore Ianellus Presbyter reuerendissimus, & prudentissimus, à præfato Papa Ioanne ad Hispaniam est missus, vt statum Ecclesiæ, religionis eiusdem regionis perquireret, & comperta, fideliter Apostolicæ Sedi referret. Quod iniunctum sibi officium præfatus Ianellus Presbyter solemniter compleuit; & Hispanias veniens, omnem ordinem Ecclesiastici officij, & regulam consecrationis Corporis, & Sanguinis Domini N. IESV CHRISTI perspicaciter perscrutatus, requisiuit canones, & omnes libros Sacramentorum perlegit. Quæ cuncta Catholica fide munita inueniens, exultauit. Et D. PP. Ioanni, & omni Conuentui R.E. vt inuenerat retulit.*

Audiens hoc D.P.P. & omnis R.E. gratias Deo retulerunt: Officium Hispanæ Ecclesiæ laudauerunt, & roborauerunt, & hoc solum placuit addere, vt more Apostolicæ Ecclesiæ celebrarent secreta Missæ. Ergo hac auctoritate mansit ratum, & laudabile Officium Hispanæ Ecclesiæ vsque ad tempora Alexandri II. Era T. L. XV. IIII.

En ad annum M.LVI. alium Sisnandum, si est secura Sandouali annorum ratio, seu Eræ quam in margine huius clausulæ apponit; de qua ego dubito, propter Pontificis, & Regis Hispaniæ nominum discrepantiam. Sed quidquid sit ad intentum reuertens, crediderim Sisenandum, aut non fuisse Iriensem, & tunc fuisse illum Legionensem, de quo supra credet aliquis, quod etiam incertum per ea quæ dixit P F. Athanasius de Lobera Hist. Legion. 2. p. c.19. vbi asserit illum in sua sede sepultum. *De Pelagio* quem Iriensem vocitat Marieta. Ego coniector *Lucensem*, quia ann. DCCCCXIII. confirmat cum Biremundo Rege Sandou. Antiq. Tudens. fol.99. *De Alphonso, Asturicensi, aut Auriensi* nullam in antiquis monumentis mentionem agnosco. D. Sandoual vnius meminit ad annum M.LXX. Episcopum Tudensem. Et alium *Petrum Iriensem* ad annum DCCCCXCIII. fol. 98. & 99. *De Gonsaluo* agnosco alium Legionensem, qui anno DCCCCLXIX. interfuit Concilio Nauegensi, vt refert Sandoual fol.98. & Lobera 2.p. c.19. Et alium prius Asturicensem, confirmans cum Rege Ranimiro ad Ann. DCCCCXXXIV. vt refert D. Maur. Castell. Hist. S. Iacobi lib.3. c.22. fol.370. Quis in tantæ confusionis ergastulo, facilè lucem attinget?

Hic adiicere libuit, vt P. Bollandi querelas contra reformatorem sedemus, quod anno M.CCCLXXIII. D. Alphonsus Pernas eiusdem cœnobij Administer transtulit è claustro ad maius Altare SS. corpora, vt melius, ac decentius requiescerent. Et demum Anno M.D.XCIV. P. F. Victor de Nagera illius Monasterij Abbas, cùm Ecclesiam ipsius cœnobij pretiosis ornaret tabulis, Sanctorum Præsulum lipsana, ex lignea extrahens arca, qua erant reclusa, in Nouem diuisit sarcophagis, & intra nouem deauratis arculis, quas hinc, inde ad Altaris Maioris latera, excauari fecerat, collocauit, vbi hodie honorifice luminariis argenteis pendentibus ante vnumquodque sarcophagum accensis inuisuntur, & venerantur, vt refert P. Yepes d. c.1. & relatio MS. cuius copia apud me est.

Monasterium S. Stephani Silense. Ordinis S. Benedicti, cuius origo, si P. Yepes credimus, à Sueuorum effluxit Regum munificentia, & tempore, de quo nonnulla haud contemptibila munimenta perhibet. Illud reædificauit Ordonius II. Rex Anno DCCCCIX. & illi multa concessit donaria, vt apparet ex diplomate à P. Yepes excripto in Appendice n. 31. fol. 450. Fuit hoc Monasterium situm in Monte cui cognomen Bubalo, ad ripam fluminis Sili. A vero deuiauit Philipp. Ferrarius, qui credidit conditum apud Ripam Auiæ, quam vulgo hodie *Riua-Dauia* dicimus. Nam hoc longe à Silo diuersum flumine. Hic etiam vitam eremiticam egit S. Franchila Abbas I. Cellænouæ, qui construxit eremitoriolum, cuius hodie vocabulũ *S. Ioannes de Cachon*, vt ex inscriptione apparet peruetusta ibidem inuenta, his literis:

✠ DEI. ✠
CVM ADMINICVLO
FRANKILA ABBA
CONDIDIT OPVS.
ERA DCCCCLVI.

Quæ reducitur ad Annum Domini DCCCCXVIII. Et nomen S. Stephani cœnobio fuit iniunctum, quia ibidem adseruabantur lipsana S. Protomartyris, vt liquet ex eadem scriptura sæpius relata apud Yepes n.31. fol.450. cuius exordium sic: *In nomine Domini Dei, & Saluatoris Nostri Iesu Christi, & Dominis Sanctis, & gloriosissimis Patronibus Venerandis Beatissimæ Virginis Genitricis Domini MARIÆ, seu SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Sociorúmque Sebastiani, & SS. Iuliani, & Basilissæ, necnon etiam, & S. Martyris primo* Stephani Leuitæ, quorum reliquiæ sitæ sunt in territorio Bubalo *Prouincia Gallacia, Ripa Silis.* Cætera extra intentum. Ad alia pergo.

SEXTO

SEXTO KALEND. FEBRVARII, DIES XXVII.

A. *Barcinone in Laletania Hispaniæ natalis* S. Theodosij *ipsius vrbis Episcopi II. post S. Etherium Iacobi Zebedæi discipulum, qui taliter ouibus, verbo, exemplo, & doctrina profuit, vt merito Eugenio Toletano meruerit comparari. Tandem glorioso fine quieuit.*

B. *Aquis Quinctianis in Gallæcia Hispaniæ* SS. Datiui, Iuliani, Vincentij *atque aliorum XXVII. Martyrum passio, cultu honorifico repetitur.*

C. *In Portu Iuliobrigensi Hispaniæ SS. Martyrum* Ananiæ, & Petri, *eius custodis, cum aliis VII. Satellitibus, qui cognita veritatis fidei euidentia, & Martyris constantia, in Christum credentes, in mare proiecti ad gloriæ trophæum peruenerunt intrepidi.*

D. *Apud Gerundam in Hispania* SS. Emerij *Abbatis, &* Candidæ *eius Matris, quorum gloriosa permutatio sæculi huius, cum cœlestis fruitione vitæ anniuersariè colitur.*

E. *In Oratorio Marchionis Castri-Roderici depositio Corporis S. Vitaliani Martyris Romani, quod dum Romæ Oratoris officio fungeretur Regio cum aliis est assequutus exuuiis.*

NOTÆ.

[A SANCTVS THEODOSIVS.] Episcopatus Barcinonensis infulas induit post gloriosum agonem S. Ætherij eius decessoris, qui apud Chersonesum Hispaniæ cum aliis S. Iacobi Discipulis, Hispaniæque Prælatis martyrium compleuit anno Domini LX. vt post Dextrum notauit P. Franc. Biu. Ex quo non Primus, vt Diago, sed Secundus, vt Dextro placet vocitandus est. En Flauij verba ann 94. n. 6. *S. Theodosius II. Barcinonensis Episcopus VI. Kalendas Februarij.* Et eius mirabiles extendens virtutes, Anno 100. n. 8. ait: *Toletani vehementer profecerunt doctrina S. Marci Marcelli, vt Barcinone proficiunt Christiani gloria miraculorum, virtute doctrinæ, ac exemplis* Theodosij Episcopi. Eum vt Episcopum agnoscunt Barcinonenses, vt refert P. F. Franc. Diago Hist. Comit. Barcinon. lib. 1. c. 6. Hieronym. Pujad. Hist. Cathalon. lib. 5. c. 10. Qui refere antiquos

antiquos MS. Codices, qui adſeruantur in Auctographis S. Seueri, & Cathedralis Eccleſ. Barcinon. & Epiſcopologia Carbonelli, & aliorum. Apud quos tantum nominis & anni tranſitus memoria repetitur. Nos eius ecphraſim extendemus, prout prudentialiter credi poteſt.

THEODOSIVS Vrbis Barcinonenſis, vt coniector, accola, Chriſtianam fuit amplexus doctrinam, tempore, quo per Hiſpanias IACOBVS Apoſtolus, & eius Diſcipuli Euangelici dogmatis grana ſpargere conabantur. Inter cæteras Prouinciæ vrbes, haud Barcinona ad lucis veritatis radios acceſſit vltima, cùm ſub nouiſſimis naſcentis religionis ſæculis, iam Epiſcopali dignitate ſuffulta, Ætherium ipſius Ciuitatis Primum Epiſcopum martyrali triumpho ad ſuperos euolatum, Patronum apud Deum agnoſceret beatiſſimum. Poſt cuius agonem, ne tenera fidelium proles, abſque Paſtore deficeret, inter illius Chriſtianitatis prouectos, elegit cœtus diſcretio *Theodoſium* virum doctrina imbutum, virtutibus præditum, & vitæ exemplis ornatum. Qui vt muneris peritum ſuſcepit, gregem ad bonorum operum progreſſus impellebat Catholicum, quò in dies augebatur Eccleſia, ad cuius gremium anhelans quotidie percurrebat idololatra, qui aquis ſalutaribus delibutus, congregationem contra inimicos fidei firmabat intrepidè militantem. Toletanam Eccleſiam tunc S. Marcus Marcellus Eugenius adminiſtrabat feliciter, cuius doctrinis nutriti ciues, in religionis præcepta inſigniter eminebant. Ex quo *Theodoſius* ad ſimilitudinem Toletani Præſulis raptus, ad auram tanti ſpiritus nauigando, proprios in ſtatum perfectionis, & profectionis clientes, mirabilium ſplendore, eruditionis dictamine, & virtutum ſpecimine, mira ſuauitate pertraxit. Sed cum dies, & hora eius, vt ex hoc mundo tranſiret ad Patrem accederet, cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos, & ſic omnibus conſtantiam commendans, fidem Deo debitam mandans, & bonorum operum perſiſtentiam imponens, Creatori ſpiritum ſanctiſſimum, placida dormitione pertradidit. VI. Kalend. Februarij, Anno Domini C. Imperante Vlpio Traiano, Sedem Pontificiam agente S. Clemente I. Memoria *S. Theodoſij* apud ſuos adhuc ad annum CCLXXXXV. clarebat, vt in monumentis vetuſtatis, eius anamneſis inſcriberetur.

En quæ potui acta contexere. Mortem S. Præſulis licet conſignent Diago, & Pujades ad Annum Domini XLV. aut ad XLVII. non eſt quod mireris. Nam cùm ſolo traditionis calculo inniterentur, & adhuc illis Chronici Dextri radius conciuis non eluxiſſet, quid iam, ſi caligine obruti ad portum haud acceſſere? *De Memoria ad Annum* 298. Sic Flau. Dext. eo anno: *Theodoſius Barcinonenſis clarus habetur.* Non quia illo æuo naturalem ageret vitam, ſed vitæ ſanctitatem, miraculis, cultu, & veneratione conſeruaret.

BARCINO. Iam primam de eius conditore retulimus ſententiam die VI. Ianuarij: Nunc ad ſecundam deuenientes; Ioann. Gerundenſ. in loco relato, contendit non à *Barca Nona* originem, ſed à verbo *Barcinon quod Græcum eſt* (inquit) *& ſignificat domunculas, ex virgultis contextas, quæ ad Maris litora, ad piſcandum ſunt, in quibus ſe piſcatores recipiunt: Quorum cum ibi eſſet magnus numerus, loci, & aeris ſalubritate perſpecta* Barcinon *vrbem eodem loco conſtituit, ſicque ab eiſdem domunculis appellauit Hercules à quo condita.* Iſta opinio etiam ab aliquibus reiicitur, tanquam à fundamento ætymologico deuians, & traditioni abhorrens.

B SS. DATIVVS, IVLIANVS, VINCENTIVS, *& Socij.*] De eis agit M. Rom. à quo Luſitan, Caſtellan. P. Vaſquez, & M.S. Hiſpan. P. Higuera. In quibus vnuſquiſque ſuo idiomate; ſic: *Item SS. Datiui, & Iuliani, Vincentij, atque aliorum XXVI. Martyrum.* Et ſi mea me non fallit coniectatio, crediderim, illum *S. Vincentium* Epiſcopum, & Martyrem *cum Sociis* hoc die conſignatum à Iuliano Petr. Aduerſ. n. 472. fol. 132. de quo hæc verba: *XXVII Ianuary* S. Vincentij *Carthaginenſis Epiſcopi, & Martyris, cum aliis paſſi anno D. CXIV. vt creditur ab Storcanis occiſi ſunt pro Chriſti fide.* De iſto

Vincentio

Vincentio & Sociis, de quibus Dexter, accipiendum esse. Nec obstat annorum diuersitas, quia excusus Iuliani codex innumeros conglutinat errores, ideo legendum erit: *passi anno Domini XCIV.* (ante posita litera X) *ab Asturicanis vt creditur, occisi sunt pro Christi fide.* Nam anno DCXIV. vt in excuso, qui Storicani fidem Catholicam persequebantur? Nonne ab anno Domini D.LXXXIX. Ecclesia Hispaniæ in summa pace quiescebat, abolita Arianorum labe, excisis infandi dogmatis aris, & confusis babylonicæ illius hæresis loquelis? A quò ergo illi deuenerant Storicani Satellites? Quæ gens? Quod dogma? Eia *Vincentius* iste ab Asturicanis, pro Asturicensibus, in quorum ditione extiterat vrbs, quæ Aquæ Quintianæ dicebantur, confossus est. Sicque elimato mendo, lucem accipiet Iulianus, & Sancti alium testem pro se ostendent, contra Bollandi incredulitatem, qui in tanta annorum prolluuie testes postulat oculatos. Cuius eruditionem admiror, cuius proteruiam detestor, nam Dextri Chronicon, si apud illum nullius est auctoritatis (quando tot coaceruat MSS. haud nota Martyrologia, quæ eandem fidem apud Nos habent, quam ipse præfert) vt quid illius in parte reiicit, & in parte amplectitur scripta? Ego Notkerum Sanctum scriptorem veneror. Quis eius Martyrologium publicauit? Henrricus Canisius. Nunc ergo, quæ maior auctoritas in Canisio, quam in P. Francisco Calderon religiosissimo Ordinis Minorum alumno, P. F. Francisco de Biuar eruditissimo Cistercientium Abbate, Roderico Caro diligentissimo antiquitatum moderatori Presbytero, D. Thoma Tamayo de Vargas profundissimo C. M. Historiographo, & aliis innumeris, qui Dextri Chronicon laudant, amplectuntur, sequuntur, & venerantur? Fortè apud exteros fidem, & apud Nostros commentum? Quis consarcinator P. Bollande? tua tu perlege acta, & quantas adhuc viuentium scriptorum consarcinas, sarcinas inspecta. Sed esto quod Sancti Notkeri sententiam amplectamur, en Bollande mi Sancti verba: *In Africa natiuitas S. Iuliani, Vincentiæ, & aliorum XXXII.* Vide lector in hoc controuersiæ campo, obstantia Sancti scriptoris verba. Vide à manu grauioris armaturæ calamum. Quid cùm *Vincentio, Datiuo, Iuliano, & XXVII. Sociis* Dextri & Iuliani Petri, *Iulianus Vincentia* (fœmina) *& XXXII. Socij?* Tu nunc Lector, qui plaustra litterarum veneraris, pompam ludorum es comitatus, quid iudicas de hoc supercilio Colchico? de hoc Thyesteo dente? Fortè inter Sanctum Scriptorem exterum Canisij, & Dextrum peccatorem Chronographum Nostrum Calderonis, Biuarij, Cari, Tamaij, & aliorum doctissimorum virorum aliquam suggeris antinomiam? Tu quisquis sedes spectator, diribitor, cense hos sudores, docto seu vngue seu pollice, & eruditissimo discrimen describe, aut rescribe Bollando, interim quod ego aliam ingredior arenam. Ergo *Vincentius, & Socij* de quibus Dexter & Iulianus Nostri Martyres Hispani fuere, apud Aquas Quinctianas, ille *Episcopus Carthaginensis in Hispania*, isti in agone commilitones, quorum acta, etsi temporis labilitate deperdita, breuiter, aliqua ex ipsa antiquitatum lapidicina, in ornatum Martyrum eruemus.

VINCENTIVS natione (vt coniector) Hispanus, ex Carthagine Spartaria oriundus ad gremium Ecclesiæ aut S. IACOBI Nostrorum Patroni, aut eius Discipulorum, per totam regionem Euangelium diuersantium, publicantiúmque, prædicatione deuenit. Cuius sic fidem noscitur amplexatus, vt per martyrium sublato S. Epenæto illius vrbis Episcopo, à S. Petro Apostolorum Principe Hispanias lustrante, relicto, consecratóque, ad illius sedis fastigium, sine retardatione conscendit. Inceperat per hoc tempus crudelitas Domitiani Imperatoris occulta, ad instar Neronis, cuius mores suxit, in publicum prodire. Iam non muscas latenter insequebatur, sed publicè hominum vitas, & opes persequebatur. Iam non à cædibus abstinebat, sed & Patriciorum, Senatorúmque interfectionibus delectabatur. Quo in Christianos per totum diuisos Orbem, secundam excitauit, vt Nero, persecutionem, edictis propositis, in quibus apertius: *Christianos, non alio nomine, quàm quod Christiani sint, in ius, capitísque iudicium vocat.* In Hispaniam peruenit Domitiani decretum: tunc fidelium ergastula plena, viæ cadaueribus Martyrum oppletæ, Prouinciarum Præsides omnia conquirunt, Satellitum manus sanguine madentes, noua alio-

rum

rum purpura cruentâtur, vix requiei locus; ad milites frequentia cruciatuum deuoluitur exequenda. Inter tot agonistarum agmina *Vincentius* comprehenditur Episcopus, Asturicensibus militibus traditur cruciandus; Qui Præsidis imperata sequentes, cum *Iuliano, Datino, & aliis XXVII.* apud Aquas Quinctianas Gallæciæ in cuius præsidio apud Patauonium militabant, Sanctum Episcopum peremere; XXVII. die Ianuarij Anno Domini XCV. Imperante Domitiano, Ecclesiam regente S. Anacleto I. Pont. Max.

Omnia in ecphrasi nota, haud vllum comperies verbum, quo detinearis. *De Præsidio apud Patauonium in Asturibus*, perlege Dextrum anno 300. vbi P. Biuar. Com. 1. n. 18. fol. 333. Moral. lib. 10. c. 33.

AQVÆ QVINCTIANÆ. Oppidum apud Ptolom. lib. 2. tab. 2. Europ. c. 6. in Seburris Gallæcis ad Orientalem Asturicæ partem, sic: *Seburrorum: Talamina*, Aquæ Quinctianæ, *his vero ab ortu adiacet Asturia.* In eius tabula à Gerardo Mercatore delineata situm oculatim conspicies. Non sunt audiendi, qui hoc oppidum *Ouetum* credunt. Nec Molletio, & Mill. à quibus Ortel. qui *Aquas Calidas* deferendum, quia diuersum hoc ab Aquis Quinctianis apud Ptolomæum, illud in Cilinis, istud in Seburris. Crederem hodie nostrum appellari CALDAS DE REY Compostellanæ Diœcesis. Hieron. Zurita in not. ad Itiner. Antonin. suspicatur, quod mansio posita ex itinere Braccara Asturicam, in quo post Caladunum legitur *Ad Aquas* sine cognomine, intelligenda est de *Quinctianis*. Videndus fol. 575.

C SS. ANANIAS, PETRVS *& VII. Socij.*] Sterilis admodum de his Martyribus apud Nostros & exteros adest commemoratio. Ex duobus agnoscuntur, & nomen, & agonis palæstra, cruciatuúmque ferocitas. Flau. Dexter Noster Nomina, & locum martyrij appunxit. Petrus Galesinus ex Græcorum tabulis, latinitate donatis, supplicia, & acta breuiter appinxit. Eorum verba auscultemus. Dext. in Chron. ann. 308. sic: *In Hispania in portu Iuliobrigensi* S. Ananias *Martyr, & Socij, qui pluribus cruciatibus toleratis, euicerunt.* Extendat Galesinus in Dextro suppressa h. d. sic: *Eodem die* S. Ananiæ Martyris, *qui Diocletiano Cæsare, apud Maximum Præfectum, Christianam fidem sponte professus, grauiter in Idolorum cultum inuectus est. Itaque comprehensus, primùm verberibus cæditur, deinde candentibus subulis perfoditur; post vulneribus, quæ sic acceperat, sale, & aceto perfricatus, in custodiam includitur, vt in eo loco fame necaretur. Sed diuinitus factum est, vt per septem dies cibo cælesti aleretur. Quod vbi animaduertit carceris Custos* Petrus, *relicta impietate, Christianam complexus est religionem: quamobrem, hic vnà cum eo Præfecti iussu, rotæ alligatus in craticula vterque collocatur, succenso igne, quo derepente mirabiliter restincto tortores, vbi res admirabilitatem perspexerunt Christum Dominum libera voce profitentur; atque sic quidem qui* Septem erant, *& illi ambo* Ananias, & Petrus *in Mare proiecti ad Martyrij palmam peruenerunt.* P. Bolland. in Prolog. prætermissor. ad hunc diem, sic: *S. Ananias, S. Petrus, & Septem Milites de his agemus XXV. Februarij.* De eis agunt P. Biuar. d. Anno 308. n. 10. ad Dextr. fol. 366. Scriptor. MS. de Antiquit. Locroniens. c. 12. Ex quibus hoc actorum flosculum compagino.

ANANIAS ex gente Hispanus, ex religione Catholicus, ex ordine miles, imperante Diocletiano floruit apud Cantabros Hispaniæ, qui pietate Christiana à maioribus hausta, ab ipsa propè pueritia Christi Domini religionem amplexus est. Adolescentiam virtutibus sociatam agens, sub Imperatorum Romanorum, Cantabriam & omnem occiduam regionem, occupantium, Aquilis nomen dedit, quo baltheo cinctus, & Præfectus militum in concernentibus ad militiæ munia, debitam obedientiam exigebat, & Deo, cui seruire, regnare est, inter armorum pericula, & tympanorum strepitus, recognitionem debitis temporibus soluebat assiduus. Edictorum tabulæ à Diocletiano contra Ecclesiam Dei euulgari cœperunt, in omnes orbis terminos illius decretum de abolendis Christi cultoribus legebatur. Exorditur proscriptio aduersus innocentiam, hæc carcerali custodia feritur, nil nisi machinæ tormentorum inspectabantur, omnia horrida,

omnia

omnia turbata, vbique aut membra, aut viscera, aut cadauera martyrum oculos opplentia, circumspiciebantur. Hispanos feruentius transfixit edictum, vbi quas cædes, quæ supplicia respuit infidelitas? Quæ non exercuit tormenta, somniauit agones? *Ananias* qui totum se Deo commiserat, tempus oblationis suæ commodum obseruabat, quo expleto, se esse Præfecto Maximiano Christianum spontanea deliberatione fatetur, Deósque esse dæmones, in quibus nec deitas, nec virtus, imo fallacia, & commentum inueniri professus est. Christum verum Deum esse, & cœlum, & terra, & ipsa simulacra sæpè sæpius, etsi reluctantia, confessa esse, proferebat. Excanduit Maximianus cùm primùm hæc à Milite sacro exaudiuit, vt ipse somniabat, deliria, & propriùs accersendo, blandiendóque à proposita dimouere curabat Martyrem confessione, breuiter Principum decreta, & obedientiam debitam, militaris dignitatis offensionem, Numinum Populi Romani à tot retro sæculis veneratorum sacrilegium, fœdum cinguli opprobium, & alia his similia verba perstringendo. Quibus *Ananias* inuincibili spiritu despectis, ad primam vehementius confessionem deueniens, reiteratis vocibus conclamabat. Præfectus ira commotus satellitibus Militem Christianum tradidit verberandum, qui atrocioribus ictibus vapulatum cernentes, nec à proposito declinare inspectantes, candentibus subulis Martyris axillas crudeliter perfoderunt. Sed tunc cùm magis ac magis in Dei laudibus versaretur, cuius vocem haud retundere frustra conarentur milites, vt sæuius pateretur, deponunt corpus lancinatum, ex stipite, & per vulnerum foramina acetum sale mixtum atrociter perfuderunt, & in horrendo carceris latomio, includunt, vt squaloris caligine, & famis voracitate Martyr attritus, animam, rabie agitatus, euomeret. Sed ille Pater, & Corona Martyrum, qui prouidentia sua cuncta fouet, & Sanctorum suorum conflicta suauiter intuetur, humaniter fauet, & mirabiliter auxiliatur, *Ananiæ* miseratus, Angelicis agminibus dilapsis è cœlo Martyrem solatur, & per septem dierum spacium resonantibus cytharis cælestibus dapibus refouetur. Omnia hæc carneis oculis inspectarat, propriis auribus acceperat per septemdium *Petrus* carceris felicissimus custos, & cognoscens quanta Deus in Milite abiecto operabatur, diuino furore commotus, & spirituali accensus lætitia *Christum verum Deum esse fatetur.* Altis extollit vocibus ostentum, intimis animæ singultibus profert miraculum, adcurrunt Satellites liberi, vincti, nouitate successus ex propriis accersiti latomiis, *Ananiæ* ergastulum circumdantes, omnia rimantur foramina; luces inspectant, Angelorum turmas concredunt, nam cœlestium concentuum sonitum auribus percipientes, modulatione Angelica delectantur. Martyris corpus, quod ante lancinatum acceperant, haud cicatricum notulis fœdatum conspiciunt. Omnia ad Maximi Præfecti perueniunt auditum, qui in carcerem repetens, furore succensus insano, *Ananiam* extrahi iubens, & illi *Petrum* adiungens, in rotæ craticula collocantur, sub cuius horribilis machinæ structura, carbones protinus accenduntur, sed eorum precibus igne exarmato, rogóque toto deleto, Martyres discumbebant illæsi. Tortorum *Septem*, qui portentum primum perceperant, hoc secundo, rubore suffusi, & religionis veritate constricti, Christum Deum libera voce confitentur. Quod vt agnouit Præfectus, & quod in vrbe, ob mirabilium frequentiam, commotio maxima excitaretur, quò locus dabatur perturbationibus, & Romani Imperij, Deorúmque Gentium auctoritas,

& cultus in periculo versarentur, ob fidelium multitudinem, & aliorum qui miraculorum pondere grauati, sæuitiam Iudicis increpabant, numerum, decreuit, vt secreto *Ananias*, *Petrus*, *& Septem Satellites* è carcere extracti, ad vrbis Iuliobrigensis proximum portum adducerentur, vbi adligatis ad iugula saxis, in mare proiicerentur. Omnia hæc ad vnguem compleuit impietas, quo insignes Martyres felicibus redimiti coronis ad Portum, ex Portu sæculi, peruenere perennem XXVII. Ianuarij, Anno Domini CCCVIII. Imperantibus Diocletiano, & Maximiano, Pontificatum Maximum obtinente S. Marcellino.

P. Franc. Biuar. in Not. ad Dextrum d. Ann. 308. n. 10. fol. 366. Prolixius de loco agonis pertractat, & licet nullum referat Scriptorem, qui *S. Ananiam* militari cingulo proferat munitum; ego ex peruetusto hymno in meo MS. codice, hoc titulo condecoraui. En carmen.

PRO SANCTO ANANIA,
& Sociis Martyribus.

HYMNVS:

O felix Anani fulgide Martyrum;
Qui mundi illecebras, corpore, & animo
Calcas: aßiduo tramite operum
Bonorum: Patere carmine aggredi.
Tu qui Belligero militis agmine
Regum Gentilium tympana sequeris;
Fretus pacifico numine peruigil
Christi vestigia prosperè suggeris.
Mortis occiduos tempore languida,
Quo tunc sæua bilis horridè Martyres,
Et crudis manibus omnia protinus
Discerpit, remouet; nemine libero:
Tu tunc flebilibus penitus occulis
Cernens, flagitiis tundere barbaris
Christi discipulos, numine placido,
Christi te famulum voce reclamitas.
Ardet sanguineo murmure Præsidis
Pectus; quo teneros colligit illicò
Artus; verberibus lacerat, itidem
Axillas refodit, subulis ignitis.
Post in latomiis truditur infimis
Corpus dilacerum, quò fame tabida,
Noctis caligine pereat, & cauo
Confossus iaceat; nomine perdito.

Sed

Sed tunc Angelicis corpus eripitur
Curandum manibus: lumine cœlico
Circumdante thorum, quo citò vulnera
Vngente nitida cœlico permanent.
Petrus latomij carceris armiger
Lucis, qui viderat, tot, hebes, agmina,
Christo continuo credidit; vocibus
Implens Dædaleas, carcere, fornices.
Hunc ergo vigilum Septima protinus
Cohors sollicitis concita passibus,
Supplex insequitur; & modo feruida
Christum fulmineis vocibus, acclamat.
Ergo in cæruleis mergitur vndulis
Triplex conspicuum vinculo Martyrum
Agmen; terribilis vsquequò perfidus
Vitas agnouerat perdere Pugiles.
Brigensis Iulia tanto Parentibus
Lubens, legitimis, tumulo, affatibus
Nostris propitius, quilibet obsecra
Vt sit regnicolis; sæculis omnibus.

Ivliobriga. Ciuitas antiquissima apud Cantabros Hispanos. De ea inter Orientales vrbes Cantabriæ ad latus Asturum, mediterraneásque Ptolom. lib. 2. tabul. 2. Europ. c. 6. sic: *Camarica*, Iuliobriga, *Moreca*. Plin. lib. 3. c. 3. ad nascentis Iberi fluminis stagnum, eius situm descripsit, sic: *Iberus amnis, nauigabili commercio diues ortus in* Cantabria *haud procul oppido* Iuliobriga. In eodem ferè situ collocant illud Ambros. Moral. lib. 10. c. 33. Ocampo lib. 1. c. 7. Alij credunt *Logroño*; Alij *Oliua* somniant; Alij ad *Aguilar de Campò* extendunt. Pro hac vltima sententia, ex auctoritate Ambrosij, & aliorum sto. De eius memoria adest inscriptio apud Gruter. fol. 354. n. 4. *De Portu Iuliobrigensium* quò Martyres in mare proiecti agonem compleuerunt, credit Morales fuisse, vbi hodie *El Puerto* dicitur, inter *Bermeo* & oppidum *Santander*. Olim enim *Portus Victoriæ Iuliobrigensium* appellabatur, vt ex Plin. lib. 2. c. 20. Dextro ann. 308. Luitprando Aduers. n. 282. liquet. Sed melius ex inscriptione, quam mihi obtulit Petrus Errazquin nobilis Cantaber Excellentissimi Ducis Nagarensis à secretis, qui illam in marmore ex humo erutam, scriptámque transcripsit, in hac forma.

IMP. CÆS. L. SEPT. SEVERI. PII. PERTIN.
AVG. ARABICI. ADIABEN. PARTH. MAXIM.
FIL. DIV. M. ANTON.
PII. GERM. SARM. NEP.
DIV. HADRIANI ABNEP. DIV. ANT.
PRONEP. DIVI TRAIANI PAPTHIC.
ET DIVI NERVÆ ADN.
M. AVRELIO. ANT. AVG.
TRIB. POT. VII. COSS. I. PROC. PP.
NAVIC. QVI. CANTABR. NEGOT.
AD. PORT. IVLIOBRIG.
POSVER. DEVOT.
N. M. Q. E.

D SS. EMERIVS, & CANDIDA.] Horum Matris, & Filij natalem descripsit Philipp.Ferrar.in Catal.Generali SS.h.d. fol.48. his verbis: *Apud Gerundam in Hispania* S. Emerij *Abbatis Balneolensis. Ibidem* S. Candidæ *Matris S. Emerij prædicti.* Andreas Saussay in Martyrol.Gallic.fol.77.tom.1.sic: *Ipso die* S.Emerei, *qui è Gallia, cuius indigena erat, in Hispaniam se conferens, spretis sæculi armis, militiam Christi secutus est; eremúmque, vt quietè magis, & purè ipsi famularetur, incoluit: postea, vt talenti Dominici fœnora procuraret in Catalaniam migrans Gerundensi in territorio, Balneolense cœnobium excitauit, vbi adlectis pia institutionis imitatoribus, magna gratiæ, quà pollebat lumina exercuit. Ad quem Mater excitata fama illius Sanctitatis, post viri obitum veniens, amore religionis ab eo accensa, atque cella, non procul ab eo monasterio, inclusa, reliquum vitæ in omni sanctitate exegit. Demum Vir Beatus post multa animarum lucra ad præmium perrexit supernum.* Martyrol.Benedictir.,Hugon.Menard.fol.9.sic: *In Hispania* S.Emerei *Confessoris.* Martyrol. Hispan. M S. P. Higuera. De eo præter relatos scripsere P.F. Antonius Yepes Chron. Benedict. tom.3. cent.3. ann.778. c.1. fol.266. Anton. Vincent. Domen. de SS.Cathal. lib.2. fol.5. Hugon. Menard. lib.2. Obseruat. fol.461. P. Bolland. in Act.SS. tom.2. fol.781. Qui Nostrorum acta transcripsit è vetusto M S. cuius ego etiam copiam acceperam ab eruditissimo D. D. Francisco de Vrrea Aragonum Regio Historiographo, quam itidem lectori meo offerre nec erubescam.

ACTA S. EMERII ABBATIS Balneolensis in Cathalonia ex V. MS. D. Franc. de Vrrea.

In illo tempore cum esset persecutio magna in populo Christiano, regnante Carolo Rege Galliæ, surrexerunt viri impijssimi pagani Christianarum gentium omnia deuastantes; ita si quidem, quod totam terram, longè, latéque præoccupati, neminem Christianorum neci tradere dubitabant. Cum ergo hæc, & similia de die, in diem exercerent, venerunt nuntiare ad Regem, dicentes, & dolentes: *Audi Domine, & ne contemnas verba famulorum tuorum, quia surrexerunt pagani nuper, & nostra ad nihilum redigunt: surge, & veni liberare populum Domini de manu ipsorum.* Surrexit ergo Rex cum exercitu suo, & exiuit obuiam contra paganos, & persecutus est eos, nec tamen quidquam auferre potuit. Debellabant ergo quotidie, sed nec poterant obtinere victoriam, sed à supernis præceptum est eis, vt cessarent bella, donec Deus traderet illis auxilium.

Erat in Ciuitate illa quidam nobilis religiosus Baldinus nomine, cum vxore sua *Candida*, quibus natura negauerat prolem. Quadam vero die, illis apparuit Angelus Domini, dicens eis: *Surgite præparate vos, ac domos vestras: vidit Deus luctus vestros; commisceatis vobiscum, quia filium generabitis.* Crediderunt Viri innocentes, & fecerunt iuxta sermonem Domini, & concepit *Candida*. Cum ergo concepisset vidit quadam nocte per visum, quod à pede sinistro suo exibat virgula vitis, quæ præ multitudine, dum cresceret, totam terram tegebat; sub qua etiam columba de cœlo requiescere videbatur. Vidit ergo per alium clarum lumen, à se ipsa egrediens, nimio decore præradians, quod acceptum ab Angelo Domini in cœlis deferebatur. Vidit ergo per tertium, quod Dei Genitrix Virgo MARIA veniebat ad eam, dicens: *Ne timeas, quia ego rogaui Filium meum, vt gigneres prolem.*

Mane ergo cum surgeret, & dies partus aduenisset peperit *Candida*, & vocauit filium, *Emerium*, quem Pater ad honorem militiæ destinauit,

destinauit, postquam ad annos ætatis pertingit perfectæ. Quod cum *Emerius* cognouisset, sic Patri suo humiliter est affatus: *Pater mi si charus sum, per Deum te coniuro, vt non impedias animum, quia solùm diligo Dominum Iesum Christum, cui militia cupio adquirere, cui seruio, & vitam dignam desidero consummare.* Cúmque talia genitus referret, iratus, ac etiam turbatus genitor lamentabatur dicens: *Nunquid genui? heu mihi, quid faciam non habens hæredem, qui me, & domum meam in posterum gubernet?* Ab hoc ergo metuens, iam ne voluntati paternæ adquiescere cogeretur, Ciuitatem relinquit, antra deserti exiens, vna cum socio Patricio, vbi solus permanens pauperem vitam miserè peragebat. Quid mirum? non mundo, non patri, non gloriæ præsentis sæculi, sed solùm Deo placere cupiebat; qui die ac nocte parabat orare, vt melius pertransiret. Denique contigit, vt Rex aduersus paganos insurgeret, & *Emerium* secum deducens, quia eo in castris versante, auxilium à Domino expectabat in tempore; paganos de ciuitate in ciuitatem insequebatur; donec quodam die in deserto milites commorantes multi fame defecti sunt, & mortui. Mortuis ergo plurimis, pro superstitibus *Emerius* Vir Religiosus panem petiit à Domino, vnde familia ea posset satiari, quæ sibi tradita erat. Audiuit vero Dominus orationem famuli sui, & misit eis panes, quibus refecti milites, à defectione cessarunt. Et iterum in oratione persistens ex mortuis inuocato D. N. Iesu Christo plurimi reuocantur ad vitam; quo populi glorificabant Deum, qui talem potestatem habebat.

At cùm vna die venissent in Ciuitatem vocatam *Carcassonam*, quam Rex tenuit associatam per plurimum tempus; in vltimis diebus Rex voluit se eleuare à Ciuitate, cum omni gente sua, volens pergere in prouinciam Cataloniæ. Cum Dominus dictus Rex pergeret, *S. Emerius* misit oculos suos versus ciuitatem. & clamauit voce magna, & dixit: *O Rex veni Carcassonam.* Tunc Rex reuersus perrexit ad ciuitatem, & habuit eam. Tunc debellantes continuo contra paganos venerunt in prouinciam Cataloniæ, & ad villam, quæ dicitur *Balneolis*, vbi quoddam stagnum est, inuenerunt, quòd in dicto stagno habitabat quidam Leo sæuissimus, homines, & fœminas deuorans, vnde lacus ille à Leone nomen suscepit, dictúmque est *Lio*, eo quòd illic Leo habitabat. Tunc *B. Emerius* motus animi dolore, accedens cum processione, & aqua benedicta perrexit ad lacum illum, vbi dictus Leo habitabat. Videns Leo sanctum Domini factus est tanquam ouis mansuetus. Tunc *B. Emerius* aspergens aquam benedictam super eum, accepit eum, & deferri fecit vsque ad dictam villam, & eum fecit occidi statim; qui cum lacus ille esset, ibi cogens, monasterium ædificauerunt, decimas, & primitias, & honores consignantes, ex quibus tanquam triginta monachi possent viuere; ædificauerúntque Ecclesiam ad honorem Dei Genitricis MARIÆ, atque S. Stephani Protomartyris. Cum igitur Vir Dei vidisset locum opportunum aquis oppletum, & ab omni habitatione remotum, Christo placere, habitum sanctę conuersationis quæsiuit, & potius ad cœlestia, quam ad terrestria auolabat. Turbatus verò Rex præ dolore, aduocans eum dixit: *S. Emeri sis cura familiæ, & noli nos derelinquere, ne pereamus.* Respondens itaque Emerius, dixit: *Quid vultis faciam? nequaquam aliter potest fieri.* Cum ergo monitioni eorum parere noluisset, elegerunt eum Pastorem dignum eiusdem loci Beatissimi S. P. Benedicti, vt à bono Abbate, boni discipuli instituerentur. Commoratus est ibi Rex cum exercitu suo per quindecim dies, tandem inde progrediens, virum dignum Domino commendauit.

Extitit itaque Vir venerabilis in bonis operibus agens vigilias, &

orationes,& ieiunia,& diuinum Officium Deo celebrabat. Confluebat ad eum copiosus languidorum, claudorum, cæcorum,surdorum, & mutorum numerus, qui per eum sanitatem recuperabant. Denique accidit, vt quidam cum matre vnicum filium ægrotantem deferrent: nutu Dei actum est, vt in itinere expirauerit. Plangens vero mater filium, vlulatus in aëra emittebat. Commotus itaque Sanctus Vir, quod ad eum deueniret, orauit Deum dicens: *Domine IESV CHRISTE, Pater misericordissime, qui saluos facis sperantes in te, non meis meritis, sed propter magnam gloriam tuam, ostende virtutem tuam,& in nomine tuo surgat,& ambulet in pace.* Completa oratione, conuersus est ad puerum, & dixit ei: *Eia iuuenis, surge in nomine D. N. Iesu Christi.* Surrexit ergo puer ille, & cœpit gratias agere, & Deum benedicere,vnà cum matre sua,quæ pariter laudes mellifluas decantabat. Vir Dei igitur in oratione nocte, diéque commorans, nullum præter panem, & aquam capiebat cibum, nunquam autem sine oratione,& ieiuniis requieuit. Fastidiens tamen præ multitudine virorum ac mulierum ad eum confluentium, ne vitam propriam maculare posset, tacite exinde recessit, & ad montium cacumina, & locum commodum intra nemora syluarum requirens, tanquam decem stadiis secessit, vbi similia exercendo dignam vitam ducebat. Cumque in oratione continuè persisteret, hostis humanæ naturæ diabolus,inuidia commotus,transformans se in angelum lucis,aliqua commonebat deuiantia,satagens verum animam in errorem verteret. Sed robustus Vir Dei nunquam à cœpta semita deuiauit: quem etiam Dominus per visionem Angelicam corroborabat, apparens ei sæpissimè,& manifestè.Nec mirum,si ipsius animam nequaquam obruere poterat. Omnia hæc permiserat Deus loco in quo postea ædificata fuit Basilica ad honorem *S.Emery*, iuxta fluuium vocatum *Fargat*,in loco *S.Stephani de Guialbis*,& celebratur dedicatio dicta XVI. Kalendas Nouembris,loco VI.de S:Paula loco VII.

Defuncto Patre Beatissimi *Emery*, Mater eius non habens nisi solum vnicum filium, cogitare cœpit in animo, vt eum perquireret, quia amor naturalis eam valde constringebat eum videre. Veniens Mater eius de loco in locum, venit postulans eleemosynam, vsque ad prouinciam Cataloniæ, & perquirens de filio suo *Emerio* dictum sibi fuit, quod nuper erat in loco, qui vocatur de Balneis, & sic dicta *Candida* veniens, & stans in dicta villa, quæsiuit vbi nam esset filius suus; & responsum accepit, quod *Emerium* reperiret in quadam insula vocata de Forcat, in loco S.Stephani de Guialbis. *Candida* vero gaudens, & lætabunda venit ad dictum locum, & ibi inuenit filium suum, quæ præ gaudio nihil illi poterat dicere. Tunc filius videns eam habuit magnam consolationem de visione matris, & mater de visione filij.

CANDIDA vero morans ibi per aliquot dies,filius suus dixit ei: *Mater mea chara, per Deum te rogo, & admoneo,vt hinc recedas; quia amor tuus me conturbat à diuinis eloquiis, & orationibus.* Mater vero turbata de sermone filij, dixit ei: *O fili mi, tam modica erat consolatio tua,& mea: ego tecum volo Deum Omnipotentem seruire, & pauperem vitam ducere.* Tunc filius suus Emerius: *Mea chara mater, non potest fieri; tamen volo recedas à me, nisi tantum quantum iecero istum baculum, siue virgulam.* Mater vero eius cogitans, quod non iactaret nisi parum, proiecit virgulam illam quam in manu tenebat, & proiecit illam multo valde longe.Mater vero eius propter promissionem datam filio suo inde recessit, & stetit in loco illo sibi adsignato, & ibi morauit, & ibi clausit dies suos, & anima eius requieuit in pace, Amen.

Erat

Erat autem cum *Beatissimo Emerio* quidam monachus nomine Patritius, cum eo obtinens. Quodam verò die cum esuriret, & panem non haberet, constringi cœpit in animo suo, quem Vir Domini *Emerius* sciens contristatum, dixit: *Quia nos omnes plenam refectionem habemus, quare de hoc seruo Dei non procuratum est?* Responderunt ministri nihil se reperire potuisse: at ille Sanctuarium intrauit, quo reliquiæ tenebantur, & orauit. Cùm interim vnus ministrorum, nomine Iustus ad leuandam aquam cucurrit. Erant autem in riuo illo pisces semipedalem habentes mensuram. Quidam verò piscis, dum Iustus hauriebat aquam, exiens de aqua venit in amphoram, quam Iustus suscipiens *B. Emerio* detulit. Ille gratias Deo referens, piscem præparare fecit: de quo Patricius monachus vsque ad satietatem comedit. Cúmque pars dimidia superesset, cogebat eum Vir Domini dicens, quod aliud non haberet ad cibum, hunc comederet. Cúmque satiatum assereret, miraculosè, tam ille quam omnes satiati sunt. Et *B. Emerius* quotidie in oratione stans, & perseuerans, ieiunando, & eleemosynas faciendo, spiritum reddidit Altissimo Domino, & sepultus fuit iuxta altare per Patricium, & alios ministros, & anima eius coronata est in cœlis, vbi nos requiescere valeamus cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

En acta absque lacunis, vt in Bollando, post cuius ecphrasim, in MS. quem beneficio D. D. Franc. de Vrrea accepi, erat subsequenter hoc carmen sepulchrale, licet, vt illa ferebant tempora, in prosodia claudicet.

Hoc tumulo iacet Emerius venerabilis Abba
Balneolensis domus; Spiritus astra replet.
Gallus cùm fuerit nostros ditauit Iberos:
Illos corde gerit, Nos & amore fauet.
Vitam transegit Sanctus sine crimine, donec
Vitæ præsentis pondera soluit ouans.

Anton. Vincent. Domenec nonnulla alia miracula Sanctissimi refert Abbatis, qui de cultu persolutoilli & Sanctæ Candidæ matri nonnulla compaginat monumenta, inter quæ hæc Collecta recitatur.

In Officio annuali S. Candidæ, Oratio:

Tuorum corda fidelium Deus miserator illustra, & B. Candidæ *precibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum N. Iesu-Christum.*

De Anno-transitus nihil certum, post annum D C. X C V I I I. quo Candida mater decesserat, fuisse fatendum est, cum superuixisset Emerius post matris transitum. Domenec ad annum D C C C. vel circiter inclinatur. Quidquid sit cum de sanctitate amborum constet, non est, vt quid amplius diuinemus.

MONASTERIVM S. STEPHANI BALNEOLENSE. Quod hodie dicitur *San Esteuan de Banioles, y Guialbes.* in Principatu Cathaloniæ situm, in diœcesi Gerundensi Ordinis S. P. Benedicti, vt referunt Anton. Domen. Yepes, Hugo Menard. & Ioann Bolland. Conditum creditur à primo lapide à *S. Emerio* iuxta oppidum, quod dicitur *Banioles* nunc, & Romanorum æuo *Aquæ Votonis*, si credimus

Gerundenſi in Paralip. Hiſp. lib. 1. *titul. de vrbib. quæ nom. mutauer. in fin.* vbi agens de territorio Gerundenſi, ſubiungit: *Inde* Balneole *oppidum, quod* Aquæ Votonis *per ante dicebatur, vt ex Itinerario Antonini Pij conſtat.* Quam ſententiam reſpuit Hieron. Pujad. lib. 1. cap. 34. fol. 29. col. 3. Qui *Baculam* à Bacho conditam credit: Qui non *Aquæ Votonis*; ſed *Aquæ Vaconis* dicebantur, contendit. Hieron. de Zurita in Not. ad Itinerar. fol. 546. *Aquas Voconias* ſcribit, quas hodie vulgus *Aques Caldes* appellat. Hæc de loco, quoad cœnobium, Hugo Menard. d. lib. 2. obſeruat fol. 461. aſſerit quod in eo monaſterio reperitur diploma Ludouici Pij, in quo legitur *Bunitum* Abbatem ex ſolitudine in eum locum aduentaſſe, & ibidem contruxiſſe monaſterium Balneolenſe, eccleſiamque S. Stephani ædificaſſe, habitationéſque monachorum diſtinxiſſe. Quia vt ipſe fatetur *nihil prohibet, quin* S. Emerius *huius monaſtery prima fundamenta iecerit*, & Abbas Bonitus eius ſucceſſor in meliorem redegerit ſtructuram.

S. VITALIANVS Martyr.] Huius Agoniſtæ memoria prorſus è Tabulis abeſt Eccleſiaſticis; cuius nomen & acta ſub ſilentio deliteſcentia, haud minimum actionum nobis reliquere veſtigium. Eius hoc die anamneſim ſubieci, quia hoc ipſo Romanum Martyrologium S. Vitaliani Papæ retulit elogium; & vt moris eſt inter Sanctorum rerum geſtarum Scriptores, illo die conſignare alicuius ecphraſim, cuius haud cognita dies, ſi alterius eiuſdem nominis extet relatio; ideò ipſius paſſionem hîc conſignare decreui, vt cuius ſacras exuuias Pontificia donatione percepimus, illius mnemoſynon in Noſtris Tabulis perſeueret.

CIRCA exiſtentiam ſacrorum pignorum in Oratorio Excellentiſſimi D. D. Emanuelis de Moura Caſtri-Roderici Marchionis, viſendum diploma, cuius copiam ſupra die XXV. huius Menſis appoſuimus, addito nomine S. VITALIANI Martyris. Hæc quæ ſcribenda comperi, cætera ille ſcit, qui mirabilis in Sanctis ſuis, eorum ACTA in æterna memoria conſeruat, & ſuæ volunti reſeruat.

QVINTO KAL. FEBRVARII, DIES XXVIII.

A. Apolloniæ natalis SANCTI THYRSI *Martyris, Ciuis Toletani, qui cum adhuc catechumenus, è patrio nidulo implumis egrederetur, Graciámque ingrederetur, cum aliis fidei cauſa comprehenſus, poſt immanium diuerſi generis cruciatuum victoriam, illuſtre ſub Decio perhibuit martyrio teſtimonium veritatis.*

B. Toleti

B. *Toleti & alibi in Hispania celebris* TRANSLATIONIS BEATI VALERII CÆSARAVGVSTANI *Episcopi, & Martyris festiuitas annuatur; licet IV. Idus Ianuarij eius Ecclesia complectatur agones.*

C. *Conchæ in Hispania* SANCTI IVLIANI *Episcopi, qui pauperibus de bonis Ecclesiæ subueniens, victum more Apostolico opere manuum quæritans, famelicorum manus victitans, fama in fame præclarus, in omnium mirus oculis, clarúsque miraculis in pace quieuit.*

NOTÆ.

A SANCTVS THYRSVS.] Plurimos exponit Ecclesia huius nominis Martyres, sed à Nostro longè dissimiles. Alius Augustoduni in Gallia, cum Antiocho, & Felice, die XXIV. Septembris. Alius apud Alexandriam, cum Saturnino, die XXXI. Ianuarij. Alius cum Proiecto. Noster hoc die, cum Leucio, & Gallinico, aut Callinico, Qui apud Apolloniam, Phrygiæ vt quidam sentiunt; Macedoniæ, vt alij suspicantur; Græciæ vt Nostri fatentur, martyrio coronati sunt. Eius cum Sociis prælibatis memoria adest apud Græcos in Menæis, & Menologio, sed die XIV. Decembris. Eorûm elogia in Canisio, & Bollando comperies, longiora enim visa, vt exscribantur. Apud Latinos eorum festiuitas varie adsignata; aliqui ad diem XVIII. vt D. Hieronymus, & alij relati à Bollando num. 7. Alij ad XX. Alij ad XXVII. huius mensis; sed verius hoc die, vt ex Vsuardo, sic: *In Ciuitate Apolloniæ SS. Leuci,* Thyrsi, *& Callinici Martyrum, qui tempore Decij diuersis tormentorum generibus excruciatus I. & vltimus abscisione capitis, medius cælesti voce euocatus spiritum reddentes, martyrium consummauerunt.* Quem sequuntur Bellinus, Martyrolog. Roman. Vrbani VIII. Pont. Max. & fere omnia Ecclesiæ Hispanicæ Breuiaria. Conueniunt licet diuersis diebus Maurolyc. Felic. Gales. & Canisius. Martyrologia Lusitan. Castellan. & P. Higuer. Hispan MS. & Roman. Alexandri de Peregrin. Agunt de eis Luitprand in Chron. num. 128. & 233. Iulian. Petr. in Chron num. 73. & 397. Vbi P. Hieron de la Higuer & D. D. Laurent. Ram. D. Thom. Tamayo fol. 73. & 158. P. Biuar. ad Dextr. Ann. 286 com. 1. num. 2. fol. 303. Pisa Histor. Tolet. lib. 3. cap. 5. Truxill. in Thesaur. Concionat. tom. 2. fol..... Ioann. Maldonat. de SS. Vitis fol. 61. Episcop. Turiasonens. de Primat. Tolet. tom. 3. cap. 1. §. 3. fol. 551. Sanctor. Caytasc. Villeg. Ribadeneyra in suis Florib. SS. Sandoual. in Histor. Reg. Silon fol. 112. Baron. tom. 2. Annal. Eccles. ann. 254. num. 23. Petr. de Natalib. in Catal. lib. 3. cap. 39. Officium in omnibus penè Hispaniæ Ecclesiis, vt ex Breuiariis Asturicensi, Burgensi, Compostellano, Ouetensi, Hispalensi, Abulensi, Salmantino, Toletanis Muzarabi, & impresso anno 1505. & aliis apparet. Acta prolixiori calamo percurrerunt Bollandus, Lepolleus, qui à Metaphraste, Surio, & aliis extraxerunt. Nos ex peruetusto Legendario Asturicensi MS. addito Originis loco en adiecimus.

ACTA S. THYRSI MARTYRIS Ciuis Toletani ex Legendario MS. Asturicensi & aliis Auctoribus.

In Illis Diebus tempore quo Christi membra hostis in terra premebat, sæua fuerat fidelibus orta tempestas. Iam enim infiniti aggeres Martyrum, per totum mundi alueum sua sibi defenderant loca; illúdque solùm desidia presserat membrum, quod non illustraret memoria Sanctorum. Sed cùm *Britius Combritius*.ex præcepto dominorum suorum iussa portaret, vt aut Christianos ipsos subiugaret Idolis,aut rabido in illos, quo posset fureret dente. Mox Nicomediam tetigit Ciuitatem, Ioui, & Syluano libamina fudit, vnde illum Apamia veloci cursu suscepit; ibique Ioui, & Appollini sacrificia misit. Putares pestiferum nunquam posse iussa effectibus mancipare, nisi tot sibi dæmones muneribus complacaret. His factis Appolloniæ Christianos ad Deorum nultum adigere, conabatur, & cùm *Leucium* resipiscentem apprehendisset, post varios cruciatus, ad cœlos martyrali corona transmissit. Quod videns *Thyrsus ex vrbe Toleto in Hispania ortundus, qui à Paulato eius vrbis Episcopo Catechumenus erat effectus, & in Græciam profectus, vt maiora pro Christo consequeretur certamina.* Combritio exeunte in portam, quæ dicitur Hellesponti, tenuit eum dicens: *Aue charissime Præses, & patienter audi, quæ à me ad te dicenda sunt.* Combritius dixit: *Aue, & tu amice Deorum.* Thyrsus dixit: *Vnicus, & Verus Deus excelsus præcepit per paginas veteris testamenti, dicens:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Si ergo sibi soli iussit seruiri, quid istas vacuas, & odibiles effusiones dæmonum culturas præcipitis excoli, & à vero Deo mentes nostras cupitis retorqueri? Isti quos colis, inutiles sunt, vt nec male possint nec bene.* Combritius dixit: *Multiloquium didicisti; audi me, & sacrifica Diis.* Ad quem Thyrsus dixit: *Ego non multum loquor, nec sacrifico, sed timeo vnum, & verum Deum, qui in cælis est. Ipsum solum noui. Dy qui cælum non fecerunt, dispereant à terra. Si ergo disperdere eos iubet Creator cæli, & terræ, quomodo ergo cum sis cæcus alios cogis ad mortem? Ergo scias me multum loqui, sed perseuerare in veritate. Age quod vis, paratus enim sum mori pro veritate.* Tunc Combritius dixit: *Plumbatis eum contundite, & membrorum eius diuaricate iuncturas.* Cui Thyrsus: *O perfide magister tenebrarum, non me terrent pœnæ tuæ, temporales enim sunt. Timeo autem Deum, qui æternas pœnas dat eis, qui irritant eum, quam nec tu effugies: nec pater tuus, qui dicitur Sathanas.* Ad hæc Combritius, vt eius confringantur crura, & vno detentus loco, nullum pedibus imperet gressum, iubet, quod vt factum; vncinos afferre acutos, & palpebras ab eius oculis dissecare, quo deturpata primitus facies ludibrium afferret intuentibus. Cui dixit Thyrsus: *Omnium malarum artium magister, cum te mihi putas confusionem adducere, præclarum constituisti, quod ignobile erat corporis mei. Quanto enim exterior homo meus corrumpitur, tanto interior renouatur in agnitione veritatis.* Excanduit Præses, & æneos afferri obeliscos, quibus lacertos, & brachia Martyris confringerent satellites, donec pendulæ, ac debiles essent manus, imperauit. Omnia perferebat humiliter Thyrsus, & lætus exultans, dicebat: *Omnes Dy Gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.* Iudex, vt Diis litaret, & imperio subiaceret Augustali Martyrem persuadebat. Quem cum robustiorem è cruciatibus prouilire conspiceret, æneum cacabum afferri, plumbum in eo collocari, in ignem apponi, donec aquæ

simile

simile en liquido reputaretur, Thyrsum autem per quatuor neruos extensum, super ferreum lectum, cathenis strictum, & per membra ligatum, apponi; & super eius dorsum, plumbo liquefacto perfundi, donec in eo membrum remaneret illæsum, iussit. Omnia hæc Thyrsus videbat, & cum iam machina esset parata, tunc carnifices rapiunt Martyrem, & in craticulam ferream extendunt. Qui suspiciens in cœlum dixit: *Deus cœli, cui adstat chorus Angelorum, qui exilio dedisti per tuam claritatem perditionis principem; noli derelinquere animam confitentem tibi, vt dominetur ei nequissimus Præses, qui confudisti eum in desiderio suo. Te inuoco illuminatorem, vitæ meæ; libera me ab insania pestilentiosi huius; & disperge pœnam paratam mihi in aduersarios tuos, vt videant gentes gloriam tuam, & cognoscant quoniam nomen tibi est, Deus.* Sic ait, & ministros debita subsecuta est vltio: Nam vt vas per membra Martyris extensa fuderunt, ebulliens per aërem metallum, scintillis petentibus cœlum, carnifices, qui propè stabant, ita conflauit, vt liquentibus membris, ante vita caruissent, quam pœna eorum membra desecaret. Omnes autem, qui circumstabant, magna voce dixerunt: *Magnus est Deus Christianorum.* Thyrsus autem attonitus voce populi, quasi à somno euigilans, Combricium pro pœna interpellat, & de Dei mirabilibus congaudens, *adhuc* (inquit) *Præses non intelligis, quia regnat Deus in cœlo, qui in conspectu vestro talia fecit? Sed quomodo implebuntur eloquia prophetarum*, Iustus ex insidiis eripitur semper, pro illo autem traditi sunt impij, *dicentium.* Tunc Combricius & miraculi confusione indurescens, & verborum Thyrsi veritate conuictus, quidquid ad cognitionem virtutis acceperat, proteruitate opinionis suppressit, ideò, per oculos furorem amandans, & per oris organa sæuitias euomens; *Gladium* (dicebat) *afferte, & per partes eius ventrem secate: non tamen lethales inducite plagas, sed in frusta eius membra concidite, vt & terra putridas eius suscipiat carnes.* Thyrsus in orationem conuersus, exclamabat assiduè ad Dominum, dicens: *Deus, Deus meus respice in me, & aufer à me, vel potius exue me ab hoc corruptibili corpore, & ab æternis pœnis; & sapientem me fac ad manifestam gloriam tuam, & ostende mihi filium tuum Dominum meum, propter quem hæc patior, vt in illa die securus dicam:* Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Dei Nostri, in monte Sancto eius. *& vt maiora despiciam certamina.* Hæc Thyrso orante cœlum resplenduit inenarrabili luce, & vox increpuit de nube: *Confide Thyrse, ego sum, per quem pateris, nolo deficias: esto fortis athleta. Auxiliatus sum tibi, & auxiliabor.* Tunc immutatus est vultus B. Thyrsi, & credens Combricius Deos illum fuisse allocutum, vt illis sacrificet, pœnásque decretas euadat, rogitat. At in illa hora terræmotus factus est magnus, in loco in quo Iudex sedebat, qui protinus illum derelinquens, iussit, vt donec cœlum à fragore desineret, Martyr rapiatur æneis vinculis in custodia, & sit armata militum manus obsidens fores carceris, vt in proximam sessionem in Nicomediam offeratur. Pro Combricio properante Nicomediam suffectus est Syluanus, qui accepta potestate, vt interimeret Christianos, circuibat rugiens, quasi leo in eremo, aut sicut draco sibilans in occulto, pietatis cupiens perdere sectatores. Sed nec Thyrsum imparem inuenit, qui conculcaret leonem, & draconem. Syluanus interea cateruatim confodiens aggeres Martyrum ingressus est Nicomediam. Ex officio dictum est, esse illic in vinculis religatum à Combricio Thyrsum quendam, qui pro fide Crucifixi, paratus esset occidi. Syluanus, vt moris erat, primum propitios voluit tenere Deos, sicque sacrificauit Syluano, & Apollini. Post ad Thyrsi

causam

causam ventum, sed in alium diem dilatus est audiendus. Media nocte, cùm iam custodes membra quieti dedissent, & diu vigiliis fessos in sopore oculos premeret somnus; dum non dormiret, neque dormitaret, qui custodit Israël, multitudo irruit Angelorum, quæ ostia carceris vt ingressa est, lumen refulsit in tabernaculo ergastuli, & onera cathenarum à Thyrso soluta sunt. Et exiens de carcere doctoribus Angelis, venit in illum locum vbi Episcopus erat inclusus, & pulsans ad ostium, sic ait Episcopo: *Alienus sum ab omni inimici arte, Baptismum Christi cupio consequi, vt conditus trina confessione, martyrium quod cœpi valeam explere.* Turbatus Episcopus, nec de sua cogitans fuga, præcipiti gradu, digitis per tenebras præcedentibus gressu, aperuit ostium. Sed nec Thyrsum beatum lux pedisequa deseruit. Qui ad Antistem ait: *In huius sæculi stadio Beatissime Papa fortiter curro; sed palmam adhuc in manu Agonista reliqui. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, vt iam non metuam vitæ terminum, & ne alius præcedat, & mihi de manu auferat palmam. Hoc autem totum est, vt per te Baptismum consequar, & ad certaminis arenam illico reuertar.* Cui Episcopus dixit: *Sileas. Deus Noster creator, & custos, & auxiliator Omnipotens Christus, qui rationabili virtute omnia constituit, & cum deitate Patris omnia perfecit, ipse illuminet animi tui intellectum, & perficiat certaminis gressum; fias vas vtile sanctificationis, cruore repletus ad omne opus bonum paratus semper, vt suscipiens per has visibiles manus baptismum sanctificationis in hoc visibli corpore operetur in te per inuisibile verbum, quod placet in oculis eius, vt in illa die, in gremio Abrahæ Nostri inter cæteruas Martyrum merar te videre.* Thyrsus ad ista respondit: *Amen.* Et tinctus ab Episcopo, Regi sæculorum gratias egit. His ergo expletis Beatissimus Martyr, exiens à suo Patre Spirituali, comitibus Angelis lætus, carceri redditus est, immolandus Christo, sumpto baptismo. Timor subito irruit in custodes, & quem non viderant exeuntem, sensere regressum. Arma mouent, & micantibus gladiis ergastulum petunt, sed mox, vt integrum reperiunt, quem infixerant sigillum, gladios vaginis condunt, & ad Martyris canoram quam Psalmi reddiderant vocem, sopor qui erat timore fugatus, membrorum continuò possidet artus. Redditur terris continuò dies, & Syluanus Comes, simul cum Combricio ad forum processit. Consederúntque parato sedili. Et alligatum continuò Carnifices Martyrem exhibentes, ait Syluanus: *Quid vocaris, & cuius religionis?* Thyrsus respondit: *Christianus vocor, & sum, sicut & præses, qui tibi astitit non ignorat.* Syluanus dixit: *Desperate, & omnis sanitatis inimice, quare non sacrificas Diis?* Cui Thyrsus: *Quibus Diis charissime.* Et Comes illi: *Syluano, & Apollini.* Ad quem Thyrsus: *Te Syluanum hominem video, non Deum. Apollinem autem, quem dicis, penitus nescio.* Tunc Syluanus officio dixit: *Ceruices frangite illi, vt nos non irrideat.* Illico autem ministri diaboli facta dictis sequuntur. Postea in templum Apollinis, vt sacrificet circumfertur. Ingressus Martyr templum cum Syluano Comite, & omnibus cum eo comitantibus, Thyrsus, sic ait: *Videte nunc adstantes auxilium veritatis Dei, & sacrificium, quod sacrifico ego Regi sæculorum.* Et intuens in cœlum dixit: *Tu Omnipotens refugium meum, tu gloria mea Vnigenite Deus, ne deseras me, quoniam tu illuminasti tenebrosa mea, & per memorabilem viam Salutaris tui Christi reuelasti mihi immaculatum, & viuum Deum, qui est, & permanet in sæcula. Te precor lumen veritatis propter quem patior, vt saner. Veni mihi in adiutorium, vt cognoscant ij, quoniam tu es Deus solus, omnipotens, multæ misericordiæ, & verax, vt tamen, si velint, conuertas eos.* Et his

dictis,

dictis, terra dissiliens, repente aperta est, tristémque locum Sol abscedens reliquit. Ceciditque Apollo de tabernaculo suo, & communitus est sicut arena. Timor tenuit præsentes, & tristem visum in sculptili confracto oculos defigebant, muta denique lingua siccis hæserat faucibus, & membra præ grandi pauore vix sua tenebat compago. Beatus autem Thyrsus lætabundus, & Deo debitas reddens grates, aiebat: *Videte mendacem Idolum, & colligentes ossa testarum eius cognoscite, quam vanæ sunt insaniæ vestræ.* Excanduit Syluanus, & ferreas catenas afferre, non quas impostura præcedens artificium fabrefecit, sed quas in publicis mœnibus, æneis constrictis, trabes seruabat publica concessio; hísque per quatuor neruos membrorum extensis carnes eius per partes minutatim ab inuicem conscindi disposuit. Hilari vultu Beatus Martyr accepit agonem. Nam protinus arctantur manus delicatæ, & molles digiti pedum, morsibus catenarum. Sed Dei non defuit gratia. Quia cum esset quatuor neruis extensus, talem Domino Psalmum dicebat: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Nec dum verba compleuit, & dirutæ sunt ab eo catenæ, tanquam stipula, si odorauerit ignem. Exultat gaudio continuò Martyr, & riuulus faciem rigat lachrymarum, cartam conscriptam Deo pura ingerit conscientia, de gemitu, & lachrymis conficit atramentum, & oculis petentibus cœlum, tales hilares personat laudes: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.* Ad carcerem reducitur in cuius medio fulget Beatissimus, & candida veste laudes cum Thyrso chorus resonat Angelorum: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Thyrsus autem iussus in cloaca constringi, & per duas partes cum serra diuidi, Ditalio, & Sabino sectoribus. Nouem exemptæ sunt horæ, & nec capillum Martyris serra diuisit. Thyrsus verò oculos in cœlum defigens ait: *Video Iesu-Christe esse completum, quia capillus de capite, sine tua voluntate non esset casurus.* Continuò vox de cœlo facta est, dicens: *Veni Thyrse in gaudium Domini tui: Fortem athletam sequatur victoriæ palma de diaboli ministerio. Mecum eris hodie in paradiso.* Illico Martyr terrena exutus corporis veste, illibatum Deo tradidit spiritum XXVIII. Ianuarij Imperante Decio. Mox Sanctum corpus luminaribus præeuntibus, solemnia in deductione Martyris à Cæsario Episcopo, & Laodicio Presbytero facta, feretrum Christianis innumeris comitantibus sepulchrum accepit. Vbi magnæ virtutes fiunt, & omnium curantur ægritudines, cuius cineres apud Græciam latent, & vbique beneficia patent. Illum tantum sanitas non sequitur, cuius fides nulla præcessit. Cuius autem in pleno reperta fuerit humilis conscientia, reportat præmium cum laude, eundem dominum benedicens, qui manet in Trinitate, & viuit in sæcula sæculorum, Amen.

De Origine Toletana S. Thyrsi, prolixiori calamo scripsere P. Biuar. Higuera. D. D. Laurentius Ramirez, D. Thomas Tamayo, D. Prudent. de Sandoual, Carcamo, & Bollandus à Nobis supra citati qui hymnum Zixilani exscribunt, & alia communia, vt epistolam Silonis, & operculi formam, & referunt, & delineant. Ego vt aliquid addam, duo irrefragabilia testimonia referam à nemine adducta. Primum quia vis totius contentionis stat in voce hymny Zixilani, qua Sanctum Thyrsum *Vernulum nostrum*, quasi conciuem, & indigenam Nostrum vocitat comprobabimus. Non enim vox *vernulus*, sed *vernula* asseritur à Criticis inueniri ex quo de veritate diffidunt, sed licet aliqua in

Zixilani defenſionem afferantur, amplius lapidem mouere deſidero. Sit primus locus Martialis apud Raderum lib. 5. epigram. 18. in quo dicitur: *Præter libellos* vernulos *nihil miſi.* En vox *vernulus*, & non *vernula* critice in claſſico epigrammatario Hiſpano, apud quos commune, immo prouinciale adiectiuum. Secundum locum ſuppetat Concilium Toletanum, ſiue Synodus ſub Gundemaro, apud Loayſ. fol. 260. vbi inter alias ſuggeſtiones, vna inuenitur Sunilani, hoc titulo: *Alia proprij* vernuli *veſtri Sunilani ſuggeſtio.* Ex quibus deprehendes verbum *Vernulus* apud Hiſpanos promiſcuè, ac *Vernula* vſurpari. Sed efficacior probatio deducitur ex ſequenti hymno peruetuſto in Manuſcripto meo, in quo acroſthice in primis verſibus *Thyrſus Toletanus* legitur, ſic:

AD S. THYRSVM. TOLETANVM
Apolloniæ Martyrem hymnus, acroſticus.

Thyrſus qui in Apollonia
Hiſpanus illatus fuit
In ianuam lucis ſacram
Rebus de Chriſti credulus;
Suſcepit autem regulam
Vt Chriſtianus candidus
Seruans Dei legem benè
Totis ſuis roboribus.

O tu Beatus Martyr, &
Ligni pius pediſequa,
Expertus es qui peſſima
Tormenta tot, conſtantia:
Accende flammas cordium:
Noſtras fac en preces pias
Vt (Chriſto noſtro capite)
Suſcipiat per te Deus.

Demum etiamſi in Orbe *Sancto Thyrſo* innumera ſint extructa templa, vt Conſtantinopoli apud Sozomen. lib. 9. cap. 2. de Cæſario Præfecto. Procop. lib. 1. de Ædif. Iuſtiniani fol. 13. in paruis. Apud Hiſpanos indubie à multis ſæculis crebrior cultus adeſt, & propter Originis euidentiam, & propter pignorum ſacrorum exiſtentiam. De nonnullis principalioribus meminere D. Prudent. de Sandoual, vt de Braccarenſi à Rege Alphonſo cognomento Caſto anno DCCC. XXX. in eius vita fol. 171. de Ouetenſi fol. 112. De Sahaguntinenſi ab Alphonſo VI. vt in eius vita. Oratoria in Salmanticenſi de quo Magiſter Ægidius Gonzalez in eius hiſtoria, Aſturicenſi, Tudenſi, & in aliis innumeris. Toletanum à *Cixilano* conſtructum de quo eſt memoria apud Iulian. Petr. & Luitprand. & ibidem Scholiatores; in cuius veritatis comprobationem ſubiicere libuit epigraphe, quæ adhuc inuiſitur in eremitorio huic noſtro Sancto Martyri dicata quod in oppido *Arnedillo* Calaguritanæ diœceſis in viſceribus altæ rupis prolixus extruit labor, in cuius ſaxi corpore elaboratum ambitum eremitorij conſpicitur, & affabrefacta *Sancti Thyrſi* tabella, in cuius venerationem vicinorum populorum frequens quotannis turba proſilit, & pro muneribus acceptis libentiſſimè grata, & pro tanti Martyris memoria affectuosè deuota, illud placidiſſimæ ſpeluncæ emporium anniuerſaria religione concelebrat, & conluſtrat. Illinc ergo lapis antiquus, ex quo venerabilis, oculis exhibetur, manibúſque attrectatur, & in eius planitie longa ſyllabicantur ſerie huiuſmodi, & forma, & notulis literæ, vt (meo hortatu) eas tranſcripſit D. Licent. Hyaccinthus Loppez de Briñas ipſius oppidi Vicarius, & ſunt eiuſmodi.

IN

✠ IN NE PATRIS ET FILI ET SPS SCI EDIFI
CATŪ EST TEMŪ HOC SUB ERA DCCCC VII•
ET•S RELQUIES S•IOANIS APL ET S•IACOBI
FAI DNI ET SCI PETRI• ET SI QUIS IN OC LO
CO UENISAS RELQUIAS S DNM UOLVERIT
ROGARE PRO ANIMA DE DCO BELAZANI•
UT DEIENITORES SVOS• OFERI STA• ET DI
XILANI• U T EIS UENIAM COCEDATUR DS
AMEN:

Era huius inſcriptionis correſpondet ad annum Chriſti D C C C. L X I X. fere centum anni poſt extructuram templi Toletani à *Cixilano* factam. Et non in breuem ſuſpicionem deuenio, quod hoc eremitorium fuiſſet inſtructum ad exemplar illius Toletani, tanquam gratum Regi, & Epiſcopo, & per commemorationem S. Martyris Hiſpani, cuius memoriam ſuſcitauit *Cixila*. Ideò ergo extructor iſtius eremitorij, etiam pro *Cixilano*, tanquam authore deprecari ab ingredientibus poſcit. Nec obſtat, quod ibidem ſcriptum ſit D I X I L A N I, nam facilè temporum corroſione, litera C. potuit ſciſſura lapidis in D. commutari. Hæc coniector, Docti videant.

A P O L L O N I A. Huius nominis X X V. enumerat vrbes Stephanus Bizantinus, quorum ſitus inſerere longum erit. De illa quò Noſter Athleta agonem impleuit, agendum erit. Ego omiſſis variis lectionibus pro Cæſarienſi inſiſto de qua Plin. lib. 5. cap. 13. Ad Macedonicam Prouinciam ſubiacuiſſe ſcribit Philipp. Ferrar. in Topograph. SS. verb. *Apollonia*, fol. 10. Quam vrbem Epiſcopalem, quondam claram fuiſſe ſcribit, in ora Maris Ionij. Hodie *Apoline* nuncupatam contendit, licet adhuc vix forma inueniatur vrbis, apud *Loum* flumen, ab Aulone recedens parum.

B T R A N S L A T I O S. V A L E R I I. In S. Eccleſia Toletana, antiquitus anniuerſario colebatur Officio S. Valerij Epiſcopi Cæſarauguſtani tranſlatio, vt ex Breuiario Muzarabi comperio. Cuius feſtiuitas ſic in eius Kalendario appungitur V. *Kalend. Februarij. Tranſlatio S. Valerij Epiſcopi.* Quod & agnoſcit, & fatetur P. Biuar. ad Chron. Dextr. ann. 300. Com. 2. num. 2. fol. 317. Sic licet in aliquibus Hiſpaniæ Breuiariis ad hunc diem referatur officium, credendum eſt de antiqua agi tranſlatione. De qua nihil aliud quod ſubiiciam, comperio.

C S. I V L I A N V S, Epiſcopus I I. Conchenſis. Celebris eſt memoria tanti Præſulis, apud omnes Hiſpaniæ Scriptores, quin etiam & exteros, apud quos virtutum ſpecimen ſuauitate odoris diffuſum, terminos vniuerſæ terræ, ſubtiliter occupauit. Eius ſanctitatis nomen aperuere duo MSS. Martyrologia eius Eccleſiæ, quæ refert D. D. Ioann. Baptiſt. Valenzuela Epiſcop. Salmant. in Vit. Sancti Iuliani cap. 5. fol. 117. vnum concinnatum anno M. C C C. L. & aliud circiter, ſic: *Eodem die* D. Iulianus I I. Conchenſis Epiſcopus *migrauit ad Chriſtum.* E R A M. CC. X L V. In Secundo æqualis antiquitatis ſic: *Eodem die* Sancti Iuliani I I. *Conchenſis, Confeſſoris V I. Capparum.* In Breuiario antiquo per Anton. Nebriſſenſem correctum, & excuſſum anno 1515. in Rubrica huius diei, ſic: *In feſto* Sancti Iuliani I I. *Epiſcopi Conchenſis, quod celebrat iſta Eccleſia, ob celebrem illius opinionem, & illud facit V I. Capparum. Omnia ſunt vnius Confeſſ. Pontif.* In Breuiario, anno M. D. L X. excuſſo, adeſt hæc, hoc die: *Iulianus Confeſſor I I. Epiſcopus Conchenſis, cuius Sanctum Corpus in hac alma Eccleſia veneratur, & habetur.* Martyrolog. Roman. ſic: *Conchæ in Hiſpania* Sancti Iuliani *Epiſcopi, & Confeſſoris, qui erogans in pauperes bona Eccleſiæ, opere manuum more Apoſtolico, ſibi victum quærens, clarus miraculis, quieuit in pace.* Philipp. Ferrar.

in Catal. Gener. SS. ad Non. Septembr. quo, vt infra dicemus, die olim memoria eius recolebatur, sic: *Conchæ in Hispania* Sancti Iuliani *Episcopi, & Confessoris.* Ad literam Martyrologij Romani verba suis inuertunt idiomatibus Martyrolog. Lusitan. Castellan. Petrus Vasquez & Hispan. MS. P. Higuera. De eo Petrus Truxillo in Thesaur. Concionat. 2. part. fol........ Petrus Mariana lib. 11. cap. 15. Marieta ex cap. 69. vsque ad 74. Garibay lib. 12. cap. 21. & 31. Iulianus del Castill. Histor. Gothor. lib. 4. discurs. 6. Alphons. Vener. in Enchir. Tempor. fol. 60. Libellus de Miracul. Sancti Crucifixi Burgens. cap. 3. Pisa Histor. Toletan. in vltim. Addit inter Sanctos Toletanos. Alphonsus Fernandus Archidiacon. Alcorens. in Histor. Palentin. Manuscripto in Vita D. Telli I. Episcop. Palentin. D. Laurent. de Padill. Archidiacon. Rondens. in Histor. SS. Hispan. fol. 42. P. F. Fernand. del Castillo. in Histor. Prædicat. 1. part. lib. 1. cap. 1. Petr. de Medin. de Magnitud. Hispan. lib. 2. cap. 108. Didac. de Yepes Variar. Histor. discurs. 18. Paul. Martyr. Riccius Histor. Conchens. 2. part. cap. 6. M. Ægid. Gonzalez Dauila in Theatr. Eccles. tom. 1. fol. 454. Integros tractatus scripsere Doct. Muñoz. P. Ioannes Escudero è Societate Iesu D. D. Ioann. Baptista Valuenzuela Episcopus Salmantinus. In Breuiario Placentino adest officium, in Toletano ann. 1505. Ada ex antiqua MS. relatione, anno quo Sacrum corpus S. Præsulis de humili, in quo iacuerat sepulchro, ad honorificentius translatum sarchophagum sunt conscripta, ne tantæ venerabilis antiquitatis scriptura depereat (etsi basso exarata stylo) transcribere paraui, quæ beneficio RR. P. F. Thomæ de Herrera Augustiniani adeptus sum. En illa.

ACTA S. IVLIANI, II. EPISCOPI Conchens. ex vetusta relatione scripta Anno M. D. XVII.

S. IVLIANVS Episcopus Conchensis, parentibus honestis natus est, Anno M. C. XXVIII. apud Burgos. At cùm Mater eum in ventre baiularet, videbatur sibi catellum album flammiferum portare. Enixa verò eum, templo præsentauit, vt baptismum reciperet; apparuitque super eum puer baculum, & mitram Episcoporum more, tenens, imponénsque ei nomen *Iulianum.* Pergentes etiam ad baptismum Beati Pueri audierunt in aëre dulcia cantica. Prouectus iam ætate, humanas, diuinasque literas didicit, ordinémque Sacerdotalem recepit. Rex interim Alphonsus IX. vrbem Concham expugnauit, à Sarracenis occupatam, cui præfecit Ioannem Episcopum, gloriosum Virum, post cuius mortem *Iulianum* inquiri fecit; inuentúmque eamdem electionem acceptare præcepit, propter suam, & vitæ integritatem, & morum doctrinæque eruditionem. Quam sedem demum inuitus accepit. Ciuitatem itaque ingressus, non equester more aliorum, qui maximam pompam præseferunt in huiusmodi ingressibus mirabilia fecit in seruandis ouibus. Totam rem, totámque substantiam prouentuum Episcopatus, eleemosynis, aliisque piis operibus expendebat, ipséque sibi cibum parabat, ex canistrorum opificio, atque ex eorum pretio suis necessitatibus succurrebat. Contigit eo tempore (si qua vero incidere solebat) pestem, quæ tactus canistrorum huiusmodi sedabatur. Fuit adeò iugis, adeò crebra huius Episcopi oratio, & abstinentia, vt pestis cessaret, vt omnibus ferè reuelatum fuerit suis precibus cessare. Ad mensam semper pauperes admittebat, inter quos semel Christus pransus est, tanquam mendicus. Spoliatis granariis frumento in eleemosynarum donatione, cùm quidam

pauper

pauper eleemosynam ab Episcopo petiisset, iussúsque ab eo certum pondus frumenti recipere, ille qui granarius dicebatur *Elesmus* nomine *Sanctissimus*, granaria confidenter adiit, plenáque frumenti miraculosè inuenit, licet is vacua, iam suis oculis vidisset, sed impulsus Episcopi mandato, vt pauperi subueniret, frumentum cœlitus, in granaria, missum reperiit. Alio item tempore precibus *Beati Iuliani* misertus est Deus populi illius vrbis Conchæ, totiúsque diœcesis fame ingente laborantis, multáque mittens tritici onerata iumenta, absque ducibus, miraculoséque ad Episcopi granaria exoneranda accesserunt. Quare viso miraculo *Elesmus* granarius charitate feruenti triticum, cum pauperibus distribuit, atque adeò huiusmodi labore tàm pio laborauit, vt lumbos frangeret, atque inde sibi mortem concitaret. His atque aliis operibus charitatis tempus contriuit *Beatus Iulianus*, quo Dominus IESVS sibi diœcesim commendauit. Cuius assidua prædicatione, eam patriam Christus in summa bonitate conseruauit. In fine denique vitæ suæ, febribus laborans, in cinere, & cilicio mortem suam præueniens à Virgine Dei Genitrice visitatus, mundum, peccatísque carentem, spiritum Domino commendauit XXVIII. die Ianuarij Anno Domini M. CC. VIII. postquam in hac lachrymarum valle vixit LXXX. annos. In cuius Sanctitatis testimonio suæ morti præsentes, qui aderant, viderunt, palmæ ramum, ex ore suo egredi, nec non ad cælum volare.

Nec in obitu suo miracula defuerunt, atque in sepulchro. Nam Imperatrix Germaniæ Henrrici Imperatoris VI. vxor, in Hispania agens, precibus *Beati Iuliani* sanitatem est consecuta, cui S. Antistes apparuit. Post multa verò tempora regnante in Hispania Carolo I. tempore Leonis PP. X. hoc anno M. D. XVII. ex decreto Capituli Cathedralis Ecclesiæ Conchæ, translatus est ad honorificum, mirificúmque sepulchrum, ex alio adeò infimo, in quo se iusserat gloriosus Præsul sepeliri. Quod quidem magna cum reuerentia, præsentibúsque testibus, & Notariis ad id vocatis, apertum est, post CCC. XI. annos, & IV. dies sui obitus; in quo apparuit Deus mirabilis in sancto suo; Nam aperto sepulturæ illius lapide, tanta est Ecclesia diffusa odoris fragantia, vt omnis populus, qui aderat, manifeste cognosceret Dei virtute factum esse. Etiam post tam longum tempus habitus Pontificalis, vestes, & baculus reperti sunt integri, ac si eo die vestiti essent. Repertus est etiam circa corpus sanctissimum ramus palmæ tam viridis, támque recens, vt etiam eo die cæsus arbore videretur. Positum ergo in quadam arca corpus venerabile, per Ciuitatem fertur, ab incolis ciuitatis, cæterisque, ex confinibus, hominibus, cum cereis ardentibus. Dilata verò Corporis gloriosi depositio est ad Dominicam, vsque diem in Albis. Qua in mirifico sepulchro collocatum est, vbi modo honorifice iacet. Quo tempore sanitatem multi infirmorum, Sancti huius inuocatione, receperunt. Nempe quidam membrorum impos. Quidam mutus, & surdus. Item alter membrorum impos. Mulier morbum in mamma passa, alias cancrum, siue *Zaratan* vulgo hispane dictum. Item alter mutus: Et puella habens coxam fractam: Altera fluxum sanguinis patiens: Alia brachium fractum habens: Item altera generosa mulier, nomine Domina Agnes de Barnientos, quæ à Medicis deserta mortem, in horam, sperabat; & alij complures, qui propter prolixitatem, tacentur. Quapropter Deus, qui est mirabilis in sanctis suis sit nobis Pius, piis precibus sui sancti Confessoris Iuliani, Amen.

Hucuſque ecphraſis, aliqua, quæ poſt huiuſmodi euenerunt tranſlationem addemus, officia, hymnos, & alia peruetuſta monimenta compaginabimus, vt nihil intactum relinquamus. Ergo de primo ſepulturæ loco non obliti Canonicorum Conchenſium cœtus, hanc ibidem inſcriptionem adſcribi curarunt, vt memoria tanti loci, temporum ne edacitate laberetur.

DEO. OPT. MAX.
DIVI IVLIANI PRÆSVL. CONCHENS. II.
PRIMVM. SARCOPHAG.
ODORIS FRAGRANTIA DIFFVNDITVR.
INNVMER. RESPLENDVIT MIRACVL.
ANNIS XI. SVPRA. CCC.
TANDEM. QVO LOCO IN CHRISTO. NVNC
CORPVS QVIESCIT. COLLOCATVR.
ANNO. M. D. XVII.

Poſt tempore D. Ioannis Badillo ipſius vrbis Conchenſis Epiſcopi, Sacellum illud, ex quo extracta fuere pignora S. Iuliani, inſtauratum, ornatum, & expurgatum cùm fuiſſet, illic alia inſcriptio grauata dignoſcitur, hiſce literulis latinis.

VIATOR SISTE GRADVM. ET SCITO.
HOC QVOD CERNIS SACELLVM.
TENVISSE. CCC. ET XI. ANN.
D. IVLIANI.
HVIVSCE ECCLESIÆ. II. PAST. SANCT.
RELIQVIAS.
QVAS. VBI EXPLENDERE MIRAC. MIRIS
IN HORAS VIDERVNT. IN AVGVSTIOREM.
LOCVM. VBI NVNC IACENT. TRANSF. CVR.

In Breuiario, vt diximus, excuſo anno 1515. adſunt, haud contemnendi, aliquot hymni, quibus Officium S. Præſulis exornabatur, quorum copiam tranſcribere ſum agreſſus, imo deuotione compulſus, ne tot antiqua depereant monimenta. En illorum ad horas copiam.

IN FESTO SANCTI IVLIANI II. Epiſcopi Conchenſ. Hymnus,

AD VESPERAS.

Vocibus claris piè iubilemus
Præſulis Magni memoranda dona,
Semper, & Conchæ referat fideles
Cantica dragmæ.

Iſte Confeſſor Domini pudicus
Altior cœlo cubuitque ſolo,
Corpus adſtringens, laceránſque flagris
Se tibi iungens.

Fortis, & conſtans fuit iſte ſydus
Dextera tectus ſcelus expiandi
Imbuit gentes, veniam precari
Ezechiele.

Vltor, vt nunquam rueret per altum,
Induit nudos, inopéſque nutrit,
Atque pupillos, viduas tuetur
Cuncta gubernans.

Vltra præceptum tulit iſte thura,
Nam ſuam iunco tenuitque vitam,
Texuit corbes: alimenta templi
Triſtibus addens.

Cuius, ô Numen, meritis precamur,
Terge peccatum, diluáſque labes,
Nóſque concedas deitate Patris
Scandere cœlum.

AD

AD MATVTINVM

HYMNVS.

Ecce quem cœlis eo per colendum
Languor astabat, resonante fine,
Spiritus curans miseratus auctor
Missit ab alto.
Grex erat Conchæ fatis, & relictus
Tabe serpentum, virulentus actus,
Nec minus cæcum fuit omne genus
Nubibus atris.
Ille sed cuius fuit alma virtus
Iulianum misit ad expiandum,
Aëris mundet, procul vt repellat
Nubila Mundi.
Deditum nobis aluere patres,
Cultui templi puerum tulere,
Cœtui Christi maculæ dehiscant
Sydere claro.
Artibus fultus fuit iste Rector,
Plenus virtute, micante fama,
Sedis ac Conchæ tenuit libenter
Culminis arcem.
O Poli rector piè deprecamur,
Terge peccatum, veniámque nobis
Mitte de cœlis, pietate serui
Mitis, ad omnes.

AD LAVDES

HYMNVS.

Mitis in clero fuit iste Præsul
Malleo pollens, ferit actu mentes,
Terminos visens erigítque templa
Cuncta dotando.
Iustus hic Præsul erat in eundo,
Clarus, & Castus fuit, ac malorum
Nuntians prœcoluit & remissa
Cuncta regendo.
Pauperum sed vt viduarum remus,
Messis aceruum teris erogando
Tendis, & cultus in eo redactus
Æthere dignus.
Tunc erat fruges miseris negata
Excuba, sed tu vigil à precatu
Copia grani veniunt onusta
Multa iumenta.
Quibus, ô Numen meritis precamur
Terge peccatum, diluásque labes,
Nosque concedas deitate Patris
Scandere cœlum.

Inter aliquot fine lege papyros MS. ex manu P. Hieronymi Roman de la Higuera è S. I. exaratas, quarum apud me nonnulla adsunt transumpta, adsunt etiam hymni de S. Iuliano ad omnes Officij horas. Quorum (nullum propriorem locum, vt lucis sæculi adspectum inuisant, comperio) copiam lubenter accipe.

AD MATVTINVM.

Iam medium nox attigit
Poli micantis facibus:
Nox eadem nubiuagas
Plaustróque voluit tenebras.
Quod silescunt omnia,
Nullumque murmur resonat,
Nec sæuus allatrat canis,
Nec toruus anguis sibilat.
Tunc sopor almus irrigat
Fessis quietem placidam,
Grata quies pastoribus,
Curas prementes dimouet.

Tunc tamen ô dulcissime
IESV leuamen vnicum,
Ad personandum carmina
Amor tuus nos excitet.

Hic Iulianum compulit
Æquare luces noctibus;
Dum meditatur sedulè
Legem tuam sanctissimam.

O quotiens Sol Occidens
Castas preces dum repetit,
O quotiens Sol Oriens
Vidit refusum lachrymis.

Per solitas vigilias
Huius, precamur, Præsulis,
Sic vigilemus sobrij
Contra scelestos dæmonas.

AD PRIMAM.

Aurora vultus exerat
Oceano purpureos
Currúsque solis igneus
Iam subituros indicat.

Tu Iuliane Pontifex
Conchensis alter Optime,
Qui mane sine termino
Laudi Beate traderis.

Fac nos, vt à principio
Huius diei singuli
Acta, & agenda Maximo
Fidi sacremus Principi.

AD TERTIAM.

Iam Sol habenas aureas
Soluit equis ignivomis;
Anhelat, & ad medium
Axem citato sydere:

Tu Christe Sol spiritifer
Da, Iuliani Præsulis
Tum prece, tum subsidio,
Dona sacrati spiritus.

Exure nostra pectora,
Irradia ipse lumina,
Vt nihil hac adspiciant,
Nisi tibi, quod placeat.

AD SEXTAM.

O Deus orbis arbiter,
O lampas optatissima,
Portúsque, & Aura mentium,
Lux tenebrarum nescia.

Iam sator ille luminis
Contendit ad fastigium,
Et axe sistit medio
Cunctis negans vmbraculum.

Te, Iulianus splendicans
Tuæ Senator Curiæ
Cinctus corona duplici,
Cernit, amat, te fruitur.

Illius ergo meritis
Te deprecamur supplices,
Lumen ad illud aureum
Da peruenire seruulos.

AD

AD NONAM.

Christe Sol ardentissime
Splendor paterni luminis,
Lux, & Beatis aurea,
Lux eadem mortalibus.
Sol ecce fulgens labitur
Accliuis, vt flammiferas
Ducit rotas ad solitum
Cursus diurni terminum.
Nos ecce Dux certissime,
Nascendo cuncti morimur,
Magis, magis, sed in dies
Ad terminum dilabimur.
Sic nostra vita fulgeat
Legis tuæ custodia,
Vt, Iuliano Præside.
Obtineamus lauream.

AD I. VESPERAS.

Excellens meritis, inclyte laudibus,
Præsul sydereis addite cœtibus,
Ceu frontem decorant serta micantia
Binis florida laureis.
Hanc dit virginitas, texit, & alteram
Formandi populos cura sacratior,
Doctrina, fide, & moribus aureis
Vrbes Hesperiæ imbuis.
Qui ceu Sol Oriens fluctibus inciti
Ponti, fuluicomum, cum caput exerit
Huc, illuc peragras, lampade fulgida
Errorum tenebras fugans.
Hæc lux fulgidior promicat omnibus
Plenè syderibus, sed tibi maxime
Vrbs Alphonsipolis, Concha minacior
Se se præstat amabilem.
Qua Sancti reuocans Præsulis annuam
Gaudendi segetem, qui tibi contulit
Vnus, tot titulos, tantáque munera
Quot vix indiget vspiam.
Gaude Pontificum gloria fulgurans,
Antistes pauperum, & dextra cadentiū,
Dux, & præsidium tristis, & anchora
Pro sæuis pelagi minis.
Sit carmen Genitor, sit tibi gloria
Sit sacræ soboli, sit quoque flamini,
Laus, virtus, numeri sit benedictio
Per sæcla Tribus omnia. Amen.

AD II. VESPERAS.

Diue cœlesti memorande cantu
Concha cui pendens scopulo minanti,
Bis diem sacrat, simulátque veris
Vela quotannis.
Integros artus venerata gestat,
Quos sub aurato tumulo coërcet,
Nec facit tanti rutilas arenas
India Gangis.
Sic tibi credit numerosa turba
Pontifex, cuius precibus beatis
Impetrat quidquid petit à Tonante
Pectore casto.
Scilicet pacem, veniam, salutem,
Vberes fructus, vberésque soles
Vix quod auderent superos precari
Improba vota.
Dum quod exposcit sceleris sit expers,
Et voluntati patris obsecundet
Qui potens vastum tremefactat orbem
Fulmine torto.
Ergo si præsens medicamen ægris
Portat attactus sacer, integrorum
Artuum, morbis animi salutem
Adferat idem.
Corporis diras, animíque pestes
Diceris viuens reuocasse verbo:
Quin & attactu calathi, parauit
Quem tua dextra.

AD COMPLETORIVM.

Nondum refulgens condidit
Vesper diem caligine;
Opaca nondum peruolat
Pallente Nox remigio.

Nos te precamur supplices
Sancti, parentem, luminis,
Ne patiaris tenebras
Nostris infundi mentibus

Seu membra dulci reparet
Sopor quiete languida,
Seu nostra rursus vigilent
Pulso sopore, lumina.

Fac Iulianus peruigil,
Custos tenelli pecoris,
Nos vigilantes adiuuet,
Et dormientes excitet.

Ille fauore cœlico
Hostem furentem reprimat,
Membris soporem conferens
Mentes Deo custodiat.

Varia in laudem istius Sanctissimi Præsulis possem compaginare carmina, sed prolixior ne videar, illorum omitto ecphrasim, contentus relatione cuiusdam Epigrammatis quod sub silentio contegere iniuria erit; en recipito, & parcito.

Quam bene pascis oues, quam dulcia pabula misces
Alme Pater, Christo, quam bene pascis oues.
Quam bene pascis oues, tutúmque ad ouile reducis
Ereptas Satana, quam bene pascis oues.
Quam bene pascis oues humeris portando tenellas
Rupibus errantes, quam bene pascis oues.
Quam bene pascis oues remouens contagia culpæ,
Germana doctrina, quam bene pascis oues.
Quam bene pascis oues dum Christum in limine pascis,
Dum tua dispergis, quam bene pascis oues.
Quam bene pascis oues tua cum data sibila noscunt,
Cum bene noscis oues, tunc bene pascis oues.
Quam bene pascis oues blandæ dulcedine Musæ
Ad superúmque gregem, quam bene pascis oues.

At quia in actis supra à nobis excriptis, punctuatim totum vitæ S. Iuliani excursum, cum aliquibus mirabilibus circunstantiis (quas apud Villegas, & Ribadeneyra comperies) non compulsatur. En alia acta ad vnguem conscripta, in prosæ formulam, in quibus nihil, quod desideres, amplius requiras.

ACTA SANCTI IVLIANI, ex antiqua Prosa.

Pange lingua Præceptorem
Concha ducem, & Pastorem,
Viduarum protectorem,
Atque Patrem populi.

Deum lauda, Deum canta,
Qui concessit dona tanta,
Dici vix hic possunt quanta
Iuliano Præsuli.

Ex

Ex consilio superno,
Atque amore sempiterno,
Hunc decreuit ab æterno
Decorare Dominus.
Quem volebat sic ditare,
Fecit Patres exoptare,
Atque ab ipso postulare,
Et concessit protinus.
Ductus spiritu ab æterno,
Actu fungens iam superno,
Recens natus ex materno
Iulianus vtero.
Benedixit, admiranti,
Atque paruum contemplanti
Populo, tunc circunstanti,
Et quo pacto; refero.
More Præsulis extendit
Paruum brachium, & impendit
(Plebis corda quo suspendit)
Signum crucis paruulus.
Quem cùm lauat vnda sancta,
Sunt portenta visa tanta,
Meritorum poscit quanta
Parui nati cumulus.
Ingens chorus Angelorum
Canit cantum hunc sonorum,
Tangit nubes qui cælorum,
Fitque resonabilis.
In hoc die est puer natus,
Dei gratia decoratus,
Et virtutibus ornatus,
Non est ei similis.
Super fontem, & lauacrum
Datur cum baptisma sacrum,
En Infantis simulachrum
In mitra, atque baculo.
Quem habetis inter manus,
Et sit modo Christianus
Appelletur IVLIANVS.
Dixit ille Populo.
Ad iuuentam cùm perrexit
Castitatem mox dilexit,
Et cruentum sic inuexit
Bellum carni fœtidæ.
Damna mundi cum notauit,
A tumultu segregauit,
Suam vitam, & vacauit
Totus Deo feruide,
Doctus, docens vitam duxit,
Infidelésque reduxit,
Sanctis monitis instruxit,
Omnes in hoc superans.
Cùm his rebus esset notus,
Quamuis degeret semotus,
Eius fama Rex commotus
Ad se vocat, imperans.
Iulianum renitentem
Concham, Præsule carentem
Tanto viróque indigentem
Rex coëgit sumere.
His quæ Christi sunt inuentus
Omnes fructus, & prouentus
(Cum sit pauperum conuentus)
Donat largo munere.
Vimen texens, parat victum;
Moderatum fert amictum;
Contristatum, & afflictum
Consolatur leniter.
Dulcem boni; mali durum
Sentiebant: Nam periurum
Puniebat: Tamen purum
Diligebat dulciter.
Rursus vitæ sunt portenta.
Defuerunt nam frumenta,
Sed portarunt hæc iumenta
Sancto missa cælitus.
Iam cùm cælis esset dignus,
Rete expandit ei malignus:
Sed defendit huic benignus
In conflictu Spiritus.
Cúmque mira peregisset,
Atque Deo placuisset,
Sancte cursum perfecisset
Febri graui rapitur.
Super solum requieuit
Sparsum cinere, atque fleuit
Paruas culpas, quo deleuit;
Et cilicio induitur.
Sacramentis confortatus;
In hoc lecto est visitatus,
Atque munere donatus
A Beata Virgine.

Quæ

Quæ Virginibus stipata,
Angelorum cœtu ornata,
Sertis rosæ coronata
Hoc affatur carmine:
In pudoris tui præmium
Quem seruasti vsq; in sennium
(Sit insignéque perennium)
Palma tibi traditur.
Quam cum vidit Pastor gratus,
Flexis genibus prostratus,
Grates agens, non ingratus
Lachrymis perfunditur.
Moribus hic Deo plenus,
Et ad cœlum it serenus,
Angelorum fit amœnus
Cantus: gaudet præmio.
Qui securus Deum cernis
Mixtus ciuibus supernis,
In splendoribus æternis
Fruens Christi gremio:
Miserere miserandis,
Deprecare pro damnandis,
Qui in peccatis iterandis
Omnem vitam duximus.
Aufer tenebras, da lucem,
Et sequentes post te, ducem
Duc ad sedes, quæ perlucent
Ad quas omnes tendimus.
Per te vitam sic ducamus,
Sanctis rebus insistamus,
Pie, iustéque viuamus
In mundo fœliciter.
Vt post, Christum imitantes,
Eius crucem comportantes,
Omnes ipso conlætantes
Fruamur perenniter. Amen.

De Anno transitus S. Iuliani: In varias itum est sententias, de quo disputat Bollandus, qui errorem in computo patitur. Nam S. Iulianus in viuis erat VII. die Martij Era M.CCXLV. quæ incidit in annum Domini M.CCVII. vt constat ex concordia facta inter ipsum Episcopum, eiúsque capitulum, cum Concilio Conchensi, quam refert P. Escudero fol.... Era vero M.CCXLVI. die XIV. Decembris in priuilegio Regis Alphonsi adest memoria Garsiæ electi Conchensis, ergo transitus S. Iuliani fuit XXVIII. Ianuarij Era M.CCXLVI. quæ consonat cùm anno M.CC.VIII. Nam mense Ianuario M.CCVII. ad vitæ spiritum depascebat, ex eo quod VII. die Martij istius anni indicta adfuit, & subscripsit concordia. Quo veniunt corrigendi qui contrarium senserunt. *Quod fuerit Archidiaconus Toletanus:* communis omnium sententia est, haud immoror. *Quod Pontifices Summi eius sanctitatem diplomatibus, & Bullis approbassent:* haud dubitat vllus. Et si aliquis videat P. Escuderum, Valenzuelam, & Riccium, & Nos die V. Septembris, vbi omnia diplomata colligemus. *Quod sit Patronus S. Ecclesiæ Conchensis, & Vrbis:* illius venerabilis Capituli stemma, & sigillum silentioso murmure manifestat, in cuius delineato obalo Virgo conspicitur Beatissima MARIA, palmam tradens Sanctissimam Præsuli Iuliano, ob virginitatem seruatam. En archetypus.



CONCHA, Ciuitas Episcopalis Hispaniæ Tarraconensis, in regno Castellæ contenta, apud Sucronem fluuium circumfluentem, ex vicinis montibus exorientem, ad

Vcarum

Vcarum fluuium intermeantem, vrbémque in montis descensu à suburbio in plano diuidentem. Eam fuisse antiquam Numantiam, aliquot contendit coniectationibus persuadere Martyr Riccius 1.p.c.4. Hist. Conchens. Alij *Anatorgim* vocitant. Si verum amamus, *Valeria* peruetustæ vrbi successit. P. Marian. lib. 11. c. 14. debitum soluat: *Concha* (inquit) *vrbs præualida proponebatur in Celtiberiæ finibus* Maurorum opera ædificata *(nam in Imperio Romano, Gothicaque historia, nulla de ea vrbe mentio extat) in arduo, & prærupto colle, quem dextra, læuáque Sucro, Vcróque amnes stringunt altißimis rupibus.* Et paulo inferius, sic: *Capta vrbe, quo maior esset auctoritas Ioannes Episcopus creatur,* Valeriæ *iuribus (vbi Episcopatus Gothorum tempore fuerat) in eam vrbem, concessu Romani Pontificis, translatis.* Quod etiam primo scripserat Roderic. Archiep. Tolet. lib.7. c.26. M. Ægid. Gonçal. in Theatr. tom. 1. fol. 452. vbi refert Bullam Lucij III. Pont. Max. in qua Episcopalis Sedes erigitur in locum antiquæ Valeriensis, & Arcobricensis. De aliis à Riccio applicatione ingeniosa huic vrbi inflexis suo loco dicemus.

QVARTO KAL. FEBRVARII, DIES XXIX.

A. *Apud Treuiros in Gallia Belgica natalis* S. Valerij *ipsius vrbis Episcopi, & B. Petri Apostolorum Principis discipuli. Cuius sacra pignora Regale cænobium Monialium excalciatarum S. Claræ Matritense honorifice colit, & seruat.*

B. *Cæsaraugustæ in Celtiberia memoria* B. Taionis *ipsius vrbis Episcopi, qui à Patribus Concilij VII. Toletani Romam missus, pro comparandis libris moralium S. Gregorij PP. eorum volumina miraculosè inuenit, in Hispaniam adsportauit, & post multa sanctitatis, & pietatis, propria vitæ volumina coaceruata, in cælum migrat illustris Confessor.*

C. *In cænobio S. Michaëlis de Treuiño, non procul à Villa-Maiore, Diœcesis Burgensis memoria* B. Redigundis *Sanctimonialis Ordinis Præmonstratensium, quæ per austeritatis rigores, diuini cultus studium, & candidissima regulæ implementum, ad animæ puritatem in sæculo, & gloriæ indeficientis beatitudinem in cælo peruenit insignis.*

D. *Barcinone in Hispania depositio* S. Petri Nolasco *Ordinis B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum I. Magistri, Rectoris, & Gubernatoris, qui superna ad tabernacula translatus, misericordiæ, & copiosæ apud Deum redemptionis promerita munera sine cessatione recepit.*

NOTÆ.

A SANCTVS VALERIVS, *Episcopus Treuirensis.*] Istius Sanctissimi Præsulis memoria repetitur in Martyrologiis perantiquis, mediæ ætatis, & modernioribus; nam apud omnes eius sanctimoniæ specimen circumspicitur. M. Rom. sic: *Eodem die Treueris depositio* B. Valerij *Episcopi, discipuli S. Petri Apostoli.* Concordant Vsuard. Bedæ, Adon. Notkerij, Felicis, Maurolyci, Peregrinis, & Galesini, qui vnum ex LXX. discipulis, illum facit, sic: *Treuiris* S. Valerij *Episcopi. Hic vnus è LXXII. discipulis, B. Petri Apostolorum Principis auditor.* Petr. de Natalib. lib. 11. cap. fin. n. 41. Saussay in Martyrol. Gallic. fol..... Auberto Miræo in Belgico, fol. 65. P. Dionys. Vasq. in Castellan. & PP. Societ. Iesu in Lusitan. De eo agunt Marian. Scoth. in Chron. lib. 2. ætat. 6. ann. 14. Neron. Abb. Stadens. ann. 47. Nauder. in Chronograph. tom. 2. gener. 2. ann. 46. Christoph. Brouuer. Chron. Treuirens. lib. 2. Hieron. Quintan. Histor. Matritens. lib. 3. cap. 113. Eius acta scripsit Goldscherus Monachus in cœnobio S. Mathiæ apud Treuiros, sic:

S. VALERIVS ad discipulatus B. Petri Apostolorum Principis apicem cum peruenisset, ei constanti robore, & alta fide prorsus adhærens, magistri semitas obseruator sedulus oculis proterebat. Nam cum Petrus, postquam Antiochenam Ecclesiam pia confessione Christiani nominis super solidissimam petram fundasset, & superna prouisione ordinante Romam venisset, tandem à Spiritu Sancto præmonitus, Galliæ quoque, ac Germaniæ verbum salutis inferre curasset, ad hoc opus inter tres probatissimos viros eiusque discipulos *Valerius* ad illius Apostolicum opus electus est, hoc ordine vt Eucharius Præsulis infulas, Valerius Leuitæ, & Maternus Exorcistæ dalmaticas induerent. Qui bene à magistro instructi, iniunctum sibi mandatum alacriter suscepere. Sed in itinere è viuis sublato Materno, *Valerius* mandante Euchario Romam luctuosis oculis regreditur, vt à S. Petro condiscipuli vitam humiliter, vt missionis opus expeteret, impetrasset. Fidei successit euentus, nam Materni resurrectione adepta, Treuiros alacriter adeunt, quo Eucharius Pontifex factus, religionis doctrinam per totam regionem vir Apostolicus seminauit. Qui ad superos euocatus *Valerium* designauit diuinitus successorem.

Post cuius venerabilem obitum *B. Valerius* in ministerium Sacerdotale sublimatus, illud per XV. annos, sancte viuendo, & verbum

vitæ prædicando, probatissimè rexit: in quo videlicet temporis spatio multos ad Dominum populos signa magna, & stupenda prodigia exercendo, conuertit, & ad agnitionem Catholicæ fidei, saluberrima instigatione perduxit: qui etiam verbo tàm studiosissimè prædicationis instabat, vt iam tunc per totam pænè Galliam, & Germaniam Christiani paganos, & numero superarent, & religione. Erat namque doctrina eius singulis congrua, cunctísque audientibus dulcis, & gratissima, vnde ob mellifluam sermonum eius facundiam, vndique ad eum populi confluebant, & saltim aliquod verbum ex ore eius audire cupiebant.

Quantum verò ad proprios eius mores pertinuit, vt breuiter narrem, fuit cognitione mundissimus, verbo vtilis, & discretus, operatione irreprehensibilis, & præcipuus: ac sic per actiuam vitam singulis compassione extitit proximus, vt tamen præcæteris contemplatione esset suspensus, & nec in contemplatione positus deserebat fraternam condescensionem vitæ actualis, nec etiam in actione submissus recedebat à sublimatione contemplationis: quique salutaria magistri sui monita, recto tramite sequens, Euangelicum triticum Dominicæ familiæ fideliter dispensauit, & credita sibi talenta spiritualibus augmentis quotidie multiplicauit.

Cum verò his profectuum gradibus, vsque ad venerabiles canos peruenisset, & iam consummatio sui cursus adpropinquaret, nocte quadam apparuit ei B. Eucharius per visionem dicens: *Tempus iam instat, frater Valeri, resolutionis tuæ, & parata sunt tibi gaudia retributionis æternæ. Patet enim tibi ianua regni cælestis, quam post hanc horam, quinto die gratulabundus ingredieris, & de concessis Domini tui beneficiis sine fine lætaberis. Quapropter Maternum agonis nostri cooperatorem tui officij successorem constitue, illúmque de visitatione nostra ante diem exitus tui certissimum redde.* Et hæc dicens recessit. Euigilans autem S. Antistes mox visum somnium B. Materno, cæterísque fratribus, qui præsto erant, narrauit, & eisdem diem obitus sui, lætissimo vultu, instare prædixit. Sequenti vero die Venerabilem Maternum ad Sacerdotalem gradum prouexit, & eum de studio commissi ministerij diligenter instruxit.

Cúmque per prædictum spatium, ob famam depositionis eius, aduenientes fideles verbo salutiferæ admonitionis, de exercitio sanctæ conuersationis instanter instrueret, & eos ad salutem animarum suarum, dulcíflua exhortatione, paternísque visceribus incitaret, illucescente iam quinto die, oratorium ingressus, viaticum, quod ipse consecrauerat, accepit; & post hæc extensis inter discipulorum manus, sacris membris IV. Kalendas Februarij spiritum cœlo reddidit. Cuius corpus colligentes discipuli sacratissimo corpori S. Eucharij coaptauerunt, & in eodem sarcophago cum diuinis laudibus condiderunt; quod superna dispositione actum esse credimus, vt quorum vna mens semper in Domino fuerat; eorum quoque corpora, nec sepulchrum tunc ab inuicem separaret.

Demum post XV. sæcula tempore Maximiliani II. Imperatoris, & Mariæ eius vxoris, Caroli V. Imp. filiæ, Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici Sororis, & socri, Rodulphi II. Imperat. matris, demum Christi sponsæ, cognatio, quæ eminus in illa resplenduit, & alias superauit longius extractum fuit sanctissimum *S. Valerij* corpus ex cripta subterranea cœnobij S. Mathiæ Treuirorum, & in capsa cypressina, auro, & gemmis circumlita repositum, & in oratorio Imperatricis præfatæ honorificè collocatur. Donec Imperatore marito extincto, Hispaniam serenissima Imperatrix repedauit, sacra-

tiſſimis Sanctorum theſauris onuſta, inter quæ, hoc *S.Valerij* venerabile corpus, quod ſecum in Regali cœnobio Excalciatarum Sanctimonialium S. Claræ Matritenſi, cùm ſæculum illius induit inſtituti, & ſeculum felici vocatione protriuit, cum cæteris ſacris innexit pignoribus, vbi adhuc in ſacrario illius religioſi Monaſterij adſeruatur, & colitur; & ſolemni officio veneratur. Etiam apud Vlyſſipponam adeſt alia particula eiuſdem, vt die XXV. Ianuarij adnotaui.

In actis nil noui eſt, quod illuſtretur; de tranſlatione pignorum ad cœnobium Regale Monialium S.Claræ excalciatarum, apud Matritum, non eſt cur dubites. Illic diplomata. Interim videndi P.F.Ioann.Carrill.Hiſt. iſtius Regal. cœnob. c.18. fol. 50. col.2.Hieron.Quintan.Hiſt.Matrit.lib.3.c.113. M.Ægid Gonzal.Theatr.Matrit.

TREVIRIS. Quæ & *Auguſta Treuirorum* vocitatur, Ciuitas Archiepiſcopalis Germaniæ inferioris ad Moſellam antiquiſſima, ante Romam (vt perhibent) M.CCC. annis condita vrbs ſub Romanis Principibus clariſſima. Hodie Germanis *Trier*, Gallis *Treues*, Italis *Treueri*, & Hiſpanis *Treueris*. Inferius de illa aliquot concinnabimus monimenta.

S. TAIO Epiſc. Cæſarauguſtanus. De illo haud memoriam comperies in Martyrologiis, licet in noſtris auctografiis non contemnenda monumenta viſuntur, in quibus eius pietatem, doctrinam, & ſanctiſſimæ actæ vitæ ſplendorem agnoſcas, & licet hæc non innoteſcerent, ex eo quod in Patrum Concilij Toletani VII. cœtu ad conquirenda B.Gregorij Magni volumina fuerit ſelectus, & eius auctoritas, & ipſius ſanctitas eluceſcit. Sancti titulo agnoſcit Luitprandus *in Chron. n.*100. *&* 365. Iulian. Petr. *in Chron. n.*331. ſic: *Florebat memoria* S.Taionis *Pontificis Cæſarauguſtani, docti, & pij, qui obiit in pace IV. Kalend. Februarij Era DCXCVIII.* Valderedus eius ſucceſſor, in Epitaphij titulo, ſic: *Carmen Valderedi Epiſcopi Cæſarauguſtani in tumulo* Sancti Taionis *Epiſcopi Cæſarauguſtani.* P. Franciſc. Picardus *in Præfatione ad Gregorian. Garneri*, itidem *Sanctum* appellitat. Illuſtribus eum nominibus extollunt Roderic. Archiep. Toletan. *lib.*2. *c.*20. Moral. *lib.*12. *c.*25. Padill. *tom.*2. *cent* 7. *c.*36. Layſa *ad Concil. VII. Tolet. fol.*414. Iſidor. Epiſcop. Pacenſ. *in Chron.* P. Murill. *Hiſt. Cæſaraug. c.*1.3. *&* 29. D. Martin. Carrill. *in Chronol. Epiſcop. Cæſaraug. Ann.*645. *fol.* 232. Hiſt. Cæſar. 2.*p. c.*14.*fol.*485. Mariana, Vaſſeus, & alij plerique. Ex quibus hæc mutuaui acta.

ACTA S. TAIONIS EPISCOPI Cæſarauguſtani, Ex variis monumentis.

TAIO cognomento, SAMVEL, Ciuis Cæſarauguſtanus, ex negotiorum, dignitatis, doctrinæ, & morum excellentia, illuſtriſſimis parentibus ortus, fratrem habuit Honoratum Hiſpalenſem Epiſcopum, & ſanctitate præclarum. Noſter literis à prima ætatis lanugine vacans, in librorum reuolutione, eorúmque contemplatione, & quod certius diuino ſpiritu præeunte (cui defuit in hiſce exercitiis miſericors manus?) in tantæ doctrinæ ſuggeſtione inuolutus, & altam vitæ eruditionem inuenit, & ſupremam animæ doctrinam imbibit. Quo, & virtutum redolentium agmine, apud clerum, & populum, altiorem exiſtimationis vocem mirabiliter comparauit. Cæſarauguſtanam tum regebat Eccleſiam S.Braulius, Paſtorum decus, Pontificum ſpecimen, Clericorum exemplar, Monachorum archetypus, & ſæculi illius ornamentum, qui *Taionis* intuens vitæ indolem, doctrinæ ſtimulos, & virtutum conſtantiam, vt ad maiora tranſcenderet, & ad incœpti oneris culmina pergeret, illum, & conſiliis adiuuit, & honoribus ſtimulauit, donec eo, è viuis ſublato omnium ſuffragiis ad ſacram Præſulatus infulam *Taio* renitens adſcitus eſt. In ſui Paſtoralis officij

cura;

cura, quantum doctrinæ, quantum consilij, quantum exempli, quantum subuentionis in pauperes, protectionis in pupillos,& viduas, dulcedinis in probos, austeritatis in rebelles,& auctoritatis in subditos,& charitatis in fratres expenderit, ipsius vitæ norma, & probauit, eius mirabilium euentus & comprobauit. Nam cum Chindasuinthus Hispaniæ Gothorum Rex in Toletanam vrbem Synodale decretum XXX. Episcoporum cum omni clero, vel Vicariis eorum Episcoporum, quos languor, vel inopia præsentes fore non fecit, atque Palatinum Collegium, qui electioni Collegij interesse meruerunt, mirificè anno Regni sui V. indiceret celebrandum, discurrentibus tantum Notariis, quos ad recitandum, vel ad excipiendum ordo requirit. Hic *Taionem* Cæsaraugustanum Episcopum ordinis literaturæ satis imbutum,& amicum scripturarum, Romæ ad suam petitionem pro residuis libris Moralium noualiter porrexit destinatum. Qui dum à Papa Romano de die, in diem differretur in longum, quasi in armario Romanæ Ecclesiæ, præ multitudine quæsitum, facilè nequaquam reperirent libellum, Dominum pernoctans, & eius misericordiam ad vestigia B. Petri Apostolorum Principis deposcens, ei scrinium in quo tegebatur, ab Angelo manu ostensum. Quo mox se Papa, vt vidit reprehensum, cum nimia veneratione ei adiutoria tribuit ad conscribendum, & Hispanis eum transmisit ad relegendum: Quia hoc solùm ex B. Iob libris expositum retentabant, quod per B. Leandrum Hispalensem Episcopum fuerat aduectum, & olim honorificè deportatum. Requisitus verò, & coniuratus *Taio* Episcopus à Martino I. Papa Romano, quomodo ei tam veridicè fuisset librorum illorum locus ostensus, hoc illi post nimiam deprecationem, cum nimia alacritate est fassus: Quòd quadam nocte se ab Ostiariis Ecclesiæ B. Petri Apostoli expetiit esse excubitum. Atque vbi hoc reperit impetratum, noctis medio, cum se nimiis lamentis, ante B. Petri Apostoli loculum faceret cernuum deprecando, luce cœlitus emissa, ita ab inenarrabili lumine tota Ecclesia extitit perlustrata, vt nec modicum quidem lucerent Ecclesiæ candelabra; simúlque cum ipso lumine, vnà cum vocibus psallentium, & lampadibus relamptantium introiere Sanctorum agmina. Denique vbi horrore nimio extitit territus, oratione ab eis completa, paulatim ex ea Sanctorum curia, duo dealbati senes, egressum in ea parte, qua Episcopus in oratione degebat, cœperunt dare præpendulum. At vbi eum receperunt penè iam mortuum, dulciter salutatum reduxerunt ad proprium sensum. Cúmque ab eis interrogaretur, quam ob causam tam grande extaret fastigium, vel quis ab Occidente properans, tam longum peteret nauigerium; hoc, & hoc, ab eo, quasi inscij, relatum auscultant operæ pretium. Tum illi multis eloquiis consolato opportunum, vbi ipsi libri latebant, ostenderunt loculum. Igitur Sancti illi requisiti, quæ esset Sanctorum illa caterua, eos tàm claro cum lumine comitantium, responderunt, dicentes: Petrum se esse, Christi Apostolum, simúlque, & Paulum inuicem se manu tenentes, cum omnibus successoribus Ecclesiæ in illo loco requiescentibus. Porro, vbi & ipsi requisiti fuerunt, qui domini essent, qui cum eo tam mirabile habebant colloquium, vnus ex illis respondit se esse Gregorium, cuius, & ipse desiderabat cernere librum, & ideo aduenire, vt eius remuneraretur tam vastum fitigium,& auctum redderet longissimum desiderium. Tunc interrogatus, si tandem in illa sancta multitudine adesset sapiens Augustinus, eo quod ita libros eius, sicut,& ipsius S. Gregorij, semper ab ipsis cunabulis amaret legere satis prouidus, hoc solummodo respondisse refertur: *Vir ille clarissimus, & omnium expectatione gratissimus* Augustinus *quem quæris, altior à nobis eum continet locus.* Certè vbi ad pedes eorum *Taio* cœpit

proruere, vnicus ab oculis eius (ostiariis, & ipsis territis) simul cum luce euanuit Vir ille sanctissimus. Vnde, & ab eo die à cunctis in eadem Apostolorum sede, Venerabilis *Taio* extitit gloriosus, qui ante despiciebatur, vt ignauus. Cuius illustris rei memoria ne deperiret, iuxta gradus Altaris S. Petri in Vaticano, hæc conspicitur latis literis grauata epigraphe.

TAGIONI CÆSARAVGVSTANO EPISCOPO.
AD SEPVLCHRVM DIVI PETRI.
PERNOCTANTI DIVINA
DEMVM
VISIONE MORALIVM LIBRI BEATI
GREGORII PAPÆ REVELANTVR.
ANNO DC. XLVIII.

Igitur reperto, vt diximus volumine, prout Sanctorum oraculum reuelauerat, recepta benedictione Pontificis ad suum Principem, codice, gaudio, & gloria comitatus reuersus est, habitus Romæ, & Hispaniis venerandus. Illico copias extrahere è codice incepit eruditio, & ipse Sanctissimus Præsul ex libris Gregorianis Sententiarum opusculum, vnà cum aliquot D. Augustini apopthegmatibus admixtis. Quinque libris diuisum, desumpsit. Quod S. Pontifici Toletano Quirico dicauit. Codicem vero è Roma perductum sibi dum vixit amantissime reseruauit, vt memoria tanti miraculi, & ad maiora capescenda perduceret opera, & pro virtutum acumine interpellaret. Demum cum vltimum vitæ instaret excursum (post interuentionem in VIII. Concilio Toletano, Era DCXCI. & in IX. Era DCXCIII.) & in mandatis Domini fideliter laborasset, viriliterque in agone præsentis vitæ certasset, tempus resolutionis suæ intrepidus expectabat, & tradito suæ Ecclesiæ miraculoso volumine, suisque instructis, ad Dominum placida dormitione cucurrit, IV. Kalend. Februarii. Era DCXCVII. Anno Domini DCLIX. Regnante in Hispania Recesuindo Catholico Gothorum Principe, Sedem Apostolicam moderante Eugenio I. Pont. Max. Tunc fratres corpus Sanctissimum in Angelica B. Virginis de Columna deponentes Basilica, cum hymnis & piis lachrymis sepeliere, in cuius sarcophagi lapidea tabula, hoc Valderedus, eius successor, carmen posuit sepulchrale:

CARMEN VALDEREDI EPISCOPI
Cæsaraug. In tumulo S. Taionis
Episcopi Cæsaraugustani.

Valderedus ego Taionis, & ipse Minister
Cæsarea indignus Præsul in vrbe simul:
Carmina dilecto funebria sacro Parenti
Pectus in hoc clarè testificata meum.
Taio fuit, dum vita manet, virtutibus Almus
Nobilis ingenio, sed grauius eloquio.
Hispani debemus ei Morale volumen
Gregorij Magni, quidquid & ille dedit.
Hac causa petiit Romam, diuinitus autem
Admonitus miris; reperit eius opus.

Inde

Inde redit fama melior, virtutibus idem;
Gregoriique super grande laborat opus.
Iámque grauis senio, factis repletus opimis
Viuo larga manus, vitáque honesta fuit.
Mortuus antiqua tumulatur in æde columnæ,
Et volat ad superos, mens bona Pontificis.

Obiit SS. Pont. in pace famul. Dei Taio. Cæsaraugustæ Era 697. IV. Kalend. Februar.
Pauca sunt à nobis in hac vitæ ecphrasi elucidanda; nam in Scriptoribus supra relatis omnia communia. De nomine, aut cognomine *Samuel* Sancto Taioni adscripto, videndus P. F. Picardus in *Præfatione ad Gregorianum Garneri*, vbi probat huiusmodi cognominis veritatem. Qui etiam *Quinque libros Sententiarum* ex operibus *S. Gregorij* desumpsisse S. Præsulem, & *Quirico Toletano* dicauisse, refert. Ex quo venit intelligendum carmen illud *Valderedi* Successoris *Sancti Taionis*, distich. 6. sic:

Gregoriique super grande laborat opus.

Nam illud sententiarum opusculum, vt illa tempora permittebant, pro magno habitum, existimatúmque fuit. Vis ergo de hoc toto *Picardi* verba, quia codex rarus? Ausculta: *Taius cognomento Samuel Cæsar Augustæ Episcopus reliquit posteris.* Sententiarum libros V. *ex D. Gregorij monimentis pauculis D. Augustini admixtis,* Selectarum, *quos obtulit Quirico Præsuli Toletano, eorundem exactori, vt constat ex hac prima dedicatoriæ Epistolæ periodo*: memor vestræ benignissimæ petitionis, nostræque deuotissimæ promissionis, huius textum libelli, compertis sententiarum titulis prænotatum, vestræ Sanctitati malui dirigendum. *Quando autem id operis cuderit, extra rem non esse fere autumaui, si aperirem eiusdem verbis, cum & volumen insignis notæ, perpaucorum forulos obsideat: Taius igitur ait Quirico in Epistola antecedente*: Optime nouit Beatitudo vestra tempus illud quo tortuosus anguis, ore pestifero, in quorundam montibus virulenta seminum suorum sparserat zizania; fraudalentáque deceptione, à tramite recti itineris gressum semouerat mentium perditarum. In quo quidam homo pestifer, atque insani capitis froia tyrannidem sumens, adsumptis sceleris sui peruersis fautoribus aduersus Orthodoxum, Magnúmque Dei cultorem Reccesuinthum Principem, fraudolenta prætendens molimina, superbo adnisu Christianam debellaturus aggreditur patriam. Huius itaque sceleris causa gens effera Vasconum Pyreneis montibus, promota, diuersis vastationibus Iberiæ patriam populando grassatur. Heu, proh dolor! Dicendi studium, calamitatis intercipit magnitudo. Sed tamen veniendum est ad id, quod formidat oratio. Innoxius quippe sanguis effunditur: Alij vngulis, nonnulli missilibus, plerique diuersis iaculis sauciantur, innumerabilis multitudo captiuorum abducitur, immensa spolia subtrahuntur, templis Dei infaustum bellum infertur, sacra altaria destruuntur, plerique ex clericatus officio ensibus obtruncantur, atque inhumata canibus, auibúsque exponuntur multorum cadauera occisorum. *Sed hanc igitur funestam cladem* B. Taius *extenuandi mœroris gratia, congessit Sententiarum libros quinque, vt paulo post indicat, & quidem circiter annum DC. LII. Hic est Taius qui vltimo Chindusuindi Hispaniæ Regis anno, & Christi DC. XLVIII. Romam profectus est, ad perquirendos Moralium Gregorianorum libros, & diuinitus tandem repertos retulit in Hispaniam, vt constat tum ex narratione mirabili præfixa operibus D. Gregorij; tum ex fine Concilij Toletani VII. In qua narratione cùm signanter dicatur Taium fuisse æquè Augustini, ac Gregorij studiosum, haud abs re suas collectas, dictis vtriusque composuit. Quarum hoc legi principium*: Solus Deus in semetipso incommutabilis est. *Hactenus P. F. Ioannes Picardus.* Et nos quoque hactenus. Quam periodum subiicere libuit, quam nullus ex Scriptoribus, quem viderim, nec de cognomine, nec de libro Sententiarum memoriam repetit. Vnum hîc Lectori

animaduertendum compellor, quòd post hæc scripta in lucem è tenebris coquinalibus prodiuit Commentariolus ad Historiam de Columna Cæsaraugustanæ Virginis falsò S. TAIONI tributam, & quia mihi, & doctioribus auctor commenti instar alterius Palephati est, nam meras nugas, & gerras Siculas blaterat, ideò tu eius codicem diffuge, ne cum veritatem quæris, fabulas peredifcas incautus, ex cauto.

CÆSARAVGVSTA. Superius diebus II. & X. diximus eam *Saldubam* fuisse antiquitus vocitatam. Nunc aliud proponemus nomen. Illam AVRIPAM vocitat D. Roder. Xim. Archiepiscop. Toletan. Histor. Hispan lib. 1. cap. 3. Et inter Carpetanos collocat, sic: *Hanc Carpetaniam, quæ in se quatuor habet oppida, scilicet Aucam, & Calagurram, Tyrasonam, &* Auripam, *quæ post* Cæsaraugusta *ab Augusto Cæsare fuit dicta.* Sed crederem mendum irrepsisse in prælo, & loco *Celtiberia* de qua loquebatur, excusum fuit *Carpetania.* Hoc quibus attinet, videant, ne errore Typographi dilabantur. Ergo *Auripam* vocauere asserit Petr. Anton. Beut. Histor. Hispan. tom. 1. lib. 1. cap. 7. fol. 27. ab auri copia. Quæ opinio aliis non arridet, & pro *Auripa* reponendum esse *Agripa.* Causam infra exponere curabimus. Nam omnibus est dandus locus, ethymologiasticis.

C S. REDIGVNDIS. Virgo Sanctimonialis ex regula S. Norberti, quam Præmonstratensium Virginis Mariæ Conceptionis Purissimæ sub auspiciis, eleuatam Patres absque hæsitatione contendunt. Ex illo floridissimo, etsi concluso hortu, apud Nostros, erigitur Virgula de radice MARIÆ, extollitur *Redigundis* de Paradiso Præmonstrati, habitu pura, cogitatione purior, spiritu purissima, nam quæ ex radice purissima immaculatos ebiberat succos, haud potuit amaritudinis fructus sæculo germinare. Illius memoria, quæ perenniter in benedictione est, etiam apud sæculum languidum innotescit. P. Ioann. Paglus in Bibliothec. Præmonstrat. lib. 1. & lib. 2. fol. 531. sic: *B. Redigundis Virgo Hispana cœnobij S. Michaëlis de Treuiño, iuxta Villam-Maiorem, Præmonstratensis Ordinis, Burgensis Diœcesis, Sanctimonialis, mundo crucifixa cum concupiscentiis eius dum rigorosis austeritatibus Ordinis, carnem subegit, veluti lilium inter spinas germinauit, & mundo corde, & casto corpore, cœlesti Sponso mirifice placens, meritis cumulata, ad cœlestem montem Dei Iacob die XXIX. Ianuarij gloriose ascendit.* Kalendar. Præmonstrat. ad Officium recitandum, Matriti excusum Ann. 1635. sic: *Redigundis Virginis. Simplex.* Andr. Saussay. in Martyrol. Gallic. tom. 1. fol. 84. nescio quo titulo, inter Gallicos Diuos recenset, sic: *Ipso die transit ad Dominum* B. Redigundis *Virgo Sanctimonialis cœnobij de* Treuiño, *Ordinis Præmonstratensis, in Burgensi Diœcesi, austeritatis rigore, puritatis decore, & diuini cultus studio plurimum insignis.* De ea scribunt, præter relatos Seruat. Lairueltz apud Bolland. in Act. SS. h. d. tom. 2. fol. 975. P. Chrysost. Vander. Sterre in Hagiolog. Præmonstrat. Et in vit. S. Norbert. lib. 3. cap. 6. §. 12. Et in Echo S. Norbert. triumph. pag. 64. Eius acta provt in relato P. Chrysostomi Vander hagiologio recensentur, subiicio.

REDIGVNDIS Virgo Hispana fuit candidum ordinem professa in cœnobio quodam S. Pauli dicto, haud procul ab Ecclesia S. Michaëlis, olim dissito, quod iam desiit. Illam autem S. Pauli Ecclesiam, quondam Præmonstratensium Virginum parthœnonem fuisse, manifestum est. At paupertate ad Monialium vsque defatigationem in dies succedente, attributis eius redditibus, Religiosorum cœnobio, quod etiamnum eos possidet, Virginum S. Pauli cætu penitus depetiit. Huius Monasterij vltima Religiosa fuit *B. Redigundis*, quæ post visitata Romæ Sanctorum limina, ex Superiorum suorum licentia, cùm peregrinatione sua persuncta esset, & pretioso reliquiarum sacrarum thesauro ditata, reliquum vitæ suæ, hic Deo piissime transcripsit. Ex Italia redux B. Virgo cellæ cuidam se inclusit, extructæ intra portam Ecclesiæ S. Michaëlis, ex qua per fenestellam quandam altare maius prospicere poterat: séque ab omni mundano commercio abscindens, abscondebat se in abscon-

dito faciei Domini, vitámque instituebat extremè rigidam, & austeram, sciens tum demum liliis tutum esse ne à bestiis siluestribus depascantur, si spinis probè, & tribulis cincta, & circumsepta fuerint, quomodo etiam in Canticis Sponsam suam Sponsus collaudat, dum eam deprædicat esse lilium inter spinas. Cum enim Virginibus curæ erit carnis afflictationibus, & mortificationibus gnauiter incumbere, tum virginitatis suæ florem, diu illibatum à mundo, & diabolo poterunt conseruare. Atque ideò hæc prudentissima Virgo, quo posset, & corpore, & spiritu sancta esse, & cogitare semper quæ sunt Domini, carnem suam operibus pœnosis mirum in modum affligebat mentéque in Deum collecta, terrena omnia, ac transitoria supergrediens, cœlestem in terris vitam agebat: donec tandem ad felicem laborum suorum metam perueniret, & beata morte in Domino obdormiret, IV. Kalend. Februarij, anno ab Incarnatione Verbi M. CLII. A fundatione Ordinis Præmonstratensium XXXIII. Regnante in Castella D. Alphonso Imperatore, Summum Pontificatum obtinente Eugenio III. Abbate S. Michaëlis XV. Emelino II.

Eius corpus sacrum in eadem S. Michaëlis Basilica tumulatum delituit, donec excurrentibus aliquot annis, exhumatum, integrum, & suauitatis odore redolens, in altiori Ecclesiæ loco repositum, venerationi populorum adiacentium exhibitum, in magno, crebrescente miraculorum turbine, fuit pretio habitum. Postea vero eius sacra pignora, cum puluillo in quo operari solebat, cum vase ex quo bibebat, & salino, aliquótque nonnullis receulis, in arca decenti, inclusis, in altari S. Michaëlis veteri, exstant eleuata, & veneratione debita condita. Ad quorum limina visitanda circumiacentes pagi, hoc die supplicabundi publico ritu, & festiuo apparatu conueniunt; & ibidem, solemnioribus peractis precibus, decantata antiphona, & oratione de Virgine cum nominis expressione in pace discedunt. Ad eius sarcophagum en carmen sepulchrale:

Hospes qui cupis sepultæ agnoscere nomen:
Redigundis ego candida Virgo vocor.
Candida e Præmonstri, sed candida corpore vixi:
Virginis & Matris lilia veste gero.
Angelus exuuias condit iam auguste Michaël;
Vetera veteribus candidiora fouent.

VILLA-MAIOR. Oppidum in Diœcesi Burgensi, ab illa vrbe VII. M. P. distitum. Illinc quondam fuisse cœnobium S. Pauli Monialium Præmonstratensium, quod post modum ob reddituum penuriam, & mulierum custodiam cassatum, & Monasterio S. Michaëlis de Treuiño applicatum. Videndus Aubert. Myræus in Chron. Præmonstrat. ann. 1177.

D S. PETRVS NOLASCO. Hic nobilissimus miles Christi, & Iacobus religiosissimus Aragonum Rex fuere primi admirabilis ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum fidelissimi institutores. Vterque ad illum initiandum fuit à Deipara in somnis præmonitus. Ambo mystico munere incensi ad perfectionem instituti commissi hilares accinguntur. *Petrus* religionis affectu cingulum obedientiæ recipit, *Iacobus* institutionis affectu supra baltheum militiæ epitogium mercedis induit. Ille vt vitæ candore, exempli specimine, & virtutum examine inimicos Catholicæ religionis impeteret, & de redemptione fidelium captiuorum solicitus, Christianæ charitatis impensis, & eleemosynis, etiam vitæ periculo, captiuos redimeret. Iste chlamyde qua indutus incesserat candida fretus, armis, militibus, &

& zelo perfidos Christiani nominis hostes debellaret; è quorum vnguibus regna, vrbes, oppida, & gentes eriperet. Petrus tunica, cucullo, & scapulario candidi coloris indutus, alba cruce in palmula rubra, quaternis puniceis vacerris, in aureo campo subiectis, ante pectus assuta, insignitus, vel vt alter Aaron orationi vacabat, Iacobus insigniis religionis tunicatus, ceu Populi Dei Dux strenuus mirabiliter dimicabat. Quo militia regularis, & religio militaris in vtroque eiúsque asseclis, sine diuisione crescebat. De Petro memoria iam in benedictione est. Martyrolog. Hispan. M. S. P. Hieron. de la Higuer. h. d. eius elogium Hispano compaginat idiomate. Gallican. Suass. die X. Augusti, sic: *Hoc die ipso* S. Petrus Nolasco *natione Gallus fundauit ordinem B. Mariæ de Mercede, redemptionis Captiuorum, Anno Domini M. CC. XVIII.* De eo scripserunt omnes quotquot de *S. Raymundo de Peñafort.* Præter eos P. Zumel, *in eius vit.* Catel. *Histor. Occid. lib.* 2. P. F. Alphons. Remon. *Histor. Merced. lib.* 2. *cap.* 1. Anton. Vincent. Domenec. *Histor. SS. Cathaloniæ lib.* 2. *fol.* 72. Hieron. Zurit. *lib.* 2. *Annal. Aragon. cap.* 71. P. F. Hieron. Rom. *in Chron. Augustin. cent.* 9. Petr. Anton. Beut. *Histor. Hispan. lib.* 2. *cap.* 4. Mich. Carbonell. *Histor. Hispan. in vit. Iacobi Reg.* P. F. Ioann. Pineda *Monarch. Eccles. lib.* 22. *cap.* 23. Miedes *in vit. Iacob. Reg. lib.* 2. *cap.* 9. P. F. Franc. Diago *Annal. Valent. lib.* 7. *cap.* 2. Gaspar. Scolan. *Histor. Valent.* 2. *tom. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 6. P. Henriquez *in prærogatiu. SS. serm.* 4. P. F. Bernard. de Vargas *in Chron. sacr. & milit. S. Mariæ de Mercede. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15. *& cap.* 25. *ann.* 1249. *fol.* 82. P. F. Francisc. Boyl. *Histor. Virgin. Mariæ del Puche cap.* 1. *& seqq.* P. Hyppolit. Marrazz. *in Fundat. Marian. cap.* 20. *fol.* 190. P. Anton. Belinghen *in Kalend. Marian. die XXXI. Iuly fol* 406. *& die X. Augusti, fol.* 433. Et alij innumeri, infra suis locis, in notulis allegandi. Acta ex omnibus compilabimus, vt clarior ecphrasis innotescat.

ACTA SANCTI PETRI NOLASCO Fundatoris Ordinis B. MARIÆ *de Mercede Redemptionis Captiuorum ex variis monimentis, & Scriptoribus.*

PETRVS NOLASCO ex oppido Recaudo prope locum massarum SS. Puellarum, non procul à Capite arietis, inter Tholosam, & Carcassonam Galliæ Narbonensis, in diœcesi Papulensi, nobili prosapia, & piis parentibus originem duxit. Eius progenitores sanctimonia, & omnium virtutum genere, militari gloria, & diuitiarum copia decorabantur. Introiuit *Nolascus* in hanc communem (speciali Dei dono) lucem, vt plurimis proficeret. Quoniam, cum generis honestas, prætéritæ nobilitas ingenuitatis, splendidam indigitare solet prosapiam, Parentúmque electos mores, virtutúmque insignium filij studeant imitari vestigia, hinc est, quod *Nolascus* suorum mirificus genitorum æmulator effectus, etiam ab ipsa nutricis lacte, in ipsa nugarum infantia, proba complectere, & & improba fastidire, concepit, noxia horride calcans, & commoda ad salutem dulciter sitibundus ebibens. Corporis elegantia, & animæ discretionem exhibuit, & morum suauitatem edocuit. Illa erat eximia, cuius pulchritudo visibilis spiritus candorem, viscerum præstantiam, & animi speciem demonstrabat. Modestiæ rubor in facie, flammescebat, pietatis albedo in corde, æstuabat, submissionis existentia, in oculis elucebat, & grauitatis humilitas in gressibus promicabat. Ab hinc pauperum in nuditatem fouendam donator extitit prodigiosus; quia sæpè sæpius in propriam reuersus domum nudus, & de veste interpellatus, pauperi condonasse conflicto, labiorum suauitate, & cordis commiseratione intrepide fatebatur. Defuncto patre, qui Nolascus dicebatur, matris tutelæ traditus

traditus est, quæ Carcassornam sub honesti pedagogi custodia, vt bonis artibus operam nauaret, suum vnicum misit filium. In quarum exercitio, taliter profecit, vt condiscipulos, & coætaneos suos longè superaret. Deinde Lutetiam Parisiorum, iuris Pontificij addiscendi gratia, à matre licentiam per literas exposcebat. Sed accepto nuntio de matris morte, & de amplissima hæreditate relicta, cœpit mundi, vt caduca, despicere, & cœlestia vt æterna prouidus meditari. Tunc cœlibem vitam eligens, & pulsis sæculi illecebris, diuini amoris æstu flagrans, & Euangelij doctrinam, qua diuitum in regnum cœlorum ingressio dubitatur, exaudiens, hæreditarias quas possidebat diuitias pauperibus distribuens, ne earum onustus sarcina titubaret, ad præmeditata vitæ melioris pensamina humeros festinanter adiecit. Sed ne propriæ patriæ, & originis fomes, à conceptæ cogitationis exordio, spiritus nascentem florem depopulasset, patriam Abrahamo similis (& non sine Numinis nutu) deserere statuens, Barcinonem Hispaniæ vrbem, vt captiuorum subuentioni propius accederet, festinanter ingreditur. Ibidem apud Basilicam S. Pauli domum pro se, & familia, aut conducens, aut emens, adhuc sæcularis, religiosam vitæ normam orationibus, & vigiliis insectabatur assiduè. Captiuorum igitur miserabilis calamitatis misertus (erat tunc Hispania ex maiori, & feliciori parte Sarracenica oppressa tyrannide) qui in bellicis furoribus, libertate amissa, Maurorum iugo premebantur, & non pauci fœtidè Christum abnegantes, horribili persecutione, animum, & animam dimittebant. Quod interna *Nolasci* viscera transfigebat, quo congregationem pro redimendis captiuis sæcularem instituit, cuius suffragiis, & industria plurimos à dira Maurorum seruitute redemit. Sicque Deo oppitulante è Valentia plusquam CCC. captiuos Christianos eripuit, ex quo in toto Aragoniæ regno magnam sibi conciliauit auctoritatem. Sed cum tanti operis feruor cresceret, Deum cum lachrymis rogabat, vt illi opitularetur. Vnde nocte quadam mystico ostento Oliuæ in somnis animatur, quo eius religionis exordium, progressum, & commodum in Republica Christiana fauente Iacobo Aragonum Rege cognomento Bellatore, mirabili significatione detegitur. Hac ergo illuminatus visione, socios sibi numerosos aduocans, & suæ adiungens efficacius congregationi, ipsis fouentibus strenue pro Captiuorum redemptione diuinitus laborabat, taliter, quod innumerabiles oppressorum deinceps, illud pientissimum agmen è Sarracenorum horridis ergastulis extraxerit cateruas. Videns autem, quam laudabilis hæc fuisset populo Christiano actio, cœpit in animo meditari quo pacto, hoc in Regnis Aragoniæ, & vbique commendabile instauraret officium, illudque in posterum præcordialiter confirmaret. At cogitans nihil sine Dei nutu bonum, & perfectum peragi posse, ad eius quotidie prouolutus genua lachrymabiliter operis perfectionem à Domino efflagitabat. Nulla apud Deum est inanis Sanctorum oratio, vicit assidua *Petri*, Nam sequenti nocte ipsi S. Raymundo de Peñafort, & Regi Iacobo apparens Sanctissima Virgo Dei Genitrix MARIA, illis præcepit: *Vt in eius honorem vnum instituant ordinem, qui intituletur, Ordo* B. MARIÆ *de Mercede Redemptionis Captiuorum, cuius fratres in viua fide, in spe salutis, & vera charitate fideles captiuos visitent, redimant, & opera misericordiæ circa eos exerceant; & oblata occasione, si opus fuerit, ad exemplum proprij pretiosissimi Fili Iesu-Christi, pro eis animas ponant, vt in die iudicij æternam mercedem accipiant.* Et Petro Nolasco institutionem committens, *Primum Fratrem, & Pastorem elegit.* Quo protinus ad imperata Commissarij procedentes

exequenda,

exequenda, vt solemniori calculo exordiretur, diem celebrem S. Laurentio Illustrissimo Hispaniæ Martyri, & Eminentissimo S.R.E. Archidiacono dicatum, scilicet X. Augusti elegere, anno Domini M.CC. XXIII. vt in Ecclesia S. Crucis Barcinonensis, actum perageretur. Adueniente die, instante, & stante Iacobo Rege, totius populi acclamationibus *Petrus* & normam vitæ legit, & regulam ordinis elegit, habitum induit, & institutum explicauit. Hoc igitur peracto statim ad onus impositum, dorsum applicuit, & Ordinem nascentem exemplis, & virtutibus alens, illum prudentia, humilitate, & summa charitate per annos XXXI. laudabiliter rexit. At ne huius Sanctissimi instituti, propter Apostolicæ sedis confirmationis defectum, aut in ludibrio esset, aut instante diabolica persuasione in peius diuerteret institutio; *Nolascus* iam Magister Generalis inauguratus Iacobum pientissimum Mercedis Mæcenatem rogat, vt ipsius in rota vltimum affingat clauum, quo inuolubilis perseueret, à Pontifice Maximo Ordinis impetret confirmationem. Quibus annuens Iacobus verbis, illam à Gregorio IX. Pont Max. XVII. Ianuarij Anno Domini M.CC.XXXV. post eius institutionem XII. libentissima deprecatione recepit. Quibus sic perfectus Ordo fundamentis suffultus, & Apostolica benedictione munitus, illico cœpit in pretio apud omnes, & singulos haberi, & eius asseclæ in opus instituti pientissimas curarunt apponere manus. Quo breuiter illius actiuæ vitæ functiones, quanto Reipublicæ Christianæ fructu institutæ, & exercitæ fuissent, quotidianis redemptionibus apparebat. Iam S. Institutor, & Magister ab omnibus cognitus, venerandus aderat, qui infirmis, & hospitibus libenter, & charitatiue seruiens, eorum pedes lauans, subditis, vt eius sequerentur vestigia, attente præbebat exemplum. Ostiatim pro redimendis miseris captiuis eleemosynas quæritabat. Cibi & potus parsimonia insignis, lectulo parcens, cilicio ad carnes indutus, & nudis pedibus incedens, religiosum specimen vocitatus excitaerat. In omnibus proximos fouere cupiebat. Sic Guillermum à Parma iuuenem differentem ingressum religionis, & quam eligeret indifferentem, persuasit, & cognita diaboli deceptione, ab huiusmodi dilationibus auertens, suggestionem pandens, sanctum illi prædixit finem, quæ omnia agnoscens, & fatetur Guillermus, & Viro sanctissimo adquieuit. Dæmonum territamenta deuicit innumera. At antiquus Coluber, cuius actio in immenso mendacij Oceano alitur, & à quo extractus sine centro moritur, sine sensu moratur, alia tentamina, quibus B. Virum ab interna spiritus quiete perturbaret, eructans, aulicorum horribilem, & hydropicam inuidiam excitans, in eorum viscera, aduersus *Petrum*, effusa absinthij pixide, à Regis conspectu, & munificentia depellere satagebat. Incepit turba palatina in Regem, in Monachum euomere virus. De illo querimonia ciebat, quia externum hominem ciuibus præferret. De isto, nam virtuti deditus, & cœnobij silentium quærens, vt aiebat, nunquam de Principis contubernio recedebat. Sed cum non lateret Regem à quo ista manarent iuge, nihil vnquam de suo in Petrum amore remisit; ille vero rarius ad Palatium ventitare proposuit, ni S. Raymundi exhortationibus vinceretur. Quæ non exaudiuit obloquia procerum, de dispendio eleemosynarum, in captiuorum redemptione emissarum, à fratribus facto! Sed Virginis protectione munitus, hæc, & alia in eum irruentia tentamina superauit. Ergo vt Numinis, & hominis in commendatione Sanctorum differentia inspectetur, eo ipso tempore, quo hominum iniurias humilis perferebat, Dei Angelos secum in choro Matutinas horas canentes conspiciebat.

conſpiciebat. Quibus non fuit fauoribus tunc à Domino confortatus? Amplificationem ordinis continuis precibus depoſcens, illam impetrat. Sæpè Virgo religionis tutelaris Conuentum Barcinonenſem noctu viſitur ambiens, tuens, & defenſans. Apoſtolorum Principem Petrum ſingulari venerabatur pietate, ex quo illius limina veneraturus Romam transcendere concupiebat, ſed noui Ordinis cura præpeditus, animi abigebat inſtantiam, vt gregem, quem in ſui clientelam receperat, cuſtodiret. Sed non ſic inane exegit deuotionis exordium, quia D. Petri præſentia fautus, & eius viſibili aſſiſtentia fotus, & affectum itineris conuerſatione perſoluit, & effectum viſitationis auſcultatione perfecit. Demum poſt plurimos, & incredibiles labores ad vltra marina litora tranſeundo, perpeſſos, vbi cum inhumanis Sarracenis agendo, & conuerſando, crudelia ſuſtinens opprobria, perferens ictus, & poſt quam nonnullas legationes, & itinera difficillima ſubiiſſet ad Dei, & Virginis Matris honorem, in Regum, & Principum obſequium, Captiuorum, & ſui ordinis vtilitatem, & augmentum; poſt miracula inſignia patrata, & in vniuerſum Sanctitatis nomine adepto, agnoſcens ſui corporis diſſolutionem imminere, ſpiritu tamen promptus, & ad ſolidæ perfectionis culmen euectus, ſocios chariſſimos ſuos, filios, & in laboribus conſodales vocans, illis iniunxit, vt Pſalmos pœnitentiales recitarent, & pro ſe preces ad Dominum funderent. Quod illi deuotis vocibus, licet ſuſpiriis permixtis peregere. Quibus finitis, orationem ad ſuos dulciſſimam expleuit omnes amplexatus, ſua benedictione munitur. Et ſumptis deuotiſſimè, & integris ſenſibus Eccleſiæ ſacramentis, oculis in cœlum defixis, alacri vultu; intonans illa verba: *Redemptionem miſit Deus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuum*, ex hoc calamitoſo ſæculo, ad Domini beatitudinem, placida ſerenitate migrauit, XXIX. Ianuarij; Anno Domini M. CC. XLIX. Regnante in Aragonia, Cathalonia, & Valentia cum omnibus Comitatibus Ruſcinonum, Ceretaniæ, Sardiniæ, & Bellearibus Inſulis Iacobo I. Eccleſiam Catholicam gubernante Innocentio IV.

Diuulgata *Sancti Petri Nolaſco* morte Ciues Barcinonenſes, cateruatim incedentes ad venerandum ſanctum illud corpus, conueniebant. Quod non abſque difficultate, propter populi deuotionem, honorifice ſepultum in cœmeterio Conuentus, quaſi in depoſito, donec Eccleſia perficeretur. Deinde in aliam, licet exiguam Baſilicam, quam eius primi ſucceſſores extruxerant, fuit tranſlatum. Poſt incepto illo magnifico ædificio tempore R. P. F. Bonanati de Praxena, ſacra pignora in ſacello Sanctiſſimi Sacramenti delata quieuere; donec R. P. F. Iacobus Aymero Generalis Magiſter templum magnificum perfecit circa annum M. CCC. XXX. qui altaria, capellas, & oratoria tranſmutans, corpus ſanctiſſimum inter rudera, & glebas taliter, euoluit, vt licet magnis expenſis, aſſiduis laboribus, & continuis precibus à ſucceſſoribus exquireretur, hactenus reperiri potuerit.

Hæc ſunt acta ex ſanioris iudicij ſcriptoribus deſumpta. Nec me latet RR. PP. huius ſacræ religionis Auctorum ſententia, qua enixè contendunt, huiuſmodi ordinis exordium, non anno M. CC. XXIII. vt prædiximus, inchoaſſe, ſed anno M. CC. XVIII. initium ſumpſiſſe. Sed vt illorum opinio verificetur, neceſſario mendum in diplomate Gregorij IX. (Vbi adeſt ordo confirmatus à Sede Apoſtolica) fatendum eſt. Quod & ius abhorret, & ratio ma-

 niſeſtat.

nifeſtat. Quia non eſt credibile tot grauiſſimos Patres, & Regis Iacobi Oratores, Appoſtolicæque Cancellariæ miniſtros in quinque annorum anticipatione erraviſſe, vt ſuſpicatur P. F. Alphonſ. Rom. tom. 1. Hiſtor. Merced. lib. 1. cap. 8. P. F. Bernard. de Varg ead. Hiſtor. tom. 1. lib. 1. cap. 15. Illis præter iſta obſtat, Bulla Canonizationis Sancti Raymundi de Peñafort à Clemente VIII. Pont. Max. edita, in cuius epigraphe RR. PP. Prædicatorum ſententia confirmatur. Ideò illi potius eſt ſtandum, quam aſſertioni aliorum. De quo pulchrè videndus eſt. P. F. Bernard. de Varg. d. tom. 1. lib. 1. cap. 19. fol. 53. & ſequentibus, vbi contra eiuſmet religionis alumnos pro veritate datæ diplomatis perſiſtit, & teſtis de viſu originalis Bullæ ſe præbet efficacius. Sicque de eo contendere vacuum erit.

Hic tantum addam, quod in aliquibus iſtius Sanctiſſimi Ordinis ſcriptoribus inueni, circa aliquot miracula, quæ in eo S. Viro Deus operatus eſt. Primvm quod adhuc in faſcia *Petrus* inuolutus, examen apûm in eius tenera manu mellis fauum contexuit, de quo hoc diſtichon.

Aſpicis vt nondum maturis fructibus, arbor
Mellilegum inuitat flore micante genus:
Et flores viſis palmis cecidiſſe; relinquit
Nolaſci, floret ſcilicet ille magis.

Secvndvm, quod apud Africam cum pergeret pro redemptione captiuorum *Nolaſius*, à Piratis comprehenſus, & ſpoliatus, in cymba rupta ſine remigio, & velis dimittitur. At in alti maris emporium conducta cymba, & valida ventorum manu impetita, disfracta, & ſubmerſa eſt. Dei vero fauore fixus Redemptor; compacto è baculo, malo; & è chlamyde extructo velo ad Barcinonenſem portum incolumis aduentauit. En Epigramma:

Deſerit in celſa coruus ſua pignora rupe:
Deſerit: at nutrit pignora rupe Deus.
Te quoque deſertum rapido ſine remige Ponto
Vexit ad Heſperiam per mare cura Dei.

Tertivm quod cum iam S. Pater ſenio confectus, ad chorum pro ſoluendis regulæ,& diuini Officij inſtitutis accedere non valuiſſet,ex quo haud minimas patiebatur cordis anguſtias, vt tanto Deus prouideret affectui, Angelos ad eum dimiſit: quorum adiutorio ad illud optatum opus *Petrus* accederet. Huius portenti myſterium hoc carmine propalatur.

Cum fera bruma gelu ſiluit, ſpoliatáque fronte eſt
Vlmus, quo niteat, quóque tegatur habet.
Te quoque cum ſenio nequeas Nolaſce moueri,
Qui ferat ac referat alter, & alter adeſt.

Cætera quæ in controuerſiam hic vocari poſſent, *vt de Miniſtro à quo recepit habitum Nolaſcus. Et an S. Raymundus iam ex ordine Prædicatorum, cum Virginis mandatum acceperat. Et de errore Polydor. Virgil. de Inuent. Rer. lib. 7. cap. 5. Raphaël Volaterr. in Antropolog. lib. 21. Barthol. Caſſan. in Cat. Glor. Mund. part. 9. conſider. 9. Læl. Zech. de Rep. Eccleſ. cap. 2. dicentium huius ſacratæ religionis ſtemma fuiſſe nigrum, & de aliis quæſtionibus* RR. PP. vtriuſque religioſſimi inſtituti, diſputanda relinquo.

Plura

Plura à Sede Apostolica hæc illustris institutio adepta est indulta, & priuilegia quorum indicem subiiciemus, vt constet quibus à Romanis Pontificibus sit prosecuta fauoribus.

GREGORIVS. PP. IX. Anno M. CC. XXXV. Perusiæ approbauit, ordinem, vt constat ex Bullar. Magn. tom. 1. const. 9. pag. 88. Ibidémque regulam S. Augustini profiteri voluit alumnos Mercenarios.

NICOLAVS. PP. IV. Anno M. CC. XCII. in Vrbe veteri, exhiberi iussit Magistro Generali, Priori, & Fratribus omnia pia legata, quæ incertis personis relinquuntur, pro redemptione captiuorum. Bullar. tom. 1. const. fin. fol. 152.

GREGORIVS. PP. XI. Anno M. CCC. LXXIII. Auinione concessit omnibus fratribus exemptionem à decimis. Bullar. tom. 1. const. 3. fol. 217.

CALIXTVS. PP. III. Anno M. CCCC. LVII. Romæ prohibuit ne istius ordinis Fratres, in alium ex Mendicantibus transire, propter quarti voti vinculum, possint. Bullar. tom. 1. const. 3. fol. 285.

CLEMENS. PP. VIII. Romæ indulsit Fratribus, vt certis diebus solemnem benedictionem, & absolutionem exequi possent. Bullar. tom. 3. const. 4. fol. 3. & const. 79. fol. 90. vbi forma absolutionis præscribitur. An. 1592.

Idem Pont. Anno M. D. XCIV. Romæ statuit ordinationes, & statuta circa ipsius religionis regimen. Bullar. const. 30. tom. 3. fol. 32. & const. 68. fol. 71. & const. 112. fol. 115.

Idem Pont. Anno M. D. XCV. Romæ prohibet in hunc ordinem ne admittantur Fratres S. Francisci de Obseruantia. Bullar. tom. 3. const. 46. fol. 46.

PAVLVS. PP. V. Anno M. DC. VI. Romæ omnia priuilegia, & indulta à prædecessoribus suis ordini concessa confirmauit, & innouauit. Bullar. tom. 3. const. 25. fol. 153.

Idem Pont. Anno M. DC. VIII. Romæ interdicit ne in hoc recipiantur institutum Fratres Ordinis S. Francisci Capucinorum. Bullar. tom. 3. const. 50. fol. 177.

Alia etiam diplomata inter Apostolicas constitutiones inueniuntur, quorum relatio ad nostri operis pensum non attinet. Nam aliqua de controuersiis inter calceatos, & reformatos loquuntur; aliqua de ipsorum reformatorum separatione, quæ omnia consultius omitto. Tantum hic addam singulare, quod postquam hoc sanctissimum institutum noscitur institutum è Maurorum ergastulis, & catenis liberati sunt 49 ⅁736. captiui Christiani, vt ex historia ipsius Ordinis apparet, & aliis monumentis mihi transmissis. Et hoc in excurso (ab ex ordio fundationis) CCCCXIV. annorum.

COENOBIA tam Virorum, quam fœminarum plurima sunt, in quibus religio spectabilis, doctrina admirabilis, charitas in redemptione visceralis, sanctitas profunda, & virtutum omnium cumulus conspicuus. De qua solum prædicere possumus *Redemptionem misit Dominus populo suo.* Et ille illi *retribuet mercedem laboris.*

RAVDVM. Oppidum originis *S. Petri Nolasci.* De eo Guillelm. Catell. lib. 2. Histor. Occitan. asserit, hodie dici: *Les Mas Saincles Puelles.* Bolland. h. d. in Not. cap. 1. lit. A. pag. 982. refert distare vnica leuca à *Castello-Nouo-Arry.* Vulgo: *Castelnau-d'Arri.* Quod à S. Gregorio Turonensi lib. 8. cap. 30. *Caput Arietis* appellatur. Quem sequitur Catellius, addens esse *Lauracensis* ditionis caput, in diœcesi *Sancti Papuli*, inter Tolosam, & Carcasonam. Corrigendus est codex annalium P. F. Alphonsi Remon, in quo hæc diœcesis *Sancti Pauli* vocitatur. De qua videndi Anonym. in Mapp. Mund. fol. 72. eámque Gallice *Sanctus Papoul*

 appellitat.

appellitat. Cluuer. in Geograph. lib. 1. cap. 19. Quis fuerit *Sanctus Papulus*, qui ediscere desiderat, adeat Andream Sauss. in Martyrol. Gallic. III. Nouemb. tom. 2. fol. 821. in quo eius vitam, & agonem inueniet.

BARCINO. Eius situm, topographiámque conscripsimus die VI. huius mensis, vbi primam de eius origine sententiam subscripsimus. Nunc aliorum opinionem appingemus. Ioann. Gerundens. in Paralipp. lib. 2. titul. de Vrbib. ab Herc. in Hispan. condit. ad aliam transgressus sententiam, inquit: *Sed* Barcinon *nomen Græcum est, & significat domunculas ex virgultis contextas, quæ ad maris littora ad piscandum sunt, in quibus se piscatores recipiunt: quorum cùm ibi magnus esset numerus, loci & aëris salubritate perspecta* Barcinon *vrbem, eodem loco* (Hercules) *constituit, sicque ab eisdem domunculis appellauit*. Quæ opinio, tanquam auctorum firmitate carens ab omnibus exploditur, & ad alia excogitanda diuagantur, vt suis locis per ordinem dicemus, vt instituto pareamus.

TERTIO KAL. FEBRVARII, DIES XXX.

A. *Burgis Castellæ Veteris in Hispania depositio, & natalis* SANCTI ADELELMI *Monachi Benedictini, qui post transactum huius vitæ virtutibus, & bonis operibus, curriculum, ad æternam migrauit Confessor eximius. Cuius sacra pignora in propria Ecclesia honorifice coluntur ibidem.*

B. *Item in eadem vrbe memoria* BEATI ELESMES *Confessoris, Sancti Iuliani Conchensis Præsulis, eleemosynarij, qui post innumerabilia apud Herum charitatis expensa subsidia pauperibus, demum glorioso fine quieuit, & honorifico sarcophago tumulatur.*

NOTÆ

NOTÆ.

A SANCTVS ADELELMVS Abbas.] Apud Burgenses eius memoria perseuerat illustris, & inter Scriptores Ecclesiasticos celebris ipsius permanet recordatio. Prim. Cabilon. in Topograph. SS. verb. Burgus.hæc habet: Hic & Elesmus natione Gallus, ob sanctimoniam ab Alphonso accitus, miraculis claret. Bened. Dorgan. h. d. isthæc: S. ADELMI Abbatis. Hugo Menard prosequitur: Burgis in Hispania S. ADELELMI Abbatis discipuli S. Roberti Abbatis Casæ-Dei. Andr. Sauss. in Martyrol. Gallic. omnia breuiter complectens, licet in nomine cellulæ apud Burgenses deuius, hoc elogio: Depositio S. ADELELMI, qui natione Gallus, patria Lugdunensis, in Pictauiæ, & Andegauiæ confiniis, in ipso adolescentiæ decore mundi fucos, & illecebras respuens, Christo seruire sub Regulari disciplina constituit. Factus igitur B. Roberti I. Abbatis Casæ-Dei in Aruernis discipulus, sanctæ monastices theoremata didicit, vt Euangelicæ perfectionis nitidum speculum sua conuersatione existeret. Vnde non solum ad monasterij regimen Tertius ordine prouectus est, sed cùm radios admirandæ sanctitatis longè, latéque diffunderet à Constantia Regina, in Hispaniam crebris flagitationibus euocatus, ibi sanctissimæ vitæ propalato tramite, petente, & adiuuante præfata Regina, Monasterium in honorem B. IOANNIS BAPTISTÆ (lege EVANGELISTÆ) extruxit, ascitisque plerisque ascetis, quos præcepta disciplinæ salutaris edocuit, sancto fine consummatus in Christo beatè obdormiuit, honorificóque sepulchro donatus, gloriæ qua fruitur ex meritis, præclara edidit testimonia. Ex nostris illius meminere Iulian. Petr. in Chron. n. 627. Alphons. Vener. qui eius vitam texuit, & patrio idiomate diuulgauit, à quo Basilius Sanctorus, & nullo verbo mutato, P. Marieta Hist. SS. Hisp. lib. 1. c. 4. & seqq. ab illis Alphons. Villeg in flor. SS. P. Truxillo in Thes. tom. 2. fol. 398. Luc. Marin. Sicul. lib. 5. Hist. Hisp. P. Ant. de Yep. in Chron Bened. tom. 6 cent. 7. Ann. 1091. c. 2. & seqq. Mald. in Act. SS. fol. 62. à quo Franc. Haræus fol. 1146. Philip. Ferrar. in Cat. Gener. SS. h d. fol. 52. & in Noua Topograph. SS. fol. 28. Eius Acta scripsit genuina Rodulphus Monachus Casæ-Dei, quorum copiam mihi obtulit R. P. F. Martinus Riaño ex ordine Benedictino, Vir quoad seculum nobilitate illustris, quoad Deum pietate, & religione conspicuus, quæ (vt cunctis innotescant res tanti Sancti gestæ) dabimus: licet P. Bollandus isthæc ex Marieta deduxerit. Concelebrant S. Viri festum Breniaria antiqua Hispaniæ Burgense MS. apud me & editum IX. Lectionibus, Compostellanum, Palentinum, & Ordinis SSS. Trinitatis.

ACTA S. ADELELMI ABBATIS Casæ-Dei in Gallia, à Rodulpho ipsius Cœnobij Monacho conscripta, & ex Veteri MS. Codice extracta, & exscripta.

Incipit Historia Vitæ, & Mortis, Miraculorúmque B. ADELELMI III. Abbatis Casæ-Dei in Aruerniis Galliæ, Per Rudolphum Monachum.

PRÆFATIO.

RES gestas B. P. N. ADELELMI in Gallia, & Hispania, in vita, & in morte, in sæculo, & in monachatu describere compellor, cùm ob Dei, & nostræ Religionis honorem, cùm ob aliorum monachorum, & secularium exemplum, & ne temporum obliuio tanti Abbatis monumenta consumat. Et quamuis penitus illiteratus

illiteratus agnoscat, cùm in manu Dei sint dona sapientiæ, & scientiæ, quæ largitur omnibus affluenter; & piis auribus quotidie suum S. Spiritus ignitum immittere calculum non dedignatur; his auxiliis, & meditatione (licet indignus) suffultus, opus commissum aggrediar. Ideò Omnipotens, & misericors Dei pietas, à te peto, vt penuriosam mei operis humilitatem inuidiæ flamma non fulminet, & mei libelli depressam pauperiem detractionis flatus non deprimat. A pœna liber extitit, qui rogatus accedit; nulla prorsus imputabitur culpa, qui compulso, maiora aggreditur calamo, quàm ingenio potest. Sed quamuis artificij enormitas imperitiam accuset actoris, opus tamen pium sui veniam deprecatur erroris, sciens, quòd humani ingenij scintilla passim ignorantiæ euanescat in nebulas. Quare ad hoc opus non nauseantis animi fastidio ductus, non indignationis tumore percussus, sed delectatione nouitatis illectus comprehensione imitationis protractus, LECTOR accedat, vt quamuis liber vernantis eloquij purpuramento non floreat, aut fulgurantis sententiæ sidere non clarescat, tamen in actibus tanti Patris, historica narratione, multa ad spiritum imitanda cognoscet, in fragilis calami tenuitate fortè mellis suauitatem inueniet, & in arescentis riuuli modicitate sitis ariditas temperabitur.

HISTORIA.

BEATVS ergo ADELELMVS ingenuitate conspicuus, de Castro quodam Los duno Luduno nomine, quod situm est in confineo confinio, quo limitatur Pictauiensis, necnon Alegabensis Andegauensis, pagus, ex nobilibus, & christianissimis parentibus oriundus fuit. Parentes autem eius, cùm secundum seculi pomposam gloriam illustres fuissent, & puerum ADELELMVM religiosissimum viderent, tali conditione literarum studiis mancipandum tradiderunt, vt si aliquo seculari militiæ ineptus appareret officio, ad Ecclesiasticum statum fieret accommodus. Hic vtrumque tenuit; Ecclesiæ videlicet spiritum, & militiæ quoque secularis habitum; vt in altero (Deo iubente) parentibus obediret; in altero Ecclesiastica sic complens mandata, vt in nullo (in quantum humana suggerit conditio) Dominum offenderet. Ideò etiam, quamuis coactus, secularem suscepit militiam, vt donata patrimonij sui portione, pauperibus, viduis, & egenis distribueret, & sicut legitur in Psalmo: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.*

Post patris, matrísque mortem, terribilem sententiam, qua dicitur: Qui erit amicus huius seculi, inimicus constituetur Dei, nimium expauens, dùm de sua substantia quid faceret, & se mundo qualiter subtraheret, sollicitus cogitabat, illa Euangelica sententia occurrit ei, in qua scriptum est: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me:* tunc quasi reperto thesauro, factus alacer, primùm timens, an se leui famine vanæ gloriæ, quæ sæpè veram atterit iustitiam, temperari posset, dùm sua distrahebat, neminem præter Dominum, conscium habere volebat. Sic vnus omnibus famelicis deuotè seruiebat, vt pupillos quasi pater nutriret, peregrinos hospitio susciperet, infirmos visitaret, nudos vestiret, mortuos sepeliret, lapsos recrearet, esurientes pasceret, sitientes potaret, & in quantum poterat, omni laboranti piè subueniret. O laudabilem militem! cui Sacerdotes Episcopi æquiparari non possunt. In beneficio erat largissimus, in consilio prouidus, in omni honestate conspicuus, in iudicio iustus,

Matth.19.

&

& in charitate præcipuus. Iustos admonebat, vt semper in melius proficerent; iniustos verò, vt pro cœlesti remuneratione, peccatum relinquerent. Sed ne per generales huius S. Viri virtutum regulas diuagemur, ad indiuidua facinorum deueniamus opera insignium.

Accepto per patres (vt diximus) consilio, circa statum adolescentis, cùm iam per literarum cucurrisset exordia, baltheum militare, suadentibus cognatis, ipso verò reluctante, præcinxit, in cuius status exercitamentis, nonnullos sago miles, corde monachus, transegit annos, donec defunctis parentibus, ad altiora spiritus munia animum erexit. In patriam redux, omnia quæ ibidem ex patrimonio suppetierant bona prorsus vendidit, quorum pretia in pecuniam redacta, protinus inter pauperes distribuens, ne ab amicis detineretur, intempesta nocte, cum armigero quodam suo, quem sibi comitem asciuerat, clàm ex natali solo peregrinaturus discessit. Aliquantulum vero progressus, permutatis cum comite vestibus suis pretiosis, penula viliore indutus, illum repedare coëgit; solúsque Romam versus iter intendit.

Sic quippe vnus, mendicus, & nudis pedibus iter arripiens, apud Aruernos in quoddam Benedictinæ familiæ Cœnobium, quod Issiodorense nominatur peruenit, quo Venerabilem P. N. Robertum Casæ-Dei meritissimum Abbatem inuenit, à quo benigne susceptus, salutari animæ, & corpori accommodo pastus epulo, lotus, & fotus, omnia sui cordis secreta sancto patefecit Abbati. Qui ADELELMVM licet primò detinere decreuerat, postmodum soluit, vt votum de visitandis Romanæ vrbis Sanctorum tumulis, à peregrinante milite emissum, persolueretur; hac conditione pactata, vt quantocius post peregrinationem ADELELMVS in Casæ-Dei Cœnobium repedare curasset, quo religionis Monasticæ habitum, vt illius expetebat deuotio, quieta voluntate reciperet. His sic dispositis, S. Vir Romam iter aggressus, ab omni vacuus penu, vt Euangelicæ vocis adimpleret oraculum, dicentis: Nil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque pecuniam; quam sic rigidè obseruauit, vt cuidam viro probo summam pecuniarum eleemosynæ nomine, offerenti, illam Vir Dei humiliter recusauit, cui gratias agens, pro eius salute, & incolumitate flexis genibus ad Deum perorauit assiduè. *Luc 9.*

Demum cùm Romam peruenisset, piâ illâ quâ præditus erat humilitate, & deuotione, Sanctorum Apostolorum, & aliorum Martyrum reliquias visitauit, in quorum liminibus tanto terebat studio diem, vt nullum absque istius pij officij solutione intermitteret. Abhinc alias Orbis partes, nudis pedibus, corporis maceratione languidus, ieiuniis continuis, in pane, & aqua quotidie, exceptis Dominicis diebus, exilis, peregrinus, & incognitus inuisit, in quo per biennium occupatus, tandem ad Nostros repedare proposuit. Ad Cœnobium reuersus, ita apparuit squalidus, tantáque macie confectus, vt penitus cognosceretur à quopiam, dempto P.N. Roberto à quo multis amplexibus, assiduísque osculis exceptus, eius curam fratribus commendauit. Quod vt factum est, continuò religiosum, vt iam pridem fuerat pollicitus ADELELMVS, inuicta animi demissione induit cucullum.

Nouo sanè vitæ instituto, nouam cœpit attexere vitam; & ideo asperam, ad virtutes consequendas, semitam adinuenit; nam licet illa extiterit aliis communis, in ipsius cursu fuit abundanti propensione sublimior. Per Monachorum exercitia percurramus. Quis in inediæ assiduitate constantius? in carnis maceratione prolixius? in humilitatis continuatione depressius? in obedientiæ pernicitate promptius? in orationis firmitate continuus? in silentij obseruatione cunctantius? in diuinis colloquiis assiduus? in Patrum antiquorum imitatione

 simillimus?

simillimus? in actionibus Sanctorum, quorum vitas in oculis, & illorum in promptu semper acta trahebat, disquirendis, auidius? Nemo, inquam, nemo: quia vnaquæuis huiusmodi virtutum libamina, in illo sic perfectè dignoscebantur completa, vt prorsus ad singula natum Patrem ADELELMVM profiterentur coæui. Quibus virtutum speciminibus conspectis ad Nouitiorum Magisterium eligitur, quo munere, oratione, & exemplo innumeros ad Religionis Monasticæ progressum diffidentes compescuit, pigros excitauit, debiles fouit, & pęnè iam lapsos erexit; ita vt eius directionis aculeo, vix vllus inueniretur in ordine deuius, aut instituti norma confr..ctus.

Tot & tanta operationum insignia Deus (vt assolet) in hac vita remunerari constituit, & ideo B. Petri dona curationum per suam est elargitus miserationem. Nam quendam iuuenem febri continua laborantem, saluti restituere sola ADELELMI benedictione Domini prouidentia permisit, vt inde quanta sit, & quàm admirabilis in Sanctis suis, cœca mortalium ignorantia dignosceret. Buterlionem Casæ-Dei perexiguum, Abbate iubente, domicilium adiuit, tempore quo cuiusdam diuitis de Monte Gasconis in Gallia coquum grauissimo lepræ morbo inuenit affectum: quem pane à se benedicto recreauit, & vt spem in Domino poneret, in quo est vera salus, pio solamine commendauit. Ast ille inedia morbi solicitus, & fœtore vlcerum anxius, cùm desperata salute, in aquarum se vorticem deturbasset, inclamato ADELELMO, & à fluctibus ereptum, & à lepra curatum, protinus est omnis illius regionis accolarum demirata caterua. Postmodum, cùm quidam rusticus in prato soporatus, aperto ore, colubrum excepisset, ab incolis ad S. Virum deductus est: cuius miseratus miseriam, præstò aquam benedicens, partem illius bibendam rustico præbuit, quâ epotâ, statim anguem moribundum euomuit. Fœminam nobilem, cuius vbera sic doloribus lacerata tumuere, & apostematis hiatibus elanguere, vt vix iam sufficerent, nec facultates ad medelam, nec spiritus ad alia in posterum sufferenda remedia, aquâ benedictâ vino immixtâ, precibus ad Deum fusis, stupentibus omnibus, liberauit. Apud Aruernos quidam adolescens natus est mutus, cuius patres infortunium intuentes, & dolentes, illum ad Dei famulum perduxerunt. Quos videns ADELELMVS tres panis micas in aquam à se benedictam immisit, quarum vnam in ore adolescentis porrexit, qui illam deglutiens, iubente Viro Dei: *Benedictus Dominus in cælo, & in terra:* clara voce protinus explicauit; eadem cum qualibet comesta mica panis proferens, quo loquelam in posterum absque hæsitationis vestigio, diuinitus conseruauit.

Iam omnia hæc per vniuersam regionem agnoscebantur insignia, & nondum S. Monachus aliquos susceperat ordines; quibus initiari coactus, demùm ad Sacerdotij munus accessit. Ast Episcopo (à quo illo fungi facultatem acceperat) in crimine simoniæ dilapso, & ab Apostolico propter illud damnato, illius licentiam respuens, alium in simoniaci locum subrogatum expectauit Episcopum, à quo iterum ministrandi permissionem accepit. Post quæ Aruernia in cœnobium noctu repedare coactus est: nam interdiu, ob frequentiam illorum, qui ad eum concurrebant, exire in publicum non audebat. Ast iter aggressus, modicum quod B. ADELELMI puer præferebat lumen, procacibus ventis, qui vehementer in hyeme vndequaque perflabant, minimè impedientibus, toto noctis compendio, inextinctum non solum perdurauit, sed lucidius, oriente sole, peruisum est.

Hic non est silentio prætermittendum, miraculum, quod apud Aruernos euenit, dum illic expectaret Episcopum, omnibus demirantibus insigne. Erat quippè quidam Sacerdos in vrbe, qui virtutes

S.Viri paruipendebat, & quos ad illum accedere pietatis ergo notabat, risu, & cachinno illorum ignorantias(vt ipse dicebat)despiciebat. Insurgit diuina vindicta, & sannionem illum sic perculit podagrâ molestâ, vt breui dolores eius compaginem corporis deformarent. Illicò miser causam ægritudinis cognouit in corde, & viscerum commotione contritus, ad Dei famulum, se suorum humeris deportari præcepit; ante cuius conspectum lachrymarum imbre perfusus, suum ex animo propalauit errorem, à quo Viri Sancti miseratione absolutus, & eius precibus alleuiatus, à podagra liberum, præambula exhortatione dimisit.

In Cœnobium igitur redux nouo munere consecratus, puriora vitæ stamina (vt Sacerdotij dignitas exposcebat) attexere S.Sacerdos constituit. Hinc altiora contemplationis munia demirareris; humilitatis compendia cognosceres; silentij facinora contuereris; & alia, quæ S.Dei Famulo communia erant, prodigia perpenderes. Ast cùm P. N. Durantus II.Casæ-Dei Abbas ad Episcopalem Aruernorum Cathedram fuisset ascitus, repentè de eligendo successore Nostrorum sollicitudo corda prorsus, & mentes inuasit; quam facile Dei prouidentia sedauit, nam omnium fratrum suffragiis ADELELMVS electus, Deus omnium spectationes compleuit & vota. Cuius muneris onus primò resistens Vir Dei, demum obedientia compulsus, manum ad aratrum applicuit regiminis oscitanter.

Ministeriis crescebat virtutum stimulus, & ideo quà poterat (salua muneris ratione) exercitia crescebant, sed valde impedimento erant illi Abbatiatus ambages, sedulæ pro Monasterij œconomia distractiones, & assiduæ pro disponendo regimine curæ; ideo tanto onere fatigatus, licet reluctantibus fratribus, ab Abbatiatus officio, se abdicare constituit; & licet animos Nostrorum auersos ad ista cognosceret, attamen intentum, Deo permittente, post varios contradictionum anfractus, viriliter est assecutus.

Per hæc tempora, cùm plurima Deus precibus S.Abbatis impartiretur miracula, in dies eius crescebat opinio, ita vt Cœnobium passim scateret ægrotis, & vrbium legationibus, ac totius orbis peregrinis abundaret. Duo nobis ad manum se offerunt exempla. Aliud de quodam diuite opulento, à quo S.Pater, pretio soluendo, domunculam Cœnobio coniunctam, vt illius officinis adderet, flagitabat; renuit diues, & ADELELMI virtutem, & humilitatem irrisit. Media nocte vindex Dei manus tetigit diuitem: illico dolores irruunt, clamores audiuntur, surgit è lectulis confusa familia, diuersorium heri, quo voces dimanabant, adeunt, illum moribundum conspiciunt, frigido sudore coopertum intuentur, ab eo causam expetunt turbulentiæ: ab ADELELMO propter ludibrium se saginatum fatetur; illum vt conuocent imperat, accurrit Abbas, diuitis oblationem, & confessionem amplectitur, & illum aqua conspergens benedicta, à dolorum pondere liberum, Deo opitulante reliquit. Aliud de Regina Angliæ, quæ intellectis S.Abbatis insignibus, cùm se, & totam insulam lethargi epidemia laborantem conspiceret, dimissis aliquot senioribus Casam-Dei, vt ab Dei famulo remedium tantis calamitatibus impetrarent, euenit, vt his in Cœnobium aggressis, ab ADELELMO panem integrum benedictum acciperent, quo Regina, & vniuersi, qui panis etiam minimam comederunt micam, protinus à serpentis ægritudinis contagio liberi visi sunt.

Cum ergo iam S Abbatis virtutum Galliæ, & Britanniæ terminos adimpleret opinio, ad occiduos Hispaniæ fines, quibus Constantia Alphonsi VI.secunda vxor sceptrum Regina tenebat, deuenit: ex quo pia fœmina, cum primum ista cognouit, Alphonsum coniugem de

S.Viri

S. Viri perfectione, & miraculorum erudiuit patratione, ab eo efflagitans, vt tantum Monachum ad Hispanias perducere procuraret, futurum fore, vt eius exemplis, & doctrina, suæ ditionis dominia perfectiorem in moribus, & successibus euentum consecutura. Annuit piissimus Rex piissimis vxoris precibus, & per proceres, & epistolas assiduè S. Dei famulum, vt Hispanias accederet interpellauit, quibus efficaci propensione Constantia constanter crebras peraddebat instantias, donec ADELELMVS tantis piis precibus Regum conuictus, Hispanias adire decreuit. Qui regionem, & aulam ingressus à Rege, & Regina lætis conspectibus, & regia veneratione susceptus est, vbi apud ipsos demoratus diutius gloriosis facinoribus aulam, & vrbes illustrabat. Ista numero crescebant vbique, ita, vt Rex veritus penes se tantum, tàm sanctum, támque diuinum hominem habere, destinauerit ei sacellum, quod ipse IOANNIS Euangelistæ nomine substruxerat, secundum portas Ciuitatis Burgensis in peregrinorum ad S. IACOBI limina pereuntium sepulturam, & Xenodochium, in quod Vir Dei, haud exiguis ab Rege donatus fundis, redditibúsque, se reciperet.

Tunc Vir Dei ADELELMVS ad sibi datam cellulam venit, vbi per eum innumerabilia completa sunt miracula: super nudum solum tamdiù orabat, donec cogente natura, vim somnus inferret; ibique cum paululum obdormisceret, statim euigilans ab oratione non cessabat. In cella sua, quam ei dederat Rex, quotidie post Matutinos, Missas celebrabat, quibus peractis cum panum cophinis quibus poterat, ad ostium cellulæ (vbi pauperum transitus erat) quotidie sedens, quæcunque habebat, necessitatem patientibus, largiebatur. Cuius charitatis suffragium sic peregrinantium numerum auxit, nec annonæ eleemosynariæ stipem diminuit, vt & venientibus innumeris satis esset, & granaria penitus inextincta conspiceret. Horreum enim Dei quando deficit benè & præcordialiter ministranti?

Præterea cum Hispaniarum Rex Alphonsus cum exercitu suo propè Toletum, cogente necessitate, Tagum fluuium exundantem, miniméque tranabilem, vix sine vitæ discrimine, acrioribus equis traiecisset: Virum Dei ADELELMVM humili asello insidentem, signum crucis prætendentem, & humili voce intonantem: hi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Domini Nostri sperauimus, flumen ingredientem, aselli crura (res mira) non plus genibus aqua adobruente, nihil madefactum transeuntem inspectauit tota militum phalanx. Quo miraculo Rex stupefactus ad Famuli Dei pedes prouolutus, eius manus deosculabatur assiduè, & vt ad destinatam cellulam reuerteretur promittens, se, & sua illi commendans, maiora pro fabrica Xenodochij est impartitus donaria, & possessiones inter Arlanzonem, & Venam fluuios, in quorum medio S. Ioannis Capella conspicitur.

Reuersus denique ADELELMVS Burgensem vrbem, protinus ad sua diuersatus charitatis & deuotionis officia, peregrinis cœpit continuo ministrare, nudos vestire, famelicos saturare, infirmos curare, deuios reducere, & alia innumera misericordiæ exercitia peragere, quæ si omnia describerentur, longissimam aggrederemur prouinciam. Illud celebre fuit, de quadam muliere, qua furore sic dignoscebatur affecta, vt quoscumque obuios, morsibus laceraret, quam ad S. Viri conspectum, funibus ligatam viri pij trahere proposuerunt: quæ cùm ab ADELELMO fuerit contacta, scissis vestibus, à dæmonum vexatione protinus extitit liberata. Altera item fœmina cùm in agro sine cura ore aperto dormiret, in eius fauces anguis ingressus, miseræ mulieri, mortem, contusis spiritibus, afficiebat: malo occurrere, & Dei benignitas,

benignitas, & S. Viri ADELELMI preces, quibus, post benedictionem susceptam, protinus colubrum mulier expuens, gratias Deo, & S. Abbati peregit æternas. Sacerdos quidam, & alij innumeri quartana febri laborantes (erat enim huic malo S. Vir insignis, & cœlestis medela) ad eius tugurium accedentes cateruatim, silentiosis obmurmurationibus quotidie ab illo medicinam expetebant contriti, quorum turbas, quia sigillatim contingere non poterat, aquam benedicebat in pelui, vt hyssopo ægrotantes aspergens, quos gutta quælibet, licet minima pertingebat, penitus sanitati restitutos, ad propria actis gratiis reducebat affectus.

Post hæc, & huius generis innumera alia pietatis, & insignium opera, cùm tempus accederet, quo beata illa anima, à nexu carnis libera, ad gloriam properaret æternam, incepit febricitare, viribus destitui, & ægritudinis grauedine debilitari: quæ omnia cùm iam mortis imminentis, præcisa esse indicia conspiceret, euocato Petro Pampilonensi Episcopo, omnium suorum peccaminum confessionem exegit, cæterisque aliis S. Ecclesiæ Sacramentis vallatus, ad illius temporis necessitudinem spectantibus, ad Oratorium S. IOANNIS se deportari præcepit, in cuius ingressu, hæc dixisse verba, didicimus: *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me:* post vili ad corpus exomide cinctus, & in cinerem prouolutus, deosculata Psal. 53.
Cruce, pro omnibus orans; *in manus tuas* (dixit) *Domine commendo spiritum meum*, & obdormiuit in Domino. Mox omnis Ciuitas, & Clerus ad Oratorium confluentes, eius patrocinium implorabant, & vt exequiæ celebriter peragerentur, contendebant. Per triduum in ipso Sacelli angulo corpus absque corruptione permansit, quo tempore plura Deus contactu S. Viri cadaueris patrauit insignia; inter quæ, puer paralyticus, qui in cellula famuli Dei perstiterat sanitatis consequendæ suffragio, spectans suorum laborum requiem, cum primum mortem sui benefactoris agnouit, ad oratorium accersitus, & ad pedes S. Viri prouolutus ipso quo corpus tetigit momento, sanus, & integer resurrexit, præstante Domino Nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit in sæcula sæculorum. Amen.

Hucusque Acta MS. à Rodulpho Monacho synchrono conscripta, quæ ferè in nihilo differunt, ab illis, quæ Hispano sermone texuit Sanctorus. Epigraphen ad eius tumulum scripsit Poëta peruetustus inter Carmina Codicis Auli Hali mei, hoc lemmate:

AD TVMVLVM ADELELMI
Abbatis Burgensis, quem vulgo
ELESMVM *vocant.*

EPITAPHIVM.

Hoc tumulo iacet ELESMVS *sanctissimus Abbas,*
Gallia quem genuit, quem sed Ibera tulit,
Casa-Dei primitus Sanctum cognouit alumnum:
Casa-Ioannis post obtulit alma domum.
Illinc primæuos suxit monastice succos:
Isthinc postremos construit vltro lares.
Gallia virtutes dedit; ast Hispania laudes:
Nascitur hic Sanctus; Sanctior hic moritur.

Circa

Circea Actorum huiusmodi intelligentiam, aliqua notauit P. Bollandus tom. 2. Act. SS. fol. 1056. & insequendo vestigia P. Marieta, Constantiam Reginam, Alphonsi VI. secundam vxorem, cuius precibus S. Vir ADELELMVS Hispanias inuisit, Ludouici Gallorum Regis filiam scripsit, cuius errorem postmodum in Notis ad Vitam c. 1. lit. E. optimè abstergere conatur, ast ad veritatis apicem non accessit. Quid mirum? vix inter Nostros secura sententia est. D. Prudent. de Sandoual in Vit Alphonsi VI. fol. 50. illam filiam Roberti Burgundionum Ducis, dixit, ex sententia Gleber Rodulphi in fragment. Hist. Franc. quæ in Monasterio Floriacensi adseruantur, his verbis: *Hic* (Alphonsus Rex) *filiam* Roberti Ducis Burgundionum *duxit in vxorem, nomine* Constantiam, *de qua suscepit filiam, quam in matrimonium dedit* Raymundo *Comiti, qui Comitatum trans Arabim tenebat*. Et addit Sandoual, quod isthæc *Constantia* primò nupserat *Hugoni Comiti Catalauniorum*, quæ orbata marito, ab *Alphonso* propter illius virtutes, & pulchritudinis famam expetita, in coniugem recepta fuit. Iulian Petr in Chron. n. 633. agens de morte AVLI HALI mei, quem ipsa Regina è Gallia Toletum adduxerat, ista verba profatur: *Viuebat hoc tempore iam ætate decrepitus* AVLVS Halò, *Poeta Burdigalensis, donatus Ciuitate Toleti ab Imperatore Adefonso VI quem dicunt venisse ex Gallia cum D. Regina* Constantia, *filia Regis Gallorum* Henrici *Sorore Regis* Philippi. En ex Iuliano, qui per illa tempora viuebat, Constantiam filiam Henrici I. qui Anno M XXXI. viuere desiit, relicto Philippo I. qui ad Annum Domini M. LXXXI. regnauit, cuius soror erat Constantia, quæ nupserat Alphonso, ex quo tanto teste, sedata remanet isthæc controuersia.

Maior insurgit circa opinionem ipsius Iuliani in Chron. n. 627. dicentis: *Burgis moritur* S. ELESMVS *Monachus Benedictinus, qui venit ex Gallia iubente* D. Berengaria *Augusta; agitur eius dies festus XXX Ianuarij, dicitur* ADELESMVS. Quæ ista Berengaria Augusta? Nullam hoc nomine coniugem Alphonsus accepit. Vt quid Augusta? Nulla inter Hispaniæ Reginas hoc titulo condecorata dignoscitur. Quid ergo hoc Iuliane? Crederem locum Iuliani (vt alia innumera) vitiatum, & loco BERENGARIÆ substituendum esse nomen BERTHÆ, quæ fuit vxor Henrici III. Imperatoris ex quo AVGVSTA. Quod si ita fuit; hæc impulsio, aut iussio à Nostro Archipresbytero recensita, intelligenda est, de iussione facta ab Imperatore, instantibus fortè epistolis Constantiæ Hispaniæ Reginæ, quæ hoc medio vsa est, vt promptius Hispanias aduentaret ADELELMVS.

Eius sanctitatem sic postmodum fuit luculenter veneratus Alphonsus VII. Constantiæ nepos cognomento Imperator, vt in eius parmis, & scutis, seu alibi semper astante depingeretur ADELELMO. Sic Alphonsus de Carthagen. in Anacephal. Hispan. c. 67 his verbis: *Depingitur* Alphonsus *cum diademate Imperiali, & sedens propter eminentiam dignitatis, quia Imperator vocatus est. Depingitur in margine Imperatrix vxor eius, &* Beatrix *filia eorum, quæ nupsit Regi Franciæ &* S. ADELELMVS *qui tempore illo* (miraculis) *florebat, cuius* Corpus *reconditum est, in Ecclesia ab eius nomine intitulata, quæ vocatur* S. ADELELMVS *propè extra muros Burgensis*.

De Sepulchro nulli dubium est, primò in propria S. Euangelistæ IOANNIS Ecclesia Corpus S. Viri sepultum; donec Anno M. CCCC. LXXX. insignem Oppidani S. ADELELMO erexerunt Parœchiam, quæ adhuc extat, in qua sepulchrum magnificum, quo eius requiescunt lipsana, abhinc centum annis perseuerat extructum.

Quatenus ad Annum Mortis in varias discinditur Scriptorum calamus. P. Marieta illam ad Annum circiter M. LXX. ad M. XCIX. reiicit P. Antonius de Yepes: ad M. C. III. plus minus contendit P. Bollandus: ad M. C. XXX. scribit Iulianus Petri, si in numero marginali abest error. Ego cum Bollando sentire compulsus sum, ex diplomatum diebus, quibus à Rege Alphonso VI. aliquæ donarij nomine possessiones S. ADELELMO conferuntur, vt ex eis patet. Abhinc crederem inuersam fuisse clausulam in edito Iuliani codice, & vbi numerus 1130. apparet; reponendum esse 1103. quo ad veri Anni apicem pertingemus, & amplius ab aliquorum discrepantia immunes, securum portum tenebimus.

B S. ELESMVS Confessor, & Eleemosynarius] Huius Beati Confessoris memoria adhuc in Burgensis Ecclesiæ fastis perseuerat. Longè ab ADELELMO de quo proximè diuersus, licet nomine, & sanctitate pares. A vero deuiant, qui vtrumque confundunt,

fundunt, nam licet Hispanismo vulgari, alter, & alter LESMES vocitetur, attamen inter illos longa discrepantia est. Nam iste Hispanus, ille Gallus: iste sæcularis, ille Monachus: iste ad Annum MCXC. ille ad annum M.C.III. Iste denique famulus, & Eleemosynarius S. Iuliani Episcopi Conchensis, ille apud Burgenses diuersatus, ibidem extitit hospitator insignis. De isto sic Philipp. Ferrar. h. d. *Burgis* S. ELESMIS *Presbyteri*, & die 28. iam dixerat: *Apud Burgos in Hispania* S. Elesmis *Presbyteri*, *&* *Confessoris*; & licet toto cœlo aberrauerit, illum *Presbyterum* recensens, vt optimè notauit P. Bolland. in Prolegomen. ad Vitam S. Adelelmi fol. 1050. tamen dignus venia est, propter ignorantiam Actorum. P. F. Thom. Truxill. in Thesaur. Concionat. die 28. Ianuar. fol. 630 de illo ista verba connectit: *Ex mandato Viri Sancti* (Iuliani) *quidam eius famulus distribuit frumentum istud pauperibus; vocabatur famulus ille* LESMES, *qui ex ingenti labore quem sumpserat in tritico distribuendo, mortuus est, non minimam sanctitatis suæ opinionem apud Ciues relinquens.* In antiquo Breuiario Conchensi edito Ann. 1558. isthæc: *Ille qui granarius dicebatur* ELESMES *nomine Sanctissimus, granaria confidenter adiit.* P. F. Anton. de Yep. in Chron. Benedict. tom. 6. cent. 7. Ann. 1091. c. 2. omnia complectens, ista recensuit: *Inuenitur alius* S. LESMES *ex Burgis ortundus, famulus S. Iuliani Episcopi Conchensis, & ipsius Eleemosynarius. Huius Prælati adest memoria, qua deprehenditur, quod si pauperum necessitatibus subueniret, vt ad ministerium distributionis tritici* ELESMVM *elegerit, qui tanto constrictus labore, fractis renibus, vitam post doloribus oppressam exegisset, quos patienter obibat, donec mortuo S. Iuliano ad patriam rediens Burgensem, ibidem sancte, & quiete vitam finiuit.* Eadem P. Ioannes Escudero in Vit. S. Iulian. c. 3. Villeg. Ribadeneyr. in Floribus SS. P. Mariet. Hist. SS. Hispan lib. 1. c. 37. Martyr. Ricc. Histor. Conchens. & M. Ægid. Gonzal. tom. 3. Theatr. Eccles. Burg. & alij. Eius Acta, hæc:

ACTA B. ELESMI ELEEMOSYNARII Confessoris apud Burgenses ex Actis S. Iuliani Episc. Conchens.

ELESMVS natione Hispanus, patria Burgensis, vrbs, quæ tunc totius Regni Castellæ Veteris Curia, & Principum Sedes dignoscebatur. Ibidem ex parentibus honestis natus, licet pauperibus, sic virtutem est toto corde amplexatus, vt in contubernium Iuliani Conciuis, famuli titulo deueniret. Quem postmodum est insequutus, donec S. Heros ad fastigium Conchensis Ecclesiæ Præsulatus euectus, vrbe Burgense relicta, ad Sedem properauit mandatam. Indiuiduus ELESMVS extitit Iuliani pedisequus, sicque Concham cum Domino pergens, ibidem honestum præbuit Præsuli famulatum, præcipuè in extruendis canistris, quæ iunctim cum S. Episcopo texebat, & postmodum ad forum adsportabat, venaliaque faciebat, ex quorum pretio vterque vitam sustentabat: nam redditus Episcopatus inter pauperes distribuens Iulianus, ministerio ELESMI, hoc opus erat exercitio, vt sibi alimenta perquirerent. Alium in famulo Iosephum videres, qui ex Pharaonis horreis in pauperum subuentionem grana indefesso labore distribueret. Euenit, vt repletis granariis Dei virtute, sic in distributione tritici ferventi charitate, defecit, vt disfractis lumbis, elangueret ELESMVS; cuius ægritudinis labor, & dolor ad vsque ipsius vltimum vitæ Spiritum Virum Dei afflixit, ita vt in posterum curuus, & herniosus omnibus appareret. Mortuo demùm S. Iuliano, ad patriam repedauit ELESMVS, bonorum operum sarcina onustus, quorum diuitiæ (cum illas nec tempus, nec tinea demoliatur) coram Deo, & hominibus magnificum procerem effecerunt. Nec loci mutatio S. Dei famuli mutauit feruorem, quin potius quotidie ad perfectionis apicem anhelans, innumeros virtutum manipulos coaceruauit; donec mortis suæ horam præsentiens, animam Domino commendauit,

mendauit, & postmodum ipsius spiritus ad æternam, qua fruitur, beatitudinem euolauit die XXX. Ianuarij Anno Domini M.C.XC. Eius sacrum Corpus versus Ecclesiæ Cathedralis chorum honorifice seruatur in lapideo sarcophago. Plura eius interuentu Deus patrat miracula, nam qui infirmitate nephritidis laborant, ad tumulum venerabilem accedunt, & refricatis ibidem dorsis, mirabiliter sanitatem, Deo annuente recipiunt.

IN TVMVLO S. ELESMI CONF.
Carmen Sepulchrale.

Moles en ista tegit sacras Venerabilis Almi
Exuuias LESMI, *qui fuit vrbis honos.*
Burgensis patriâ, Pater & fuit vnicus vrbis:
Cùm sibi nullus erat, omnibus vnus adest.
Pauperibus dando complet mandata Magistri:
Diuitias cumulans, ipseque pauper abit.

Hæc sunt quæ potuimus ex Actis S. Iuliani Conchensis Ecclesiæ Episcopi, qui Beati huius ELESMI fuit heros, excerpere, Deo sinentes quæ Nos inuestigare non valemus.

PRIDIE KALEND. FEBRVARII, DIES XXXI.

A. *Cordubæ in Bætica natalis B B. Dominici Sarraceni & XVIII. Sociorum M M. Septimacensium, qui cùm ab excidio istius vrbis à Mauris patrato, Captiui in ciuitatem Patriciam fuissent illati, & in horrido ergastulo miserabiliter coniecti, post temporum prolixitatem, & tugurij squalorem, vitam hanc ærumnosam cum æterna apacibili, abscissis capitibus commutarunt.*

B. *Apud Sauriam propè Conimbriam Portugalliæ memoria* B. Martini *Canonici Coimbricensis, qui cùm Templarios Milites, Sarracenos inuadentes, in prælium fidei zelo comitaretur, in congressu captus, in Scalabim deductus, & in carcerem coniectus esset; post Eboram,*

Hispalim,

Hispalim, & Cordubam perlustrasset, hic virtutibus admirabilis, & mirabilibus clarus spiritum Creatori reddidit inuictum.

NOTÆ.

[A] SANCTVS DOMINICVS SARRACENVS *& Socij:*] Eorum memoria hactenus in Martyrologiis haud reperitur, licet in cordium Hispanorum membranis, & aliquot schedis vetustioribus inueniatur, vt apparet ex congestis ab Ambros. de Moral. post Notul. ad S.Eulog. fol.352.P.Martin.de Roa Hist.SS.Cordubens.fol.186.qui ad vltimum diem Decembris, eorum perducit agonem. Et in Hist. de Antiquit. SS. Martyr. Cordub.c.1.n.fin.fol.33.Mariet.lib.2.Hist. SS. Hispan. c.90. *Qui in hunc Diem eorum passionem adsignat.* Et si P.Bolland.in Act.SS.h.d.fol.1079.secutus P.Roam,de illis ita in prætermissis loquatur: *SS. Dominicus Sarracenus, & XVIII. Ciues Septimacenses, Cordubæ circiter annum DCCCLXXV.martyrio coronati,quos ad mensem Decembris ex auctoritate P.Roæ reiicimus.* Eorum acta omnia penitus deperiere,aliqua commonstrat vestigia eorum sanctitatis Veremundus II. Rex in diplomate à Moral. recensito ex schedis Compostellanæ Ecclesiæ fol.353.Cuius copiam infra dabimus.Idem Ambros. de Moral.Hist.Hispan.tom.3.lib.17.c.2.fol.265. En acta ex Veremundo:

ACTA SS. DOMINICI SARRACINI & Sociorum eius Ciuium Septimacensium, & Martyrum Cordubensium. Ex diplomate Veremundi Regis II. Gallæciæ, post Legionis, Anno DCCC. LXXXVI. & aliorum peruetustis monumentis Chronicorum Hispaniæ.

S. Dominicus Sarracinus Iannez Patriam habuit vrbem Zamoram Hispaniæ peruetustam, quam antiquis temporibus, errore situs, Numantiam dixere. Militarem à puero, instante generosi sanguinis impulsu,& naturalis roboris strenuitate,vt illa exposcebant tempora, induit Baltheum, quo ad Hispaniæ restitutionem Christianus bellator accesserat. Vxorem duxit pientissimam,vt creditur,fœminam nomine Violanta, cuius auxilio post in carcere inclusus apud Cordubam Martyr inclytus ergastuli pœnalia patientissime transigebat. At igitur Domino permittente, & peccatis exigentibus, mucro hostilis, & crudelitas iniquorum,sæuiens scilicet Hismaelitica gens promouit se ex Hispaniæ partibus aduersus Christianos. Et pergens armata venit vsque ad Septimacensem ciuitatem, & cateruatim eam circumuallans,atque in arcu,& sagitta eam obsidens, diruptis muris, & aperta ianua,irruit in ipsam ciuitatem Et sicut scriptum est: Qui conterit multos,& innumerabiles, & facit stare alios pro eis: & nec alio loco, nec alio modo moritur homo, præter quod positum est, gladio vindice, & hominum scelere præualente, quos ibi Christianos inuenit in ore gladij peremit. Et diruta ciuitate, pauci qui remanserunt ad Spaniam,in Cordubensem vrbem ducti in captiuitatem, onere cathenarum onusti,atque ferro vincti,& carcere trusi,duos annos,& dimidium ibi peregerunt, laudantes, & benedicentes Deum vnum, & trinum, semper viuum, & verum. Quot illic corporum angustias passi, quas ærūnas pertulere,labores subiere, probra hausere, dolores, cruciatus, &

& tormenta tolerauere, fames, calamitates, & mœrores sustinuere, ille qui eos glorioso coronauit agone, Pater afflictorum, & Caput Martyrum, à longè, & æternaliter sine fraude cognoscit. Ergo Violanta vxor *Dominici* cognita coniugis charissimi captiuitate, relicta patria, consanguineis, & facultatibus communibus, Cordubam adiit, & vt marito in vinculis constituto solatio esset, & vt si propriis rebus vtriusque familiaribus, posset, illum à tàm horrendo captiuitatis onere liberaret. Quoad primum, rem acu tetigit prudentissima, & pientissima coniux. Quoad redemptionem, oleum, & operam perdidit, aut quia Sarracenorum Cordubensium Rex Issen, aut Iscam, à vinculis *Dominicum* emittere renuit, aut quod verius creditur quia Rannimirus Rex Legionis, tempore cuius excidium Septimacense prouenerat, accepit vtriusque coniugis bona, hæreditates, & cortes, quæ in vrbe Zamorensi erant, & retinuit indecenter, sine alicuius serie testamenti, vsque ad eius obitum. Ex quo licet Violanta de mariti redemptione prospiceret, cum in regis bursam, bona peruenire cognosceret, nec maritum à vinculis soluit, nec Regis valuit elimare perfidiam. Sed quoniam Deo cura est de omnibus, maximè de eis, qui positi in tribulatione cum spe, & fiducia Deo animas suas, simul, & corpora in benefactis commendant: voluit pietas diuina, quomodo iam prædestinatione ordinauerat, illorum ærumniis, & laboribus, & etiam temporalibus malis finem imponere. Et vt ad eum cui famulatum exhibuerant, cum palma martyrij tripudiantes, venirent, permisit ipsum tyrannum, qui eos captiuos duxerat, de squalore carceris ipsos eiicere, & gladio interfectos, sanguine proprio laureatos ad regna cœlorum, & præmia, atque æterna munera à Deo illis præparata, coronandos, & remunerandos dirigere. Pridie Kalend. Februarij Anno DCCCCLXXXV.

Ante huiusce coronationis effectum, è viuis abierat Rannimirus, & Veremundus Princeps, Gallœciæ Rex, in regno Legionensi parentum, & auorum suorum, nutu diuino fuerat piè electus, & solio regni collocatus. Qui pietate motus in redemptionem animæ suæ, Martyres adhuc viuos, inde educere satagebat; ad cuius charitatis opus Oratores Cordubam ad vsque delegans, cùm Nuntij in via essent, de Sanctorum agone certiores facti, Regi per literas nouitatis epitomam rescripserunt. Qui, vt cognouit, & quod ipsi Sancti iam in Regno cœlorum essent, placuit eius serenitati, vt hæreditatis ipsius S. Martyris *Sarraceni* Ecclesiam faceret hæredem. Quia inutile, & inconueniens erat, vt ille esset in regno cœlorum, & hæreditatem eius possideret rustica, & laicalis conuentio. Ideo omnia eius Sancti bona concessit S. IACOBO Apostolo, Hispaniarum Patrono, eiúsque S. E. Compostellanæ, & dilecto Dei Petro eius Episcopo, in memoria, & veneratione Sancti illius iam dicti Dominici, vt habeant inde habitantes, & Deo seruientes, atque per singulos dies, & annos memoriam illius facientes, & sacrificia, & orationes Deo offerentes, temporale subsidium: & illi cum S. Dei Apostolo Iacobo etiam in perpetua remuneratione à Deo recipiant collatum præmium inconuulsum. Violanta Martyris vxor pòst (tumulatis corporibus Sanctorum, & expletis pietatis officiis) ab vrbe Corduba non discessit, quin per annum viuens, & bonis operibus vacans, demum glorioso fine quieuit, & in Ecclesia SS. Acisçli, & Victoriæ sepulta quiescit, vt eius sepulchralis lapidis epigraphe, etsi pererratis literis, manifestat.

OBIIT FAMVLA DEI .:.:.:.:
DIDICVS SARRACINI VXOR
ERA. T. VICESIM. V. KAL.
AGS.

Corpus

Corpus *S. Dominici*, vt creditur, ad vrbem Zamorensem, eius patriam delatum, in Ecclesia eius nomini dicata, conditum, in summa apud Conciues, & conuicinorum oppidorum accolas veneratione habitum fuit. Aliorumque lipsana Martyrum Sociorum Septimacensium, vt pia recepit opinio in Ecclesia S. Petro apud Cordubam, cum aliorum Sanctorum exuuiis anno Domini M. D. LXXV. inuenta, in honoratiori loco reposita sunt, vbi cultu debito quiescunt.

Istius relationis ecphrasis partim ex priuilegio Veremundi Regis, quod latinè post opera S. Eulogij tom. 4. Hispan. Illustrat. fol. 353. & Hispanè tom. 3. Hist. Hisp. lib. 17. c. 2. vulgauit Ambros. Moral. Et partim ex nostris Chronicis. Quod ad dilucidationem attinet actorum, aliqua à nobis probanda sunt, ne tantorum Martyrum claudicare videatur anamnesis. *PRIMO* inquirendum est an sit verum, quod P. Marieta pro certo scripsit, dicens *S. Dominicum* ex patribus Mauris processisse, illúmque perfidum dogma secutum, donec ad fidem conuersus, in baptismatis lauacro nomen illud accepit? Cui dicterio non est adhærendum, quia causa impulsiua, qua innixus Marieta fuit, desumitur ex ipsius verbis, sic: *Hic* Dominicus *à principio erat Maurus, vt ex nomine* Sarraceno *apparet*. Sed hæc causa corruit, quia cognomen *Sarracenus*, & *Sarracinus* (vtroque modo in antiquis scripturis inuenitur) fuit nobile in Hispania, & ex antiquissimis nostræ regionis nobilibus, quos *Hidalgos* dicimus, vt probat Ambros. Moral. d. lib. 17. c. 2. sic: *Etiam cognomen* Sarracinus *multoties in antiquis priuilegiis nostrorum Regum reperitur*. Et licet nihil expresserit, ego in probationem adduco illud priuilegium, ab hoc Veremundo II. Rege concessum ipsas Kalend. Ianuar. Ann. DCCCCLXXXVI. quo passi sunt isti SS. Martyres, Monasterio Cellæ-nouæ in Gallœcia, quod refert ipse Moral. d. lib. 17. c. 1. fol. 264. col. 2. vbi inter alios proceres nobiles, quos vulgo *Ricos homes* dicimus, confirmat *Sarracinus Siles*. Item nam ista opinio Marietæ etiam claudicat in relatione, asserens *Dominicum originem trahere de patribus Mauris:* quia omnino contrariatur verbis priuilegij Veremundi, in cuius continentia dicitur: *Inter quos fuit Vir felicissimus nomine* Sarracenus, *proles Ioannis.* Si ergo Pater *Ioannes*, quo titulo illum Marieta vocitat Maurum? Meo videri hunc errorem contraxit doctissimus Pater Marieta, ex eo quod legerat in priuilegio: *Placuit serenitati nostræ, vt hæreditatis ipsius supradicti Martyris* Sarraceni, *qui in baptismo* Dominicus *vocitatus est.* Credens ex hac periodo, baptizatum grandæuum, sicque Mahometanæ adhæsisse ab origine dogmati. Sed hoc quàm à vero deuiet, nullus est qui ignoret, cum illa specifica demonstratio nominis in baptismo recepti, non ad grandiorem refertur ætatem. Sed ad expressionem nominis proprij, quia cum in tota priuilegij contextura, nulliter proprij nominis recensuerat vocabulum, ne deperiret hoc, & cognitionis, demonstrationisque gratia maioris, illud attentè Rex expressit ibidem. His finem imponant verba P. F. Alphonsi Vasquez de Mirand. ir. Vindiciis S. Ildephons. lib. 1. c. 7. fol. 40. sic: *Erat hic insignis Vir* (Dominicus Sarracinus) *nobilissimus apud Zamorenses, ipsiúsque vrbis originarius, qui anno* 981. *Almanzori resistens facinus admirabile patrauit.* Ex quo ab illa liber nota Martyr sanctissimus remanebit.

SECVNDO de Matrimonio S. Martyris Dominici cum Violanta quæritur? De quo est videndus Ambros. Moral. d. lib. 17. cap. 3. fol. 268. Cui non inficiatur P. Roa. Hist. SS. Cordub. fol. 188. col. 2. Qui ex relata epigraphe sepulchralis inscriptionis, suspicantur, & matrimonio fuisse Martyrem adstrictum, & vxorem *Violantam*, ex vestigiis lapidis, vocitari. Quod & repetit Moral. lib. de Antiquit. Cordubens. tom. 2. Hist. fol. 130.

TERTIO de numero Sociorum, dubitatur. P. Marieta XVIII. enumerat, quem sequitur P. Bollandus. Quo fultus tibicine, adhuc ignoro. Eos secuti sumus, nam pro nobis tanti Patris sufficit auctoritas.

QVARTO de Anno agonis, disceptatur. Ambros. de Moral. d. c. 2. & P. Roa, Marieta, & Vasquez ad annum DCCCCLXXXV. aut LXXXVI. reiiciunt; hoc discrimine. Qui ad annum LXXXV. contendunt Martyres mense Decembri. Qui ad annum LXXXVI. affirmant mense Ianuario, & hoc die passos fuisse. Error adest in prælo Bollandi, quò annus DCCCLXXXV. subsignatur.

QVINTO de translatione corporis S. Dominici ad Zamoram. Dubitat Morales: traditioni adhæret Zamorensi, Templo, & Sepulchro P. Roa. Inconcusse affirmat P. Vasquez, his verbis: *Postea corpus huius inclyti Viri* (Dominici Sarracini) *fuit apud Zamoram translatum, tempore Regis Ferdinandi III. cognomento Sancti, qui Cordubam, & Hispalim adquisiuit,& hodie in hac vrbe Zamora, eius nomen in pretio est, cui Ecclesia extra vrbem dicata conspicitur.* Addit Roa, quod ibidem Martyris sepulchrum, à quo Oppidani terram extrahentes, deuotionis feruore, vt infirmis subueniant, ipsisque puluerem delibutum aqua conferant, inuisitur.

SEXTO, de inuentione pignorum Sociorum. Videndus Ambros. de Moral. d. lib. 17. c. 10. fol. 280. vbi coniectat, quod inter sacras glebas in arca marmorea inuentas anno M.D.LXXV. in Ecclesia S. Petri Cordubensi, olim Cathedrali, nonnullæ reperiuntur, quas ex relatis fuisse martyribus, constans opinio fuit.

CORDVBA. De hac insigni vrbe, breue die XIII. huius mensis, licet verum consarcinaui elogium. Nunc de eius fundatione primam opinionem appingam. Dicunt enim huius sententiæ Scriptores conditam fuisse à Persis, quos in Hispaniam aduentasse Plinius lib. 3. c. 1. ex Varrone tradit, ipsosque illi nomen *Cordubæ* imposuisse, ob memoriam alterius vrbis, quam eodem nomine, in propria & vernacula habebant regione. At Ambros. Moral. in sua Cordub. fol. 361. hanc opinionem refellit. Cui libenter adhæremus: ad alia pergo.

B S. MARTINVS *Sauriensis.*] Eius memoria in martyrologiis haud innotescit. Illam eruit ex antiquis monimentis primò Andr. Ressend lib. 1. Antiquit. Lusit. c. de Montib. verb. Tapiæum, sic: *Tapiæi montis nomen apud Scriptorum antiquorum, quempiam non legi; inueni tamen in vita* S. Martini Sauriensis *Presbyteri, scripta à saluato alumno eius familiari.* Et lib. 2. tit. de Fluminib. verb. Ancus. vbi eadem refert. Ipsam restituit P. Anton. Vasconcell. in Descript. Lusit. fol. 457. n. 22. his verbis: *Non debet inuolui silentio tantus dignissimus præconiis* Martinus *Vir Sanctissimus* Souri *oppidi, quatuor à Conimbrica leucis dissiti,* Archipresbyter, *qui Tarasiæ Portugallensis Reginæ, Primi Alphonsi matris, ætate, obscuro detentus Carcere Cordubensi, quia Christum, vel inuitis Mahometanis fatebatur, eodem ex ergastulo in æternam regiam cæli euolauit.* Denique eandem suscitauit D. Thom. Tamayo de Vargas Regius Historiographus, qui ex S. Crucis Conimbricensis Ecclesiæ schedis extraxit S. Viri acta, sic elimatis prooemiis.

ACTA S. MARTINI SAVRIENSIS Presbyteri, & Canonici Braccarensis ex MSS. Codic. Eccl. S. Crucis Conimbricens.

MARTINVS in vico, quod dicitur Auranca, quod, vt fertur ab vrbe Colimbriensium XXVI. distat milliario, progenitus fuit. Pater eius Arias Manuelis, mater vero Argia vocabatur: qui quamuis de humili germine, erant tamen simplices, & recti, & quod rerum exitus probauit, Deum præcipuè timentes. Nam post felicem matris ab hac luce discessum pater vsque ad suæ vitæ terminum, eremiticam vitam peregit. Qui superstites, id est, dum in hoc mundo vixerunt hunc præ cæteris filium *Martinum*, videlicet, nimio affectu nutrientes, à primæuo infantiæ suæ tempore, eum literarum rudimenta docuerunt, atque diebus omnibus eum Domino seruiendum promiserunt. Accidit autem quodam tempore, vt præfatæ vrbis venerabilis vitæ Antistes, Mauritius nomine, de finibus Braccaræ Metropolitanæ vrbis aduenìens per supra memoratum vicum contigit habere transitum: quem parentes ipsius, de quo nobis est sermo, *Martini*, hospitio ouantes suscipientes, & vt eis possibilitas adfuit, hilare obsequium affectuosissimè ministrauerunt, dicentes sese in literalibus studiis cleri dictum filium habere, quem tanti Præsulis arbitrio obtemperare desiderabant. Quorum Episcopus affectionem agnoscens in sui Episcopatus sedem deferri præcepit. Deinde prosequente diuinæ spiritu pietatis Canoni-

corum

eorum cōſenſu, atque bonæ memoriç doctiſſimi Martini eiuſdē ſedis Prioris aſſenſu in numero Canonicorum puerulum *Martinum* præfatus Mauritius canonicauit. Qui in iuuenilibus adhuc poſitus annis miræ ſimplicitatis exiſtens, grammaticæ profeſſioni operam ſollicitus impendebat; nec erat obſtrepens doctrinæ. Hinc cùm per ſacri ordinis gradus, Chriſto duce, ad Preſbyterium veniſſet, veterem hominem cum actibus ſuis, à ſe omnino remouit. Sic quippè per omnia omnibus hominibus in bono placere ſtudebat, quoniam omnes de ſocietate illius plurimum gaudebant, atque Deum Patrem, qui in cœlis eſt, glorificabant. Non enim erat inuidus, aut elatus; non murmurans, aut verboſus; nec vana verba aut fabulas diligens, nec ſeruus gulæ, tanta enim in eo vigebat ciborum parcimonia, vt ſemper propriæ portionis panem pupillis diſtribueret, atque egenis; non erat negligens, aut piger, non oculis vagus, aut in inceſſu leuis, ſed per omnia grauis, maturus, & bonus. Qui Preſbyter, vt diximus, ordinatus viſitationis aſſiduæ medicamine ægrotantium curas lenire ſolebat. In diuinis quoque officiis plurimum erat aſſiduus; &, quod non parui muneris creditur, in omnibus ſuis moribus ſignum humilitatis habebat. Sed qualiter ad Saurienſium regendam Eccleſiam acceſſerit, venio.

Talibus, vt diximus, ornatus moribus, Tellonis Archidiaconi, omniúmque Canonicorum rogatu, D. Gundiſaluo fauente Epiſcopo, Saurienſis Eccleſiæ curam ſuſcepit. At cùm propter Agarenorum inſidias, qui tunc viarum commeatus clàm, necnon, & publicè incurſabant, graue captiuitatis pondus cum acerbæ mortis caſibus, hominibus inferentes, Vir Dei *Martinus* per abrupta collium deuius ire cogeretur, propriis humeris ſuis ſui ſumptus maſſaria deferens, aſperitatem propter inſolentiam admirans, tanti laboris onus faſtidiens, in vrbem Colimbriam, vnde illuc aduenerat, regreſſus eſt; timens ne propter aliquorum bacchantium ſtultitiam, niſi de prætaxata Eccleſia, aliquo munitus eſſet priuilegio vnde poſtea inluſus ipſe, vel ſua familia eiiceretur. Quo circa D. Gundiſaluus præfatæ Diœceſis Epiſcopus, & D. Prior eiuſdem ſedis Martinus, Tellóque Archidiaconus, omniúmque Canonicorum conuentus, per Reginæ Tharaſiæ Regis Adefonſi filiæ conſenſum, quæ tunc Portugallenſi præerat imperio, ſibi, videlicet *Martino* Preſbytero, & ſuæ familiæ, de Saurienſi Eccleſia chartam firmitudinis, hæreditario iure, fecerunt. Poſt ſtipulati teſtamenti confirmationem Vir venerabilis *Martinus* Saurienſium recturus venit Eccleſiam, nec eò terreni emolumenti hic venit deductus, quoniam vt animarum mederet languoribus, vbi pòſt neceſſariorum inopiam nonnullos corporum labores perpeſſus eſt. Erat namque ipſa ſuffocata Eccleſia, ſicut manibus paganorum pridem fuerat obruta. Hanc igitur interius, exteriúſque purgauit, & ad diuinum officium, vt res poſcebat, primitus reſarciuit: ſed poſtquam rei familiaris copia domi concreuit, cum Mendo Ariæ fratre eius, qui poſt diſceſſum ipſius, ſcilicet *Martini*, ibidem eſt Preſbyter ſubrogatus, præfatam Eccleſiam pòſt tempore, & loco conuenientius fabricauit, altaria inferius ornauit, libris quoque, ſacerdotalibus indumentis eam pulchrius adornauit, fabricam totius domus nihilominus conſummauit. Præterea vineta, olíueta, pomaria, & alia plurima arborum genera ſuis manibus complantauit, terras quoque, & nouales excolendo perrupit.

Sed iam ad eius laudabiliora vitæ contemplatiuæ negotia ſtylum, licet parumper, eleuare delectat, & qualiter ſui gregis, & aliarum plebium curam habuerit, de multis pauca libare. Plebem igitur

sibi commissam Catholicæ fidei regula sapientissimè instituebat: quippe omnes de pio religionis opere commonens, nunc alios ad confessionem Sanctissimæ Trinitatis conformans, nunc reliquos de promissione regni cœlestis inuitans, cæteris futuri examen iudicij minando proponens, non cessabat verba veritatis fructu fidei redundantia in plebe seminare. O virum nimiæ curiositatis circa omnes, ne in vitium laberentur, ac si eos omnes parturiret. Si aliquis ex his, quos pro zelo rectitudinis arguens, in contumeliam verborum deducebatur, quanto amplius ipsi efferebantur, tanto magis eorum ipse miserebatur insaniam, ita videlicet, vt ad eorum furorem sæpissime lenitatis fomenta præberet, donec sua mansuetudine iras litigantium demulceret. Si vero aliquis Officialium ciuitatum, vel locorum fœminam aliquam, filiamve alicuius, vi eam opprimens ad id loci, quo ipse morabatur, deducebat, vt in huiusmodi adsolet extremitatibus, Vir Dei illicò eis obuiabat, cognitóque per examinationem negotio, vel eos fœdere legitimo, si ius poscebat, coniungebat, vel nisi iuxta canonum decreta suo obtemperarent imperio, eos inde proculdubio expellebat. Etsi aliquis de numero clericorum talia illicitis modis sacrilegus illicitè præsumpsisset efficere, hunc velut hostem Catholicæ fidei procul inde reiiciebat. Nec petulantium iuuenum lasciuiam, seu bacchantium hominum stultitiam sustinebat, quos omnes ad æterni Regis solium venire cupiebat. Et ita, vt ait Beatus Gregorius, Ecclesiasticus Doctor non tàm doctrina debet clarere, quàm vita, ipse non solum sermone ad æterni Regni amœnitatem populum conuocabat, verum omnibus benè operandi sese præferebat exemplum, omnia námque; quæ de operibus misericordiæ cunctos edocebat, hæc, & plura præstantissimè peragebat, non
1.Cor.9.27. immemor Apostoli Pauli sic dicentis: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ego reprobus efficiar.* Qui dum in arce virtutis altius existeret, hospitalitatem præcipuè alacri mente omnibus hominibus exhibebat, quibus ea, quæ diuina dispensatio largiretur, cum gratiarum actione, & vultu
2.Cor.9.7. hilari ministrabat. Sic enim Apostolus præcepit: *Hilarem datorem diligit Dominus.* Et tanto charitatis flagrabat ardore, vt non solum aduentitios hospites dictis quibuslibet inuitaret, imò & quandóque resistentes trahens, eos secum in domum ire compellebat. Hos frequentius quam diuites, & potentes ad mensam conuocabat: nec tamen aulicos mensa eius capiebat minus; qui multoties Regium agmen cum suo Principe accuratissimè suscipiebat. Hæc & plurima misericordiæ opera peragens, incredibile est memoratu, quantum laudis humanæ fauorem, velut pestem fugiebat, nec laude extollebatur, nec vituperatione frangebatur, non diuitiis tumescebat, nec paupertate contrahebatur. Et sic miles Christi gradiendo, læta contemnebat, & tristia. Cùm totius domus Paterfamilias existeret, de suis substantiis nihil depositum in aliquo habere cupiebat: verbi gratia, non aurum, neque argentum, in arca, vel in marsupio reconditum possidebat, & omnino quid de talibus fieret in propria domo, ignorabat: quibus taliter vti magnum crimen putabat. Mira res: cùm Dominus domus, vt dictum est, diceretur, quoties sub suæ chlamydis tegumento panem egenis, atque pauperibus deferebat: quibus descendendo veram exhibebat humanitatem, & eorum miserias compatienter tolerabat. Sic omnia sua bona in commune habebat, quatenus vniuersis vtilius,

quam sibi præficeret. Quis enim vnquam in Conciliis eum otiose sedere conspexit? Si tamen eo quandoque veniebat, aut tumorem bacchantis populi lenire satagebat, aut de exemplis Sanctorum Patrum sedatis iurgiorum tumultuationibus, eos plenius edocebat. Nunquam otiositas, quæ inimica est animæ, eum domi torpentem inuenit, quin potius in assiduis agrorum laboribus, sua sponte vrgeretur, si quando ab oratione, & à diuinorum officiorum celebratione cessabat; de quibus laboribus vberes fructus colligens, Omnipotenti Deo bonorum omnium largitori gratias referebat; & cum summa animi diligentia hunc Dauidicum commemorabat versum. *Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.* Cùm verò ab operatione manuum cessando domum rediret, licet medius esset dies, prius tamen solito more, sacræ solemnia Missæ celebrabat: nec prius corpus alimento reficiebat, quàm forum, & castelli plateas, si aduentitius esset, circuiret, quem secum ad capiendum cibum aduocaret. Cuius corpus non pulchris vestibus ornabat, sed moribus, & præcipuè pudicitiæ habitu pollebat: talésque socios semper desiderabat, quorum contubernio S. Ecclesia non infamaretur. Rexit autem eandem, vt verus Pastor Domini sui oues existimans quasi suas, pro eis vitam periculis exponens, factus Pater orphanis spectandus; Patronus viduis validus; ægrotantibus medicus assiduus; nudis tegumentum; famelicis nutrimentum, mœstis consolatio, dolore exanimatis voluptas, nullóque habito delectu, omnibus omnia, vt plurimos Christo lucrifaceret, bis vndecim (vno dempto) annis. Complures paganorum ab illa prophana Mahometis superstitione, sua prædicatione ad Christi fidem conuertit. Ps. 127. 2.

Ne huius ergo paginæ series tùm styli rusticitate, tùm etiam loquendi nimietate prolixius extensa violetur, aut vilescat, huic operi scribendi metas imponere iam volo; hoc vnum tamen reducere ad memoriam cupiens, quomodo ab huiusmodi profluuio extinctus migrauerit. Anno igitur ab incarnatione Domini M. C. X L I I I. tempore præclari Alfonsi Portugalliæ Regis, cùm adhuc paganorum procella ferociùs insaniret, Sauriensium fines inuasit, & multos mortales, homines videlicet, cum pecore, aliáque præda captitauit, & erant tunc in eodem oppido venerandæ religionis milites in templo Salomonis Hierosolymis professi; nam ob defensionem Sancti Sepulchri sustentandam, prætaxata Regina totius Castelli monarchiam cum suis redditibus, præter ecclesiastica iura, eis deuotissimè contulerat, quæ postea filius eius Rex Portugallensium Alfonsus eius manu propria confirmauit. Qui hostibus obuiare satagentes, eundem Presbyterum, de quo sermo transcurritur, sibi collegam adsciuerant, qui Christianorum interitum, & detrimentum Ecclesiæ condolens, támque reuerendissimis viris satisfaciens cum eis, prædictis hostibus obuiauit, cum quibus ferè omnibus, accidente infortunio, captus in congressibus belli, in Scalabitani castri mœnia, quæ tunc spurcissimis paganorum turbis pollebant, perductus est. Ingressus est itaque sua sponte, nullo cogente in horribile, & fœtidum carceris ergastulum, vbi compedibus Christiani tenebantur adstricti. Tanta animi diligentia erga Christicolas, & fidei consortes in eo erat, quos ne spurcissimis Maurorum ritibus commacularentur, & sic deformis fidei periclitarentur, prædicatione Euangelij pro tempore, & loco congruenter extruxit, & eis in proximo libertatem futuram, & Christianis eandem

ciuitatem

ciuitatem habituram, dono Christi, exclusa multitudine Agarenorum, fiducialiter agens prædixit. Quæ omnia non longo tempore post, vt prædixerat, claruerunt. Nam in sequenti anno à prædicti Regis industria eadem ciuitas est capta. Nec hoc aliquis ex desperatione grauiter accipiat, quod religiosus vir iam acerbæ captiuitati addictus sit. Postquam enim à patria cecidimus, vipereo haustu versuti serpentis, captiui, & exules in huiusmodi exilio viuimus, nec vnquam mundus diuersas tormentorum clades, præcipuè bonis hominibus cessat inferre, testante Apostolo, qui ait: *Sancti ludibria, & verbera experti sunt & vincula, & carceres:* & quidquid eis in hoc mundo aduersatur, vt Sancta refert Scriptura, pro merito virtutis habetur. Deinde à Scalabitano castro in Eborensium deductus ciuitatem, ibidem maiora expertus est infortunia, nam in carcerem detrusus, à perfidis fame penè interemptus est extractus, quo in Hispalensium ciuitatem dimissus, pósteque Cordubam attractus, post varios labores, angustias, & contusiones, Pridie Kalend. Februarij spiritum exhalauit. Cuius corpus honorificè Christianis sepulturæ traditum est in Basilica B. Mariæ; cui sit perennis vita iuuante Domino Nostro Iesu-Christo.

Sanctus Aluatus Sancto Martino Saur. Martyri Carmen Sepulchrale.

Sauria me genuit mundo, sed Corduba cœlo:
Presbyter in patria, Bætica Martyr amat.
Horrendi ærumnis *tres vinctus carceris annos*
Transegi: Tandem culmina celsa subi.
Æra Millena Centena Octóque Decena
Quarta; sub basto marmore clausus humor.

En acta, integriora quam à Bollando excripta. *Annus transitus ex Carmine* inspicitur, vt ex superiori vltimo apparet disticho M. C. X L V I. Nam Era subsignatur M. C. L X X X I V. à qua demptis X X X V I I I. annis remanent M. C. X L V I. Quæ computatio congruit relationi ipsius Saluati, qui in actis anno M. C. X L I I I. captum Sanctum Virum affirmat, & in captiuitate tres annos perdurasse in carmine demonstrat, quibus additis ad X L I I I. erit annus agonis X L V I. & sic Era Millesima Centesima Octuagesima quarta. Nec est audiendus ipse D. Thom. Tamayo, qui in calce actorum huiusmodi pro declaratione Epigrammatis subiecit, in Era designata numeros intelligendos, esse correspondere ad M. C. X X I I. credens verba *Octóque decena quarta*, esse X V I I I. & additis I V. compaginare X X I I. Nam vocabulum *Octóque decena*, illic non X V I I I. sed L X X X. significare, quod nos patrio idiomate dicimus *Ocho dieces*, qui faciunt *Octoginta.* Ex quibus clarior inuisitur actorum textamen, & Epigrammatis computus. Sed ad aliam Arithmeticam rationem pergo. Annus in quo *Sanctus Martinus* à Regina Tharasia fuit Ecclesia Sauriensi donatus incidit ad Eram M. C. L X I. vt ex diplomate inferius apponendo apparebit: ex ipsis actis Saluati colligitur, quod S. Vir rexerat illam Ecclesiam *bis vndecim* (*vno dempto*) *annis*, quibus additis ad X X I I I. componunt annum X L I V. & his adiectis I I I. captiuitatis faciunt X L V I I. quibus ferè vnum propter emergentiam detrahendum videtur, à die V I. Octobris datæ diplomatis, ad diem X X X I. Ianuarij consummati agonis. Ergo pro vtraque parte Era carminis non X V I I I. cum I V. id est X X I I. sed L X X X I V. dicenda est.

De Concessione Ecclesiæ Sauriensis S. Martino, adest apud ipsum Saluatum relatio ad vnguem priuilegij donationis, seu concessionis, quod Antiquis cartha testamenti vocitabatur, vt norunt Antiquitatum Hispanicarum exploratores; Eius contexturam exscribam, ne apud nostros pereat eius memoria.

In Nomine Domini. Cum illud Castrum, quod appellatur *Saurium* ob frequentem guerram Sarracenorum, raro incoleretur habitatore; placuit diuinæ voluntati per eximiam Reginã Tharasiam præficientem eidem Castello Gunsaluũ Gunsalui pro Principe manu teneri, cum Dei adiutorio, ac defensari. Quod vbi ego Episcopus Colimbriensis compertum habui, vtilitati nostræ Sedis prouidens, sollicitus fui Canonicos *Martinum Arias*, fratrémque suum Menendum ad Ecclesiam, quæ ibi iacebat destructa, reædificandam, atque obtinendam dirigere. Sed quamuis multum resisterent propter pauorem Maurorum illò ire, tamen gratia nostri permoti flexerunt animum suum, quæ imperabantur, facere, si ex testamento scripturam firmitudinis de illa supradicta Ecclesia factam à nobis sibi reciperent. Quibus Nos propter vtilitatem Sedis S. Mariæ acquiescentes, placuit mihi Gunsaluo Episcopo, & Martino eiusdem Sedis Priori, vnà cum assensu Canonicorum, Dominæ Nostræ Reginæ Tharasiæ chartam donationis, & firmitudinis facere, tibi videlicet prædicto *Martino*, fratríque tuo Menendo de supranominata Ecclesia, tali videlicet pacto, vt firmiter illam obtineatis, & secundum vires vestras reficiatis; & in vnoquoque anno, quod inde ad Sedem pertinet, fideliter reddatis. Et ab hac die in tempore, tàm vos, quàm quisque vestrum ex propinquitate vestra, professione Clericus fuerit, per successiones temporum firma stabilitate obtineatis; & nunquam eam sine vestra culpa, secundum decreta Canonum, pro aliquo alio homine perdatis. Supponimus etiam, quòd si peccatis exigentibus, iterum ab incursione Maurorum destructa fuerit, & præterea vos potueritis recuperare illam, licentiam habeatis semper possidendi eam quocumque tempore volueritis. Si qua igitur persona hoc nostrum factum temerario ausu disturbare tentauerit, non sit ei licitum per vllam adsertionem: sed quisquis fuerit, qui illam Ecclesiam vobis auferre præsumpserit, sit à Deo Omnipotente excommunicatus, & à sacratissimo Corpore Domini Nostri Iesu-Christi alienatus, & cum Iuda in inferno, nisi resipuerit collocatus; & hæc charta plenam stabilitatem semper obtineat; quæ facta est VI. Idus Octobris. Era M. C. L X I. Ego Gonsaluus Episcopus Confirmo. Martinus Prior. Conf. Tellus Archidiaconus Conf. Laurentius Archidiaconus Conf. Ego Tharasia Regina Conf. Gonsaluus Gonsalui, Test. Anaia Vestrariz, Test. Donus Arthaldus, Test. Menendus Nuñiz, Test. Martinus Presbyter Conf. Ioannes Presbyter Michaël Conf. Ioannes de Anaia Conf. Nicolaus Subdiaconus Conf. Petrus Presbyter notauit.

In toto huius relationis scirpo, nodum haud facilem inuenio, quo titulo si Mauritius Episcopus Braccharensis in Canonicum elegit, à Colimbriensi fuit confirmatus Presbyter Martinus Noster? Cui difficultati respondendum duxi, Mauritium non Braccarensem Præsulem, sed Colimbricensem fuisse, quia verba: *de finibus Braccaræ Metropolitanæ vrbis aduenieus*, intelligenda sunt de aduentu per transitum itineris, non translationis.

Savria, aut Savrivm. Oppidum in Lusitania à Conimbria XXVI. M. P. hodie, vt Vasconcello placet, dictum Sovre. à quo flumen cuius præterlabitur mœnia, nomen accepit, cum antea *Anci* nominaretur. Eius situm descripsit *Saluatus* in procemio actorum, hisce verbis: *Est ergo decursum* Anci *cuiusdam aluei, amœnè porrectum, frondosis vndique adumbratum nemoribus, fertilibus piscium*

circumseptum

circumſeptum gurgitibus, gramineis pulchrè ditatum conuallibus, longis equidem perfunctum noualibus, vineis conſitum circumquaque feracibus; partibus, quid moror? cunctis optatum cultoribus, ab vrbe verò Colimbrianorum X V I I I. *Auſtrum verſus, diſtat Milliario; ad Orientem ſunt* Tapei *montis ſaxoſa cacumina; à Setemptrionali regione vetuſtiſsimæ Ciuitatis* Condiſiæ, *necnon* A N C I *portus latiſsima panduntur confinia; ab Africa verò parte* Columbarij Caſtri *pateſcunt campeſtria. In hac quoque parte planities eius profuſius oſtenditur; ſed ob Iſmaelitarum excubias incultæ ab incolis relinquuntur. Verſus Occidentem ſubeſt Oceanus. Hic itaque ab antiqua rerum congerie arcis vetuſtiſsima panditur ædificium: in quâ priſcorum monumenta ferunt, Clauſtralium fuiſſe Cænobium. Ad hanc igitur arcem, & locum amœniſsimum, compluribus hominum turmis ad iure viuendum concurrentibus, praurgente labore conſtruxerunt oppidum, quod nomine ſuo nuncupati ſunt* S A V R I V M Hactenus Saluatus. Et Nos hactenus, tantùm cum Venerabili Beda in Vit. S. Cutbert. concludamus.

Hæc tibi cunctorum largitor C H R I S T E *bonorum*
Dona tui obtulimus ſummo de munere doni.
Magnáque præ modicis libantes gaudia dictis,
S A N C T O R V M *attigimus certamina celſa tuorum,*
Sperantes illis exoratoribus, vt tu
Sidereo dignos, qui iuſtus in axe coronas,
Indignis meritis, laxes vel debita nobis,
Vltima ſufficiunt illius in ædibus aulæ
Præmia, quâ cunctos tua viſio C H R I S T E *beabit,*
Vita manet S A N C T I S *luménque, ſalúſque per æuum.*

FINIS MENSIS IANVARII.

FEBRVARIVS.

CELEBRIS & religiosus apud Romanos, inter anni Mensium fastos, aut propter lustrationum anniuersaria, aut propter Manium, & defunctorum litationes, & parentalia. Mensis hic olim erat vltimus anni; sed interueniente X. VV. placito, post Ianuarium, secundò consignatus est, vt ex Ouid. lib. 2. Fast. liquet *Decem-Viri Februarium, secundum Mensem fecerunt Anni.*

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus, vt est, Iani mensis, & ante fuit.
Qui sequitur Ianum veteris fuit vltimus anni:
Tu quoquè sacrorum, Termine, finis eras.
Primus erat Iani mensis, quia ianua prima est:
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse Viri.

En BISQVINI, hoc est DECEMVIRI quo modo anni antiqui ordinem inuerterunt, & Februarium vltimum anni mensem, ex constitutione Numæ Pompilij; post primum hoc est Ianuarium, exposuere. Quod vt radicitus intelligas, animaduertere licet, Romulum in decem tantum Menses, anni ambitum distribuisse concors opinio est, causam ex Ouid. lib. 1. Fastor. expecta: *Numa vltimum Anni Mensem reliquit.*

Est tamen & ratio, Cæsar, quæ mouerit illum,
Erroremque suum, quo tueatur, habet.
Quod satis est, vtero matris dum prodeat, infans;
Hoc anno statuit temporis esse satis.

At vero regnante Numa, cum religioni deditus esset iste Princeps, Ianuarium, & Februarium addidit. Primum, vt Iano, tamquam omnium rerum parenti; secundum, Manibus, & Inferis Diis, vt vltoribus, quos propitios perquirebat, audi Ouid. lib. 1. Fast.

Ast Numa, nec Ianum, nec auitas præterit vmbras;
Mensibus antiquis, addidit ille duos.

Hoc cognito, ad huius mensis etymon deueniamus. FEBRVARIVS igitur Mensis nomen accepit à verbo FEBRVO quòd est LVSTRARE, vt inquit *Festus*: vel à Iunone FEBRVATA, quam alii FEBRVALEM: & Romani FEBRVLIM vocabant; quia hoc mense fiebant à fæminis Lupercalia, quibus ipsæ februabantur à Lupercis amiculo IVNONIS coopertæ. Primam *Festi* nomenclaturam amplexatur Ouid. lib. 2. Fast. quo, ex *Sabino* idiomate, & veteri Romanorum voce, etymon deducit: *Februarij etymon. Iuno Februata.*

Februa *Romani dixere* Piacula *Patres:*
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Ponti

Pontifices à Rege petunt, & flamine lanas:
Queis Veteri in lingua Februa *nomen erat.*

Februare apud Sabinos, quid?

Cui conueniunt M. Varronis de Ling. Lat. lib. 5. verba isthæc: FEBRVVM *Sabinis* PVRGAMENTVM *& id in sacris nostris verbum.* Eadem refert Plutarch. *in Numa.* Alii à Deo FEBRVO originem trahunt, vt ex Macrob. *lib. 1. Saturn. c.* 13. liquet. Nathan Chythræus de Rat. Vict. à FEBRE Mensem, dictum putat, quia eo FEBRIS lenta tumescit, sic in FEBRVARIO, Epig. 2.

II. Ethymon.

Febris *Nomen habens, & lenta* Febre *timendus*
Scindendam venam pollicis esse monet.

Nomina huius Mensis apud diuersas Nationes.

Varia FEBRVARIVS Nomina accepit à Gentibus, Apud Hæbræos SEBATH. Apud Syros ASCBBATH. Apud Chaldæos, & Ægyptios PHAMENOTH. Apud Abissinos IACHATIT. Apud Athenienses ELAPHEBOLION. Apud Macedones PERITIOS. Apud Cyprios ROMEOS. Apud Persas ASPHAND. Apud Arabes & Sarracenos TZEPHA. Apud Lacedæmones CERESTHIOS. Apud Iubas MARVSIOS. Apud Germanos HORNVNC. apud Gallos FEVRIER. Apud Italos FEBRARO. Apud Anglos FEBRVARO. Apud Flandros SPOERKELL. & apud Nostros FEBRERO.

Februarij dies apud antiquos.

Circa dies quos habuit in Antiquis Anni distributionibus sciendum est, quod apud Romanos ex constitutione Romuli haud locum habuisse dignoscitur ex eo quod in eius Anno, qui ex CCC.IV. diebus & X. Mensibus conficiebatur FEBRVARII memoria non extitit; ideoque Numa, qui hunc Mensem inuenit, dies illi XXIII assignauit. In Anno Iulianeo XXIV. in Augusti Anno correcto XXIII. diebus, cum V. Intercalaribus, ex quo XXVIII. dies Anni Cæsaris adimplentur. Abhinc notandum est, quod à Constitutione Numæ semper iste Mensis XXVIII. dies habuit, additis V. Intercalaribus; rationem reddidere Macrob. 2. c. 13. Rossinus lib. 4. c. 6. *quòd* Deo Infero *cui hic* Mensis *sacer erat, diminutio, & par numerus conueniret. Quare etiam* Iulius Cæsar *cùm annum aliter ordinaret, & aliquot diebus adiectis, augeret; nullum huic Mensi diem addidit, ne* DEO INFERO *religio mutaretur.*

Cur hic Mensis pares dies habuit?

HIS prælibatis, quæ ad Mensem in communi conueniunt, Lectorem attentum volo, vt ad specialia Gentilium sacra hoc Mense fieri consueta animum accommodet, inter quæ, & Nostra sacra Catholica discrepantiam adnotet.

Apophoreta quæ?

I. Festiuitatis huius Mensis indicium erat APOPHORETARVM donarium, seu stipes, aut strenæ, quas Imperatores fœminis illustribus emittebant, vt videsis apud Wolfgang. Laz. de Rep. Rom. lib. 10. c. 9.

Dea Sospita quæ?

II. Dedicatio Templi Iunonis SOSPITÆ. Quod vt placet Raosino lib. 1. Antiquit. Roman. c. 6. constructum fuit in Foro Olitorio, à C. Cornelio Consule, ex T. Liuio lib. 32. asseuerante: *Consul principio pugnæ ædem vouit* SOSPITÆ Iunoni, *si eo die hostes fusi, fugatique essent.* Qui lib. 34. prosequitur *Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt. Vna* IVNONI SOSPITÆ *in Foro* OLITORIO, *vota, locataque quadriennio ante à* C. Cornelio *Cos. Gallico bello.* Cui opinioni subscribunt Lil. Gyrald. Syntagm. 3. & Iulianus Aurel. de Cognom. Deor. lib. 2. fol. 157. Vinand. Pighius lib. 10. Annal. suspicatur hanc *Templi* dedicationem non à Cornelio, sed à *L. Portio Licinio* factam. Quod vt probet nummum refert, quo incisum *Iunonis Sospitæ* caput, caprina pelle coopertum: in cuius dorso sacra ipsius Deæ symbola, scilicet, ad aram capra, serpens inuolutus, secespita ad victimam, & patella, his ad nummismatis oram litteris: L. PORT. LICIN. COSS. vt colliges ex numismatis figura sic:

A quo eius Templum erectum. I. Opinio. II. Opinio.

Sed istas

Sed iſtas opiniones facile D. Carol. de Neapol. ad illa Ouidij lib. 2. Faſtor. carmina, quibus de Iunonis SOSPITÆ agit Delubro, dicentis:

Principio Menſis Phrygiæ contermina Matri
Soſpita *delubris dicitur aucta nouis.*

reijcit. I. Quia ex ipſiſſimis Ouidij verbis patet, Templum SOSPITÆ contérminum fuiſſe, delubro Matris Deorum: hoc prope Palatium conſtituit P. Victor de Region. Rom. reg. 10. ergo perperam in Foro OLITORIO conſtructum, cùm hocce in XI. Regione commonſtretur. Quod & notauit Lil. Gyrald. ead. Syntagm. 3. qui Ouidij, & Victoris euidentia conuictus, aſſeruit mendum irrepſiſſe in Liuianis editis codicibus, 19. *loco* IVNONI MATVTÆ. in Foro OLITORIO, legitur, & perperam IVNONI SOSPITÆ. Aſt Henric. Glaream. & Carol. Sigon. Cæterique melioris notæ Auctores retinent in Notis Liuianis lectionem IVNONI SOSPITAE, alteram & reijciunt.

Iſta reijciatur, & quare?

I. Motiuum. Lectio Gyraldi reijcitur.

II. Carolus de Neapol. futilem iudicat, quia ex nūmo, nihil quod ad Templi conſtructionem attineat, quo eliciatur L. Portium illud extruxiſſe appareat. Nam nomen LICINII in margine, & ora nummi appoſitum, non conſtructoris, ſed cuſi nummiſmatis conſulatum deſignat. Iſthæc Iunonis SOSPITÆ, ſiue SALVTARIS Ara, & ſimulachum Romam è Lanuuio adlatum omnes ferè Romani ſcriptores fatentur, quos video apud Silium Italic. lib. 13. Roſinum, Gyraldum Aurelium, Cartharium, & Scotum in Scholiis ad A. Auguſt. Nummiſmat. Dialog. 2. verb. SALVS. fol. 29. vbi luculenter Propertij lib. 4. eleg. 8. carmina explicat.

II. Motiuum.

Ara ſalutaris quæ?

QVO ergo loco IVNONI SOSPITÆ Iſthæc peragerentur ſacra, anceps inter eruditos diſceptatio eſt. Aliqui apud LVCVM ASYLI celebrata contendunt, adducti ex Ouidiana lectione iſthac:

Lucus Aſyli an locus ſacrorum Soſpitæ.

Tunc quoque vicini Lucus *celebratur* Aſyli,
Quà petit æquoreas aduena Tybris aquas.

Huius ſententiæ primas refert Roſin. lib. 4. Antiq. Roman. c. 6. De quo LVCO memoria eſt apud Plutarch. in Romulo, Liuium lib. 5. Virgil. lib. 8. Æneid. Dionyſ. Halicarn. & alios. Aſt D. Carol. de Neapol. aliam inſequens lectionem, pro: LVCVS celebratur ASYLI in Ouidio, repoſuit LVCVS celebratur AVERNI, & in notula proſequitur: *Hæſi cùm hæc puer legiſſem, & adhuc hæreo.*

An lucus Auerni?

III Sacra fiebant in Delubris VESTAE, & IOVIS TONANTIS, vbi bidens mactabatur in honorem vniuſcuiuſque, vt notauit Ouid. d. lib. 2. Faſtor. hoc diſtico:

Ad penetrale Numæ; Capitolinumque Tonantem
Inque Iouis *ſummâ cæditur arce bidens.*

Vbi Penetrale Numæ, iſthinc pro VESTÆ templo ſumitur; dequo ſingulariter Horat.

Templa, Veſtæ, & Iouis Tonantis: ſacra.

Vidimus flauum Tyberin retortis
Littore Etruſco violenter vndis,

Penetrale Numæ, quid in Ouidio, ex Horatio?

Ire deiectum monumenta Regis,
Templaque Veſtæ.

Quæ Horatij verba ſic intellexere antiqui Scholiaſtes & ipſe D. Carolus Neapol. qui etiam: prope Regiam Numæ Pompilij ædem, VESTÆ conſpiciebatur domus.

Fauni ſacra.

IV. Idibus Februarij itidem ſacra FAVNIS fiebant, quod patet ex ipſius Ouidij d. lib. 2. Faſtis, quibus hæc adnotantur Carmina.

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni
Hic, vbi diſcretas Inſula rumpit aquas.

Et licet D. Carol. de Neapol. fol. 65 dicat, in Kalendarijs nullam huius feſtiuitatis fieri memoriam, fallitur procul dubio, nam in Lylij Gyraldi Vetuſto Romano Kalendario, apud Eliam Reuſnerum, poſt Diarium Hiſtoricum, hæc notantur:

ID. FEBR. VESTÆ PARENTAL.
FAVNI. IN INS. TYBER. SACRIFIC.
SENAT. LEGITIM.

Nemorum Deus.

Templum quando extructum, & à quo?

Multatitia pecunia qua?

Iſthic Dij Nemorum vocati ex Stuchio de Sacrif. Gentil. fol. 23. Eorum delubrum, anno ab V. C. D. IX. conſtructum apparet ex T. Liu. 34. dicente: *Alteram* FAVNI *Ædiles eam biennio antè, ex multatitio argento faciendam locarant C. Scribonius, & Cn. Domitius Ænobarbus: qui Prætor Vrbanus eam dedicauit. Situm, quo iſthæc* fuit domus FAVNO erecta, aperit idem Liu. lib. 33. his verbis: *Ædiles plebis Cn. Domitius Ænobarbus, & C. Scribonius Curio Maximus multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt: tres ex his condemnati ſunt. Ex eorum multatitia pecunia Ædem in* Inſula FAVNI *fecerunt.* Quod & notauit P. Victor. Faunalia feſta Decembri Menſe fiebant, ideo illuc Lectorem mitto.

Lupercalia.

V. XV. Kalendas Martij LVPERCALIA incipiebant, quæ per decem dies protendebantur, vbi Romana iuuentus feſtiuitatis licentia inſolens ad omne genus erroris dilapſa ruebat. De Cuius feſtiuitate plura, à pluribus dicta perpendes, ex antiquis Ouid. lib. 2 Faſtor. ab illo diſticho.

Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos
Adſpicit, & Fauni ſacra bicornis erunt.

Plutarchus, Liuius, Valerius Maximus, Iuſtinus, D. Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 13. c. 34. Lylius Gyrald. Syntagm. 17. Roſin. lib. 4. Antiq. c. 6. Vvolfgang. Lat. & alij innumeri. Tantum hic adnectere libuit, dictum Baronij in Not. ad Martyrolog. Rom. die II. Februarij, quo datur intelligi Gelaſium P. M. Hypapante Domini inſtituiſſe, propter antiquanda, & penitus abolenda LVPERCALIA. Quod ex mente S. Ildefonſi Noſtri, & B. Eligij infra non verum eſſe propoſiti dicterij ſymbolum eliciemus.

An eorum loco Purificationis B. V. MARIÆ, feſtum.

Quirinalia quæ?

VI. XIII. Kalend. Martij QVIRINALIA fiebant. De eius inuentore feſtiuitatis videndus Varro, Gyraldus, Lazius, & Roſin. Eorum meminit Ouid. lib. 2.

Proxima lux vacua eſt. At Tertia dicta Quirino
Qui tenet hoc nomen, Romulus *ante fuit.*

Quid ſtultorum Sacra?

Itidem eodem die STVLTORVM feriæ erant; de quibus hæc Lyl. Gyrald. Syntagm. 17. verba: *Sed in* Fornacalibus, *qui non fuerant feriati, quique in ſua* Tribu, *vt erat conſtitutum, ſacrum non feciſſent, in* QVIRINALIBVS *ſacrificio expiare cogebantur.* Quod & notauit Roſin. d. lib. 4. c. 6. qui ex Feſto, & Paulo Diacono, huiuſmodi STVLTORVM ferias, etiam QVIRINALIA dictas recenſet. De his apud Ouidium memoria eſt, ſic: lib. 2. Faſtor.

Lux

Lux quoque cur eadem Stultorum *festa vocetur,*
Accipe parua quidem est causa, sed apta subest.

Hic post modum eandem rationem assignat, quam Festus, & Plutarch. in Quæstionib. Rom. & postmodum prosequitur:

Stulta *què pars populi, quæ sit sua Curia nescit:*
Sed facit extrema sacra relicta, die.

FORNACALIA sacra Deæ FORNACI instituta, hoc etiam die peragebantur, ex constitutione Numæ Pompilij, vt ex Hermia notauit Plin. lib. 18. c. 2. his verbis: *Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque far torrere, quoniam tostum Cibus salubrior esset: id vno modo consecutum, statuendo non esse purum ad rem diuinam nisi tostum. Is* FORNACALIA *instituit, farris torrendi ferias.* & addit Gyrald. Syntagm. 1. FORNAX *Dea ideo est constituta, vt* Festus, & Lactantius *arbitrantur, quoniam ante triticum, & eius vsum, farra fornacibus torrebantur. Hinc sacra* FORNACALIA *dicta sunt.* Nec Ouidio prætermissum; sic. *Fornacalia quæ? A quo inuenta & ethymon? Far totius olim loco tritici.*

Facta Dea est Fornax*: læti* Fornace *Coloni*
Orant, vt fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc Fornacalia *verbis*
Maximus, indicit; nec stata sacra facit.

Ideo *non stata* dixit; quia erant mouibiles, & indictiuæ, quas Curio, seu Kalator, aut præco sacrorum tabella proposita prædicebat. De harum feriarum ceremonia hæc Festus: FORNACALIA *feriæ institutæ sunt farris torrendi gratia, quòd ad fornacem, quæ in pistrinis erat sacrificium fieri solebat.* *Sacra mobilia. Ceremonia.*

Erat ergo apud Ethnicos isthæc *farris* oblatio tanti momenti, vt absque illo, nulla formalia, siue iusta conficiebantur sacra, ab hinc deducta ADOREA sacra, vt notauit Noster S. Isidorus. *Fare deficiente nullà oblatio.*

Siue ADOREA gloria; quia cum FAR à priscis Latiis ADOREUM vocaretur, & absque illo Sacra confici nequirent, ideo omnia sacra ADOREA dicta credũtur. De *Gloria* verò isthæc Festus: ADOREAM GLORIAM *dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.* Quæ vox vt inquit Stuch. de Sacrif. Gen. fol. 48. col. 2. ab אדר AEDER Hebræorum nomine, gloriam significante, deducta est. Abhinc CONFARREATIO, & DIFFARREATIO orginem voces sumpsere. Illa, qua nouæ nuptæ religioso more farreum præferebant; de quo Plinius lib. 18. c. 3. Halicarnas. lib. 1. Tacit. lib. 3. Annal. Ista, qua dissolutio matrimonij adhibito farreo libo fiebat; vt notauit Festus. *Adorea quid? Quid Adorea gloria? Confarreatio quid? Diffarreatio quæ?*

VII. Die XXIII. FERALIA sacra incipiebant. Isthæc inquit Festus erant *Dijs Manibus sacrata festa, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus.* Varr. lib. 5. de L.L. *Ab inferijs, & ferendo, quod ferunt tunc epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare:* Huius solemnitatis auctorem consignat Ouidius Æneam, Latinos populos isthæc & sacra docentem. *Feralia quæ? A quo dicta? Quis instituit?* *I. Opinio.*

Hunc morem Æneas pietatis idoneus Auctor
Attulit in terras, iuste Latine, tuas.
Ille Patris Genio solemnia dona ferebat
Hinc populi ritus edidicere nouos.

T. verò Liuius lib. 1. Numæ hæc tribuit Pompilio. Nam inter cætera publica, & priuata sacra, quæ Pontificis scitis subiecit, addit: *Nec calestes modò cæremonias, sed iusta quoque* FUNEBRIA, *placandosque* Manes *vt idem Pontifex edocet.* Eadem Auson in Parental. sic: *Titulus libelli est* PARENTALIA. *Antiquæ appellationis hic dies,* *II. Opinio. Parentalia*

dies, & iam inde ab NVMA *cognatorum* INFERIIS *institutus: nec quidquam sanctius hab. t reuerent ia superstitum, quàm vt amissos venerabiliter recordetur.*

III. *Opinio. Idololatriæ origo ex Seldeno.* ALTIVS rem repetit Ioann. Selden. de Diis Syr. c. 3. Prolegom. qui hæc PARENTALIA, seu FERALIA ab exordio secundi Orbis, hoc est, post diluuium, inventa fuisse contendit. Quæ IDOLOLATRIÆ originem præbuisse, sequentibus fatetur verbis: Simulacra *primò neque* Columnæ, *siue Stelæ, aut Cippi in Deorum honorem fixi sunt: sed ad memoriam, & gloriæ demortuorum cumulum, statuebantur: Eorum nempe, qui aut Patres: siue Patriæ, siue illustrissimæ familiæ admodum insignes abierant, aut alio nomine clarissimi extiterant, quorum præmatura mors & acerba, superstite aliquo m onimento velut erat vindicanda. Aniuersaria his accessere festa, Nomina in sacros commentarios relata; Flores circa tumulum sparsi: Coronæ dicatæ:* INFERIAE; *Quidquid consuetæ denique celebrationi ornamento esse videretur, eousque adiectum est; vt tamen non pro* Dijs *Mortui illi, sub moris initium, haberentur. Accumulatis demum, vt fit, sacrorum ritibus, à posteritate (quæ singulari huiusmodi honore, & solemni memoria, illos honorandos fuisse, ægre satis existimabat, nisi genere etiam humano maiores extitissent) vti* DÆMONIA, *seu* HEROES, *id est,* DII, *tandem censebantur: neque hos, aut illos aliter atque ab his sacris agnoscebant. Subdolè enim ingerebant se* Dæmonia *(aut saltem adesse ea, populum, vt fieri solet, ludentes docebant hierophantæ) & præstigijs animos in superstitionem procliues, & solemnia* Mortuorum *festa celebrantes, ad diuinum etiam cultum sibi circa hæc monimenta exhibendum illiciebant, nec* Mortales *qui abierant, adsumere nomen dedignabantur, modò vt* Deos Immortales *inde ipsi se haberi lucrifacerent. Cùm verò eiusmodi demortuorum, plerosque omnes siue ob res inclytè in bello gestas, aut artes repertas, aut quòd Rerumpublicarum conditores floruerant, simile quid eximium præstiterant; tanto primùm honore posteri prosequebantur, atque ad eorum monimenta, crebra alius, & multo superioris, quàm humanæ esse videbantur, naturæ insignia edita animaduerterent; ijs ipsis, quos demortuos primò credebant, & quorum velut vicem* DÆMONIA *iam agebant, humanam naturam omnino imparem, sed & præcellentiorem esse adscribendam, propenso animo, facilè existimabant.* & paulo post: *A Mortuorum autem memoria* IDOLORVM *cultum fluxisse passim indicatur.* Hactenus Seldenus, qui omnia post modum locis Hebraicis, Græcis, & Arabibus, hæc probare nititur, vt & Stuchius, à quo plura Seldenus suxit.

Feralia Publica. FERALIA autem siue PARENTALIA dupliciter fiebant, aut PVBLICE, aut PRIVATIM. Primo modo mense FEBRVARIO, quo omnibus ex Lege Pontificum, & Kalendarij consignatione, necessum erat PARENTALIA Dijs Manibus offerre, Demortuísque sacrificia libare. Audi Nasonem:

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Paruaque in instructas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes, *pietas pro diuite grata est*
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, paruaque mica salis.
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ:
Hæc habeat media testa relicta via.

Priuata. PRIVATA erant, aut NOVENDIALIA, aut DENICALIA. Prima dupliciter sumebantur, vel ob lapidum imbrem fieri solita, & à Rege Tullo instituta, & prodigij sedandi causa repetita. Huiusce rei originem deprehendes, si T. Liuij Dec. 1. lib. 1 verba perlegeris: TVLLO *Regnante* inquit, *cum post deuictos Sabinos, Regi, Patribúsque nuntiatum esset, in Monte* Albano LAPIDIBVS PLVISSE: *quod cùm credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter, quàm cùm grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cælo* lapides. *Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, vt patrio ritu sacra* Albani *facerent,*

Nouendialia quæ?

cerent, quæ velut Dijs quoque simul cum patria relictis, obliuioni dederant: & aut Romana sacra susceperant, aut fortuna (vt fit) obirati cultum reliquerant Deûm. Romanis quoque ab eodem prodigio NOVEMDIALE *sacrum publice susceptum est.* Abhinc in more fuit, vt quandocumque aliquod inuiseretur prodigium; hæc NOVEMDIALIA sacra peragerentur, vt postmodum ipse *Liuius* à quo Kirch. *de Funer. Rom. lib. 4. c.* 1. scribit. *Prodigia quæ?*

VEL ob alicuius priuatæ familiæ sacra quibus per NOVEM DIES defunctis solebant parentare; licet *Kirchm.* non per totos NOVEM DIES sacrificia peragere familias credidit, sed DIE NONO à morte decedentis, in cuius sententiæ testimonium plura refert selecta, cui lubens hæreo. Iacobus vero Gutherius quid in hisce NOVEM DIEBVS à superstitibus perageretur aperuit *lib.* 1. *de Iur. Man. c.* 16. istis verbis: *Nam apud veteres, vbi quis extinctus esset,* DIEBVS SEPTEM *Domi illius corpus adseruabatur, & curabatur, lauando, vngendo, osculando, complorando, conclamando.* OCTAVO DIE *funus procedebat, & corpus incendebatur.* NONO DIE *sepeliebatur, & si qui ludi in mortui honorem fierent, ab eo* NOVEMDIALES *sunt appellati.* APVD Iudeos isthæc Mortuorum ceremonia, neutiquam OCTAVM DIEM excedebat vt notauit B. Ieronym. in Aggæum. c. 2. *Familiaria quæ? Quid in Nouem diebus ageretur in corpore extincto? Mos apud Iudæos.*

AN hæ FERIAE Diis NOVENSILIBVS aliquid habeant commune, aliquis sciscitabitur? Pro quo notandum est, ipsum Iacobum Gutherium autumasse NOVEMDIALE *sacrum in Deorum honorem institutum, qui* NOVENSILES *dicebantur. Quos in secunda cæli regione locat* Martian. Capella lib. 1. de Nupt. *quosque Deos* Piso *esse scribit* NOVEM *in Sabinis constitutos, vt expressit* Arnob. lib. 3. *Quibus* Numa *ritu patrio* NOVEMDIALE *sacrum instituisse non longe à vero est.* T. Liv. lib. 8. NOVENSILES Deos inter Lares, & Indigetes medios ponit. Quos MEDIOXVMOS Plaut. in Cistell. appellat in aere degentes, quæ sedes est MANIVM Deorum & eorum, qui INDIGETES Dii ex hominibus facti, in Diis agunt. *Nouensiles Dij, qui? Nouensiles, an Lares? Medioxumi, qui?*

DENICALIA sacra, siue feriæ PRIVATÆ dicebantur, quando familia funere polluta certis quibusdam ceremoniis purgabatur. Ab hinc EXVERRAE introductæ sunt, quæ *sunt* (vt inquit Festus) *purgatio domus, ex qua* Mortuus *ad sepulturam efferebatur, quæ fit per* EVERRIATOREM *certo genere scoparum adhibito, ab* Extra Verrendo *dictâ.* Cuius EVERRIATORIS obligatio persoluebatur ab eo, *qui accepta iure hæreditate, iusta facere defuncto debet; quæ si non fecerit, aut quid in ea re turbauerit, suo capite luat,* vt dixit idem Festus. Attamen istud *suo capite luere,* ad porcam PRAECIDARIAM Cereri mactandam tantùm referendum est, vt ex eodem Fasto, Varrone, Cicerone & aliis probat Kirchman. d. lib. 4. c. 1 Guther. d. c. 16. & alij plurimi. *Denicalia quæ? Exuerræ; Exverriator qui? Porca præcidaria quæ?*

Tempore FERIALIVM nefas erat matrimonia contrahere, licet perperam Rosinus ex Ouidio, religiosum esse nubere, dictitet, cuius assertionem, vt inuersam agnoscas, en carmina: *Matrimonia in Feralibus, cur prohibita?*

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ:
Exoptat puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere mâtri,
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mæsta sepulchra faces.

Nisi in Rosino *religiosum* accipias pro prohibitum, vt accepit Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 15. agens de Nuptiis vitandis, vbi hæc verba lego: *Nec hoc prætermiserim, quod Nuptijs copulandis, Kalendas, Nonas, & Idus* RELIGIOSAS, *id est* DEVITANDAS *censuerunt.* Causam huius prohibitionis pete ab ipso Macrobio d. lib. 1. c. 15. vbi Isac. Pentan. fol. 599. *Religiosi nominis significatio quæ?*

HAC ipsa die etiam Deæ MVTAE litabatur, in cuius sacrificiis tot erant præstigia, quot cæremoniæ; illas eleganter descripsit Ouidius, quas apponere libuit; *Dea Muta.*

buit, vt obcæcatas Gentilium mentes passim adnotes, & sagarum veneficas fabas perhorrescas:

Præstigia in sacrificiis Deæ Mutæ.

Ecce anus in medijs residens annosa puellis
Sacra facit Tacitæ, *nec tamen ipsa tacet:*
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit;
Quà breuis occultum mus sibi facit iter.
Tunc cantata tenet cum fusco licia plumbo;
Et septem nigras versat in ore fabas.
Quodque pice adstrinxit, quod acu traiecit ahenâ,
Obsutum mentâ torret in igne caput:
Vina quoque instillat. Vini quodcumque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles linguas, inimicaque vinximus ora,
Dicit discedens. Ebriaque exit anus

Mater Larium. *Dea silentij.* Huius MVTAE Deæ historiam ipse Ouidius carminibus sequentibus aperit: LARIVM Deorum Matrem appellitant Varro, & Macrobius apud Gyrald. Syntagm. 15. Silentii Deam consignat Guillelm. Stuch. de sacrific. Gent. fol. 31. apud quos eius fabulam deridebis. Has litationes instituit Numa, vt ex Plutarch. in eius Vita cognosces.

Numa instituit sacra. *Charistia quæ.* DIE sequenti post FERALIA subsequebantur festiuitatum CHARISTIA, quibus inter charos, & amicos, proximos, & consanguineos litigia sedabantur: licet Valer. Max. lib. 2. c. 1. inter Cognatos, & affines isthæc tantum peragebantur. En eius verba: *Conuiuium solemne Maiores instituerunt, idque* CHARISTIA *appellauerunt, cui præter Cognatos, & Affines nemo interponebatur; vt siqua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus* Concordiæ *adhibitis tolleretur.* De hisce Conuiuiis videndus Ouid. d. lib. 2. V. Carol. de Neapol. Guillelm. Stuch. de sacrif. Gent. fol. 152. & de Antiq. Conuiu. lib. 1. c. 32. & c. 33. Rosinum, & alios. Hinc illud notandum est, quanto Principum suorum salutem prosequebantur amore Romani, qui post deprecationes consanguineorum, & Affinium, itidem Principis salutem, & incolumitatem à Diis expetebant; vt ex illo liquet Ouidii disticho: *Principibus vita deprecabatur.*

Et bene Vos: Bene tu patriæ Pater optime Cæsar,
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Terminalia quæ. TERMINALIA sacra postmodum peragebantur, quæ à Romulo instituta, & à Numa absque sanguine delibata, Anno terminum tunc posuere, vt inquit Varro. Plutarch. in Quæst. Rom. n. 15. cur Termino Deo, & in hisce sacris, nullum animal immolabatur? vt inquit Halicarnass. lib. 2. Rer. Rom. *Nam Deos putant* Terminos, *eisque sacra faciunt, non hostias cadentes, quòd nefas sit cruentari hos lapides, sed liba Cerealia, frugumque offerentes primitias.* Respondit ergo Plutarchus, quòd cùm Numa Terminum custodem amicitiæ, & pacis existimaret, sacrificium sanguine purum, nulla inquinatum cæde debere offerri. Sed licet hæc à Numa præscripta lex Halicarnassæo legatur, attamen apud Ouidium illam in dissuetudinem abiisse credendum est; nam referens, quæ in hisce sacris peragerentur, describit: *Cur in his sacris à cæde abstinebatur.*

Spargitur, & cæso communis Terminus agno:

De quo videsis Carol. Neapol. in Anartych. ad Ouid. lib. 2. n. 258. Guillelm.

Stuch. Antiq. Conuiu. lib. 1. c. 33. fol. 134. col. 2. etiam refert in TERMINALIBVS Agni cęsi formulam ex Acrone. Quæ fierent in his sacris, præter conuiuia, quæ communia cuilibet festiuitati erant, appingit Ouidius hisce distichis. *Terminalibus sacrificandi ritus.*

Termine siue lapis, siue es defossus in agro,
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.
Te duo diuersa domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque dona ferunt.
Ara fit hic, ignem curuâ fert rustica testâ
Sumptum de tepidis ipsa Colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit altè;
Et solidâ ramos figere pugnat humo.
Tum sicco primas irritat cortice flammas:
Stat puer, & manibus lata canistra tenet
Inde vbi ter fruges medios immisit in ignes;
Porrigit incisos filia parua fauos.
Vina tenent alij, libantur singula flammis:
Spectant, & linguis candida turba fauent.
Spargitur, & cæso communis Terminus agno;
Nec queritur, lactens cum sibi porca detur
Conueniunt, celebrantque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.

REGIFVGIVM sacrum sequebatur, in memoriam diei, quo Rex Tarquinius è Roma profugus discessit, vt inquit Festus. De huiusce rei historia, & Tarquinij Regis diffugio videndi Liu. Halicarnass. Pacatus, & ceteri Rerum Romanarum Scriptores. De hoc sacro Ouid. d. lib. 2. ab illo disticho. *Regifugium quid?*

Nunc mihi dicenda est regis fuga: traxit ab illâ
Quintus ab extremo nomina Mense dies.

EQVIRIA sacra in Campo Martio, quo hoc die ludos equestres Romulus instituit in honorem Martis, à quorum cursu Equorum, sacra vocabantur EQVIRIA. Ouid. *Equiria quæ?*

Iámque duæ restant noctes de Mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus vrget equos:
Ex vero positum permansit Equiria *nomen,*
Quæ Deus in Campo perspicit ipse suo.

Huius festiuitatis solemnia, quibus diebus agerentur.

Horum ludorum apud Romanos præter istam, duplicem in Kalendariis, memoriam repeto: Aliam *Tertio Id. Martij ad Tyberim*, vel si aquis increuerit in Monte Cælio de quo Ouidius, & Nos infra suo loco. Alteram *XIV. Kal. Maij in Circo Maximo*, dequibus Ouidius, Rosinus, & alij quorum nomina in Aprilis ipso die dabimus. In his Equestribus cursibus celebris fuit Apuleius Diocles Hispanus ex vrbe Laconimurgo Lusitaniæ, siue Vettoniæ, de cuius victoriis Onuphr. Panuin de Lud. Circens. lib. 1. c. 10. P. Francius Biuar. in Notis ad Dextr. in Chron. Ann. 120. fol. 223. *Apuleius Diocles Lusitania-Vettonus celebris Auriga.*

SVPEREST vt aliquid de FEBRVALIBVS lustrationibus aliàs à Romanis *Februalia quæ?*

FEBRVO

FEBRVO Deo ſiue PLVTONI, ſiue alio dicatis ſubiiciamus. Hæc ſacra inſtituit Numa, qui Ianuariũ & hũc Menſem addidit Anno Romuleo, & ſicuti illum DIIS ſuperis, ſic iſtum DIIS Manibus, ſiue Inferis dedicauit: de quo vidēdi Feſtus lib. 6. Varr. lib. 5. Macrob. lib. 1. c. 13. Iſidor. Noſt. lib. 5. Orig. c. 32. Roſin lib. 4. c. 6. Stuch. de Sacrif. Gent. fol. 12. Lyl. Gyrald. Synt. 17. Kirckman. lib. 4. de Funer. Roman. c. Iacob. Guther. de Iur. Man. lib. 1. & 2. Hæ LVSTRATIONES, hoc ordine fiebāt: Nam Cenſor Luſtrationum magna ordinum frequentia DEOS Imperij præſides ſolemni precatione inuocabat; vt Rem Romanam, vrbes, Templa, fines, Aquas, perpetuò ſeruarent incolumes, & proſperos darent ſucceſſus; dubiiſque conatibus adeſſent, maláque impedirent, votáque in ſequens luſtrum promitterent; circumque vrbis pomarium, ſereno cælo, Pontifices, Flamines, Augures, ſacrificuli, Vates, Veſtales, Galli ſacerdotes, ſeptem-Viri Epulonum, Quindecim-Viri ſacrorum, Salii, & ſi quæ erat huius ceræ caterua, ſequentibus Patribus, & omni plebe. Quam Luſtrationum proceſſionem mirificè deſcripſit Lucan. lib. 1. de Bell. Pharſal.

Inſtitutio. *Dedicatio.* *Ceremonia*

Mox iubet, & totam pauidis à Ciuibus vrbem
Ambiri, & Feſto purgantes mænia Luſtro:
Longa per extremos pomeria cingere fines.
Pontifices ſacri, quibus eſt permiſſa poteſtas;
Turba minor ſequitur ritu ſuccincta Gabino:
Veſtalémque chorum ducit vittata ſacerdos,
Troianam ſoli cui fas videre Mineruam.

Sic ergo Vrbes luſtrabant, expiabantque: in quo notandum eſt, quòd in hacce FEBRVATIONIS ceremonia, duo peragebantur, & Diis Manibus placabant, vt Defunctorum animæ ab ipſis quieta, & pia propenſione reciperentur, fouerentur, & tractarentur; & vt Viuis ſic luſtratis ſalutem, opes, & bonum omen impartirentur.

Purificationis feſtiuitas ob abolenda Februalia, non Lupercalia inſtituta ex SS. Eligio, & Ildephonſo.

Ergo vt iſti Gentilitij ritus obliterarentur; & Eccleſiaſtici Catholicíque exorirentur FESTVM PVRIFICATIONIS hoc Menſe accepit exordium; non propter LVPERCALIA tantum vt dictitauit Baronius. Auſculta S. Eligium ante Gelaſium P. M. Hom. 2. de hac Feſtiu. ſic præloquentem: *Nunc igitur vanæ ſuperſtitionis errorem, pulchrè Chriſtiana deuotio ad veram conuertit* Religionem, *cum iam non poſt* Quinquennium, *nec vt olim circa finem Menſis* FEBRVARII *vna luſtratur Ciuitas Romana, ob honorem* FEBRVI, *qui falſo* LVSTRATIONVM, *id eſt, purgationum potens putabatur, &* Deus Infernorum, *& ob dignitatem eius, quæ iam ceſſauit, terreni Romanorum Imperij: ſed per ſingulos annos, circa initium eiuſdem Menſis, vniuerſa Dei Ciuitas, ſancta videlicet Eccleſia illuſtratur, fidei lumen, quod filiorum ſuorum fulget in cordibus, deſignans cereorum lumine, quod eorumdem geſtatur manibus.* Audi S. Ildephonſum Noſtrum in Serm. de Purificat. dicentem: *Agitur hæc feſtiuitas Menſe* FEBRVARIO, *quem Romani adhuc pagani à* FEBRVO, *id eſt* Plutone, *ſic vocauerunt, cui* LVSTRANDI *Ciuitatem commiſſa religio fuit: quam* LVSTRANDI *conſuetudinem congruè, & religioſè Chriſtiana mutauit conſuetudo, cùm eodem Menſe, hoc eſt, hodierna Die, in honorem S. Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis* MARIÆ *non ſolum Clerus, ſed omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis, & diuerſis hymnis* LVSTRANTES *circumeunt.* Ex quorum auctoritate ſanctorum, LVSTRATIONVM loco Gentilium, Chriſtianum PVRIFICATIONIS Dominicæ morem, non propter LVPERCALIVM abiurationem, fuiſſe introductum primò perpendes. Quod ergo crederem, Gelaſium hanc conſuetudinem Catholicam fortius inſtauraſſe, ob illorum LVPERCALIVM extirpationem, ideóque in Apologia contra Andromachum Senatorem, de hiſce abolendis ſpurcitiis ſpecialem induxit anamneſin.

His

His igitur vanitatibus inſpectis, quibus cæca Ethnicorum mens deluſa conſpicitur, ad veros fidei Catholicæ Faſtos, quibus Hiſpanorum Martyrum, & Diuorum commemoratio deſcribitur, deueniamus. En MENSIS FEBRVARII Catalogum: perlege, & fruere.

KALEND. FEBRVAR.

DIES I.

A *Illiberi* S. COECILII *diſcipuli B. Iacobi Apoſtoli, ipſiuſque Lectoris, qui poſt peragratas Hiſpaniæ vrbes cum Sanctiſſimo Magiſtro, illoque per martyrium ſublato, & Apoſtolico corpore apud Iriam-Flauiam ſepulto, Romam adiit, vbi à B. Petro Apoſtolorum Principe Epiſcopus ordinatus, Hiſpaniam reuertitur, Euangelium prædicat, & apud Illiberim glorioſum martyrij agonem conſummauit.*

B *Braccaræ Auguſtæ* S. POLYCARPI *eiuſdem Ciuitatis Antiſtitis qui poſt bonorum operum, ac virtutum cumulos in hac vita, in cæleſti gloriæ manipulos coaceruauit æternæ.*

C *Ibidem* S. SERENIANI *ipſius Braccarenſis Sedis Epiſcopi qui poſt B. Polycarpum infulas induens, ſic deceſſoris Sanctitatem, eſt æmulatus, vt eo ipſo die ad Paradiſi felicitatem tranſlatus, celebris in faſtis ſacris eius memoria laudabilis perſeueret.*

NOTÆ.

A SANCTVS COECILIVS Epiſcopus, & Mart.] Fuit vnus ex Diſcipulis Patris Noſtri IACOBI. *Cæcilij* memoriam in vnũ cõgeſſit Eccleſia cum cęteris ſex ſociis *die XV. Maij*, quo etiam Beda, Vſuard. Ado, Maurolic, & recentiores Martyrologiorũ ſcriptores, quos congeſſere Bernard. Aldrete *lib. 2. Antiq. Hiſp. c. 12.* Amicus Noſter R. P. F. Petrus à S. Cæcilio *in Memor. SS. Granatenſ.* hoc die, & XV. Maij, cuius codices MSS. vidimus; & demum D Franciſ. Vermudez de Pedraza *Hiſt. Granat. lib. 1. c. 4.* Agit de eo Beuter *lib. 1. Hiſt. c. 23.* Ambroſ. Moral. *lib. 9. c. 13.* Padill. *Hiſt. Ecleſ. Hiſp. cent. 1. tom. 1. ex c. 17.* & ſequẽtibus, Omnes denique ſcriptores Noſtri, & Breuiaria *Scriptores.*

ria peruetusta, Sanctorales, & Flores Sanctorum. Eius memoriam repetunt Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 37. & alibi., S. Isidorus *in hymno Muzarabi*, Iulian. Petr. *in Chron. n.* 22. Aulus Halus meus *de Aduent. S. Iacob. vers.* 47. *vbi* noto. Acta antiqua periere, prout illa congerit *P. S. Cæcilius*, *& Pedraza*, latinitate donata, excribemus.

ACTA SANCTI COECILII Episcopi Illiberitani, B. Iacobi Discipuli, & Martyris, ex Variis Scriptoribus.

Genus.

COECILIVS genere Arabs nobilitate conspicuo, patrem *Calè.* matrem verò *Rebeccam* habuit. Anno quo Christus in Bethleem Iudæ natus est, illo COECILIVS visiuæ lucis radios conspexit, licet linguæ, & auditus organis destitutus. Fratrem habuit *Ctesiphontem* oculis orbatum; quos vt pater hisce laborantes ægritudinibus inuisit, dolore conuictus medelam iuuenibus quæritabat. Nullam inuenit solicitudo paterna, donec illis virilitate maturis, D. N. Iesu-Christi miraculorum fama Arabiæ sinus transcendit. Non est pigra paternæ pietatis charitas, vix prodigiosam audiuit opinionem, quando ascitis filiis Ierosolymam contendens, ante Saluatoris pedes, tunc Tyro Sydonem adeuntis, fratres proiiciens, vt eorum misereretur lachrymosis singultibus flagitauit. Annuit Redemptor votis supplicantis amoris, & iuuenum miseriæ, misertus COECILIO auditum, & palatum; Ctesiphonti prospectum restituit. Qui Deum laudantes, & Christo gratias agentes, illius inposterum inseparabiles comites effecti, reliquis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, & Spiritus Paracleti Aduentus mysteriis interfuere. Post cùm Apostoli diuisis mundi prouinciis, vnusquisque ad Euangelij prædicationẽ proficisci curasset, & IACOBVS Zebedæi filius Hispanias adire sortitione diuina destinasset, & selectis duodecim Discipulis more Apostolico, quos secũ deferret, Virginea benedictione suffultus, iter aggressus est. Inter duodecim ergo asseclas COECILIVM, & fratrem Hispanias aduexit, quibus Lectoratus gradu ordinatis, missionis opus zelo charitatis incepit. Magistrum COECILIVS est comitatus vbique, quousque Ierosolymam reuerti compulsus IACOBVS, iterum in sanctam vrbem cum illo rediens sanctissimi Apostoli martyrium intuitus, cum cæteris Discipulis sacratum Corpus in Ioppem primò, post Iriam-Flauiam importat; vbi tumulo datum, & honorifice sepultum Romam perrexit, & à S. Petro Hispaniæ ordinatus Episcopus, iterum Ierosolymam, vt loca nostræ redemptionis adoret, proficiscitur. Superatis igitur magnis periculis Athenas deuenit, vbi à S. Dionysio Areopagita confortatus, donis acceptis, & ab oculorum infirmitate curatus, Hispaniam ingressus, protinus Apostolici muneris pensum exercere cœpit. In illo notabiles Christo perperit fœtus, nam cum eruditione insignis haberetur, & prophetiæ dono illustratus abiret, facile omnium animos deliniuit, vt ad ipsius pedes Ethnici prouoluti de Christi consortio facti, Euangelico crediderunt eloquio, Cum ergo ad Turdetanorum vrbem Illiberim appropinquaretur insignem ibidem sedem fixit, & Episcopali condecorans solio extunc Illiberitanus voluit Episcopus nominari. His igitur, & aliis, in nascentis illius Ecclesiæ exordio, initialibus incrementis allectus, ad maiora perficienda conuersus finitimas illorum insuperabilium montium cauernas lustrauit, & homunculis in eis delitescen

Nascitur mutus. *Sanatur à Christo.* *Christum insequitur.* *Discipulus IACOBI.* *Hispanias adiit.* *Ierosolymam reuertitur.* *Romam proficiscitur.* *Athenas deuenit.* *Episcopus Illiberitanus.*

delitescentibus lucē Dominici verbi distendit. Postmodū doctrinis, & exēplis populos erudiens, & in Dei timore, ac fide Christi militiā promouens, omnibus se præbuit mirabilem. Demum cùm per id temporis nonnulli ex S. IACOBI Discipulis ad Concilium Illiberrim conuenissent, pro decernendis aliquibus ad ecclesiasticam normam canonibus, ab Aloto Iudice comprehensi, instantibus aliquibus Ciuitatis primoribus, bonis omnibus spoliati, flammis exusti sunt. COECILIVS primò aufugiens, post reuersus, cum Septentrio, & Patritio asseclis tentus, ad radices Montis Ilipulitani protractus, cum sociis in fornace iniectus, & combustus, Triplex martyrum corona ad æternæ gloriæ præmium, ardentiori peruenit spiritu Kalend. Februarij Anno Domini LVII. Imperat. CI. Neronis II. *Patitur.*

Hactenus Acta. In quorum ecphrasi, S. Præsulis, cùm S. IACOBO. aduentum probare cogimur, quod ex Dextro in Chron. Ann. 37. liquet, sic: *Multos etiam Discipulos (* IACOBVS *) præcipuos autem numero duodecim, more Apostolico in Hispaniam secum portat, scilicet* COECILIVM, & *Ctesiphontem Lectores,* Quæ verba *Italus* meus assumens sic, carmine, ordinata transcribit, vers. 43. *Lectoris ordine fungitur.*

Moreque Apostolico, duodeno cingitur almo.
Concomitum choro, quos plane mystice sacrat
Ecclesiæ officiis. Nam Basilio, Pio iunctim
Maximo, Chrysogono, Athanasio detulit altum
Ordinis officium: Theodorus Cœcilius *què*
Iscius, & Ctesiphons, Calocero iuncto, minores
Lectorum gradus primi recepere rogati.

Dixi S. Præsulem, IACOBVM Ierosolyma Hispanias fuisse comitatum, quod probaui, quam morionis cuiusdam inuentionem diluerem, qua caudex contendit duos fuisse *Cæcilios*, alius Discipulus S. Patroni ex Ierosolyma extractus, alter Hispanus Cæsaraugustæ conuersus. Ille à IACOBO Illiberritanus Episcopus consecratus anno XXXVI. Iste à SS. Apostolis Petro, & Paulo anno Domini LXI. Qui illius computum agnoscere desiderat, adeat Historiam Cæsaraugust. 2. *p. c.* 4. *fol.* 376. & illius ignorantias deprehendet. Nemo me hercule, nemo à IACOBO, Episcopum *Illiberitanum* S. COECILIVM consecratum fuisse proponit, nec Ecclesia Granatensis tale quid dixit, vt de hac rē *Pedraza*, & *P. S. Cæcilius* fatentur; à quo ergo tale commentum extraxit. De quo cum illo contendere superuacuum.

ILLIBERIS, ELIBERIS, & ILIBERIS sic diuersimode scriptum reperitur, Vrbs fuit celebris in Turdetanis. De ea hæc Taraph. *de Reg. Hisp. in* Hispano *Rege*, an. *A. C. N.* 1710. agens de ipso Rege nomine Hispano: *Hic filiam, siue sororem nomine* ILLIBERIAM *habuit, quæ suo nomine* ILLIBERIAM *ciuitatem construxit, nunc vulgus* GRANATAM *nominat.* De eius antiquitate Ptolom. *Tab.* 2. *Europ. lib.* 2. *c.* 4. Plin. *lib.* 3. *c.* 1. Vass. *in Chron.* Alderet. *in Thesaur. Ling. Castell.* verb. *Illiberis* Idem in *Antiquit Hisp. lib.* 2. *c.* 24. Loays *in Not. ad Concil. Illiber n.* 1. *fol.* 21. Mendoza *ad idem Concil.* vbi ad amussim. D. Petro Gonzal *Hist. Salicens. lib.* 2. *c.* 19. D. Maur. Castel. *Histor Compostell. lib.* 1. *c.* 22. P. Biu. *ad Dextr. Ann.* 54. *n.* 1. *fol.* 108. & ibi Caro *fol.* 24. & 25. Moral. *lib.* 9. *c.* 13. & *lib.* 10. *c.* 32. Omnia congessit Pedraza fere toto *lib.* 1. *Hist. Granat.* Qui istam non respuit penitus opinionem. *Illiberia filia Regis Hispanij. Ab ea nomen vrbis in Turdetanis.*

B. S. POLYCARPVS Episcopus, & Confessor.] Eius memoriam recolit Ecclesia *Braccarensis* in Tabulis Episcoporum ipsius sedis *n.* 4. in hæc verba. S. POLYCARPVS *Pontificatum obtinuit per idem tempus.* Quæ & refert D. Roder. de Acun-

na *Hist. Braccar. tom.* 1. *c.* 31. & in Primat. Braccar. *fol.* 209 licet de die transitus, & an martyrio, an placida dormitione, ambigat Iulian. Petr. in Chron. *Anno.* 107. *n.*41. de ea sic loquitur *Braccaræ post S. Ouidium* S. POLYCARPVS *Episcopus Braccarensis ad Annum C. XXX.* Eius Acta tanto temporum inuolucro, bellorum, & Recipublicæ Hispanicæ mutationum dispendio periere. At breui compendio aliqua suggeremus.

ACTA SANCTI POLYCARPI Braccarensis Episcopi, & Confessoris ex Iuliano Toletano, & aliis MS.

Origo. POLYCARPVS Græcam originem ducens, in Insula Siciliæ, qua magna Græcia cum Siculis terminos lambit, vitam texuit. *Educatio.* Ibidem literis operam dedit, quosque *Cæsonius*, & *Ouidius* Nobiles Populi Romani Ciues, propter *Pisonianam* subleuationem à *Nerone* infensis Siculam, exilio mulctati, Insulam adepti sunt. Hic POLYCARPVS illustrissimorum Procerum eruditione constrictus, in eorum sese protractus amicitiam familiari necessitudine cōiunxit. *Fit Christianus.* Postmodum, *Ouidius* Christo nomen dedit, cui POLYCARPVS adhærens, illius in Hispaniam comes itineris, & fidei factus *Braccaram* *Braccaram adiit.* vsque celebrem Galæciæ Metropolim peruenit. Ergo *Ouidius* infulas tantæ sedis induēs illicò eius Archidiaconum ordinauit POLYCARPVM, *Archidiaconus factus.* cuius doctrina insignis, cuius fides insuperabilis, & cuius pietas in omnes S. Præsulis animum inpleuerunt. Illo igitur è viuis sublato per martyrium *Ouidio* Anno Domini CXXX. in eius locum, est omnium suffragiis illius S. Leuita *Polycarpus* magna acclamatione suffectus. *Episcopus Braccarenrensis.* Quanta in officio gesserit mirabilia, ignorantur, vitam compleuit Kal. Februar. Ann. CLXXX. vel circiter. *Moritur.* Eius Corpus sacratum, vt creditur, honorifice tumulatum à *Sereniano* eius Archidiacono; & successore, & per aliquot secula, debita veneratione, quieuit.

Hæc sunt Acta, quæ à nemine sic congesta percipies. De *Præsulatu Braccarensi* post S. Ouidium iam ex Tabulis, & Acuña probauimus, & textum Iuliani authenticum assuimus.

DE *Græca origine*, de *Commercio cum Ouidio* apud Siciliam, de Archidiaconatu Braccarensi, & Præsulatu post Ouidium, hoc ex Codice MS. meo, quem *Aulo Halo* tribuimus, ausculta hexastichon.

IN TVMVLO SANCTORVM POLYCARPI & Sereniani Episcoporum Braccarensium.

Epitaphiū.

Hoc iacet in tumulo magnus Præsul Polycarpus,
Qui Græcam *duxit nomine prosapiam.*
Braccara *Leuitam vidit almi Præsulis, eius*
Prædecessoris; post & honore Patrem,
Tu sacer hinc Ouidi *traxisti ex Insula* Polym
Quo polo nostra Braccara *vixit amans.*

Aliud postmodum prosequitur hexasticon pro *S. Sereniano* etiam Episcopo *Braccarensi* quod postea dabimus.

Dies transitus. CIRCA Diem transitus, licet hucusque ignorauerint *Braccarenses*, iamiam, vt tanti Præsulis festum concelebrent, en ex Equilino *lib.* 11. *c. fin. n.* 45. eorum dies cultus sic: POLYCARPVS *& Serenianus Episcopi, quorum festum colitur Kalendis*

lendis Februarij. Quo iam non est de quo dubitet *Braccara.*

S. SERENIANVS Episcopus, & Confessor.] Sic legendum, non SERERIANVS, vt *Tabulis Braccarensibus*, & in Hist. Braccaren. *p.* 1. *c.* 31. *fol.* 146. apud Don. Roder. de Acuña, & apud Iulian. Petr. *in Chron. n.* 80. vbi isthæc: *Floret memoria S. Fabiani Episcopi Braccarensis, Successoris* SERERIANI, *qui successit Polycarpo.* Quia *Petrus de Natalibus*, qui vt diximus illum, & *Polycarpum* coniunxit vno die ad memoriam eorum festiuitatis, vt supra retulimus ex *lib.* 11. *Catol. SS. c.* 45. SERENIANVM. legit, & eo ipso nomine vtitur hexasticon infra ponendum. Eius Acta, sicut *S. Polycarpi* sub silentio latent. Sic illa concinnabimus.

ACTA SANCTI SERENIANI Braccarensis Episcopi, & Confessoris ex Iuliano, & MS.

SERENIANVS ex nobilissima *Serenorum* familia, quæ apud *Samonem* Gallæciæ oppidum antiquos construxit lares, oriundus, vti suorum agnouit in fide Catholica Maiorum progressus, ita illorum vestigiis adhærens, Christianam est religionem, auspiciis illustrioribus, amplexatus. Cùm verò ad iuuentutis deuenit ætatem, *Braccaram*, tunc Gallæciæ Metropolim, aut profectionis, aut studij causa, libera animi propensione, perrexit. Ibi *B. Polycarpum* tunc Ecclesiæ Braccarensis Antistitem audiuit, doctrinæ Catholicæ pabula Catholicis ministrantem, cuius sic est demiratus cordis pietatem, vocis efficaciam, & operum excellentiam, vt protinus ad eius pedes prouolutus adolescens, ab Antistite, vt in suorum contubernium familiariũ describi mereretur, lachrymis depoposcit obortis. Annuit, diuino inspirante Numine, SERENIANI votis supplicibus, *Polycarpus*, & inter suos adlectus iuuenis, abeo Pontifex de origine, religione, studiis, & progressibus sciscitabatur. Quæ omnia vt recensuit profunda speciali curabat studio adolescentuli spiritum inuestigare. Quem vt perscrutaretur candido virginitatis, rubore doctrinæ perfusum, ad *Archidiaconatus* Ecclesiæ Braccarensis apicem SERENIANI suffragantibus meritis, liuore obmutescente, perduxit. In huius oneris alea diù inseruiuit Leuita, donec vita functo Eclesiæ Præsule sanctissimo, eiusque Magistro, Clero, & Populo efflagitante ad solium Patriarchalis sedis accessit inuitus. Igitur Domino cooperante sic suam Ecclesiam doctrinis illustrauit, gregem Salutaribus fidei vocibus compescuit, vt iam ætate grandæuus ad præmiũ vitæ rectè actæ properaret innocuus Kalend. Februarij Anno Domini CC. XXX. cùm in Pontificatu quinquaginta exegisset annos. Eius sacrum corpus in ipsa eadem techa *Polycarpi* prædecessoris sepultum in magno habitum honore quieuit.

Origo. *Educatio.* *Archidiaconus.* *Episcopus.*

Totam horum Actorum ecphrasim ex *Auli Hali* mei MS. hexastico, in sepulchrali carmine quod ad horum sanctissimorum Præsulum memoriam conscripsit, collegimus, sic:

Epitaphiũ

Post illum vidit istius hic quoque Serenianum
Leuitam, & cuius hic ossa sacrata iacent.
Istum Pontificem *nostra hæc* Gallæcia *Sanctum*
Progenuit diues, munera cuique dedit.

Tandem confectus senio post fœdera pacis
Internæ, placidè astra refertur ouans.

Prosapia ex Somone Gallecia vrbe.

Illum fuisse origine *Gallæcum* ex secundo liquet disticho, addidimus ex Oppido *Samone* vbi familiam *Serenorum* illustrem inuenimus ex Luitprando aduers. *n.* 175. 176. 177. 178. 179. & 180. vbi istius clarissimæ familiæ Viri, & Fœminæ insignes ex relato oppido recensentur *Serenianus* ergo à *Sereno*, vt *Drusillus* ex *Druso*, *Diogenianus* ex *Diogene*, *Plautinianus* ex *Plauto*, & alia sexcenta, deducitur; ideo de patrommici extensione non est ambigendum.

Ætas, & Pontificatus Anni.

REFERTVR in vltimo disticho senio confectum occubuisse, & benè, quia ad Præsulatus apicem conscendit Anno C. LXXX. & in eo quinquaginta exactis, peruenit ad CCXXX. quo *S. Fabianus* successit ex *Iuliano*. Infulas induisse ad minus ætatis anno XL. credendum est, ideo senio confectus, & nonagenarius decessit.

Braccara elogia.

BRACCARA, Vrbs toto Hispaniæ Gallæcæ celeberrima circulo fuit, cognomento, & re AVGVSTA, cuius mœnia, illam (qua nititur) redolent vetustatem. Deca Ptolom. *lib.* 2. c. 16. Plin. *lib.* 4. c. 6. Auson. de *Clar. vrbib. Epig.* 9.

Quæque sinu pelagi iactat se *Braccara* diues.

Vbi Elias Vinet. *n.* 204. Acuna *Hist. Braccar. t.* 1. *c.* 1. qui circa extructionem huius vrbis nonnullas refert opinationes, quarum ecphrasin suis in locis assuemus. PRIMA ergo *Roderici* sententia, ex Mauri Castella *Hist. Compost. lib.* 1. *c.* 17. colligitur, vbi ex ISIDIS inscriptione Braccaræ inuenta, cui epigraphe ISIDI SACRVM, contendit Ægyptios Hispanias cum Ioue Osiride Isidis coniuge aduentasse, tuncquè per Gallæciæ terminos processisse, templumque ISIDI fabricasse, cum ipsi primi Templorum extiterint auctores, Braccaram vrbem erexisse. Hanc opinionem tuentur verba *Hugonis Portucalensis* à *Caledonio* extracta, dicentis, quod postquam B. IACOBVS excitauit ædiculam Cæsaraugustanam, venit Braccaram; *Vbi* (prosequitur) *sacrat eidem Dominæ cum Pio Hispalensi, & Elpidio Toletano Episcopis, & aliis ex primis eius discipulis aliam ædiculam in quadam crypta prope balnea, iuxta* TEMPLVM *ab* ÆGYPTIIS ISIDI *quondam dicatum.*

Prima Opinio de Origine Vrbis.

Templum Isidis quãdo erectum.

En existentia apud Braccaram Ægyptiorum, ecce Templum ab ipsis ISIDI erectum, ergo & vrbis Origo ab ipsis. Ab hinc crederem illius inscriptionis compaginem, quam *Maurus*, *Brito*, & alij referunt inuentam Braccaræ, non primæuam Ægyptiorum dedicationem, indicere, sed post modum tempore Romanorum Imperatorum restitutum Templum, quo Lucretia Fida prima extitit Deæ post reædificationem Sacerdotissa. En verba:

Quando restitutum.

ISIDI. ♡. AVG. SACRVM.
LVCRETIA. FIDA. SACERDOT.
PERP. ROM. ET AVG.
CONVENTVS. BRACHAR. AVG. D.

Et patet quia nec characteribus Ægyptiis conscripta; nec illo æuo Augustorum nomina inuenta, nec ipsa vrbs titulo AVGVSTÆ condecorata: Ex quo liquet non originem Templi ab illa inscriptione deducendam esse, sed potius restitutionem tempore Augusti, vt indicat Epigraphe alterius lapidis, vbi CONDITVM SVB Imp. Cæsar. PP. asseritur.

QVARTO

QVARTO NON. FEBRVAR.

DIES II.

A *Hiſpaniæ Feſtum Purificationis* B. V. MARIÆ, *quòd apud Græcos Hypapante dicitur.*

B *Cæſareæ Paleſtinæ* S. CORNELII *Centurionis, qui ex* Italica *vrbe Hiſpaniæ ortus, ſic virtutibus, eleëmoſynis, & piis operibus vitam texuit, vt non ſolum encomiaſtem* B. Lucam *Euangeliſtam meruerit, ſed Apoſtolorum Principem, diuina reuelatione, in fide Magiſtrum acceperit, à quo baptizatus, &* Cæſareæ-Paleſtinæ *Epiſcopus ordinatus, cùm in lege Dei, gregis defenſione, & commiſſi officij munere inſudaret, demum ſanctiſſimè quieuit.*

C *Placentiæ in Vettonibus Hiſpaniæ depoſitio ſacrarum exuuiarum* S. FELICIANI *Martyris, qui cum alijs* Romæ *martyrium conſummauit; cuius ſacra lipſana Româ extracta, in ſacrario* S. E. Placentinæ *honorificè coluntur, & adſeruantur.*

NOTÆ.

A HYPAPANTE Domini, ſiue PVRIFICATIO B. MARIÆ.] De origine huius feſtiuitatis, ceremoniis, & cultu, variæ ſunt ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſententiæ. Baronius *in Notis ad hunc diem lit. A.* duas refert, licet primo viſu contrarias, ni illis dictinctionis notam imponas. I. opinio eius eſt, quòd tempore *Iuſtiniani* Imperatoris, anno IX. ex *Cedreno*, hanc ſolemnitatem eſſe Conſtantinopoli celebrari cœptam, *in quo* (aſſerit) *conueniunt ſcriptores cùm Latini, tùm Græci.* II. Opinio eſt, quòd *Gelaſius* Papa ante *Inſtinianum*, annis fere *triginta*, iam hoc feſtum in *Occidentalibus* Eccleſiis inſtituiſſet. Sic ſi hæ *Baronij* ſententiæ accipiantur, contrarietas ineſt, nam ſi primus *Iuſtinianus* feſtum inuenit; quo modo iam ante *triginta* annos *Gelaſius* agnouerat? ſed nihil fruſtra in Eccleſia Orientali per *Iuſtinianum* primò inductum. In *Occidentali* triginta præeuntibus annis, per *Gelaſium* inſtitutum; ita

Origo. — I. *Opinio.* — II. *Opinio.* — *Diſtinctio.*

vt primò apud Occidentem, poſt apud Orientem hæc culta feſtiuitas. Sic intelligendus *Baronius*. Et Sifrid. Miſnenſ. *in Chron. lib.* 1. *Ann.* 551. videtur innuere, cùm inquit: *Sub Pelagio Papa, & Iuſtiniano Imperatore, ſumpſit initium* apud Conſtantinopolim, *vt* ὑπαντὴ *Domini, id eſt* Purificatio B. MARIÆ *Virginis ſolemniter celebraretur.* Quæ verba, *apud Conſtantinopolim,* dictorum reſtrictionem prænotant. Sed an ante *Gelaſium* in Oriente hæc feſtiuitas innotuerit, exquirendum eſt.

Quo tempore in Oriente?

VIDETVR quod ſic, non tamen tempore S. Gregorij Nyſſeni, qui ad XIV. Theodoſij Imperatoris annum peruenit, hoc eſt CCCXCII. Chriſti, iam feſtum Purificationis peragebatur in Oriente, de quo ipſe ſermonem texuit, cui titulus. *Sermo in feſto Hypapante Domini*; in cuius corpore hæc leguntur: *Etenim quando circa tempus, quod eſt* archetypum *(vt ſic dixerim* præſentis feſti, *is qui forma diuina præditus erat, & formam ſerui ſumpſerat, mediator inter Deum, & homines factus, legis præceptum exequens, quadraginta dies natus infans, ſempiternum illud verbum, vna cum genitrice conueniente, ac præſcriptam hoſtiam portante, ad templum pergebat.* En Gregorij Nyſſeni æuo feſtum *Hypapante* celebratum. Cui reſpōdet Baronius difficultati: *Ego ſanè illud aſſeuerare non dubito, nullum vel Latinorum, vel Græcorum Patrum, qui ante* Iuſtinianum *Imp. vixerant, ſermonem in feſto* Die occurſus Domini *ſcriptum reliquiſſe: Niſi quis accipiat Patrum Commentarios in c.* 2. *Luc. Euangeliſt. quo rei geſtæ hiſtoria enarratur, quæ vel ab alijs explicata eſt in ſuis Commentarijs, vel certe de ea ad populum verba fuerunt, vt apud Latinos* S. Auguſtinus *feciſſe videtur, qui in ſermone quodam habito in Die* Natalis Domini *multa de* Simeone, *Domino occurente, recenſet. Eiuſdem generis ferè ſunt homiliæ Patrum, quas Surius deſcripſit, tom.* 1.

Probatur contra Baronium.

SED quia Lector erudite cognoſcas, non omnia à *Baronio* prolata, oracula, & quanta in hoc puncto arrogantia proceſſit, aliquot ſanctorū Patrum, tùm Latinorum, tùm *Græcorū* ante *Iuſtinianū* vitam agentium, placita recenſemus. Ex *Latinis*, inter opera *B. Ambroſij* in editione Romana Ann. 1581. adeſt ipſius S. Præſulis, *Sermo de Purificatione Virginis* MARIÆ cuius exordiū: *Si ſubtiliter à fidelibus, quæ ſit huius diei feſtiuitas perpendatur.* In huius ſermonis calce, ineſt hæc notula *Sermo hic S. Ambroſio adſcribitur, ex vetuſtiſſimo Codice MS. Monaſterij Meſſanenſis S. Placidi.* Ex quo ſermone manifeſte elicitur, *feſtum Purificationis* antiquiſſimum eſſe, cùm *Ambroſius* qui ad Annum CCCXCVIII vixit, ferè ſeculum cum dimidio ante *Iuſtinianum* ſcripſerit. De *S. Auguſtino* in hoc feſto inferuntur aliquę Lectiones in antiquo *Breuiario Brugenſi*, vt refert Coluener. *in Kalend. Marian. h. d. n.* 2 *in fin.*

Ex *Græcis* abundans probatio eſt. Prodeat antiquorum omnium anteſignanus *S. Methodius* Martyr, qui agonem conſummauit ſub Decio, cuius opera in lucem edidit Petrus Pantinus excuſa Antuerpiæ 1598. Iſte ſanctiſſimus Martyr, & Epiſcopus Patarenſis homiliam, cui titulus *De occurſu Domini* in qua inter alia, hęc verba notabis: *Vnà cum Chriſti grege feſti huius ſtudioſo, lætitiam iungentes, choreas ſaltem ducere libet.* Et paulo poſt: *Feſtum agimus non ex Græcorum vanis fabulis, ridiculum, attonitumquè Deorum conuiuium, ſecum adducens; ſed eius gloria tanta eſt, vt ſuſtineri nequeat.* Et infra: *Et quidem propterea Mater ipſius ſupra legem exiſtens, ſe legi ſubmittit: quæque pura cum ſit, tempus tamen quadraginta dierum in pollutas conſtitutum, præfinitumque, obſeruat; fitque legi obediens, is quoque, qui à lege liberat, & oblatio pro eo offertur, qui nos ſanctificauit, per auium mundarum, in teſtimonium illorum, qui mundi inculpatique accedebant.* Iam vides de *Feſto* agi in hac homilia, & de *feſto Purificationis*, vt aliquis credidit, ergo iam tempore *S. Methodij* inſtitutum erat. Huic adiungantur *Cyrillus, Amphilochius, Nyſſenus,* & alij à *Coluenerio* relati, quorum verba exprimit. Pro hac opinione ſtant Bellarm. *tom.* 1. *Controuerſ. lib.* 3. *c.* 16. Gretſerus *de Feſt. Chriſtian. lib.* 2. *c.* 3. Cornel. Schulting. *tom.* 2. *Biblioth. Eccleſ. h. d.* P. Ioann. Azor. *tom.* 2. *Inſtit. Moral. lib.* 1. *c.* 18. *q.* 1. Qui hanc feſtiuitatem ad *Apoſtolorum* tempora, ſeu eorum *Diſcipulorum* deducit, cui ſuffragatur Coluener. *fol.* 100. *n.* 4. Hugo Menard. *in Not. ad Sacrament. S. Gregor. fol.* 40. *cum ſeq.*

Cauſa inſtitutionis feſti.

SEQVITVR de huius feſtiuitatis inſtitutionis cauſa. Qui à *Iuſtiniano* indictam

dictam volunt, referunt, quod propter sedandam inguinariæ pestis epidemiam toto orbe grassantem, reuelatum fuit cuidam S. Viro, vt IV. Non. Februarij *festum Purificationis B. V.* celebraretur, & sic omnis in hominibus mortalitas cessaret. Quo cognito *Iustinianus* illam instituit: ita Bernard. Bust. *in Marial. p. 8. serm. 2.* Quam sequuntur Christian. Maffeus *lib. 12. Chron. Ann.* 542. Genebrad, *lib. 3. Chronol. Ann.* 537. Baron. *Annal. Eccles. tom. 7. Ann.* 544. Qui verò *Gelasium* auctorem huius institutionis constituunt, causam exprimunt, vt *Lupercalium* abrogaret abusus, ita Locrius *in Mar. August. lib. 6. c. 7.* Spinell. *in Mar. Dei-par c. 20 n.* 17. & alij ab eis relati. Qui altius rem attollunt, hoc est à tempore *Apostolorum*, hoc euenisse ob insignem Domini humilitatem, qui homo factus, legis adimplere præcepta non distulit; ac sanctissimæ Matris obedientiam, quæ licet purificatione non indigeret, creaturarum cœlestium & terrestrium immaculata, attamen præcepti gnara, eius complere præscriptum humili destinatione curauit; sic *S. Patres Græci*, & præcipuè *S. Methodius* in loco supra excripto. Aut ob singularem, qua filiæ *Sion*, hoc est animæ sanctæ cum Simeone, & Anna in templo Christum, & Matrem recipere tenentur. Audi Cyrillum: *Lætare valde filia Ierusalem, prædica lætitiam filia Sion. Hodie enim gloriosa sunt dicta de te Ciuitas Dei, Ciuitas Regis magni, aperiat portas ei, qui aperuit omnibus cœlestes portas. Hodie qui admirabiliter olim respondit Mosi in Monte Sina, diuinè implet legem factus sub lege. Hodie Deus à Theman venit Sion. Hodie cœlestis Sponsus cum thalamo Dei Matris venit in templum. Filia Ierusalem egredimini in Occursum eius. Lampades alacriter accendamus vero lumini. Tunicas animarum paremus Sponso Christo, cum Sion. Gentium populi lucem ferentes occurramus cum templo. In templo ad Deum Christum conueniamus. Læti hodie lampades ornemus. Tanquam lucis filij, ceras veræ luci Christo offeramus: Quoniam lumen ad reuelationem gentium mundo apparuit, & ideo lumina ex lumine supra niuem splendeamus, supra lac dealbati, supra sapphirum illuminati, supra immaculatas columbas in cælos euolantes, ita in nubibus ad Dei Occursum exeamus. Hodie, Dilecti, Festi cursum perpetuo peragamus; cum Angelis choros ducamus, cum pastribus illuminemur; cum Orthodoxis adoremus; cum Bethleem festum agamus; cum Sion occurramus; cum templo sanctificemur; cum Virgine festum agamus; cum Simeone Christum vlnis amplectamur.* Quis non hic videt causam, & antiquitatem solemnitatis? Quis non cereorum & luminum apparatus, vt Christo, & Matri illuminati mente, & non vacuis manibus occurramus?

I. Opinio. II. Opinio. III. Opinio.

Ab hinc conuincitur non fuisse *Sergium* Papam, qui primus processione præscripta & *cereis* accésis interessentium manibus, hunc Occursum instituit, quia vt ex verbis *Cyrilli* relatis, iam suo tempore hęc *cereorum* ceremonia in vsu erat. Vixit *Cyrillus* ad Annum vsq; CCCC. XL. IV. Vixit *Sergius* ad Annum DCC. V. ergo iam per fere tria sęcula pręcesserat *Cereorum* in hac solemnitate gestatio. Cui veritati duos testes comprobandæ totius exceptionis maiores, qui ante *Sergium* scripserunt, subiiciemus. Adsit primus *S. Eligius* Episcopus *Nouiomagensis*, qui occubuit anno DC. LX. V. qui in sermone de hac festiuitate ita loquitur, *homil. 2.* sic: *Per singulos annos circa initiū eiusdem Mensis* (Februarij) *vniuersa Dei Ciuitas, Sancta videlicet Ecclesia illustratur: fidei lumen quod filiorū suorum fulget in cordibus, designans* Cereorum *lumine, quod eorundem gestatur manibus.* Eligium sequatur *Ildephonsus* Noster *Archiepiscopus Toletanus*, qui viuere desiit Anno DC. LXXI. in Sermo. de Purificat. his verbis. *Eodem Mense* (Februario) *hoc est hodierna die* (IV. Non.) *in honore S. Deigenitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, non solum Clerus, sed omnis plebs Ecclesiarum loca cum* Cereis, *& diuersis hymnis lustrantes circumeunt.* Omitto *Bedam*, & alios, qui post *Sergium* vixere. Ecce ante hunc Pontificem *Cereorum* vsus in hac festiuitate: ergo non ille primus in Ecclesia Dei hanc ceremoniam inuexit. Nec obstat Liber, qui *Ordo Romanus* dicitur, *pag. 22.* quo dicitur: *Sergium* Papam præcepisse litanias fieri, die S. Simeonis, quod ὑπαντή dicitur quæ litaniæ exeant à S. Adriano, & ad S. Mariam Maiorem populus occurrat, vt referunt *Alcuinus de off. Diuin. c. 7.* & Amalar. Fortunat. *lib. 3. c. 43.* Quia non ex hoc colligitur *Sergium* processionem & *cereorum* gestationem inuenisse; sed præscripsisse formam procedendi, adsignasseque Ecclesias Romæ, à qua, & ad quam exeundum

dum, & deueniendum eſſet. Ita componit has controuerſias *Coluenerius*, & *Hugo Menardus*. Cauſas huius *Cereorum* geſtationis, myſteriaque, ſi ſcire cupis adi *Coluenerium*, qui prolixe octo refert ex variis.

De hac ſolemnitate ſcripſere omnes Martyrologi tam proſa, quam verſu. Illam piiſſimis cordis affectibus, vt aſſolet, deſcripſit *P. Emanuel Pimenta* Noſter Luſitanus, cuius elegias, quia Codex rarus, excribere, nec mihi faſtidium, nec Lectori moram dabunt.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ, ELEGIA.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis. *Luc. 2.*

Secula purificas, Virgo, non pectora: labes
Quæ tua deformet pectora, nulla fuit.
Viuis ad exemplum ſeclorum; exempta ſeuerâ
Lege puerperij, quod iubet illa facis.
Dumque offers Natum, Pietas mirata profatur,
Aſpiciens faciem, munera, corda, preces.
Officium diſco Pietas pietatis: honores
Numinis; officij, Virgo magiſtra mei eſt.
Diſcere ſi poſſent pietatem Numina; ſolùm
Numinis exemplo Virgo magiſtra foret.

Tulerunt illum in Ieruſalem.

Dum Virgo auguſtas Solymorum incedit ad Aras,
Offerat vt Patri pignora chara ſuo:
Illam incedentem Virtus inſpectat, & infit;
Virgo magiſteriis me beat iſta ſuis:
Quàm grauis inceſſus! majeſtas quanta! videtur
Gratia Virgineos compoſuiſſe gradus.
Illius in vultu videor ſpecioſior, ora
Quam mea natiuus dum mihi pingit honor.
Si ſacra per noſtras graderentur Numina terras
Non aliter poſſent figere, credo, gradus.
Erudij mundum per ſecula multa, ſed Aras
Dum petit inceſſu plus facit iſta ſuo.

Vt ſiſterent eum Domino.

Siſtimur ante tuos, Pater auguſtiſsime, vultus
(Sic ait ante Aras victima pura, Puer.)
Differo, non redimo pretio, quam debeo mortem:
Differo, quo poſsim poſt, grauiora pati.

Non

Nondum membra, Pater, censentur idonea pœnis:
Tam tenera in magnam nec manus apta crucem.
Sunt modicæ vires: modicus cruor: augeat ætas,
Ibimus in magnas, corpora magna, neces.
Si modò contingat tenero, te propter, obire:
Plus ego suplicij, quàm volo; parcus ero
Debita persoluam, Genitor, tibi prodigus atrox
Exactor largi sanguinis, hostis erit.
Virgo parens offers sacris Altaribus Agnum,
Victima non melius, quam tua Virgo litat.
Vt te conspiciat, tua dona vt cernat Olympus
Labitur è superis ad sacra templa plagis.
Tu trahis attonitum, trahit & tua victima cœlum,
Dum videt exultans lætus Olympus ait:
Par meritis numquam munus manus obtulit Aris:
Victima nulla polo tam pretiosa fuit.
Ante Deus pecudum capiebat viscera, & artus:
Nunc de visceribus pectora nata suis.

Et darent hostiam, par turturum.

Limina cùm turtur defertur ad alta Tonantis,
Hostia Virgineas quàm decet ista manus!
Quàm noua Virginitas, quæ parturit integra: turtur
Tàm noua Virgineæ victima Matris erit.
Respiciens Solymas de cœlo Numen ad Aras,
Donaque gestantém, talia dicta dabit:
Nulla mihi placuit, quantum hæc placet hostia: Mater
Gratior ante Aras non stetit vlla meas.
Munera suscipimus, non propter munera: Nobis
Sed propter teneras, quæ placuere, manus.

Aut duos pullos columbarum.

Quàm bene Virgo geris niuea ad templa columbas!
Conuenit in mores alba columba tuos.
Conuenit officio: ramo frondentis oliuæ
Diluuij horrendas quæ volat inter aquas.
Pacem ipsam, non signa geris, Virgo aurea, pacis
Pacis amans, gremio Pax sedet ipsa tuo.
Pax erit empta tuis lachrymis, pax sanguine Nati;
Quæ pretio tanto est empta, perennis erit.

Et

dum, & deueniendum esset. Ita componit has controuersias *Coluenerius*, & *Hugo Menardus*. Causas huius *Cereorum* gestationis, mysteriaque, si scire cupis adi *Coluenerium*, qui prolixe octo refert ex variis.

De hac solemnitate scripsere omnes Martyrologi tam prosa, quam versu. Illam piissimis cordis affectibus, vt assolet, descripsit *P. Emanuel Pimenta* Noster Lusitanus, cuius elegias, quia Codex rarus, excribere, nec mihi fastidium, nec Lectori moram dabunt.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ, ELEGIA.

Postquam impleti sunt dies purgationis. *Luc. 2.*

Secula purificas, Virgo, non pectora: labes
Qua tua deformet pectora, nulla fuit.
Viuis ad exemplum seclorum; exempta seuerâ
Lege puerperij, quod iubet illa facis.
Dumque offers Natum, Pietas mirata profatur,
Aspiciens faciem, munera, corda, preces.
Officium disco Pietas pietatis: honores
Numinis; officij, Virgo magistra mei est.
Discere si possent pietatem Numina; solùm
Numinis exemplo Virgo magistra foret.

Tulerunt illum in Ierusalem.

Dum Virgo augustas Solymorum incedit ad Aras,
Offerat vt Patri pignora chara suo:
Illam incedentem Virtus inspectat, & infit;
Virgo magisteriis me beat ista suis:
Quàm grauis incessus! majestas quanta! videtur
Gratia Virgineos composuisse gradus.
Illius in vultu videor speciosior, ora
Quam mea natiuus dum mihi pingit honor.
Si sacra per nostras graderentur Numina terras
Non aliter possent figere, credo, gradus.
Erudij mundum per secula multa, sed Aras
Dum petit incessu plus facit ista suo.

Vt sisterent eum Domino.

Sistimur ante tuos, Pater augustissime, vultus
(Sic ait ante Aras victimà pura, Puer.)
Differo, non redimo pretio, quam debeo mortem:
Differo, quo possim post, grauiora pati.

Non

Nondum membra, Pater, censentur idonea pœnis:
Tam tenera in magnam nec manus apta crucem.
Sunt modicæ vires: modicus cruor: augeat ætas,
Ibimus in magnas, corpora magna, neces.
Si modò contingat tenero, te propter, obire:
Plus ego supplicij, quàm volo; parcus ero
Debita persoluam, Genitor, tibi prodigus atrox
Exactor largi sanguinis, hostis erit.
Virgo parens offers sacris Altaribus Agnum,
Victima non melius, quam tua Virgo litat.
Vt te conspiciat, tua dona vt cernat Olympus
Labitur è superis ad sacra templa plagis.
Tu trahis attonitum, trahit & tua victima cælum,
Dum videt exultans lætus Olympus ait:
Par meritis numquam munus manus obtulit Aris:
Victima nulla polo tam pretiosa fuit.
Ante Deus pecudum capiebat viscera, & artus:
Nunc de visceribus pectora nata suis.

Et darent hostiam, par turturum.

Limina cùm turtur defertur ad alta Tonantis,
Hostia Virgineas quàm decet ista manus!
Quàm noua Virginitas, quæ parturit integra: turtur
Tàm noua Virgineæ victima Matris erit.
Respiciens Solymas de cælo Numen ad Aras,
Donaque gestantem, talia dicta dabit:
Nulla mihi placuit, quantum hæc placet hostia: Mater
Gratior ante Aras non stetit vlla meas.
Munera suscipimus, non propter munera: Nobis
Sed propter teneras, quæ placuere, manus.

Aut duos pullos columbarum.

Quàm bene Virgo geris niuea ad templa columbas!
Conuenit in mores alba columba tuos.
Conuenit officio: ramo frondentis oliuæ
Diluuij horrendas quæ volat inter aquas.
Pacem ipsam, non signa geris, Virgo aurea, pacis
Pacis amans, gremio Pax sedet ipsa tuo.
Pax erit empta tuis lachrymis, pax sanguine Nati;
Quæ pretio tanto est empta, perennis erit.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & Spiritus Sanctus erat in eo.

Pectora diuitiis opulentia Numinis implet
Sacra senis: fragans Spiritus addit opes.
Quanta sub arcano sint Numina pectore, monstrant
Os, oculi, facies, vox sacra, lingua, genæ.
Et quas flammanti trahit alto à corde, fauillæ
Quas iacit, ardenti qui calet igne, Deus.
Spiritus Infanti parat inter brachia nidos;
Ad nidos infans, quos parat ille, venit.

Et homo iste Iustus.

Quàm noua Iustitiæ forma est, quàm bella renidet!
Quàm placet, in niuei pectore viua Senis!
Iustitiæ comes omnis adest pulcherrima virtus:
Pax, Amor, ardenti pectore pura Fides.
Religio, & Pietas, diuina Modestia, Candor:
Quique senis casto gemmat in ore Pudor.
Gratia virtutes, veluti noua gemma, coronat:
Fusa senis niueo pectore, fusa genis,
Iustitiæ facies quàm mira, & blanda! meretur
Quæ tenerum amplexus inter habere Deum.

Et timoratus.

Nil magis est timidum, nil est audacius isto
Canicies decorat, quem veneranda, senem.
Quod timet est audax; ipsum Plutona lacessit:
Prouocat infernæ castra inimica domus.
Audet inoffensus tractare viriliter angues:
Tutus ab exitio toxica dira bibit.
Horrida terribiles coeant in castra Gigantes;
Dux quibus est Mauors, non timet ille minas,
Si ruat, inflexâ ceruice repellet Olympum:
Occeani intrepidus, sub pede, calcat aquas.
Ignibus astrerum famulis velut vtitur: idem.
Cogit ad imperium muta elementa suum.
Quod timor hic pepulit gelidos de corde timores,
Dum timet, audaces reddidit ille metus.
Quod magis iste timet, timor hòc audacius audet;
Et quò plus audet, fortius ipse timet.

Expectus

Expectans consolationem Israel.

Vitam expectabas aliis, tibi reddita vita est:
Teque immortalem reddita vita facit.
Aspiciunt dulcem felicia lumina vitam:
Affari vitam fas tibi, dulcis Olor.
Quin etiam tremulis vitam complecteris vlnis,
Nec nisi de vita, scit tua lingua loqui.
Corde infixa manet tibi vita, infixa medullis:
Cor sapit & vitam dulcis anhelat amor.
Non habet accessus ad te mors effera, texit
Vndiquè quem vita, tàm bene, vita tua.

Et venit in Spiritu in templum.

Magne senex summi lætaris imagine Regni:
Dum colis hic Solymæ dulcia templa tuæ.
Inde petis summi delubra augusta Tonantis,
Et tibi tendenti, pro duce, Numen adest.
Occupat ingressum Virgo cum prole tremendâ;
Inque vlnas transfert pignora grata tuas
Quis tantum inueniat cœlestis Numinis? olli
Dux nisi sit summi Numinis ipsa Manus.

Et ipse accepit eum in vlnas suas

Brachia qui cani mirus senis occupat Infans,
Hospes amans sacri pectoris ante fuit.
Soluat vt hospitium generosi pectoris hospes,
Occupat annosi brachia grata senis.
Exulta ô Simeon pretio: iam dextra Tonantis
Non melius pretium, quod tibi soluat, habet.
Est tibi communis Pueri cum Patre voluptas:
Ipse manu gestas, quem gerit ille sinu.
Dulce onus augustas Genitrix dum sistit ad Aras,
Integra virginitas, quod pariendo dedit,
Sustulit amplectens Senior reuerenter in vlnas,
Admouet ad tepidos pondera grata sinus:
Frigidáque Infantis recalescit ab igne senectus;
Non senij tantum, vis noua sentit onus:
A Sene cum Puero fiunt commercia: charo
Datque Senex Puero molle cor; Ille Seni.
Blanda Dei pietas tenero blanditur in Agno,

Gestit

Gestit & humanos lata tenere sinus.
Complexuque Senis blandè circundata, monstrat
Quàm sua in amplexus colla libenter eant.

Et ait.

Accipis Infantis decus admirabile: mira
Respicis insuetum Matris in ore decus.
Vtraque forma rapit furtim tua lumina, quamuis
Dulciter hæc rapiat, dulcius iste rapit.
Inter vtrumque senex, non vis spectacula rerum
Altera: fastidis cætera: latus ais:
Lubrica quid sequimur? vana quid imaginis vmbras?
Sola Parens Nati est, Natus imago Patris,
Hæc vbi conspexit, videam ne cætera? dixi:
Sponte mea nolo viuere, malo mori.

Nunc dimittis seruum tuum Domine.

Est desideriis factum satis; vltima restant:
Christe prius cupio, quam moriare, mori.
Nosco meæ gentis præcordia ferrea: Nosco
In tua sanguineas funera, Christe, manus.
Ne videam pressos immani verbere sulcos,
Mille sacri fontes sanguinis vndè fluent:
Ne sacra conspiciam rumpi vestigia ferro,
Neuè manus Clauis, cuspide dulce latus:
Tempora funestis squalentia vepribus: ora
Felle madere, sacras imbre madere genas:
Et Lunam, & mæstum luctu pallescere solem,
Dum pallore dolens pallet vterque tuo:
Neuè expirantem, transfixo pectore; pœnas
In te quot cernam, tot tolerabo neces:
Ne toties moriar, moriar semel; ante peremptas
Hoc vno fugiam funere mille neces.
Secundũ verbum tuum in pace.
Pollicitus opulenta tuis mihi vita peracta est:
Spes erat in cursu, nunc mihi finis adest.
Vita quibus seruata fuit, promissa videmus:
Visa est lætitiæ dulcis origo meæ.
Pauerat hos animos quondam fiducia: fructum
Nunc oculis, animo, pectore, corde fero.
Vita fuit felix; felixque extrema senectus:

Iam

Iam vitæ infelix exitus esse nequit.
Aspicio pacem, pacemque amplexus adoro:
Pace sub hac, tumulo molliter ossa cubent.
Seruatorem oculis astantem cernimus, implet
Lumina qui vultu, qui mea corda suo.
Aspicio, quem non prisci videre parentes:
Lumina regnantum, quas cupiere genas.
Omnia, quem votis affectant secula, dulcis
Est desiderij præda petita mei.
Me super æthereus polus influit: vndique fusis
Deliciis, dulces cor liquet inter opes.
Delicias iam nemo meas miretur: in vlnas
Nectaris Occeano si fluit æthra meas.
Ante hominum culpas, & turpia monstra parauit
Ille Pater Natum, quo perit omne nefas.
Inchoat à lachrymis vitam: vitæ vltima fletu,
Flectat vt ad veniam corda Paterna, trahat.
Victus amore dabit, patefacto corde, cruorem:
Prouocet vt fontes vel pretium, vel amor.
Nunc latet in puero pretium: Puer orbe paratur
Vt cruce coniuncto, debita soluat amor.
Condidit atra diem nox caligantibus vmbris:
Mens hominum claræ nescia lucis erat.
Post caligantes seclorum in nocte tenebras,
Nascitur æternus, Virgine Matre, dies.
Incipit in templo lumen clarescere, fausto
Carmine, quem Cygnus, quem sacra monstrat Anus.
Mille opibus, mille auxiliis miser indiget Orbis:
Ni puer hac soluas nomina nemo potest.
Fons, Cibus, Agnus, Ouis, Iudex, Reus, Ara, sacerdos,
Victima, Rex, Pastor, Dux, Via, Currus, Eques,
Instaurator eris seclorum; denique mundo
Vt tua conspiciat lumina, lumen eris.
Isacidum gens dura atauis, descendit Olympo
Augeat vt titulos, gloria summa, tuos.
In Pueri facie, faciem cognosce Tonantis
Quem modo in effigie fas tibi nosse sua.
Infantis faciem; quam gratia blanda serenat,
Respice: quam decorat gloria, vestit honor.
Est tuus hic sanguis, viuit tibi; consecrat Aras:

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem Gentium.

Et gloriam plebis tuæ Israël.

Est tuus hic sanguis, viuit tibi; consecrat Aras:
Et quæ fuit superis gloria, tota tua est.

Et erat Pater eius, & Mater mirantes, & benedixit illis Simeon.

Felices ambo, felici sorte Parentes
Cernere nascentis fas quibus ora Dei.
Fas quibus affari, & collo dare brachia circum,
Et dare purpureis oscula mille genis.
Arridere illi: lachrymas siccare fluentes,
Aspera cum teneri corpora læsit hyems.
Virginis admiror primos Genitricis honores,
Cui licet Infantem parturiisse Deum.
Admiror regnum Senis admirabile, paret
Cui Deus, & Genitrix imperiosa Dei.
Quantùm alitis mundo! Quantum seruatis! Olympus
Grescere diuitias sentiet ipse suas.
Quæ premit imperio diuisa Potentia mundum;
Cernitur imperio prompta subesse Senis.

Et erat Anna Prophetissa, quæ non discedebat de templo, ieiuniis, &c.

O decus Isacidum felicibus Anna hymenæis!
Inclita, post thalamos, laude pudicitiæ.
Flos æui Matrona tui, cui summa voluptas
Blanda voluptatum monstra dedisse neci.
Templa tibi hospitium, vita inter sydera; dulce
In prece colloquium; pro pietate labor.
Dura fames, & dura sitis, mollissima mensæ
Fercula; deliciæ sæpe fuere tuæ.
Quæ tam diuinæ præcedit imagine vitæ
Vates, fatidicâ vel sine voce, fuit.

Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

Ad Mosiadas.

Mosiades teneræ fugient velamina frontis,
Quæ nisi delicias, nil nisi dulce, sapit.
En tibi formosi patuerunt lumina vultus:
Maiestate patens nec tibi damna feret.
Porrige colla Deo, dulcis sub imagine Nati:

Tendit

Tendit in amplexus en tibi colla Puer.
Blandiri vt poßit dulci mortalibus ore
Mitis in Infanti cernitur ore Deus.
In Pueri facie, faciem cognosce Parentis:
An tibi sunt oculis tegmina Mosiades?
Pone feros animos, feritas inimica Tonanti: Ad Isacidas.
Blanditias Pueri, gens fera, cerne Dei.
Frangat inhumanos, diuina infantia, sensus:
Blanda magis violis, plus tibi blanda rosis.
Nil, quod Infanti spectantia lumina lædat,
Inuenies summi: summa decoris adest.
Quidquid habent Superi decoris, bellißima monstrat
Infantis facies, purpureæquè genæ.
Cernere si nequeunt Puerum tua lumina, cæcus,
Si cernis nec amas, durus es Isacides.
Abramidæ, teneris quantùm hic molitur ab annis. Ad Abramidas.
Est Puer, & magno digna Gigante facit.
Infirma est ætas, infirma infantia: summum
Robur ab infirma debilitate capit.
Infanti tenero non posse, potentia summa est:
Ille vel Hyrcanas pertrahit ore feras.
Bella imbellis agit geminis bellißima flammis:
Absque manu, validâ vim facit ille manu.
Dum non posse Puer simulat, Puer omnia vincit,
Si te non vincit, verus es Abramides?

Hactenus Venerabilis *P. Emanuelis Pimonta* paraphrasis ad historiam Euangelicam, quam etiam texuit *B. Iuuencus* Cæsarobringensis Noster, & alij. Pro coronide Hymnum *S. Isidori* in Muzarabi Breuiario descriptum attende.

Sacer puritatum dies hodiernus rutilat,
Quo secundum carnem Christus templo Simeon
Traditur, Patri non adoptione sed coæternus genere.
Spiritu completur aluus incorruptæ Virginis,
Quæ pariens mansit calebs Virgo, quam puerperam
Illibatam Genitricem Prolis castam elegit.
Inde Simeon grandæuus ouans vlnis accipit,
Amplexusque videbat salutare Domini:
Resolue iam nunc in pace artus istos fragiles.
Sed nec illa impar Anna continentia gradiens,
Quam in flore iuuentutis coniux viduarat,
Vagientem, confitentem fore mundi Principem.

Tunc veneranda ex lege offeruntur munera
Turturum, columbarúmque viua in sacrificio,
Quæ corporis, animæque puritatem docerent.
Gloria Deo potenti in excelsis resonet,
Gloriam canamus Christo, atque S. Spiritui,
Cui laus & potestas in æterna sæcula.

Qui etiam multa de hâc festiuitate desiderat symbola adeat *P. Ribadeneyra*, & *Petrum Canisium* in Act. SS. h. d. fol. 85. Coccium in *Thesaur. Cathol. lit. M.* & denique P. Franc. Mendoz. lib. 9. Viridar.

B. S. CORNELIVS Centurio Episcopus & Confessor.] Huius sanctissimi *Centurionis* memoria fere apud omnes Ecclesiasticos scriptores, tùm Scripturarios, tùm Acta SS. concinnatores inuenitur. Martyrologi passim Beda, Vsuardus, Ado, & recentiores, pro omnibus Martyrol. Roman. hoc elogio: *Cæsareæ in Palestina* S. CORNELII *Centurionis, quem* B. Petrus *Apostolus baptizauit, & apud præfatam vrbem Episcopali honore sublimauit.* Quæ verba suis idiomatibus transcribunt Martyrolog. Castellan. *P. Vazq.* Lusitanum *PP. S. I.* & Hispanum *P. Higuera* MS. apud me. Eadem Philipp. Ferrar. *in Topograph. sacra fol* 18. Eius etiam meminere Græci in *Menolog. licet die XIII. Septembris*, quo *Metaphrastes*, à quo *Sur. tom.* 5. illius Acta contexuit. De eo August. *in Psalm.* 96. Gregor. *lib.* 2. *Moral. c.* 2. *Ambros. serm.* 10. Hieronym. *Epist. ad Syluanum, & ad Pamach.* 61. Ioan. Chrysostom. *hom. de leg. Natur.* Prosper *de Liber. Arbitr.* Concil. Nicæn. *Canon* 7. Leo PP. *epist.* 6. Baron. *tom.* 1. *Annal.* 36. & 45. Clemens PP. *lib.* 7. *Constitut.* c. 47. Euseb. *lib.* 1. *Hist. c.* 3. Dext. *in Chron. Ann.* 34. Vbi P. Biuar. *Com.* 3. *n.* 1. & ibidem *Roder. Caro.* Bozius *de Sign. Eccles. lib.* 15. *c.* 6. Pineda *Monarch. Eccles.* 2. *p lib.* 10. *c.* 25. D. Thom. Tamayo *ad Dextr. Nouit.* 6. P. Roa *de SS. Malacit. c.* 10. D. Maur. Castella *Hist. Compostellan. lib.* 1. *c.* 12. P. Quintana-Duennas *Hist. SS. Hispalens. fol.* 213. Eius Acta ausculta:

ACTA SANCTI CORNELII Centurionis Episcopi Cæsariensis Palæstinæ, Confessoris, ex Variis.

Origo. CORNELIVS ex Italica Hispaniæ Bæticæ celeberrima vrbe ortus, ab ipsius iuuentutis exordio, ad militarem properauit statum, ideo baltheum induens, illum tali strenuitate, & gloria *Miles.* adeptus est, vt non multis transactis diebus, propriis meruerit facinoribus Centuriæ Primæ, quæ Hispanicam Legionem ex decem Cohortibus constituebat, principatum obtinere. Postmodum cre*Centurio.*scente strenuitatis robore, Tribuni Centurionum titulum emeritus, nonnullas militum Cohortes maxima omnium acclamatione moderabatur. Tacito demum pede senectus aduenit, & post varias *Secessio.* expeditionum fortunas, quibus Populo Romano inseruierat, Cæsaream Palæstinæ secessit, vbi proprios mercatus lares, arma suspen*Opera.*dens, & temporis malegestorum errores deplorans, sic bonis operibus se exercuit, vt *Vir religiosus, ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper,* licet adhuc in ignorantia, & Gentilitatis errore persisteret, à *S. Luca* vocitari meruerit. Quadam igitur die ad horam eius nonam, cùm in *Visio.* oratione perseuerasset, ad eum Angelus Domini venit, & dixit ei: CORNELI *orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & nunc mitte viros in Ioppem, & accersi* Simonem *quendam,*

qui

qui cognominatur Petrus*: hic hoſpitatur apud Simeonem quendam coriarium, cuius eſt domus iuxta mare; hic dicet tibi, quid te oporteat ſcire.* Quo dicto Angelus euanuit. Quo oſtento CORNELIVS protinus vocatis duobus famulis, & forti quodam, ac pio milite, illis quidquid viderat aperuit, & Ioppem dimiſit. Interim ac hæc Cæſareæ peragebantur, & Commiſſarij agerent iter, Ioppemque adirent, Petrus in ſolario domus aſcendit, & mentis exceſſu abſtractus. — *Petrus quærit.*

Clauiger æthereus cœlum conſpexit apertum, — Arat. lib. 1. Act. Apoſt. c. 11.
Vſus honore ſuo demittitur inde figura
Vaſis: vt in terris ſit viſio, corpore Petri
Omnia poſſe capi: qui quidquid ſumit edendum
Eccleſiæ facit eſſe cibum: præfertur imago
Quatuor ordinibus, ſe ſummitentibus, vna
Eccleſiæ forma eſt, quæ quatuor eminet orbis
Partibus, & laxat totidem præconibus ora
Omne genus retinens volucrum, pecudûque ferarum,
Reptiliúmque, ſimul mortalibus iſta cohærent
Ex meritis, vitiiſque ſuis: patet ergo quod Auctor
Iuſſit in Eccleſiæ transfundi viſcera Gentes.
Macta & manduca dum præcipit, abſtrahe quot ſunt,
Et tibi fac ſimiles, qui vertitur alter habetur.
Abſit Petrus ait, quanta eſt reuerentia ſancta
Legis, & eſuriens oblatas reſpuit eſcas.
Ter ſonuit Domini vox, quæ dictata ſaluti eſt:
Hoc Genitor, Natuſque ſimul, ſanctuſque peregit
Spiritus huic fidei pugnax cadit Arius, vnum
Perſonas tries eſſe negat. Sabellius vnum
Sed Patrem confeſſus ait, qui deinde viciſſim
Filius, & ſanctus dicatur Spiritus idem.
Sed totus ſit, vt ipſe Pater, quódque ordine Trino
Continet Vnus apex, hic diuidit, ille relinquit.
Victus vterque iacet, nam iuſſio trina monentis
Perſonis numerum, virtutibus indicat Vnum;
Quo vocat imperio Gentes, hoc credere fas eſt:
Si volumus complere fidem, facis omnia Chriſte
Sanguine munda tuo lateris, qui fluxit ab ictu
Diſcretæ coniunctus aquæ, maculoſus oberrat
Anguis, & extinctum lymphis gemit eſſe venenum.

Ergo Petrus tantis obſtupefactus ſymbolis, tot myſterioſis dubius emblematibus, in inferiora domus deſcendit, nuntios CORNELII reperit, quibus viſis protinus viſionem amplectitur, & diuino ſpirante, & dirigente Numine, ipſis ad oſtium domus accurit, ſa-

lutat, & ipsorum aduentus causam efflagitat. Illi CORNELII domini legationem exponunt, & quantis sui Centurio crucietur desideriis pate faciunt. Quorum Apostolus supplicationibus annuens, Cæsaream pergere altera constituit die. Interim CORNELIVS tanti hospitis momentis dinumerans accessum, conuocatis familiaribus, domesticis, & amicis, Petro obuiam procedere festinauit. Accessit Petrus, cuius Centurio demiratus splendorem, ad Apostoli pedes prouolutus, venientem adorauit, tanquam summum Apostolatus Principem, Christi Vicarium, & vniuersalis Ecclesiæ Monarcham. Petrus autem tantum fastidiens obsequium, & honoris immoderati terminum recusans, dixit, *Ego quoque homo sum.* Quibus in itinere absolutis, Ciuitatem adintrant, & in domum Centurionis sistunt. Tunc CORNELIVS Domini misericordiam in Angeli explanat visione; quid ad salutem consequendam facturus sit exposcit, ordinemque ad tanti felicem facinoris successum exquirit. Tunc Petrus sublimia fari dogmata cœpit, & Christi mysteria pandere æterna, quibus Natalem, Prædicationem, Miracula, Mortis prodigia, Resurrectionis gloriam, Ascensionis mirabilia Verbi compulsauit. Quo dicto.

Petrus Cæsaream adit.

Magnanimi stupuere Viri, vocemque sequentes
Inuenere viam: Quid non credentibus offert
Indubitata fides? Cui nunquam munera tardant,
Nec faciunt diuina moram: Mox Spiritus Almus
Indulgens varias opulento munere linguas
Compleuit; sine mora domum baptisma frequentat
Petrus, vt ablutos flammis, purgaret in vndis.

Centurio baptizatur.

CORNELIVS cùm iam sacro fuisset chrismate delibutus, Petrum Ierosolymam comitatur; ibidemque commoratus per aliquot temporis fidelium numerum coagmentauit, donec dispersis martyrio Stephani Christicolis, Phœniciam, Cyprum, & Antiochiam perlustrans, Petrum eius Magistrum inuenit, cui adhærens, illũ, & Timotheũ Ephesum vsq; est insequutus. Hic de *Scepseorũ* in Asia erroribus edoctus Petrus, Ministrum fidei ad eos dimittere constituit, & sorte iacta, Centurio Noster ad illorũ conuersionem electus est. Benedictione demũ accepta, Scepsim peruenit, vbi à Demetrio ipsius vrbis Præfecto, & Gentilium erroribus implicato, quorum erat acerrimus obseruator, & iudex, accersitus, Quis esset? Ad quid venisset, & quod nam eius institutum? interrogauit. Cui Centurio: *Sum seruus Dei viui. Veni huc vt te reuocem ab ignorantiæ tenebris, ad veritatis lucem.* Quo Demetrius responso accensus acriter, dixit: *Alia te rogaui, & alia mihi responsitas: ergo nec tuæ senectuti ignoscam, nec tuis ambagibus, meis efflagitationibus satisfacies.* S. Virilla, qua erat spiritus sancta imbutus prudentia, pacificato sermone respondit: *Si de militia quæritas? Sum Centurio. Si de religione, Christianus; si causam aduentus, tuam, & tuorum conuersionẽ disquiro, vt tibi, & tuis ille veri Dei Iesu-Christi D.N. purus agnitionis radius illucescat, & vt tu, & tui in illũ, à quo omnia per quem omnia, & in quo omnia sunt, & sine quo factum est nihil, extirpatis Idolorũ, vel potius dæmonum spurcitiis, veraci confessione credatis.* His, & alijs vltro, citroque inter Centurionem, & Præfectum altercationibus omissis, ad euidentiam potentiæ Christi, & Idolorum ventum est. Qua probatione Demetrius facile in suam attrahere ignorantiæ sententiam

Scepsim prædicat.

ſententiam poſſe credidit CORNELIVM. Qui, populo inſpectante, ad Iouis fanum deueniens, ad Orientem flexis genibus prouolutus, & fidei zelo ſuccenſus, eleuatis manibus, ſic eſt orationem exorſus: *Deus, qui conturbas terram, & montes transfers in corda maris, qui tẽpore Danielis Belum euertiſti, Draconem ſuſtuliſti, & ora leonibus obſtruxiſti, vt tuũ firmares famulũ; tu quoq; euerte hæc ſimulacra, tam fuſilia, quàm ſculptilia, & agnitionẽ præbe populo tuo, vt omnes ſciãt tuum eſſe brachiũ cum potentia.* His dictis S. Vir Præfectus cum omni populo de tẽplo egreſſi, illicò maximo terræ motu, aëris procellitate contracto, fanum incepit deturbari, ſimulacra alterum, in alterum ictuum contuſione demoliri, donec machina templi, & Idolorum pretioſa ſculptura in cinerem conuerſa periacuit, ita vt ſolo æquata, tantum glebas indigetaret marmorum ſtrues. Tunc Demetrio CORNELIVS: *Vbi nunc ſunt ô Præfecte Dij tui? Eorum potentia quomodo euanuit? Ipſorum mentita diuinitas, cuius eſt fruſtrata robore?* Demetrius pudore ſuffuſus, & obcæcatus inſania, Centurionem in carcerem detrudi præcipiens, & in ergaſtulum coniici decreuit, donec ſqualore contritum animam exhalaſſe conſpiceret. Sed quàm Deus propitius ſuis adſit famulis, in neceſſitate poſitis, demonſtrauit euentus. Nam Euantia Præfecti vxor, & Demetrius filius, qui in templi ambitu S. Viri orationem inſpexerant, è templo nondum egreſſi, eius diſſolutione compreſſi, inter rudera deiecti, diuina miſerante clementia, vocibus languidis intonabant. *Magnus Deus Chriſtianorum, qui nos eripuit per famulum ſuum* CORNELIVM *à temporalis, & æternæ mortis periculo: Feſtina Demetri, & Virum hunc Sanctum educ de cuſtodia, quemque vt famulum Dei adora, tu, & omnes, qui in domo noſtra ſunt, & propinqui noſtri: rogaque ipſum, vt veniens ex hoc aggere nos educat, nam hic magna vidimus mirabilia Dei, & audiuimus Angelos canentes:* Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quæ verba Barbatus Iouis ſacerdos, qui templi ruinam conſpectabat, cùm percepiſſet, in domum Præfecti feſtinat, famulis, audita propalat, qui Demetrio ſucceſſum recenſentes, ille protinus ad carcerem properat, credens Centurionẽ ſqualore tugurij demortuum. Sed citò errorem depoſuit, nam aperto ſpelæo inuentus eſt CORNELIVS ſanus, liber, & orationibus vacans. Tunc Demetrius nouo demiratus portento, ad S. Viri pedes prouolutus, omnia quæ acciderant enarrat, Vxoris, & filiis vitas expetit, Chriſti potentiam confitetur, Deorum fallacias profitetur. CORNELIVS petita conceſſurus promittit, ſi Demetrius, & eius domus in Chriſtum credere polliceantur. Ille anxie omnia ſpondens Centurionem amplexibus fatigabat. In diruti templi locum deueniunt, & oratione facta ad Deum, coram omni populo, qui huiuſmodi actum inſpectabat, Euentiam, & Demetrium vocauit CORNELIVS, qui eius audita voce, ex aggeribus liberi, & illæſi in omnium conſpectum proſiliere. Vix mirabile facinus conſpexit plebis coadunata caterua, cùm arcuatis ſuperciliis, & mutis vocibus proclamauit. *Magnus Deus eſt Chriſtianorum, qui per ſeruos ſuos talia facit miracula* & cateruatim ad S. Viri veſtigia procidentes baptiſmatis lauacrum depoſcebant attriti. Omnium deſideria compleuit CORNELIVS, & constructa Eccleſia, relictiſque Magiſtris fidei, *Stadium* vrbem luſtrauit, vbi non minimis Eccleſiæ aggregatis fructibus, Cæſaream, vbi à S. Petro Epiſcopus deſignatur, regreditur. Ibidem, vt propriis ouibus fidei documenta diſſeminans, occurrebat, qui feruentius orationi vacans, cùm per diuinam reuelationem ſui exceſſus diem agnoſceret,

Iouis ſimulachrum cum templo corruit.

Carceratur.

Miraculum.

Conuerſio Gentilium.

noſceret, nam audita voce de cœlo delapſa, dicente: CORNELI *veni ad me, ecce tibi parata eſt corona iuſtitiæ*, conuocatis fidelibus, in fide confirmatis, oratione facta, qua illos ad perſeuerantiam inuitauit, ſpiritum, ei à quo vocabatur, tradidit, IV. Non. Februarij, Anno domini LX. Romanam ſedem Petro, & Imperium Claudio Nerone obtinentibus. Poſt temporum decurſum, aut bellorum anguſtiis, aut fidelium refrigeſcentia, *S. Cornelij* veneratio penitus deperiuit, donec *Syluano* Troadis Præſuli *S. Centurio* apparuit, cui locum exuuiarum demonſtrauit. Ad huius Epiſcopus monita feſtinauit, Reliquias inuenit quas techa marmorea incluſas veneratus, ad templum reducere conatus, ipſæ nemine aſportante, per aëris diaphanitatem reuerſæ ſunt, vbi honorificè collocatæ, conditæ ſunt.

Hucuſque Acta, quorum probatio apud B. Luc. *Act. Apoſt. c.* 10 Metaphraſt. & Surium inuenitur. Difficultas ſtat in origine, an *Hiſpanus*, an *Italus* fuerit. Circa cuius probationem multa pro Noſtrorum ſententia conuincunt, quæ ſpecialiter adducemus.

Originis probatio I. PRIMVM quia S. Lucas. *d. c.* 10. in hæc verba prorumpeno, ait: *Vir erat in Cæſarea, nomine* CORNELIVS *Cohortis, quæ dicitur* ITALICA. Cohortes enim nomina trahebant, aut à Prouincia, vel Vrbe, à quibus milites originem acceperant, vt *Italica*; vel ab ordine delectus, vt *Prima*, *ſecunda*, vel *Tertia*: aut à locis quibus militabant, vt *Germanica*, *Pannonica*, aut *Britannica*; aut ab inſtitutoribus, vt *Auguſta*, *Claudia*, *Traianica*; vel à rerum euentibus, vt *Martia*, *Victrix*, *Fulminatrix*, vt refert Lorin. *in Act. Apoſtol. d. c.* 10. *verſ.* 1. *fol.* 474. Iſthæc cohors non potuit dici ITALICA propter ſitum reſidentie, quia ſemper militauit in *Paleſtina*, ergo propter originem Militum, qui corpus huiuſce cohortis conficiebant. Si hoc ita; non ex Italia ITALICENSEM cognominaret S. Lucas, ſed ITALAM, vt propriam patronimici vocem extraheret, ergo ex Italica ITALICENSEM propria deductione compoſuit.

II. SECVNDVM, quia vt inquiunt Baronius *tom.* 1. *Ann.* 41. *n.* 3. & ipſe *Lorinus* vbi ſupra; iſtam fuiſſe illam SEXTAM Cohortem, quam Dio Caſſ. *lib.* 55. deſcribit, eique ab *Auguſto* ad hyberna Iudæam fuiſſe aſſignatam, nec inde fuiſſe amotam, vſque ad Neronis imperium, quo in Armeniam traductam, & poſtea contra Vitellium in Italiam euocatam conſtat. Iſtam ergo Cohortem contra Vitellium deductam, & quam ITALICAM vocitant relati, & Notitia vtriuſque Imperij, in ſeutis cæruleis arulam cum orbe ſuperpoſito deferentem, *ex* ITALICA *vrbe* Hiſpaniæ *collectam* affirmat Guid. Pancyrol. in Not. ad Notit. vtriuſq; Imper. ergo illa quæ erat in Iudæa, & cuius fuerat Centurio Cornelius, non ex *Italis*, compacta, ſed ex *Italicis* Hiſpanis coadunata fuit.

III. TERTIVM vt antecedentem rationem roboremus; inſigne fuit Italicæ vrbi Hiſpaniç in ſuorum militum ſcutis, *ex clypeo cæruleo* (inquit Notitia *luteam pilam cippo eiuſdem coloris præfixam geſtare, quæ vnius orbis Romani firmitatem pertenderet.* Hoc & in numis inſigne effigiebat, vt in vno apud me, cuius reuerſus Adriani Imperatoris effigiem, alius arulam ſic demonſtrat:

Hocce ergo ſtemma geſtare Cohortem *Italicam*, in Italiam euocatam pro bello Vitelliano, quæ primo apud Iudæam militauerat, contendit *Guido Pancyrolus*, ergo iſthæc cohors erat ex *Italica* Hiſpaniæ, ſi quidem vtraque in nomine, & ſtemmate

ſtemmate æquali demonſtratione cognoſcitur. Quod & obſeruauit Roder. Car. *in Corograph. Hiſpal. lib. 3. c. 12.*

QVARTVM, nam vt ſupra ex *Baronio* & *Lorino* retulimus, Cohortem (cuius Centurio erat Cornelius) SEXTAM fuiſſe deſcripſimus appellatam. *Sexta* igitur erat *Hiſpanis*, vt ex T. Liuio *lib. 35. Hiſt. Rom.* liquet, his verbis: *De Prouinciis decretum eſt, vt I. Peregrina Vrbanáque eſſet, II. Brutiorum; III. Claſſis, quæ nauigaret, quo Senatus cenſuiſſet; IV. Siciliæ; V. Sardiniæ; & VI.* Hiſpaniæ Vlterioris. *Ergo Cohors*, quam in Iudæa *Cornelius* manutenebat, ſi SEXTA erat vt placet *Baronio*, & *Lorino*, Hiſpanam fuiſſe nemo ambiget. Quod notauit Biu. *ad Dextr. fol. 26.* IV.

QVINTVM elicitur ex *B. Ieronymo*, qui Lucino Bætico ſcribens, eius fidem laudat, inquè ipſius zelum virtutum deſcendens, proſequitur: *Verè nunc inte, ô* Lucine Bætice, *ſermo Dominicus complexus eſt*: Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent in ſinu Abrahæ. *Cornelius Centurio Cohortis* Italicæ, *iam tunc Lucini mei præfigurabat fidem. Apoſtolus Paulus ſcribens ad Romanos: Cum (inquit)* in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc. *Tantis fluctibus probauit, quid de illa Prouincia quæreret.* Quæ verba expendens P. Biu. ad Dextr. *Ann. 34. Com. 3. fol. 27.* ait: *In quo quæſo præfigurabat fidem Lucini* CORNELIVS, *niſi quia ex illis oriundus erat, ex quibus poſtea ortus eſt Lucinus, & quos Paulus ad fidem perducere cupiebat?* Et Ego addo: Si Cornelius ille Centurio Italicenſis, non erat Hiſpanus, vt quid illum in exemplum Occidentalium in ſinu Abrahæ recumbentium, Ieronymus adducere feſtinauit? Ineptias venditaſſe Ieronymum diceremus, ſi vnius Prouinciæ Viros laudare aggreſſus, alterius intromitteret Ciues. V.

SEXTVM, deſumitur ex verbis Dextri, qui *Ann. 40.* agens de eo, ait: CORNELIVS *Centurio*, ITALICENSIS *que, Petro prædicante repletur Spiritu Sancto.* Vbi *Italicenſis* dictio non ad officij tantum, ſed ad originis etiam ſignificationem, ſcripta videtur. Sic iſtam Dextri clauſulam intelligit eruditiſſimus P. Martin. de Roa. *Hiſt. SS. Malacitan. c. 11. fol. 36.* in fine vbi multis probat, ideo *Italicenſis* Centurio dictus, quia ab Hiſpaniæ Bæticæ ITALICA originem duxit, non ab Italia communiter, ſed Italica ſpeciatim. VI.

SEPTIMVM, & vltimum, in traditione illius Prouinciæ inconcuſſa conſiſtit; ex qua Officium Hiſpalenſis Eccleſiæ deſumptum agnoui, nam in eius prima Lectione, ſic exorditur: CORNELIVS *Centurio, cui primùm, poſt Chriſti Domini in cælum Aſcenſionem, Gentilium vocatio facta eſt, Natione* HISPANVS, *patria* ITALICENSIS, *ex vrbe* ITALICA *in Bætica, Colonia Romanorum.* Cui adhæret dictum mirabile, quod D. Paulus de Eſpinoſa in Hiſt. Hiſpal. 1. p. lib. 2. c. 3. refert, quòd Dynaſtæ domus del CASTILLO nobiliſſimæ antiquitatis proceres, ex hac CORNELII Centurionis proſapia oriundi iactentur. Quam tempore Ferdinandi III. cognomento Sancti, ad annum M. CC. XXXIV. probaſſe fatetur, in cauſa eorum nobilitatis, ſeu, vt Hiſpani vocant HIDALGVIA cum Regio fiſco; qua lite per tres ſententias declaratum eſt, ipſos Dominos del CASTILLO fuiſſe, & eſſe ex clara proſapia Nobiles; procedentes ex CORNELII Centurionis domo. Quod poſtmodum itidem obtinuiſſe deſcribit D. Thomandel Caſtillo XXIV. VIR. Hiſpalenſem, in lite apud Cancellariam Granatenſem agitata. VII.

NEC Obſtat Baronij, & Lorini dicterium, de nomine CORNELII; quod potius Romanum, quam Hiſpanum ſonat, quia erudite exemplis, numiſmatibus, & inſcriptionibus, reſpondent P. Roa. d. c. 11. Roder. Car. d. c. 13. Quitana-Duennas. 8. fol. 120. De eo etiam ſcribit Iulian. Petr. in Aduerſar. n. 66. & 168. Cætera Actorum ecphraſis communia ſunt. Nunc de Noſtro *Cornelio* Encomium à P. Ioann. Maſcul. in Cœlit. Encom. fol. 66. n. 42. ordinatum, attende:

Synop. *Primus hic ex Ethnicis ab Apoſtolis religione initiatus eſt, obiectus Petro per viſum, ac ſignificatus in linteo anguibus pleno, ſed in cælum poſtea recepto; præfertur Cornelio Coſſo Romano: Apud dirutum fanum ſepultus eſt.*

ENCO

ENCOMION XLII.

Iure is sibi vendicat partem præcipuam laudum;
qui nationum in se primitias consecrauit.
Primipilus Cohortis, primigenius religionis fuit;
ferrum impendit in hostes, aurum in pauperes.
Simul incedebat, & votis Cælites, & voce milites.
Petro anguis specie adumbratus in linteo,
felix præda cerui venantis fuit.
Receptus tandem in cœlum est inter sidera,
vt Serpentario micaret illustrius.
Ex Centurione postea Dux, & Imperator factus
inermis Religioni regna subiecit.
Cum Ioue Rege certamen iniit statim;
Nam terræmotu precibus impetrato,
Et euertit fanum, & comminuit Iouem.
Numquam felicius antea pugnauit in Campo.
Nempe Romanas sequutus est Aquilas,
vt ab iis arriperet fulmen,
Quod eiaculari posset in ipsum Iouem.
Tumulatus est apud fani, & simulachri ruinas,
vt excitaret titulum super impietatis busto.
Nihil tàm metuendum fuit Deorum pulueri,
Quàm proximus huius cinis.
Sileat Roma Cornelium Cossum,
qui opima spolia Ioui retulit Feretrio,
Celebratur hic, qui Iouem suo sustulit feretro.

ITALICA, Vrbs fuit celebris, & P. R. Municipium, licet postea contradicente Adriano Imperatore, ipsius Ciuitatis oriundo, Colonia Romana fuerit effecta, De ea Ptolom. Geograph. lib. 2. Tab. 2. Europæ c. 4. Strab. lib. 3. vbi Xiland. in Not. fol. 81. & 85. Plin. lib. 3. c. 1. Raph. Volaterran. lib. 2. Geograph. fol. 15. Ortel. verb. Italica. Carol. Stephan. eod. verb. Ludouic. Non c. 17. Hispan. Goltzius in Tabul. Antiquit. fol. 150. De eius Origine hæc Appian. Alex. in Iberic. Olymp. 144. describit: Relicto, vt pote pacata regione, valido præsidio Scipio milites omnes vulneribus debiles, in vnam vrbem compulit, quam ab Italia, ITALICAM nominauit. Huic opinioni adhæret Elius Spartian. in Vit. Adriani Imp. à quo Cuspinian. de Cæsarib. lib. 1. in Adriano, & Roder. Caro 8. lib. 3. c. 11. & ferè omnes Hispani scriptores. De ea alibi dicemus.

C S. FELICIANVS Martyr Romanus.] Eius sacra pignora ex cæmeteriis vrbis Cardinale *Zolero* impetrante, extracta, *D. Ferdinando de Montemayor* Decano S. E. Placentinæ concessa, in Sacrario illius *S. E. Placentinæ* adseruantur. De eo Vsuardus, & Martyrolog. Roman. h. d. vbi hoc elogium: *Romæ SS. Martyrum*

tyrum Fortunati, FELICIANI, *Firmi*, & *Candidi*. Quo conueniunt Castellanum *P. Vazq.* & Lusitanum *PP. Societ. IESV.* Eius Acta breuiter scripsit Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. fol.* 71. à quo Ego *in Hist. S. Epitatij c.* 6. quæ sic se habent.

ACTA SANCTI FELICIANI & sociorum Martyrum Romanorum ex Galesinio, & Philip. Ferrar.

FELICIANVS, tempore, quo Diocletianus, & Maximianus ferum illud procellosæ persecutionis edictum, aduersus Christi asseclas, rabida æmulatione dixere, Romam Christo nomine dato peruenit, vbi Catholicis adhærens, quotidie in oratione, & ieiunio, Ethnicorum furorem spectans, vitam humili dispositione texebat. Reliquere igitur Imperij habenas immanes Imperatores, & quando Dei Ecclesia melius spectaret seculum, in peius incidit nocumentum. Nam successoribus Constantio, & Galerio, licet persecutio consistere videretur, non ex hoc Constantij & Galerij titulo, sed Diocletiani, & Maximiani nomine prosequebatur. Hoc ergo tempore FELICIANVS, Fortunatus, Firmus, & Candidus, pro fide tenti, cùm nec à Christo diuertere, nec Idolorum simulacra adorare voluissent, cruciatibus afflicti, & verberibus affecti, vltimam capitis sententiam pertulere IV. Non. Februarij Anno Domini CCC. V. Eorum Corpora à fidelibus in catacumbis inclusa iacuere; donec anno M. DC. XXIII. pignora S. FELICIANI, ex illis extracta ad S. E. Placentinam translata sunt, vbi honorifice adseruantur, & coluntur.

Hactenus Acta, quæ nullam expetunt probationem, Translationem Sacrarum si demas exuuiarum, Româ, Placentiam; quam iam probauimus qualitatem *in Histor. S. Epitat. c.* 6. & alibi, cuius ecphrasin ibidem Lector conspicere, si velit, valebit. De errore *Galesinij* circa annorum computum, videndus Ferrar. *d. fol.* 71. & alibi.

PLACENTIA Ciuitas Hispaniæ Episcopalis in Extremadura, quam populauit Rex Alphonsus IX. cognomento Nobilis, non quia de nouo extruxerit, cùm olim fuisse illinc vetustissimam AMBRACIÆ vrbem lapidea indicent monimenta, vt probabimus infra die XXIII. Maij. Tom. 3. De Reædificatione Placentiæ, & Sedis Episcopalis restitutione, audi Priuilegij Regij anno M. C. XC. expediti clausulam: *Quapropter Ego Adefonsus Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vnà cum vxore mea Eleonora Regina, & filiabus meis Infantissis Berengaria, & Vrraca, ad honorem Dei, in loco qui antiquitus vocabatur* AMBROZ, *vrbem ædifico, cui* PLACENTIA *(vt Deo placeat, & hominibus) nomen imposui; & Sedem Episcopalem restitui.* Conueniunt P. Ioann. Marian. *lib.* 11. *c.* 14. Stephan. Garibay. *tom.* 2. *lib.* 12. *c.* 21. *fol.* 127. Didac. Colmonar *Hist. Segobiens. c.* 18. §. 1. *fol.* 152. De ea Historiam texuit *P. F. Alphons. Fernandez* Dominicanus, qui recentiora Virorum illustrium Placentinorum facinora explicuit.

Placentia reædificatio.

Olim Ambracia.

TERTIO

TERTIO NON. FEBRVAR.

DIES III.

A *Carthagine Spartharia* SS. HYPPOLITI *eiusdem vrbis Episcopi*, FELICIS, & SYMPHRONII, *Martyrum, qui Gallieno, & Valeriano Imperatoribus, sub Martiano Hispaniæ Præside pro fidei confeßione, & Idolorum confusione Martyres effecti ad gloriæ lauream cucurrerunt æternam.*

B *Apud Centum-fontes in Celtiberia Hispaniæ* S. BLASII, *qui sub Neronis imperio pro fide comprehensus, cùm primò Oretanam rexerit Sedem, cruciatibus tortus, dilaceratus, & ad necem protractus, demùm agonis palma in cœlum coronatus ingreditur.*

NOTÆ.

A SANCTVS HYPPOLITVS Episcopus, & Socij Martyres.] Martyrologium Romanum hac ipsa die meminit horum Sanctorum, quos passos in Africa recenset, sed absq; duce *Baronius*, qui illos ex MS. Codice peruetu sto S. Cyriaci in Thermis restituisse refert. Sed quia Carthagine occubuisse fortè deprehendit, & Celerinum, Laurentium, & alios Africæ passos inuenit hoc die, absque discrimine vrbium Nostros, addito aduerbio *Ibidem* inter Africanos Martyres compulsauit. Cui cõmento occurrit Flau. Dext *in Chron. Ann.* 270. & passionis locum, & Præsulatus infulam demonstrat, sic: *Carthagine in Hispania* S. HYPPOLITVS *eiusdem vrbis Episcopus, quo cum paßi sunt, alij quoque Martyres.* Quo loco P. Biu. *n.* 2. *fol.* 297. contendit, *perperam crediti sunt in* Africa *paßi, cùm constet ex Dextero in Hispania* Carthagine Spartharia *martyrium subiisse. Inde tamen credimus existimasse nonnullos* Africanos *fuisse, quod legerint* Carthagine *occisos.* In Tabul. *Eclesf. Carthaginensf. Hispan* eius Episcopi inuenitur memoria titulo Martyris, vt innuit D. Franc. Cascales *Hist. Carthag. discurs.* 20. *c.* 23. *fol.* 425. sic S. HYPPOLITVS *Martyr fuit, & Episcopus* Carthaginis *nostræ.* Et in Catal. SS. ipsius Vrbis. *c.* 6. *fol.* 460. sic: *Anno CC. LXX. martyrium passus est hic* S. HYPPOLITVS *cum aliis plurimis sociis, qui huius vrbis* Carthaginis *Episcopus fuit.* P.F. Alphons. de Vargas *Hist. B. Virginis Hortana*

Persuasio Baronij.

Refellitur.

Ex Tabulis S. E. Carthaginensis Spartharia

ne §.3.*fol.* 12.describens Catalogũm SS.Carthaginen.Hispan.*Ann.*270.prosequitur: S. HYPPOLITVS *Episcopus* Carthaginensis *ibidem martyrium cum aliis Sanctis compleuit.* Eadem Martyrologium Hispaniæ *P. Ieronymi Roman MS.* apud me, licet dierum collocatione confusum. Acta tantorum Martyrum penitus obliterauit temporis cursus, quod dolendum est, cùm tantorum Virorum agones, & nostras dirigerent actiones, & in ipsorum meditationes passionum Christiana Hispaniæ tempus tereret deuotio. At inter tot, & tanta temporum infortunia, quantum *Flauio* Nostro debeamus *Dextro*, qui Nos à tantarum obscuritatum ignorantiæ nebulis liberauit, ipsus sese manifestat euentus, cùm ab eo edocti, nostros Apostolos, Episcopos, & Martyres à plagiariorum lue restitutos, Patriæ sedulo vindicemus. At ne Nostrorum Carthaginensium horum Martyrum Acta penitus depereant, breuiter illa compaginare curabimus.

ACTA SANCTI HYPPOLITI Carthaginis Spartariæ, & Sociorum Martyrum, ex Variis.

HYPPOLITVS natione Hispanus, Christi fidem amplexus, & bonarum literarum edoctus, apud Carthaginem Spartariam vitam agebat. Cuius virtutum sarcina sic omnibus placuit fidelibus, vt inter Christi asseclas in maxima veneratione haberetur. Per hæc tempora Valerianus Imperator, qui primò Christianis fauens, postmodum aduersus Ecclesiam octauam persecutionem indixit, B. Agappium Episcopum Carthaginensem Hispaniæ exilio apud Cyrtem mulctatum, è propria sede deiecit. Quo tempore HYPPOLITVS iam Presbyter fidelibus accurrens, eorum persecutionum plagas, verbo, & exemplis feruida charitate sedabat. Sed per martyrium sublato Agappio in Cyrte anno Domini CC. LXII. Tertio Kalend. Maij, protinùs Clero, & Populo suffragantibus ad Episcopale Carthaginensis Ecclesiæ solium protractus est. Quantis per septẽnium & amplius salutaribus pasceret dogmatibus oues, ipsius vitæ finis demonstrat; quem in eadem inuenit persecutione, cum FELICE, & SYMPHRONIO & aliis Sociis, quos immanis Martiani Hispaniæ Præsidis crudelitas comprehendens, post carcerum squalorem, cruciatuum angustias, verberum flagra, verborum iniurias, & angorum dolores capite damnatos ad cœlestem patriam rabida obstinatione dimisit, III. Non Febauarij Anno Domini CC. LXX.

Genus.

Dignitas.

Martyr cum sociis.

Pro horum Actorum relationis probatione sufficit ediscere qualiter *B. Agappio* successerit HYPPOLITVS. Quod patet & ex Catalogo Episcoporum Carthaginensium, quem supra die XXIV. Ianuarij conscripsimus. Cúmque Agappius martyrio coronaretur apud Cyrtem vt probabimus infra *III. Kalend. Maij. tom.* 2. Anno. CC. LXII. & Noster HYPPOLITVS anno CC. LXX. ab ordine, literæ, id est annorum liquet istum illi sine dubio successisse. *Cui successit.*

De *Martiano* tunc Hispaniæ *Præside*, qui Christianos ad Idolorum cultum reducere conabatur, aliàs illos per supplicia Martyres efficiebat, audi Dextrum hoc ipso *anno* 270. dicentem *Flauiobrigæ in* Hispania *sub* MARTINIANO Præside, *S. Iulianus adolescens Martyr.* En *Martianum* Præsidem Hispaniæ. Cætera communia. *Martianus Hispaniæ Præses.*

CARTHAGO SPARTARIA. De ea scripsimus die XV. Ianuarij, vbi Silij Italici Nostri opinionem de Conditore Teucro retulimus, nunc eius aliquot referemus elogia, quia die VIII. Aprilis secundam subiiciemus opinionem. De ea Ptolom. *lib.* 2. *Geograph. Tab.* 2. *Europ. c.* 6. Strabo. *lib.* 3. istud: *Ergo post Abdera*

Elegia de Vrbe Carthaginensi Hispaniæ. *dera, sequitur* CARTHAGO NOVA *longè præstantissima omnium eius regionis vrbium: nam & loci natura est munitissima, & muro praclare extructo, & ornata est portubus, ac lacu, & argenteis quæ dixi metallis, & cùm ibi, tùm in vicinis locis multum confit salsamentorum: Estque hoc magnum emporium, vbi & Mediterranei maritimas, & Maritimi mediterraneas mercantur merces.* Plin. *lib.* 3. *c.* 3. Volaterran. *lib.* 2. *Geograph. fol.* 18. Claud. Marisot. *Orbis Maritim. lib.* 1. *c.* 32. illud. CARTHAGO NOVA, *quæ &* SPARTARIA, *Contestanorum maritima, ab Asdrubale Carthaginensium in Africa Duce, condita. Ibi à Gallis extra vrbem, in tumulos, Mercurio* Theutati *templum extructum, cui humanis hostiis litabant. Hanc olim Carthaginenses, in belli sedem, & armamentarium habuerunt.* De Theutate à Gallis culto apud Carthaginem Liu. lib. 6. Dec. 3. & Lucan. *lib.* 1.

Theutati Mercurio Templum à Gallis.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates, *horrénsque feris altaribus Esus.*

B. S. BLASIVS Episcopus, & Martyr.] A multis retrò seculis in Hispaniæ *Oretanorum*, & *Carpetanorum* Prouinciis, deuotionis affectu hoc ipso die colitur, & veneratur illustris memoria S. Martyris Hispani, nomine BLASII. Quem illarũ regionũ Oppidani cõtinuo credidere, nũc perhibẽt, illũ esse illustrissimũ *Sebastæ* in Asia Episcopum, & Martyrem, quem non *Sebastæ Asiæ*, sed *Sebastæ Hispaniæ* passum affirmant: sicquè quod de illo refert communis placitus, de isto esse intelligendum, & vt in sui opinionem attrahant ambigentes, digito demonstrant ad ripam fluminis *Tagi* rudera, & ruinas cuiusdam dirutæ vrbis, quam olim fuisse peruetustam *Sebasten* contendunt. Nec his contenti, specum (vbi à canibus *Agricolai* fuisse inuentum S. Præsulem referunt Acta) distinctis congressibus indigetant, & alia huiusmodi, quæ ex historia. *S. Blasij Capadocis*, Nostro Martyri imponunt Hispano. Cuius traditionis, vel potius æquiuocationis vis, tanta est apprehẽsione in cordibus defixa conciuiũ, vt potius clauam Herculis mouebis, quàm ipsorum sententiam deturbabis. Quod mihi euenit, dum hæc scriberem; nam cùm quendam Presbyterum Centumfontanum, ætate maturum, literatura conspersum, conuocarem, vt quidquid de huius rei origine sentiret, mihi propalaret; tàm obduratus in sua stetit opinione, loca, situs, specum, lacum, & alia huius historiæ minima memoriter referens; vt licèt ab inceptis ineptiis illum diuertere curarem, rationes, causas, acta, & euidentiam veritatis, aperiens: *Abeamus* (inquiens) *à fabulis*; & me in procinctu relicto in errore pertinax abiit. O quantum valet indurata vetustas. De huius æquiuoci sentẽtia Nostri antiqui scriptores multa compaginant, vt Opidanos ab isto commento eruerent, inter alios videndi P. Truxillo *in Thes. Concionat. tom.* 2. *fol.* 367. Ambros. Moral. *lib.* 10. *Hist. c.* 28. Padilla *Hist. Eclesi. tom.* 1. *cent.* 4. *c.* 30. *fol.* 199. P. Marieta *Hist SS. lib.* 2. *c.* 37 Vileg. *in flor. SS.* D. D. Laurent. Ramir. *in Not. ad Luitprand. in Chron. n.* 293. *pag.* 429. *&* 430. Rus Puerta *Hist. Gienens.* 1. *p. secul.* 12. *n.* 2. *fol.* 168. Qui omnes deuotionem piè laudant accolarum; at eos in eo, quod *S. Capadocem* Præsulem, cum *Centumfontano* confundant, acriter carpunt.

Æquiuocatio Centum Fontanorum circa identitatem S. BLASII.

Scriptores de Martyre Hispano.

IN hoc vno conuenere relati Auctores: Quod in *Monasterio* Monialium S. Dominici *Centumfontano*, extructo ab Infante *D. Ioanne Emanuele*, Nepote *Ferdinandi* Regis Castellæ, à pluribus seculis honorifice conduntur sacra lipsana cuiusdam S. BLASII Martyris Hispani, qui illic, vel prope martyrium compleuit; sed quo tempore, à quo Præside, vel quo genere supplicij, nullus eorum diuinat. Eorum verba subiiciamus. Infans *D. Ioannes Emanuel* in Diplomate erectionis causam exprimens, prosequitur: *In honorem* S. BLASII, *Martyris* Hispani *apud* Centumfontes *passi, cuius Sanctissimum corpus ibidem requiescit. Facta Carta XXI. Iunij, Era M. CCC. LXXXV.* P. Truxillo, sic: *In oppido* de Cifuentes *in extremitate Regni Toletani, in quodam Monasterio Monialium B. Dominici est insigne quoddam Sepulcrum ex lapide alabastrite, vbi dicitur esse Corpus* B. BLASII *Hispani.* Ambros. Morales, item hæc verba: B. BLASIVS *Centumfontanus (quem ego Martyrem*

Quid senserint antiqui.

tyrum Hispanum *profiteor) ab antiquissimis temporibus receptus est, in cuius sanctitatis memoriam, eius sanctum* Corpus *ibidem quiescit, cum omni substantiali cultu.* Eadem ad literam transcripsit *Marieta, Padilla,* & *Ramirez*. Sic olim sensere Nostri.

Verumenim iam, factore Deo, ad maiorem cognitionem actionum tanti Martyris deuentum est, & ideo eius Acta extendemus, prout ex Chronicis noue repertis *Luitprandi* & *Iuliani* depromere potuimus.

ACTA SANCTI BLASII Episcopi Oretani, & Martyris Centum-Fontani ex Variis Script.

BLASIVS natione Hispanus ex Carpetaniæ prouincia oriundus Gentilium ab exordio vitæ est insectatus errores, prout tum temporis parentum, & maiorum suorum moris expetebat ambitio. At eueniente lucis fidei radio per tonitrui filium, qui fere omnem Hispaniæ circulum perlustrauit, paulatim Idolorum cœcitatem cœpit annuente Numine demonstrare. Postmodum Athanasius Cæsaraugustanus Episcopus, & ipsius Apostoli Discipulus, per totam Carpetaniam, & Celtiberiam Christi Domini Euangelium, multo collecto fructu, fidei æstuante zelo prædicauit strenuus. Inter segetum grana, quæ verbi semen puriora parturiit, BLASIVM sacrati Præsulis laboriosus collegit prouentus; cuius ingenium agnoscens Antistes, post multa examinis experimenta virtutum, primum Oretanæ sedis constituit Episcopum. Ibidem *Blasius*, vt commisso oneri satis faceret, illustria contexuit verbo, & opere fidei, exemplis, & delectu charitatis facinora. Sub idem tempus prima aduersus Ecclesiam crudelissima, Nerone ambiente, persecutio omnium exarsit deplorata singultibus: Quæ cùm Hispaniam, tanquam religionis asylum, perueniss et immanis, apud Centum-Fontium vrbis terminos, Oretanum BLASIVM tenuit Antistitem. Quem, vt tunc deposcebat ira Neronis, vix comprehensum, fatalis mucronis acies, fidelibus stupentibus, interemit III. Non. Februarij, Anno Dominico LXVII. Petro Pontifice, & Claudio imperante Nerone.

Origo.

S. Athanasius Cæsaraugustanus per Carpetaniam prædicat.

Ad fidem conuertitur Fit Episcopus.

Martyr.

En Acta sinceriora, quorum probationem ecphrasis spectabis. En tibi do. Luitprandus *in Chron. n.* 293. hæc de eo. S. BLASIVS, *Episcopus, & Martyr, qui in Hispania apud* Centum-Fontes *oppidum Celtiberiæ, passus est, tempore persecutionis Neronianæ, anno LXVII, miraculis celebris micat.* En iam EPISCOPVM, sed cuius sedis, & à quo electus sciscitaberis? Audi Iulianum *in Chron.* 434. exprimentem omnia. S. BLASIVS, *qui apud oppidum vocatum* Centum-Fontes *in Celtiberia in Neronis persecutione in Hispania Martyr patitur:* Oretanus *Episcopus à S. Anastasio (lege* Athanasio.*)* S. IACOBI *Apostoli Zebedæi filij, dum in Hispania prædicaret, Discipulo, creatus, in pretio habetur, & Deo honestante sacrum eius Corpus inuisitur.* Omnia coniunxit eruditus M. Franciscus Rus-Puerta d. c. 6. n. 2. hac periodo: *Primus Episcopus* Oretanus *(quos inuenire potui)* S. BLASIVS *agnoscitur: Cuius Corpus requiescit ad Oppidum Carpetaniæ vulgo* Cisuentes, *vbi martyrij agonem consummauit anno LXVII in persecutione Neronis.* Iam omnia vides probata. Sed quia hic Primus dignoscitur Episcopus Oretanus, & hæc sedes suppressa iacet, ne pereat antiquorum illius Præsulum memoria, hic Catalogum Antistitum Oretanæ subiiciemus Ecclesiæ; quod & in aliis itidem obseruabimus.

Episcopus Oretanus.

CATALOGVS EPISCOPORVM Oretanæ Ecclesiæ, quorum memoria adhuc inest.

I. S. BLASIVS Episcopus Oretanus I. à S. Athanasio B. IACOBI Discipulo consecratus, martyrium impleuit Anno LXVII. 67

II. Spiridion Episcopus Oretanus II. qui in procellosa Diocletiani & Maximiani persecutione multa perpessus obiit Anno CCC. 300

III. Lampadius Episcopus Oretanus III. qui primo Romæ Præfectus sanctitate, & doctrina conspicuus. Hispaniam veniens insulas Episcopales induit, eius memoria ad Annum CCCLXXXII. 382

IV. Statius Episcopus Oretanus IV. S. Gregorij Bætici synchronos adfuit primo Concilio Toletano, ad Annum CCCC. V. 405

V. B. Cœcilius Sedulius natione Scothus Poëta celebris, Episcopus Oretanus V. qui apud suos gloria Confessoris colitur, ad Annum Domini inter Nostros CCCC XXVIII. 428

VI. Andonius Episcopus Oretanus VI. interfuit Concilio III. Toletano, & subscripsit Anno D. LXXXIX. 589

VII. Stephanus Episcopus Oretanus VII. Andonij successor interfuit Gundemari Concilio, in quo illud celebre Decretum, à Rege sic cognominatum, statutum est, Anno D. XCVII. 597

VIII. Amator Episcopus Oretanus VIII. cuius memoriam lapidis inscriptio, apud Oppidum Granatula, non procul ab Oreto, demonstrat hisce literis.

∴∴∴∴∴∴∴ SACER-
DOS OCCVRRIT
AMATOR ÆTATIS
SVE. XLIII. DIE. ID.
FEBRV. ERA. DC. LII.
∴∴∴ FELCITER. II.
SI SEBVTI. REGIS.
EPISCOPATVS. AN.
I. ET MENS. X. ∴∴
R. IN PACE. AMEN.

Quam Ego sic legerem: *Sanctissimus sacerdos occurit* AMATOR *ætatis suæ XLIII. die Idus Februarij II. Era DC. LII. Regni feliciter II. Sisebuti Regis: Episcopatus Anno I. & Mensibus X. Requieuit in pace, Amen.* Et licet hic non pateat cuius sedis fuerit Episcopus, attamen Oretanum agnoscunt Ambros. Morales lib. 12. c. 14. Padill. tom. 2. Cent. 7. c. 7. Rus-Puerta c. 6. Annus transitus ex Era erit DC XIV. 614.

IX. Suauila Episcopus Oretanus IX. interfuit Quarto, Quinto, & Sexto Conciliis Toletanis ad Annum DCXXXVIII. 638.

X. Mauritius Episcopus Oretanus X. interfuit septimo, Octauo, Nono, & Decimo Conciliis Toletanis, ad Annum DC. LVI. 656.

XI. Argemundus Episcopus Oretanus XI. interfuit Vndecimo Concilio Toletano, ad Annum DC. LXXV. 675.

XII. Gregorius Episcopus Oretanus XII. interfuit Conciliis Toletanis XIII. XIV. & XV. ad Annum DC. LXXXVIII. 688.

XIII. Marianus Episcopus Oretanus XIII interfuit Decimo sexto Concilio Toletano, ad Annum DC. XCIII. 693

In huius Præsulis tempore excidium Hispaniæ à Sarracenis. Pòst, isti,

XIV. Petrus Episcopus Oretanus XIV. qui interfuit Concilio Toletano ab Helipando congregato, circa adoptionem Christi, &. mutationem Officij Gothi ad Annum DCC. XCVI. 796.

XV. Daphila Episcopus Oretanus XV. qui interfuit Congregationi Toleti factæ, pro dando Wistremiro Toletano Episcopo, vt pareat, successore. Qua electus est S. Eulogius Cordubensis Presbyter, pòst Martyr, ad Annum DCCC. LVI. 856.

XVI. Andreas Episcopus Oretanus XVI. qui Italiam negotiorum causa commigrans, mense Augusto, à Porphrio occisus occubuit, Anno DCCCC. LXXIX. Vt refert Lupus Prothospatar. in Chron Ann. 979. 979.

Hic finitur memoria istius Oretanæ Ecclesiæ Præsulum, ex quorum defectione Toletani cœpere Præsules illam ministrare diœcesim, tam suæ contiguam, vsque ad Annum M. CC. XVI. quo ab Honorio III. Pontifice Max. bullam annexionis, vnionis, & incorporationis istius diœcesis ad Toletanam sedem, eius impetrauere Pontifices. Quam postea vnionem confirmauit Gregorius IX. PP. Honorij III. successor, ex eis quæ refert Rades de Andrada in *Chron. Ordin. Calatrauens. c.* 1. & M. Rus-Puert. *d. c.* 6. *n.* 8. *Ecclesia Oretana vnitur Toletana.*

ORETVM, Ciuitas Episcopalis antiqua, de qua diximus die II. Ianuarij, vbi in hunc diem Lectorem remisimus, pro agnoscendo hodierno huius vrbis situ. Circa illum variæ sunt opinantium sententiæ. Florian. de Ocampo *Hist. Hisp. lib.* 4. *c.* 29. ex aliorum placito asserit esse CALATRAVA, quam etustam vocant. P. Higuera *in Martyr. Hispan. MS.* vt retulimus die II. Ianuarij. CORCVERA credidit. Sed omnes perperam. Illam hodie S. MARIA de ZVCVECA iuxta fluuium *Xabalonem* probant Ambros. Moral. *in Antiquit.* verb. Oretum. *fol.* 75. Rades de Andrad. *d. c.* 1. Rus-Puert. *Hist. Gienens. d. secul.* 12. *c.* 6. *n.* 7. & sequent. Alia dicemus die XXII. Maij. *Cui oppido hodie reponerat Oretum.*

PRIDIE
NON. FEBRVAR.
DIES IV.

A *Apud Scalabim Lusitaniæ in ripa fluminis Tagi* S. ANACIRARDI *Eremitæ, quem Germani* Mainardum *vocitant floret memoria. Qui è Germania eius patria discedens, Hispanias per aliquot annos perlustrans, vbi erectis cœnobiis sanctitudine clarus emicuit, tandem ad*

Alpes recursitans, & iuxta lacum Tigurinum Oratorium extruens, à latronibus impetitus, & vulneribus confossus, martyrio coronatur.

NOTÆ.

Opiniones circa nomẽ, ex Scriptoribus exteris.

A SANCTVS ANACIRARDVS Anachoreta, & Martyr.] Dixi in elogio apud Germanos vocari MAINARDVM, quo etiam nomine vtuntur Latini Scriptores, qui & etiam *Meinardus*, *Meinrardus*, *Meinhardus*, *Meinradus*, *Meginradus*, & *Megimardus* appellitant; tanta est Scripturæ varietas. De hoc S. Martyre Martyrol. Roman. die XXI. Ianuarij hæc verba profert: *In Galliis in Monasterio Augensi* S. MEINARDI *Eremitæ à latronis cæsi.* Elogium extendit Martyrol. Benedict. illo die sic: *In Cœnobio Augensi* S. MEINARDI *Eremitæ, qui in eremo, quæ lacui Turicino adiacet, à latronibus cæsus est.* Herman. Contract. *in Chron. Ann.* 860. ex editione Vrstisiana, sic: MEGINRADVS *Augiæ Monachus, & primus incola eremi, quæ Turicino adiacet lacui, à quibusdam latronibus inibi XII. Kalend. Februarij peremptus, post mortem virtutibus claret, Augiæ sepultus: à quo vsque hodie Eremus ipsa à Sanctis, & religiosis Viris culta, in nobile excreuit cœnobium.* Omitto *Dorganium*, *Vuionem*, *Molanum*, *Canisium*, *Galesinium*, *Felicium*, *Suassayum*, *Ferrarium*, & alios à P. Bollando congestos *tom.* 1. *Act. SS. fol.* 381. *n.* 1.

Opinio ex Nostris.

En piè Lector quid de *Meinardo* senserint exteri Scriptores. Nunc ad Nostros calamum conuertamus, vt si ANACIRARDI Nostri forte Acta cum illo conueniant MEINARDO. Luitprand. *in Chron. Ann.* 800. *n.* 294. primas ferat: S. ANACIRARDVS *Eremita, ex Germania venit* Lusitaniam, *& in ripa fluminis Tagi, prope Ciuitatem* Scalabim, *sanctè degit, & reuersus ad Italiam, non procul à lacu* Tigurino, *vulneribus confectus martyrizatur IV. Februarij.* Illum sequatur Iulian. *in Chron. Ann.* 848. *n.* 436. *fol.* 204. latiori periodo: S. Hancarardus *Eremita ex Germania venit in* Hispaniam *Lusitanam, & in ripa fluminis Tagi, prope Ciuitatem* Scalabitanam, *aliquot annos Sanctè degit, reuersus autem ad Alpes, non procul à loco* (lege lacu) *Tigurino, vulneribus latronum confossus, martyrio coronatur. Agitur eius dies Natalis IV. Februarij. Manent aliqua vestigia aduentus huius S. Abbatis in Lusitaniam, in Oppidis eiusdem Prouinciæ, Ataugia, & Meinardo.* N. R. P. Fr. Thomas ab Herrera, cuius nomen vix absque veneratione accipimus, *in Alphabet. Augustinian. tom.* 1. *lit. A. fol.* 4. sic de illo agens: S. ANCIRARDVS *Eremita ex Germania, in Lusitaniam ingressus: ab aliquibus creditur fundator Conuentus* S. Laurentij *in Valle Bolardi, &* B. MARIÆ *de Penafirme in Lusitania, quorum vltimus perseuerat in religione Eremitarum S. Augustini: reuersus autem ad Alpes, vt ait Eutrandus* (lege Iulianus) *non procul à lacu* Tugurino *vulneribus latronum confossus Era* 888 (*id est anno* 851) *martyrio coronatur. Agitur eius dies Natalis IV. Februarij. Cæterum licet ANCIRARDVM fuisse Eremitam Augustinianum aliqualiter deducatur, difficile persuadetur.* Eadem prorsus P. F. Ioann. Marquez *in Origin. Augustinian. Eremit. c.* 17. §. 1.

Differentia Nominis exponitur.

QVANTA adsit inter MEINARDI, & ANACIRARDI Actorum contextus concordia, nemo sanæ mentis contradictor adstabit. Differentiam in paucis constituet, quam vt facilius intelligas, & cui Nos facere satis properemus, breuiter subijciemus. *Prima in nomine.* Scriptoribus Latinis, & exteris MEINARDVS, Hispanis ANACIRARDVS, quis eorum errabit? Dices Hispanos; quia ab origine longinqui, & à loco martyrij remoti haud nominis structuram percepere legitimam. Optimè. Sed quid dicemus de finitimis, inter quos vix nomini securus locus percipitur, vt in principio notauimus, vbi septem nominis assignationes reperies. Sed demus quod Nostri, vt exteri aberrent, quæstio erit de nomine, cùm in cæteris actionibus coadæquentur. Extra quod non erit nouum,

nouum, quòd inter Hispanos, & Germanos in nominis conceptu varietur; & omnino vnus, & alter ijdem sint, vt in *S. Momio Mantio*, qui apud Gallos Memius, & apud Nostros *Mantius* vocitetur & non ex hoc diuersi cognoscentur, vt dicemus infra die *XV. Maij. tom. 3.*

SECVNDA in consignatione diei Natalis. Nam Germani, & Galli die XXI. Ianuarij; Nostri hoc die festum concelebrant. Cui discrepantiæ facilis est responsio, scilicet, quòd illi illo die, Nostri isto, prout vnusquisque notitiam accepit. Quod passim euenit, vt retulimus *die XV. Ianuarij*, vbi diuersitatem dierum cultus, etiam intra Hispaniam, *S. Fulgentij* descripsimus. *Diuersitas in die componitur.*

TERTIA in Annorum diuersitate circa martyrium. Scriptores exteri passum referunt Martyrem, Anno DCCCLXIII. nonnulli vt *Christoph. Hartmanus* in Vita ipsius. *Conradus à Lichten* Vrbsbergensis Abbas Anno DCCC. LXII. *Hermanus Contractus* in Chron. Anno DCCC. LXI. *Sigebert. Gemblacens.* in Chron. Anno DCCC. LXVI. Ergo quid mirum, si inter ipsos haud constans opinio est, quòd Nostri cum illis non conueniant, consignantes diem transitus ad Annum DCCC. L. *Anni dissonantia, non obstat.*

QVARTA & vltima, quæ in Monachatu consistit, scilicet an ex ordine Eremitarum S. Augustini, an ex cucullatis S. Benedicti, anceps inter vtriusque ordinis contentio est asseclas. Illis congressum relinquo, cum meo sufficiat instituto, S. Martyrem *Lusitaniam* perlustrasse, apud *Scalabim* multo tempore vixisse, cœnobia construxisse, & apud Nostros sanctitatis cultu fuisse veneratum. Quibus sic sedatis controuersiis ad Acta deuenio, quæ in compendium nobis suppeditabit *Christophorus Hartmanus*, qui ea ex Varijs M SS. contexuit. *Instituti varietas nec officit.*

ACTA S. ANCIRARDI siuè MEINARDI Anachoretæ, & Martyris, ex varijs MSS. Codic. à Christophoro Hartmano Collecta.

ANACIRARDVS sic ab Hispanis, siue MEINARDVS vt à Germanis vocitatur, in Alemannia, pago Sulichgeuue oriundus, parentes habuit morum nobilitate, magis quàm perituris diuitiis conspicuos. Pater, qua erat in Deum pietate, idoneum literarum disciplinis filium, mox in Insulam quandam Sindles Augia nomine, monasterio S. Pirminij celebrem, deduxit, & Erlebaldo ibidem Monacho, cùm literis, tùm pietate imbuendum contradidit. Cuius disciplinis tam excellenter informatus fuit, vt Scripturarum diuinarum haud ignarus anno ætatis suæ XXV. ad Diaconatum, nec multo post, ad Sacerdotij dignitatem adsumeretur. *Origo.* *Educatio.* *Sacerdotium.*

ACCIDIT interea, vt Erlebaldus, Hattone prædecessore resignante, communi Fratrum electione ad Abbatis officium, dignitatemque, Ludouico Imperatore consentiente, vocaretur, qui S. Viro mox auctor extitit, vt à fallacis mundi dulcedine, ad religiosæ vitæ institutum confugeret. Vir Sanctus cùm insita pietate iam eo ferretur, salubri consilio paruit, emissoque professionis voto, iuuentutem literarum disciplinis, Abbatis voluntate, instituendam suscepit. Cæterum ea functione cum laude aliquandiu obita, die quodam candidatos quosdam, ad laxandos animos in eremum deduxit; cuius amore, atque dulcedine ita inflammatus est, vt viam omnem, modumque, eam deinceps habitandi apud suas euolueret cogitationes. Accidit autem vt in reditu ad matronam quandam egregiè piam diuerterent, fessa exercitatione *Monachatus.*

membra refocillaturi. Ex verbis autem vltro, citroque prolatis, notauit in ea raras quasdam virtutes S. Monachus, prorsus vt spem veniret, se eius beneficiis adiutum iri, vt desideratum pietatis curriculum possit in eremo peragere. Nec mora. Nactus in partem colloquij clandestinam, tutamquè matronam, fit voti compos: illa, alacritate, & gaudio admirabili, vniuersa necessaria spondente. Lætus tanta promissione, tecto interim adhuc animi sui consilio, ad cellulam pristinam reuersus est; continuis precibus, & ieiuniis propositi sui constantiam à Deo postulans.

Fit Eremita.

TVNC verò obfirmato ad omnes labores, & pia certamina, animo, bona Abbatis venia, ad stadium perrexit, constructóque tuguriolo, in extrema vitæ inedia, sanctam, atque operosissimam mentis est exercitationem auspicatus. Cumque per annos septem vitam in omni sanctitate exegisset, ingens populi multitudo famâ virtutum eius excitata, eo confluere cœpit; quod ille minimè ferens, habitationem suam, ad planitiem quandam inter montes, quatuor inde passuum millibus distantem transtulit. At cùm nec ibi populi frequentiam effugeret, vt vanæ gloriæ dulcedinem calcaret, peregre proficisci decreuit. Igitur relictis montibus, patria, & laribus in Hispanias deuenit, & in territorio Scalabitano ad ripam fluminis Tagi secedens, diu Deo, & sibi viuens aliquot temporum curricula transegit. Postmodum nonnulla Cœnobia construens, sic ad sui imitationem Oppidanorum animos allexit, & attraxit, vt breui tantæ virtutis æmulos, plurimos Deo annuente, discipulos numeraret. Illis igitur regulam, mores, studia, & normam cùm dedisset, ad propria redire compulsus, forte Numinis nutu, vale fratribus dicto, ad Alpes iterum, iuxta Tigurinum lacum in Heluetiis perrexit, vbi constructa cellula, quod reliquum erat vitæ in admiranda sanctitatis opinione peregit. Inter hæc quadam die, eo orante, tanta multitudo dæmonum circa illum, vndiquè diffusa est, vt nec ipsam lucem diei, illis tenebrarum ministris terram caliginem offundentibus, cernere posset. Qui cùm minis horribilibus, & horrore nimio eum fatigarent, in orationem prostratus, pugnam viriliter militauit. Constantiam eius Orientalis lux subito effulgens consolata est, & Angelus Domini pulso in effusam fugam teterrimo agmine, in spe cœlestis gloriæ eum mirificè confirmauit.

Diffugiens gloriæ auram Hispanias adyt.

Apud Scalabim Monasteria construit.

Ad Alpes Rethios repedat.

Dæmones fugat, Angeli apparentis præsentiâ.

CVM autem vicesimum sextum tàm in illa eremo, quàm in Hispaniis ageret annum, duo scelerati homines, furiis mentis agitati S. Viro sunt mortem atrociter machinati. Vnus eorum genere Alemannus, Richardus dicebatur; alter vero Petrus Rethianorum genere procreatus. Hi facta conspiratione, venientes ad cellulam eius, solitis precibus incumbentem, & sacra mysteria Deo litantem, inuenerunt. Ille verò, quamuis scelerata eorum mens eum minime lateret, tanta sermonis suauitate illos excepit, vt vel ferreum pectus mollire potuisset. Insuper cibo illo, & potu benigne recreauit, & cucullam etiam cum tunica tradidit. Hæc omnia cum eis summa charitatis significatione præstitisset: *hæc* (inquit) *de manibus meis percipite, opere autem meditato, expleto, potestis quælibet per vos tollere. Scio enim quòd necem mihi molimini; interim hoc me, quæso, beneficio afficite, vt corpusculum meum vitâ expoliatum, duabus hisce candelis honoretis accensis, vna ad caput, altera ad pedes reposita.* His dictis Richardus pollutis manibus B. Virum medium comprehendens, maceratum ieiuniis corpusculum fortiter brachiis strinxit, socioque minaciter innuit, vt Virum Sanctum

A latronibus impetitur.

Petitio.

fuste

fuste percuteret. Qui cùm diu eum feriendo, circa latus, & suras debilitasset, alter segnitiem increpans, apprehenso furibunde fuste, magnâ vi, ictum in caput eius librauit; eoque Vir Beatus corruens continuo impiorum manibus strangulatus est. Corpus eius in lectulo honeste collocarunt. Tantus enim suauitatis odor cellulam compleuit, vt omnium aromatum fragrantiam vinceret: & cum nefarij celeriter ad sacellum currerent, vt positas ex mandato eius candelas accenderent, reuersi inuenerunt candelam accensam, & tantus eos timor inuasit, vt nihil auderent de rebus ad altaris officia contingere pertinentibus. Vestes verò, & stramenta quædam lectuli rapientes, festini se coniecerunt in pedes. Illis autem inde fugientibus, Corui, qui more solito, ad famulum Dei viuentem venire consueuerant, & de manibus eius annonam accipere, quasi vindictam de scelere nefario expetentes, sequebantur latrones, & perpetratum facinus, capitibus eorum aduolantes, crocitando prodebant. Vnde maligni non multo post comprehensi, tantæ atrocitatis pœnas incendio luere. Waltherus autem Abbas postquam perpetratam cædem intellexit, Corpus Viri Dei ex eremo ad Monasterium Augiæ detulit, ibique digno cum honore sepeliuit. Agonem tanti Patris Augienses Monachi die XXI. Ianuarij Anno DCCC. LXIII. Hispani scriptores die LV. Februarij, Anno DCCC. L. euenisse contendunt. Ille cui omnia patescunt veritatem demonstret Deus, qui per infinita viuit, & regnat sæcula Amen.

Percutitur.

Miraculum.

Corui insequuntur latrones.

Comprehenduntur homicidæ & puniuntur.

Isthæc sunt Acta integra, quæ hucusque diminuta edidere Germani, quia ignorauerant in Hispanias accessum. Nec iste aduentus fidem illorum ab *Hartmano*, & aliis compactorum in aliquo minuit; quin potius ab illis omissa supplet; nam istos scriptores quid per XXVI. annorum spatium in eremo perageret, latuit; nuncque percipient, quod nesciebant.

IAM ex Nostris probauimus supra identitatem aduentus; hicque vt *Iuliani* verbis lucem demus, libet aliqua disserere. Inquit Toletanus Archipresbyter: *Manent aliqua vestigia Aduentus huius S. Abbatis in Lusitania, in Oppidis eiusdem Prouinciæ* ATAVGIA, *&* MENARDO. Quæ verba si acta legisti, facile concordantiam agnosces. Nulli dubium est, prope *Scalabim* ad Tagi fluminis alueum, nunc persistere oppidum ATOVGVIA de qua Roderic. Mendez *in Populat. Hispan. de Portugallia c. 65. fol.* 169. & Vallem quam de BOLARDO dicunt, illi oppido contiguam. In ista Valle, & iuxta oppidum prædictum, inquit P. Marquez *d. c.* 17. §. 1. extare duo cœnobia perantiqua, vnum cui PENAFIRMA, & aliud cui de S. LAVRENTIO nomen fuit. Hæc coniectat doctissimus Pater extruxisse ANACIRARDVM, ad quod credendum rapitur, vestigiis à *Iuliano* in Oppidorum nomine detectis. Cui lubens adhæreo; nam nomen ATAVGIA in *Iuliano*, quid differt à Cœnobio, quo cucullum induit MEINARDVS, si AT literas demas? Vallis quæ nunc BOLARDO, & oppidulum, in quo à MEINARDO distingues, si duas mutaueris literas? ergo licet corrupta voce vtraque, *Iuliani* dictum firmatur, & Aduentus S. Monachi in Lusitaniam vestigia perseuerant. Circa regulam quam fuit professus ANACIRARDVS videndus *Marquez*, qui multa scitu digna congessit, & digessit, licet ego pro *Ordine Benedictino* sto.

Vestigia aduentus S. Eremitæ apud Scalabim.

TIGVRINVS LACVS. Locus & arena fuit Sanctissimi Agonistæ. Ab antiquis Scriptoribus cognitus, cuius planicies PAGVS TIGORINVS dicebatur: sic apud Fabric. *in Vol. Poët. Christ.* & Gruter. *fol. CXI. n.* 4. inscriptio Romana.

GENIO

GENIO.
PAG. TIGORIN.
P. GRACCIVS. PATERN.
T. P. I.
SCRIBONIA. LVC.
V. FECIT.

Iulius Cæs. item eius meminit *in Comment.* apud Heluetios. Inter mediæ ætatis Geographos TVREGVM, Bollando ZVRICH. quem videas.

NONIS FEBRVARII, DIES V.

A *In Diœcesi Viccensi Hispaniæ Citerioris apud Oppidum Carassense in ipsius Ecclesia Collegiata depositio* S. CALAMANDÆ *Virginis, & Martyris, cuius apud populos Vicinos deuotio, & ipsius illustria miracula cultum eius, & sanctitatem asseuerant.*

B *Dumij apud antiquam illius Episcopalis olim sedis Basilicam, Inuentio sacrorum pignorum* B. MARTINI *Episcopi Dumiensis, & Braccarensis, à D. D. Augustino de Castro Archiepiscopo Anno M. D. XCI.*

C *Nangasachi in Iapponia natalis* BB. PETRI *Baptistæ,* MARTINI *ab Ascensione,* FRANCISCI *Blanco,* PHILIPPI *à Iesu,* GVNDISALVI *Garzia,* FRANCISCI *à S. Michaele & XVII. Sociorum, qui pro Christi fide dilatanda, Euangelij verbo prædicando per varias cruciatuum angustias, angustas martyrij coronas emeriti, ad æterni præmij gaudia peruenere.*

NOTÆ

NOTÆ.

A SANCTA CALAMANDA Virgo, & Martyr.] Apud Viccenses in pretio est; eius nomen adhuc in Sanctorum Ecclesiastico Albo non inuenitur. Philipp. Ferrar. *in Catalog. SS. General. h. d. fol. 62.* illud primus apposuit sic. *In Hispania in Territorio Viccensi* S. CALAMANDÆ *Virginis, & Martyris.* P. F. Anton. Vincent Domenec. *Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 12.* illi, & mihi ansam præbuit, vt Sanctissimæ Virginis, & Martyris recoleremus memoriam. Ille nobis dicenda suppeditauit; si hæc fuerint minora, quam desiderat affectus, Maiorum incuriæ culpa tribuenda est. En quæ *Hispano* contexuit *Sermone* Domenec, Latino translata offerimus. *Scriptorti.*

ACTA S. CALAMANDÆ VIRGINIS & Martyris ex Anton. Vincent. Domenec.

CALAMANDA cuius fuerit Prouinciæ, vel quæ sit perpessa supplicia adhuc inuestigare non valui; ex quo aduersus antiquorum querimonias solitas effundere, incuriam, non desistam. *Origo ignoratur.*

His ergo minime obstantibus inueni, quòd apud Oppidum Callafum, vbi eius sacra requiescunt lipsana, ad ipsam feruentissimo deuotionis, & religionis æstuant ardore Oppidani. Quibus Deus intercedente B. Virgine, & Martyre, affluenti miseratione petita concedit. In Ecclesia Parœchiali S. IACOBI Callafensi, quæ olim fuit Canonicorum Regularium Altare proprium, & præcipuum erectum S. CALAMANDÆ visitur, quo ipsius adest effigies, cum Martyris laureola, & separatim supra aram alia fusilis media cernitur; vtraque speciosa valde, & tantæ antiquitatis, vt excedat memoriam hominum, quo tempore, vel à quo ibidem adlata fuerit: Hæc, & Altare insunt in quodam Capellæ sacrario, in cuius parietis visceribus sacræ reconditæ sunt B. V. & Martyris exuuiæ. Euenit ergo, vt veniente D. Fr. Benedicto de Toco Episcopo Viccensi illuc, pro visitanda Parœchia; Episcopis in Capellam S. incidit CALAMANDÆ, & cuius illa erant pignora quæritans? R. Ioannes Ferran Ecclesiæ Canonicus dixit, esse S. CALAMANDÆ. Cui Episcopus, à quo illa didicere; respondit: *Patres Nostri nuntiauerunt nobis.* Quo audito illorum pietatem laudans, recessit, & deinceps, vt consuetudinem in festi celebratione seruarent præcepit. Dies est populo feriatus, vt Dominicus. Illo solemne peragitur Officium, quo expleto, exorditur celebris processio, in qua deferuntur S. Martyris glebæ in perpulchro tabernaculo, assistentibus Canonicis, & Clericis cum Cappis, & sceptris, vt in die Corporis Domini, nec non Decurionibus cum iurisdictionalibus insigniis, comitantibus accolis, & circumiacentium oppidorum exoticis. *Apud Callafum pignora seruantur.* *Episcopi probatio.* *Officium.*

SI forte temporum sterilitate agris sitibundis pluuiam nubes subsistunt diffundere congruentem, exactis plurimis deprecationibus, & nullo subsidio remanente, ad asylum B. CALAMANDÆ, prociduis genibus, accurrunt, & acceptis suppliciter sacris B. Martyris pignoribus ad Ecclesiam oppidi, Solerensis de LLedus confluunt, qua solemni ritu celebratur Officium. Quo expleto, ibi- *Pro pluuia exigenda à Deo efficax remedium.*

dem

dem sacra remanent lipsana; ad quorum venerationem, & supplicationem voti causa, conueniunt ex vicinis oppidis innumeræ processiones, donec à Deo petita percipiunt. Quod ex testificatione Sebastiani Gran Sacerdotis, & Beneficiarij Sedis Barcinonensis, & Ioanni Sagarra Ciuium Calaffensium, qui multoties supplicationibus adfuere, & madore respersi in domum confugere, didicimus. Confraternitatem S. V. & Martyri dicatam conseruant, quam quatuor Oppidani iuuenes regunt. Eius dies festus colitur Nonis Februarij, & secundum Romanum ritum recitatur ipsius S. V. & Martyris Officium; Cuius, Missæ, & Horarum Collecta sequens est:

Confraternitas.

Indulgentiam nobis Domine B. CALAMANDA *Virgo & Martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tua professione virtutis. Per Dominum.*

Hactenus Antonius *Vincentius Domenec* in Actis S. CALAMANDÆ, quibus adijcere nec pilus adest. An forte vna ista sit ex Vndecim millibus Virginibus, coniector; non assero. Ad illam Ecclesiam translatam tempore Canonicorum regularium, suspicor, non tamen affirmo.

Oppidi situs, & memoria.

CALAFFVM Oppidum est diœcesis *Vincensis*, seu *Ausensis* in Cathalonia. Eius memoriam, situm, & naturam repetit L. Marineus Sicul. *de Bell. Cathal. lib.* 15. hisce verbis: *Postero die cum omnibus coniunctis, & instructis cohortibus, in Oppidum Comitis, quod* CALAFFVM *vulgus appellat, & à* Pratis, *quæ inde cernuntur M. Pass. V. remotum est, Ferdinandus Princeps, & duces omnes ingrediuntur, totaque nocte propter propinquos hostes, paratas, & armis instructas acies habuere.* Oppidi *situs, & loci natura erat huiusmodi: In plano ferè loco incipiebat, & in collem leuiter accliuem consurgens in editiorem planitiem desinebat.* Hæc de situ. Postmodum paucis interiectis de Ecclesia S. IACOBI, qua sacra B. CALAMANDÆ pignora requiescunt, prosequitur: *Interim Lusitanus quamuis eodem nonnihil turbatus augurio, metu tamen dissimulato, milites quos propter inspectum prodigium non paruus timor inuaserat, hortatus, Oppido propiùs accessit, & apud* D. IACOBI TEMPLVM, *quod à* CALAFFO *circiter M. P. aberat, copias continuit.* Eadem omnes qui de hoc bello scripserunt.

Inuentionis Auctor.

INVENTIO Reliquiarum S. MARTINI Dumiensis.] De ea, ista Martyrologium Lusitanum die XX. Martij suo idiomate profert verba, latinitate donata: *Sanctum thesaurum sacrati Corporis eius (* S. MARTINI Dumiensis *) post multas orationes, & alia ad negotium necessaria, inuenit* D. Augustinus de Castro, *Archiepiscopus Braccarensis, Anno M D. XCI. die V. Februarij, in Dumiensi Basilica, quam, vt ex X. Concilio Toletano liquet, idem S. Vir ædificauit* Acta istius INVENTIONIS congessit D. Roder. de Acuña *tom.* I. *Hist. Braccar. c.* 75. *fol.* 324. *à n.* 2. A quo latina facta excribemus.

ACTA INVENTIONIS SACRATI Corporis B. MARTINI *Dumiensis, & Braccarensis Episcopi, ex D. Roderico de Acuña.*

In Hispanico excidio reconduntur Reliqui.

CVM sæua Sarracenorum irruptio totas ferè Hispaniarum regiones inuaderet, Braccarensis Ciuitas, & Dumiense cœnobium, depopulationis itidem angustias mira pernicitate sensere. Sed ne in fœdæ gentis pollutas sanctæ Reliquiæ manus deuenirent sacra Christiani lipsana B. MARTINI Dumiensis, & Braccarensis Præ-

sulis

ſulis, quæ Dumij iacebant, acceptis ſecum in ſolamen aliquibus, in ipſa Baſilica, ſilentio vallata, condiderunt. At cùm Sarraceníco iugo diſſoluto, & pacis tempore reſtituto, Chriſtianus populus à tanta oppreſſionis inedia reſpiraret, non oblitus ſacrorum pignorum, Eccleſiam Dumienſem è ruinis eleuans, in locum abſconditi theſauri, ligone inſtante, peruenit. Illa illico ſuper binam columnam eleuantes, qui Eccleſiam Dumienſem reſtituere, poſteris tanti Patris memoriam reliquere. Poſtea D. Emanuel de Souſa Archiepiſcopus Braccarenſis, vt in ſuam ſacras exuuias induceret, Eccleſiam, illas è columnis depoſitas, intra Maioris Aræ cauum ipſius Dumienſis templi, vt ſilentio cooperante, aptius, & procul manente nota, eriperet, collocauit. E viuis ſublato D. Emanuele antequam ad deſiderata procederet, & locum quo ſacra cōdiderat pignora, vix vnus, aut alius agnoſceret, facile tempore ſubſequente notitiam loculi populus lacrymabundus amiſit. Poſtmodum Braccarenſem infulam induit D. Fr. Auguſtinus de Caſtro, qui zelo, quo tenebatur, vt eius Sancti deceſſores honorem debitum reciperent, præcipit, vt per omnes diœceſis Eccleſias, ſupplicationes, & Orationes peragerētur, & ipſe ieiunijs, eleemoſynis, & aliis corporis afflictiuis operibus, omnibus præbuit exemplum, vt diuina dignaretur miſeratio, quod corpus S. Portugalliæ Apoſtoli MARTINI detegeretur, cuius venerationem Portugallenſes tanto cordis, & viſcerum affectu: per tot ſecula prædicabant.

Poſtea iterum eleuantur.

In Ara Maiori conduntur.

Eorum memorias periit.

His, & aliis motus cogitationibus, tanta efficacia Præſul venerabilis diu, noctuque raptus eſt, vt in Eccleſiam deueniens Dumienſem, maiorem Aram ſolo æquare præciperet; quo facto, protinus thecam marmoream inuenerunt opifices, mira arte (vt illa ferebant tempora) elaboratam, quia in eius fronte anagliphicis viſuntur duodecim Apoſtoli effigiebus, in quorum medio SSS. Triados imago, & in quatuor angulis ſymbola, quatuor Euangeliſtarum, ſcilicet Angelus, Aquila, Leo, & Bos. Protinus omnes cœpit lætitia, ipſumque Præſulem inuadere. Qui, vocatis ſenioribus populi, à quibus primò de forma ſepulchri ſuper columnas extantis multa didicerat, vt techam cognoſcerent alacri iuſſione præcepit. Illi omnia intuentes, illam eſſe quam ſupra columnas extitiſſe, ſacramento adhibito, depoſuere; quamque inuiſere Reges Portugalliæ Ioannes II. & Emanuel, Infanſque Ludouicus, cum in Compoſtellam voti cauſa pergerent. Qua atteſtatione cognita, Archiepiſcopus techam extractam in Monaſterium S. Fructuoſi, licet populo Dumienſe reclamante, perduci iuſſit, vt illic aſſeruaretur, donec in Sede Braccarenſi debitus extrueretur, ad ſacra pignora collocanda, locus. Vt traditionis depoſitum fides comprobaret indubium, Pontifex Auguſtinus techam aperire propoſuit, & illa qua erat præditus pietate vix ſarcophagi operimentum eleuauit, cùm tantus odor cœleſtis Eccleſiā, & circumſtantium viſcera compleuit, vt ſuauitate attoniti potius æternâ gloriâ, quā terrenâ patriâ potiri crediđiſſent. Abhinc Pauli dictum comprobatum intuentes; *Chriſti bonus odor ſumus*, gratias Deo, ſummiſſis cordibus, retulere. Quæ INVENTIO confecta eſt Nonis Februarij, Anno Domini M. D. XCI. Pontifice Maximo Innocentio IX. Portugalliæ & Hiſpaniæ totius Rege Catholico Philippo II.

Iterum inueniuntur.

1. Cor. 14.

Translatio ad Sedem Braccarenſem.

Demùm Anno Domini M. DC. VI. Pont. Max. Clemente VIII. & Portugalliæ, & Hiſpaniæ Rege Catholico Philippo III.

Translatum est Sacrum Corpus S. MARTINI ex Cœnobio S. Fructuosi ad Sedem Braccarensem; in cuius collocationis die Ciuitas tripudiis, & choreis exultans suæ religionis, deuotionis, cultus, apparatus, opum, & lætitiæ frena laxauit. Condita sunt sacra lipsana in Ara Cappellæ S. Marthæ, iuxta S. Petrum Ratensem, ad latus dextrum Maioris Altaris ipsius Braccarensis Ecclesiæ, inclusa in marmoreo tumulo deaurato & exculto, ad cuius calcem legitur inscriptio patriâ linguâ conscripta, indicans Translationis tempus. Cuius loco sequens deuotio mutuauit Octastichon.

Insignis studiis, virtute insignis, Arij
Vincis Auernalis dogmata cæca, ducis.
Dissimilis non alter erat Martinus, *vterque*
Fundebat largâ munera, larga manu.
Ille secat chlamydem in partes: Tu munera mentis
Diuidis ingenij per monumenta tui.
Cætera facta licet lateant, satis orbis haberet
Æternæ tantum scripta tenere manus.

Duo Cœnobia Dumiensia.

Hactenus D. *Rodericus de Acuña.* Cuius in hisce Sanctorum monimentis cumulandis solertem laudamus diligentiam. De Reliquiis à Christianis secum adlatis ex Corpore S. MARTINI, hæc *d. c. 75. n. 5. fol.* 326. verba facit: *Ex omnibus Corporis ossibus, tantùm vnus radius desiderabatur, quem secum Religiosi detulere, cùm Sarracenorum crudelitatem intuentes, Corpus condiderunt, & in Asturicos montes fugientes, non longe à* Mindoniensi vrbe *aliud extruxerunt cœnobium, quod etiam* Dumiense *vocitarunt, illud* S. Martino *dedicantes. Quod liquet ex autographo donationis, quam fecit* Apala *nobilis & deuota fœmina Cœnobitis, & Theodomiro Episcopo; in honorem S. Martini,* cuius reliquiæ (*inquit*) noscuntur esse in Mendunio, & Dumiensi Sede, Prouinciæ Gallæciæ.

C B. PETRVS Baptista, & Socij Martyres.] Omnes ex ordine seraphico, & demptis Septemdecim, Hispani omnes. De eis Martyrolog. Franciscan. *h. d. fol.* 47. hoc elogium. *Nagansachi in Iapponia passio BB. Martyrum* PETRI *Baptistæ,* MARTINI *ab Ascensione,* FRANCISCI *Blanco,* PHILIPPI *à Iesu,* GONSALVI *Garcia, &* FRANCISCI *à S. Michaele cum aliis septemdecim Laicis Tertiariis, qui pro Christi nomine vincula, carceres, ludibria, aliosque cruciatus perpessi, tandem Cruci affixi, & hastis trans verberati fuere.* P. Grauin. *in Voce Turtur.* 1. *p. c.* 24. *fol.* 78. hocce: *Apud Iappones in Nagansachi Sex Religiosi Martyrum primitiæ eiusdem Ordinis* (Seraphici) *Feria VI. in Crucem acti, nedum Crucem post Dominum portare, sed in ea affigi meruerunt, quorum latera lanceâ quoque sunt perforata Nomina eorum, quæ singulis Crucibus descripta, hæc erant:* PETRVS *Baptista,* MARTINVS *de Ascensione,* FRANCISCVS *Blanco:* PHILIPPVS *de Iesu,* GONSALVVS *Garcia, &* FRANCISCVS *à S. Michaele, quorum Corpora à militibus custodita, ne à Christianis tollerentur, nouem mensium spatio incorrupta permanserunt.* De ipsorum triumpho, Ioann. à S. Maria *in Relat. Martyr. Ipponens.* & in Chron. *S. Ioseph.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 47. *&* 2. *p. lib.* 1. *à c.* 1. *vsque ad c.* 15. Barrez. *in Chron. Minor.* 4. *p. lib.* 10. *à c.* 56. *vsque ad* 70. Fernandez *Hist. Eccles. lib.* 1. *c.* 2. plures quos Arturus refert *in Not. ad Martyrolog. Franciscan.* §. 2. *fol.* 48. Eorum Acta breuiter proferam, prout apud Latinos agnoui.

ACTA BB. PETRI BAPTISTÆ, & XXII. Sociorum Martyrum Japponensium, ex Relatione.

PETRVS BAPTISTA ex Prouincia Excalceatorum S. Ioseph Ordinis S. Francisci in Hispania, ardore fidei propagandæ accensus, obtenta à Superioribus licentia Philippinas Insulas transfretauit, titulo Commissarij, quo in Prouincia S. Gregorij ipsarum Insularum, magna omnium probatione fungebatur. Sed vt propositum fidei zelum expleret, ascitis secum aliquot Fratribus sociis in Japponiam traiecit, prætextu conciliandæ pacis inter Insularum, & Japponiæ accolas. Taycozama Quabacundanus Rex vt cognouit qualem Petrus legationē perferret, benigne eum recipiens, omnia ad vitæ necessaria iussit elargiri. Die consignato, legationis causas coram Rege, tanta animi efficacia, & verborum robore dictauit, vt protinus à Rege obtinuisset, quòd Patres Societatis IESV, quos populi furor exulauerat, iterum ab exilio reuocarentur; & quòd magis est, quòd libere Euangelium in Regno, prædicare, dirutas Ecclesias impunè erigere valerent. Ergo tantum Taycozamæ gratiam sortitus est, & fauorem B. Pater, vt ipsius Regis munificentia, & auctoritate, sibi, & suis placitum, quælibet de nouo extruendi Oratoria, consequeretur. Quo cœpit Ecclesias, Monasteria, Xenodochia, aliaque Oratoria, & pietatis domicilia construere, conuersos baptizare, relapsis pœnitentias iniungere, vt omnes Christianos fouere verbis, & exemplis, plebem fidei mysteria docens, & Euangelium intima cordis efficacia prædicans; ex quo breui tempore Religio persecutionum pondere, & frequentiâ collapsa fortius repullulare cœpit, & sic Christianorum numerus augeri, sacramentaque frequentari, vt vix in medio Europæ vmbilico tot, & tanta virtutum, fidei, & charitatis opera exercerentur. At diabolica inuidente perfidia, quæ corda Magnatum, ipsiusque Regis inuasit, illico pacem Japponicæ Ecclesiæ tanta seueritate turbauit, exorta persecutione, vt omnia prorsus Religionis asyla, vnico temporis momento subuersa, spem reparationis ademit. PETRVS, & socij illico comprehensi, & carceribus mancipati vltimam desiderij probationem subiere. Nam in ergastulo fames, verbera, pugiones, alapas, & ludibria pepessi, singulare de Christiana mansuetudine, patientia Religiosa, humilitate Seraphica, & constantia Catholica specimen exhibuere. Nec his contenta antiquæ serpentis procax rabies, sui ministros furoris induxit, vt ante fanum suorum addicti Christiani Idolorum, ex spelæo, partem sinistræ abscinderent auriculæ, exindequè, per totum Japponiæ Regnum pedestres, cathenis alligati ferreis conducerentur. Quæ vbi confecta Sancti Martyres in Nagansachum reuertentes, cùm in itinere opprobria, vigilias, angustias, labores, & ludibria paterentur, Christi amore, spe præmij, & proximorum corroboratione confisi, iamiam apertis brachiis in formam crucis, Crucis patibulum spectabant. Mortis igitur sententia lata, quilibet primus vitam in morte ipsa concupiebat, non quia vnius horror pœnæ, aliis metum incuteret, cum vnusquisque pro Christo maiora pati desideraret, sed quia ageret coram Deo primus, de successorum constantia. Ergo B. PHILIPPVS à IESV primus Crucis amplexus obtinuit, qui inter dulcia flagrantis amoris encomia impetitus, duabus

Persecutio exorta, quâ comprehēsi.

Patiuntur pedestres.

Crucibus eleuantur.

lanceis ictibus perforatus occubuit. Secundus B. FRANCISCVS Blanco Crucis vlnas accepit, quam dum intentissimis affectibus, diu desideratam adloqueretur, binis lanceis verberibus confossus reddidit spiritum. B. MARTINVS ab Ascensione, tertius Crucem subiit, sed tantis animæ sensibilibus periodis viuificum conloquebatur lignum, vt ni à barbaris hastarum impulsibus impediretur, nihil exaudiri possit suauius. B. GVNDISALVVS Garzia quartum in agone locum tenuit, qui Crucidulcia pondera credens, & eius fructus exaltans, à militibus latera lanceis perforata cognoscens, animam ad gaudium emisit æternum. Ad Crucis tabernaculum B. FRANCISCVS à S. Michaele Quintus adscendit, cuius insigne fastigium exosculans, in eius encomia verba prorumpebat, quando disruptis tragularum ictu visceribus, coronam immortalitatis accepit. Sextus, & vltimus ipsius precatu ad dulcissimæ Crucis trophæum eleuatus est B. PETRVS Baptista, in cuius brachiis exaltatus, puros cordis affectus occinens, hastis transuerberatus, est ad æterna tabernacula translatus. Post XVII. Iappones socij idem Martyrij genus subiere. V. die Februarij Anno Domini M. D.XC. VII. Pont. Max. Clemente VIII. Hispaniarum; & vtriusque Orbis Noui Monarcha Philippo II. Catholico Rege. Eorum Corpora in Crucibus permansere per Nouem Mensium spatium, satellitibus à Rege in custodiam positis, ne Christiani eorum sacra lipsana ferrent. Et licet Solis calorem, aeris intemperiem, turbinum madorem, volatilium voracitatem, & alia pignora experirentur sacra, nullus ex illis defuit pilus, vt Psalmistæ vaticinium adimpleretur Prophetæ, nec eorum physiognomia perturbata defecit, nec humanitatis corruptio eorum corpora inuasit, disponente Deo, cui honor sit, & gloria, in secula sempiterna. Amen.

Miraculum.

HVIVS triumphi ecphrasis ad Vrbani PP. VIII. peruenit auditum, qui processus, acta, & informationes discutere in sacro Rotæ auditorio præcepit. Quibus visis, intellectis, examinatis, & cum Sanctissimo tractatis, die Kalend. Aprilis, Anno M. DC. XXVI. Omnes ij Agonistæ veri Martyres declarati sunt. Postremò his annuens idem Pontifex de consensu Cardinalium opus perfecit, quo non solùm verè eos Martyres decreuit, sed & omnibus Religiosis Ordinis Seraphici vbiuis existentibus, & aliis etiam Ecclesiasticis, ac secularibus personis Maniliensis diœcesis duntaxat, Officium, & Missam die V. Februarij recitare, ac celebrare de eisdem Martyribus licentiam concessit: vt ex Bulla Apostolica patet, Data Romæ apud S. M. Maiorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Septembris Anno M. DC. XXVII.

Veri Martyres declarantur à Sede Apostolica.

Officium, & Missa conceditur in hoc die celebrari.

En ACTA sinceriora, quæ etiam descripsit Ludouic. Bauia tom. 4. Hist. Pontifical. c. 58. fol. 293. licet in aliquibus mutauerit substantiam. S. D. Vrbanus PP. VIII. Anno M. DC. XXVI. cùm causa, & processus eorũ discuterentur Romæ in Sacro Rotæ Auditorio, ab eadem Rota veri Christi Martyres sunt declarati, die Prima Aprilis, vti constat per relationem mox Neapoli prælo cusam ex Typographia Ioannis Dominici Roncalioli, Ann. 1626. Postremo his annuens idem Summus Pontifex de cõsensu Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium, opus perfecit, cuius Bulla Apostolica extat apud R.P. Rapinæum, quæ incipit: Saluatoris, & Domini Nostri Iesu-Christi. Sub datis Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XV. Septembris M. DC. XXVII. Pontificatus sui anno V. Quâ non solum verè eos Martyres decreuit, sed & omnibus Religiosis Minoribus vbiuis existentibus, & aliis etiam Ecclesiasticis, & secularibus personis Maniliensis diœcesis duntaxat, Officium, & Missam die V. Februarij recitare, ac celebrare, de eisdem Martyribus, licentiam concessit.

OCTAVO

OCTAVO IDVS FEBRVAR. DIES VI.

A *Vianæ in Gallæcia Hispaniæ* SS. THEOPHILI, SATVRNINI & REVOCATÆ *Virginis & Martyrum, qui in persecutione Imperatoris Valeriana, qui Decianam insectabatur, sub Iulio Mineruo Præside, martyrio coronati, ad præmium defensæ fidei conuolarunt æternum.*

B *Argenteolæ in Asturibus Hispaniæ itidem aliorum Sanctorum eiusdem nominis* THEOPHILI, SATVRNINI, & REVOCATÆ, *Martyrum, qui Diocletiani, & Maximiani Imperatorum sæuitia protracti, Daciani Præsidis ministerio, in ergastulum; cruciatibus affecti, pro fidei confeßione, & Euangelij defensione ad coronam Agonistæ inclyti peruenerunt.*

C *Apud Castellonenses Hispaniæ populos* S. AMANDI, *primò Traiectensis Episcopi, post Castellonensis, qui peragratis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ prouinciis, Hispaniam adiuit, Ildephonso Toletanæ Sedis Episcopo charus, cuius exhortationibus B. Præsul Toletanus Concilium contra Monothelitas indixit, cui interfuit Amandus: pòst in patriam reuersus glorioso fine quieuit.*

D *Vxamæ Hispaniæ* B. DIDACI *ipsius Vrbis Episcopi, qui zelo fidei accensus Gallias proficiscens, vt Albigenses hæreticos Tolosatum terminos deuastantes, ad Ecclesiæ vnitatem reduceret, illustria ibidem purè facinora, vnà cum* S. DOMINICO *tunc eius Vxamensis Sedis Canonico, post Prædicatorij Ordinis Patriarcha, eximia prædicatione patrauit: demum virtuti-*

bus, & operationibus clarus, in cœlestem æternæ patriæ quietem Confessor migrauit conspicuus.

NOTÆ.

A SANCTVS THEOPHILVS, & Socij Martyres Vianenses.] Duplicem hoc die Monominum Martyrum coronam inuenimus; Alia Vianæ in Gallæcia, Altera Argenteolæ in Asturibus; de vtraque, temporum habita ratione differemus. Vianensium intrat ecphrasis primò, quia antiquorum; ideo eorum memoriam repetemus. Martyrologium Romanum vnica oratione ambos complectitur, fortè quia illos vnos credidit, non duplices; ideo Nos vno die vtrorumque festa coniunximus. De istis ista Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 260. compaginat verba; *Vianæ in Gallæcia, prope Tudem Ciuitatem, passi sunt SS. Martyres* THEOPHILVS, SATVRNINVS, *&* REVOCATA *Virgo, sub Iulio Mineruo, in persecutione Imperatoris Valeriani, quæ septima est, eademque sub Decio.* Eadem referunt D. Prudent. Sandou. *Hist. Tudens. fol.* 44. P. Anton. Vasconcel. *in Descript. Portugall fol.* 451. *n.* 23. D. Roder. de Acuña *Hist. Braccarens.* 1. *p. c.* 37. *fol.* 153. P. F. Ludouic. ab Angel. *in Viridar. Portugall. fol.* 57. D. D. Didaç. Castelon *in Primat. Tolet.* 1. *p. c.* 9. §. 16. *fol.* 189. P. Biuar ad Dextr. *n.* 2. *fol.* 289. Roder. Caro *fol.* 89. *lit. N.* Quorum nullus Acta eorum texuit, quæ Nos breuiter describemus.

ACTA SS. THEOPHILI SATVRNINI, & REVOCATÆ Virginis, Martyrum Vianensium, ex Dextro.

THEOPHILVS, SATVRNINVS, & REVOCATA Virgo ex Hispaniæ Citerioris Gallæciæ prouincia, Oppido Viana oriundi, Christo nomina dedere, fortè prædicatione *S. Secundi* ipsius Braccarensis sedis Episcopi conuicini, vel alterius Episcopi *Vianensis* vrbis, quam fuisse sedem Episcopalem antiqua monumenta demonstrant. Igitur quomodolibet res se habeat, fidem Sancti Catholicam sunt inuincibili tenacitate complexi, quam ad vsque vitæ vltimum præsentis habitum credidere. Serpebat autem Imperatoris Decij adhuc per Imperij Romani circulum fera persecutionis tempestas, aut vt alij credunt, Octauam excitauerat Valerianus alterius successor Tyranni; qui tanta Christi asseclas per Præsides, & Iudices est per Hispanias ferocitate insequutus, vt vix esset Nostratum prouincia, quâ diuersi haud consignarentur diræ afflictationis ministri. Gallæciam Iulius Mineruus Præses regendam acceperat, qui Principis edicta contra Christianos vt efficaci fidelitate seruaret; protinus fideles inquirere incipiens, breui spatio vrbium suæ ditionis carceres, & ergastula repleuit. Inter tot verò Christi ascetarum numerosas cohortes THEOPHILVS, SATVRNINVS, & REVOCATA Virgo apud *Vianam* ipsius prouinciæ antiquissimam vrbem comprehensi; cùm fidem diffiteri, aut Idolis litare noluissent, variis cruciatibus perpessi, ad indeficientis coronam gloriæ inclyti Martyres properarunt, die VI. Februarij Annô CC. LX.

Comprehenduntur.

Coronãtur.

Petri

Petri Galesinij h. d. non est vt deterreat commentum, quo *Romæ* passos hosce Sanctos scripsit Martyres; nam vt notarunt *P. Biuar*, & *D. Roderic. de Acuña*, illi moris fuit, vt quos Sanctos inuenerat absque loci palæstra, statim *Romæ* passos in suo addiderat Martyrologio, de quo iam in pluribus conuictus plagij crimine, vix vllam circa hoc fidem meretur. Et patet, quia cæteri Scriptores Sanctorum hactenus agonis locum agnouere, quo attractus exemplo *Baronius* illud *Romæ* glosema, in *Galesinio* additum, in *Romano* penitus amandauit Martyrologio. Cætera iam in exordio agnouisti. *Galesinij glosema.*

VIANA Ciuitas antiqua Hispaniæ, quam ante Christi Aduentum per CC. XCVI. fere annos conditam à Gallis Celticis contendit Florian. de Ocampo *Hist. Hispan. lib.* 3. *c.* 38. his verbis latinitate donatis: *Statim ac Celtæ vada fluminis Lethes superarunt, condiderunt vrbem, cui nomen* VIANA *imposuerunt, super ripam fluminis dextram ad æquoris ostia. Ansam nomini dedit* Vienæ *Gallicæ vrbis recordatio, quā etiam ad ripam Rhodani relinquebant, à quā Galli Braccati horum prædecessores originem trahebant, & vt patriæ recordarentur* Vianam *hanc* Hispanam *extruxerunt.* De ea scripserunt P. F. Bernard. Brito *lib.* 2. *Monarch. Lusit. c.* 11. Eduard. Nun. *in Descript. Portugall. fol.* 4. & 60. D. Prudent. de Sandou. *fol.* 45. Anton. Brand. *lib.* 15. *c.* 23. Garibay *lib.* 5. *c.* 16. Roder. Mend. *in Populat. Hisp. in Regn. Portugall. c.* 123. *fol.* 180. Sed iste, & alij qui istam vrbem *sedem Episcopalem* fecere, falluntur, quia nulla Hispaniæ *Viana* Ciuitas, tali condecorata titulo fuit. Ioannes Vasseus *in Chron. libro de antiquis Sedibus Episcopal. Hisp.* & alij referunt, quod iuxta *Vianam* olim fuit vrbs *Britolia*, siue *Britonia*, quæ Episcopalem sedem habuit, à qua Episcopi *Britolenses* siue *Britonienses*; quod credo verius; & alibi iterum hanc quæstionem assumemus. *Antiquitas. Scriptores. Britolia, seu Britonia Ciuitas Episcopalis.*

B SS. THEOPHILVS, SATVRNINVS, & REVOCATA Martyres.] Isti sunt secundi, *Argenteolenses*, Martyres, qui cum *Vianensibus* nomine, & numero pares, diuersi in patria, in tempore, & in Tyranno conspiciuntur. Illi vt diximus persecutione Valeriani, Mineruo Præside. Isti Diocletiani, Daciano Iudice. Illi anno CCLX. Isti CCC. Illi denique *Vianenses* in Gallæcia. Isti *Argenteolenses* in Asturibus. Quâ discrepantiâ, quis illos eosdem iudicabit? P. Biuar *ad Dextr. in Chron. Ann.* 300. *Com.* 2. *n.* 20. meam est insequutus sententiam, his verbis: *Eadem nomina legimus ad annum* 260. *in Dextro, sed tamen temporum, & vrbium differentia diuersos fuisse ostendit.* In hunc diem istos reiicit Roder. Car. *fol.* 105. *lit. F.* Qualis eorum fuerit vitæ contextus ignoratur. Illum pro instituto compilabimus, pro vt *Dextri* Nostri concisio verborum vestigia pandit; quo nec veritatis formam, nec præsumptionis essentiam immutabimus. *Diuersitas SS. cum antecedentibus.*

ACTA SS. THEOPHILI, SATVRNINI, & REVOCATÆ Martyrum Argenteolensium, ex Dextro.

THEOPHILVS, SATVRNINVS, & REVOCATA genere Hispani ex vrbe Asturum *Argenteola* orti, Christi fidem sunt omni conatu viriliter amplexi. Et licet martyrij vnusquisque æstuaret ardore; cùm huiusce studij coronam nullus accipiat, nisi quem Dei prouidentia *traheret*, ideo transactis per temporum interstitia persecutionibus, isti neutiquam ad tanti desiderati agonis fauorem peruenere; donec exardescente Imperatoris Diocletiani persecutione, eandem certaminis aleam Martyres Nostri felici constantia subiere. Nam per hæc tempora Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, omnium dira prorsus tempestas Ecclesiam afflauit; cùm quicunque Imperatorum vice fungebantur siue Proconsules, siue Legati, siue Tribuni plebis, siue Prætores, siue alij quibuscunque Imperij fascibus insignes, maxima laudum præco- *Origine Hispani.*

nia ferebant, siquàm maxime in Christianam Religionem sese crudeles exhiberent. Itaque qui quàm plurimum Christiani sanguinis fudisset, reliquorum velut antesignanus prædicabatur, & Imperatorum fauores summâ cum gratulatione ferebat. Ob quam rem pa ssim nihil in familiaribus hominum congressibus, nihil in triuiis, nihil in compitis, nihil in vrbibus, nihil in vicis aliud audieba tur, nihil in foro, nihil in capitolio aliud consulebatur, quàm quibus Christiana pietas cruciatibus esset radicitus extirpanda.

Magistratuum ambitio.

Persecutio in Hispanias Datiani.

Huius adeò diræ tempestatis vis crebriùs in Europam delata, Hispaniam inuasit: cuius præsidentia Daciano commissa; ille vt ferus erat, feros sibi delegit ministros, quibus omnia suæ dignitati pertinentia iura sine aliqua reseruatione delegauit. Extenduntur per totius Hispaniæ circulum diri Legati, qui, collatis signis, omnia vastant, omnia excindunt, & breui, (tanta erat ex hauriendi Christiani Sanguinis cupiditas) integræ vrbes solo æquatæ iacuerunt, tali depopulatione, vt vix earum imaginem, aut vestigium reliquissent. Ergo talis *Argenteolam* peruenit afflictio, quæ more solito, Christi ascitas inquirens, inter alios, quos memoria seruauit, fideles, THEOPHILVM, SATVRNINVM, & REVOCATAM inuenit. Illos illico in carcerem coniecit Satellitum manus, quos quia à fide diuertere, ad idolaque conuertere, non valuit Iudicis sæuitia, nec lenitas; capitali sententia damnatos, satellitibus excruciandos relaxauit: Qui è custodia deductis Martyribus, ad decreti exitum festinantes, illum mucronis verbere perfecerunt; quo gloriosi pugiles martyrio coronati, immarcescentem in cœlis laureolam, per angustas perpessionum angustias, seruatis fidelitatis odoribus, inuenerunt, VIII. Id. Februarij, Anno CCC.

Capiuntur M.M.

Coronatur.

Istorum passionem Martyrum descripsit Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. Cuius verba referre decreuimus, & vt Sanctorum Pugilum agnoscatur martyrium, & Vrbis palestra, ac temporum distantia computetur. *Argenteola* (inquit) *in Asturibus SS. Christi Martyres* SATVRNINVS, THEOPHILVS, *&* REVOCATA *pro Christo passi.* In quo Dextri solicitudinem agnosces, vt istos Martyres ab antecedentibus secerneres, quòd in huius relationis periodo, passos *Argenteolæ* conscripsit, non cultos; item quod hic REVOCATÆ simpliciter meminit; illinc Virginis titulo alteram extollit. Quibus qualitatibus inspectis, Nostra corroboratur opinio qua contendimus, istos *Argenteolenses* Martyres, ab *Vianensibus* esse diuersos, sic ratione loci, temporis, & originis, quàm tituli in BB. Martyribus REVOCATIS.

Antiquitas.

ARGENTEOLA, Vrbs fuit olim in Asturibus Hispaniæ, cuius meminit Ptolom. *lib.* 2. *Tab.* 2. *Europ. c.* 6. sic: *His vero ab ortu adiacet* Asturia, *& in ea vrbes: Interamnium* ARGENTEOLA, *Langiati, Maliaca.* Antonin. in Itinerario *à Braccara Asturicam*, itidem ex Zurita *fol.* 95. licet ibidem ARGENTEOLVM legatur, sic:

Patauonium. M. P. XXVIII.
Argenteolum. M. P. XV.
Asturicam. M. P. XIV.

Circa cuius vrbis situm videndus Zurita *in Not. ad Itinerar. fol.* 576. Moletius in *Synonym. ad Ortel.* contendit hodie cognominari MEDVLES, & in hoc stat Roder. Car. *in Not. ad Dextr. fol.* 105. *lit. E.* P. Biu. *d. Ann.* 300. *Com.* 2. *n.* 20. *fol.* 333. fuisse, quo situ hodie iacet oppidum AVILES. Quid tanta vetustate tenendum, haud diuino.

C S. AMANDVS Episcopus, & Confessor.] Eius nobilis apud Ecclesiasticos

cos Scriptores reperitur memoria, quia eius insignia opera, & virtutum pondera omnes ad sui anamnesim calamos attraxere. *Vsuard.* & ibidem *Molanus, Beda, Ado, Maurolicus, Felicius, Peregriis, Galesinius, Martyrolog. Rom.* à quo *P. Vazq.* Castellanum, *PP. Soc. Ies.* Lusitanum, illustre contexuerunt elogium. Ex Chronolog. Regino *Ann.* 605. Sigebert. *Ann.* 571. & *Ann.* 661. Werner. *in fascicul. Temp. Ann.* 574. Anonym. *in Chron. Magn. Ann.* 632. Iulian. Petr. Noster *Ann.* 660. *n.* 336. *&* 338. Eius Acta scripere *Baudemundus*, à quo ea transcripsit *Harigerus* soluta oratione; carmine illa alligauit *Milo*, postmodum *Philippus de Eleemosyna* LII. capitibus comprehensa, & *Gillebertus Elnonensis*, & demùm *Bartholomaus Fisen* in *Act. SS. Leodiens. h. d. fol.* 105. De eo separatim aliqua cumulauere Miræus in *Fast. Belgic.* Bachot. *in Fast. Christian.* Sodalitas Marian. *in Fastis Marian. fol.* 80. Notgerus in *Vit. S. Laondoaldi*; Sigebert. *in Vit. S. Sigeberti*; Theodoric. *in Act. S. Trudonis*; Hugbald. *in encomiis S. Gertrudis.* Item Menardus, & Wion *in Not. ad Martyrolog. Monastic.* Miræus in *elucidat. Monaster.* & alij, ex Nostris Anton. Vincent. Domenec *Hist. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 13. M. Rus-Puerta *Hist. Giennens.* 1. *p. secul.* 7. *c.* 2. P. Franc. Portocarrer. *Hist. S. Ildephons. c.* 14. *fol.* 34. Ex omnibus Actorum Vitæ AMANDI compaginem assuemus, quæ sicut integriora, puriora dabimus. — *Scriptores.*

ACTA S. AMANDI EPISCOPI Traiectensis, & Castellonensis Confessoris, ex Variis Scriptoribus.

AMANDVS in partibus Aquitaniæ non procul à maris Oceani littore, Patre Sereno, Matre vero Amantia, inclytis parentibus ortus, iam iuuenis præternam domum, omnesque fortunas, parente neutiquam dehortante, deseruit generosus, vt Euangelicam paupertatem amplecteretur. Ad Insulam quippe nauigans Ogiam, tandem Monasterij portum petiit. Vbi à Fratribus magno exceptus gaudio, die quadam ex obedientia per Insulam deambulare iussus est. Cumque miræ magnitudinis serpentem obuiam habuisset, cuius virulentiam se vix euadere posse sperabat, edito Crucis signo, eum in fugam conuertit, quod primum fuit futuræ sanctitatis indicium. Cùm autem Pater eius importunis vocibus ad seculi vanitatem, illum reuocare contenderet, Turones, S. Martini visurus sepulchrum, perrexit. Deinceps post lustrata plurium Sanctorum ascetarum cœnobia, cùm Bituriges venisset, annos posuit denos quinos in disciplina Austregisili Præsulis Sanctissimi. Sed religiosa peregrinatione Romam suscepta, dùm eximio pietatis sensu Apostolorum limina veneratur, Gallias à S. Petro repetere iussus est, vt semen diuini verbi felicibus iaceret auspiciis. Auxit animos ab Apostolorum Principe decretum. In Gallias regressus cùm se Regi stetisset, atque Galliarum Episcopis, Episcopum consecrari placuit: ita quippe ferebat eorum temporum ratio, vt Euangelicæ prædicationis gratia Episcopi dignitas conferretur. Apostolicum igitur munus incenso animi ardore aggressus, diuitem animarum prædam ad Christum adduxit. At vehementiore sensit cupiditate pectus accendi, quo nobilior in oculos præda incurrebat Bauo. Cuius exemplis, vt audiebat plurimos in excidium propelli, (imperia ferè sunt Principum facta) ita nihilo pauciores sibi persuadebat, felici morum eius immutatione reuocandos ad salutem animarum strenuè curandam. Nec irriti fuere conatus. Quem iuuenilis impetus in auersam ab honesto, vitam, longius abripuerat, sana deliberatio per sapientem AMANDI adhorta

Patria; & Parentes.

Indoles.

Serpentem signo CRVCIS fugat.

Romam adiuit.

Prædicatio Apostolica consignatur.

Bauonem reducit.

hortationem, in viam reduxit. Secutus eſt fructus expectationi Præſulis non impar. Nobiliſſimus omnium fuit in Gertrude Niuellenſi, cui acre calcar fuere ſanctiora cognati Bauonis conſilia.

Gandenſes inuiſit, & ibi prædicat.

RECREATVS vberi meſſe AMANDVS maiora meditari cœpit. Gandenſem populum ad Scaldis, & Legiæ confluentes idololatria inſanientem, ad Chriſtianam veritatem ſibi ſumpſit adducendum. Præfractæ mentes, & impiis ſuperſtitionibus in tranſuerſum actæ, pertinacius reluctatæ ſunt, quàm vt primo congreſſu manus darent. Euicit tandem AMANDI conſtantia; Chriſtianæ doctrinæ veritas, & perpetratorum à Deo prodigiorum frequentia: diffractoque impietatis iugo, populum illum in veram Chriſti Domini libertatem aſſeruit. Ad cuius effectum non minor fuit hominis in patibulum ſuſpenſi, & ſuffocati, Oratione inſtante, reſurrectionis miraculum, cauſa. Eo etenim euulgato, magna protinus animorum mutatio ſubſecuta eſt. Chriſtianam Religionem certatim amplectebantur omnes, Idola conculcabant, fanaque in Monaſteria conuertebant. Nec his pietatis operibus contentus ardenter ad palmam martyrij aſpirabat, quare tranſmiſſo Danubio Sclauis Euangelium Chriſti libera voce prædicauit. Sed cùm optata diu agonis palæſtra fruſtraretur, votiquè ſe compotem fieri poſſe deſperaret, ad proprias iterum oues remeauit. Suam ergo operam gregibus errantibus in ouile Chriſti reducendis, dum nuſquam deſiderari patitur AMANDVS, non immeritò vereri viſus eſt, ne regno vniuerſo peſtem crearet pudenda, & luxu infamis Dagoberti Regis vita, qui pro libidine ſua, quas lubebat coniuges ducebat, ductaſque pellebat. Illum igitur Officij Chriſtiana libertate commonuit, ſalutaribuſque præceptis vitæ turpitudinem caſtigauit. Verùm nequè ſe patiuntur argui ſupremæ poteſtates: neque libidinis cœno immerſæ mentes ſuaueolentis virtutis percipiunt fragrantiam. Indignatus Rex commonitorem ſuum regni finibus iuſſit faceſſere. At ſua ſecum portabat Vir Sanctus, ibi patriam habiturus, quocunque perrexiſſet: vbiquè inuenturus, quem ſummo ſtudio quærebat Deum. E patria exire coactus, Romam iter adornauit, ſociorum ſupplementum à Pontifice Maximo quæſiturus: expertus non illam in Domini horrea frugem, quæ ſperari poterat, reportari, propter Operarum penuriam. Illic vero plures impetrauit ſanctæ illius expeditionis comites, Landealdum Archipreſbyterum, Armantium Diaconum, Adrianum, & alios numero ſeptem. Quibus cum auctus animis ad primos ſe labores retulit; & non imparem tàm Sancto conatui fructum produxit.

Conuertit. *Miraculũ.* *Sclauis prædicat.* *Dagobertum increpat.* *Exulatur.*

DAMNATA interim priore vita Dagobertus Rex, pulſiſque pellicibus, aggreſſus meliora, Ragentrudem duxit coniugem, & maſculam ex ea ſuſcepit prolem. Cúmque AMANDI virtutem, quamquam regno pulſam, ſemper ſuſpexiſſet, illum ab exilio reuocauit, vt Chriſtianis ſacris filium initiauit Præſul & in gratia deinceps apud Regem fuit, Sanctiſque conſiliis in adminiſtrando regno vtiliſſimam, operam nauauit. Felix Rex, qui integros vitæ viros in conſilium adhibet, eoſque audit, qui Regibus audent vera loqui. Vtrumque æque rarum, parique dignum laude: Regem pati, imò amare errata ſua argui: & Conſiliarium noxio metu poſito, audere Regem arguere. Publicam rem ambo certa cumulant felicitate. Iterim ſublato beata morte Traiectenſium Epiſcopo, AMANDVM illi Dagubertus ſubrogauit. Reluctatus eſt ille

Reuocatur. *Miniſtri Regum quales.*

Ille non laborum metu, quos ardentissimis Dei causa votis expetebat: Sed quod honores auersabatur, qui non magis virtutes consectantur, quam illos germana virtus obfugiat. Cessit nihilominus Regis imperio, & omnium ordinum postulatis: admissumque munus exequens, eo maiore virium omnium contentione per diœcesim vniuersos ad Christianæ disciplinæ puritatem amandam cohortari cœpit, quòd populum esse suum, quòd se Pastorem intelligeret. Acer est à charitate stimulus; at seuerum à iustitia imperium. Suus operæ fructus respondebat vberrimus, quandoquidem toto Tungrorum agro, aureum vere fuerit hoc seculum: nec aliud vllum sanctitate magis floruerit. Verum vt lucidissimum aliàs solem nubecula sæpe tenuis obtegit: ita nonnulli à quibus subsidium, non minus lingua, quàm vitæ exemplo sperari par erat; Ecclesiæ nitorem impuritate sua inficiebant, & ad honestum reuocantis, verba respuebant. Adeò nihil vsquam est ab omni parte beatum. Peruicaciam detestatus S. Præsul abdicandi potestatem literis ad Martinum Pont. max. datis flagitauit; simulque precibus institit, vt Sacras Sanctorum Reliquias, librosque aliquot impertiri dignaretur. Ac denique certior fieri petiit eorum, quæ in Concilio Lateranensi constituta fuissent. Respondit Pontifex minime sibi placere, quam ille cuperet missionem; sed potius generoso pectore sustinendos, atque superandos Christi nomine labores, quos secum Episcopij cura deuehere consueuisset. Romanæ verò Synodi decreta misit, vt ea cum cæteris Galliarum Episcopis, suo calculo probaret. Misit, & Reliquias, non autem Libros, excusata eorum penuria. Summo Pontifici nihilominus obtemperatum fuisse persuadent AMANDI virtus, & sincerum veritatis orthodoxæ studium. Abdicandi verò potestatem quamquam hoc Anno negatam, obtinuit sequenti, Pontifice rationibus euicto. Qua protinus Episcopi munus posuit, non sectaturus otium, aut in latebras se abditurus, sed in ampliorem aliam expeditior se daturus palæstram.

Fit Episcopus Traiectensis.

Præsulatũ relinquere conatur.

Abdicatur.

EPISCOPALIS ergo oneris diruptis compedibus, vt Pontificis placitum vbiuis adimpleret, Aquitanos suos, illis deposcentibus, inuisit. Ibidem quàtis Vaccea gens, quæ hodie dicitur, citra, & vltra Pyrenæos viuens, implicaretur erroribus, agnoscens, eorum miseratus excidium, illo quo æstuabat fidei zelo, in illorum populos descendens, illos prædicare aggreditur, vt ab Idolorum fœda extraheret seruitute; demùm in Castellonensem deuenit populum, vbi mirabilia patrans; Euangelici verbi semine innumeram Christo obtulit frugem. Ex quo Castellonensis Episcopus factus totam Hispanicam Vasconiam lustrauit. At audita fama, quod Theudius, & Helladius hæretici ex Gallia, Hispanias ingressi, virus sui erroris in tenera credentium viscera diffundere decernebant, B. Ildephonsum Toletanum Antistitem literis interpellat, vt contracta Synodo, aduersus hæreticos gladius Ecclesiasticæ vltionis acriter elucescat. Ildephonsus, qui etiam à Genesio Episcopo Arueruensi fuerat admonitus, continuo Concilium indixit Toleti, cui itidem AMANDVS interfuit, in quo damnatis hæreticis Gallis, & aliis ex Concilij Lateranensis decretis, quorum AMANDVS Apostolicus executor extiterat, facile turbulenta illa hæreticorum seditio sedata est. His in Hispania peractis in Galliam reuersus, Childerici Regis munificentia illustre Elnone condidit cœnobium, quod postquam monasticis institutionibus, vitæque exemplo stabiliisset; eiusque dedicasset Basilicam, ad promeritam

Aquitaniã proficiscitur.

Ad Castellonenses venit à quibus fit Episcopus.

Interfuit Synodo Toletanæ.

Galliam reuertitur

Moritur. tam tot laboribus coronam in cœlum euolauit, sub annum vitæ Nonagesimum, VIII. Id. Februarij, Anno Domini DC. LXXI. *Elnone conditur.* Corpus Elnone sepultum, post XVI. à morte annum, integrum reperitur. Quod honorificè in altiori loco reconditum ad Annum DCCC. IX. putredinis omnis expers, & viuentis hominis ad instar, adeò succo plenum, vt geminos dentes, religionis gratia, *Miraculũ.* cùm extrahere vellet Lotharius sacri templi æditiuus, sanguinis stillas fluxisse proditum est, permansit. Quo translatum alio est. Pars ergo non minima eius sacrorum pignorum adhuc honorifice adseruatur in Ecclesia Eulaensi apud Perpinianum vrbem munitissimam Hispaniæ, Hellenensis diœcesis.

Eulaensis Ecclesia Hispaniæ retinet Reliquias. Istæc Acta. In illis de Aduentu in Hispaniam, Episcopatus *Castallonensis* Insula, deque interuentu in Synodo Toletana B. AMANDI, mirabitur Criticus Ecclesiasticæ eruditionis, & supercilia contraher. Ad probationem accedo. Iulian. Noster *in Chron. n.* 336. S. AMANDVS *Episcopus* CASTELLONENSIS *in Hispania per id tempus floret, ad quem literas misit S. Martinus Papa. Contrahitur* AMANDO *impulsore Concilium contra Monothelitas.* Sed quia Criticus istum AMANDVM diuersum a Traiectensi iudicabit; alteram Iuliani clausulam, *n.* 338. subiiciemus: *Hæreticos Gallos, Theudum, & Helladium loquentes de parturiendi modo* B. V. MARIÆ, *editis libris, quos ad Moniales Delibiensis* (Deibiensis) *Monasterij in agro Toletano positi, dedicat, confutat. Concilium multorum Episcoporum contrahit, in quo interfuit ipse* Ildephonsus, *& multi Episcopi, inter quos fuit vnus* S. AMANDVS, *primus Episcopus* TRAIECTENSIS, *deinde verò* CASTELLONENSIS *in Hispania; Vir doctus & Sanctus.* En AMANDI Traiectensis aduentum in Hispaniam: En eius Episcopatum apud *Castellonenses*: En in Concilio Toletano assistentiam. Quid ergo remanet? Situs Episcopatus *Castellonensis.* *Fuit Episcopus Castellanensis in Hispania.*

De hac Episcopatus Sede Triplex opinio. I. Ad radices Pyrenai. ANCEPS est eius situs consignatio, quia triplicem agnosco sententiam apud Hispanicarum rerum scriptores. Primas ferat Ieronym. Pujades *in Hist. Cathal. lib.* 3. *c.* 57. qui *Castellonem*, siue *Castulonem* ad radices Pyrenæi constituit, quod vt probet, duplum lapidum fragmentum cum inscriptionibus ingerit; quarum vnum, aræ signum ferens, hisce caracteribus inuisitur.

GEN.·.·.·.
CASTVL.·.·.·.·.·.·.
PRO SALV.·.·.·.·.
P. C. LAELI·.·.·
L. F. GEM.·.·.·.·.
V. L. S.

Alterum, sepulchri formam seruans, & vtrumque in Cœnobio Fratrum S. Francisci Oppidi *Castell. de Empuries* cathalanicè dicti, iuxta vetus dormitorium, has literas exhibet.

D. M. S.
L. TVSCVS CAST.·.·.·.·.
GN. F. OPT.
AN. XXX. H. S.·.·.·.·.·.
IVLIA FELIS.
SOROR. F. C. S. T. T.

In huiusce

In huiusce sententiæ comprobationem plura de antiquitate illius Oppidi monimenta compaginat, summatimque concludit duas fuisse CASTVLLONES in Hispania: Alia in confinio Bæticæ, quæ hodie CALLONA, Altera in Tarraconensi, quæ CASTELL DE EMPVRIES in radice Pyrenæorum. Cuius opinionem primò tenuerat Luitprand. *in Aduerſ. n.* 80. qui hanc distinctionem præmisit, sic: *Duplex* CASTVLO, *alterum dictum* CASTELLVM, *ambo ſedes Episcopales.* Exhinc, vt tauthologiam fugerent Episcopi vtriusque Sedis, alter in Conciliis, & titulis CASTVLONENSIS, alter CASTELLONENSIS vocabatur, vt ex Conciliis à *Loaysa* congestis liquet, & probatur ex ipsomet Luitprando *Aduerſ. n.* 58. dicente: *In Conciliis Toletanis alius fuit Episcopus* CASTVLONENSIS, *&* CASTELLANVS, *In Castellanis, Castellum caput fuit. In tertia Concilio Toletano confirmat Froisellus Episcopus* CASTELLANVS, *alius ab Episcopo* CASTVLONENSI, *qui ibi confirmat.* Quod verum est, *num.* 54. loco subscripsit *Theodoricus* Episcopus *Castulonensis.* Duæ Castulones in Hispania.

HORVM *Castulonensium*, siue *Castellanorum* situm in Tarraconensi, extra *Ieronymi* sententiam, altius repetamus. Florian. de Ocampo ex Ptolomæo, *lib.*4. *Hiſt. Hiſp.c.*9. illum inter populos *Catholoniæ*, iuxta *Vascones*, ad Pyrenæi iuga comprehendit: *Populi* (inquit) *illius Regionis* (Cathaloniæ) *aliqui Edetani, aliqui Itercaones, Accitani, Ilergetes, Cosetani, & Vascones, & prope fluuium ad radices Pyrenæi Auſetani*, CASTELLANENSES, *Ceretani, & Laletani, quibus vna erat ferocitas, & coæqualis paruitas.* Florianum tuetur Episcopus Gerundensis *lib.*1. *Paralip. Hiſpan. libro de Citeriori*, his verbis: *Inde ad montana habitant* CASTELLANI, *dicti* CASTELLANI, *ab Oppido* CASTEYLLON, *quod caput regionis erat* (vide consonantiam cum Luitprando supra *n.*58. Aduersariorum. ibi; CASTELLVM caput fuit) *habet nunc Oppidum parui momenti* CASTRVM CASTEYLLONIS *nuncupatum, quod omni regioni* BASSI (loco VACCI) *ſic dictæ præeſt. Protendebantur iidem* CASTELLANI *vſque ad Beſagadam Oppidum*, *&* Ceretanos *per montana. Hos ſequebantur à parte Occidua* Viccetani, *à* Vicco *vrbe.* En Tarraconensi *Vaccetania*, siue *Veſcitania*, CASTELLONENSES: Sed an hæc fuerit *Sedes Episcopalis*, videtur quod sic, ex auctoritate Luitprandi *d. n.* 58. vbi Episcopum CASTELLANENSEM consignat, & vt locum sedis declaret, prosequitur: *In Castellanis* CASTELLVM *caput fuit*, cuius verba conueniunt, cum dictis à Gerundense, sic: *Dicti* Castellani *ab Oppido* CASTEILLON, *quod caput Regionis erat.* Pro huius confirmatione adsit S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 562. *fol.* 190. qui controuersiam dirimeni, situm Episcopatus descripsit. *Floret Vocontius Episcopus* CASTELLANVS *in* Vescitania *Hiſpaniæ.* Ista pro hac opinione *Ieronymi* adiecimus; ad secundam veniamus. Quæ in Cathalonia?

SECVNDA Opinio, quam aliquando sum amplexus in Epistolis ad M. Franciscum Rus-Puerta Abbatem, imò Priorem Baylenensen circa hunc Episcopatus situm, desumitur ex duobus Priuilegiis à Regibus Hispaniæ concessis Abbati, & Monasterio Fiteri in Nauarra, seu Vasconia, non procul à Tudella vrbe, quorum primum *Sanctius*, cognomento *Desideratus*, Anno Domini M. CLVII. indulsit Raymundo Abbati per hæc verba *Facio chartam donationis, & textum ſcripturæ in perpetuum valituram Deo, & S.* MARIÆ CASTELLONIS, *& vobis D. Raymundo eiusdem loci Abbati.* Secundum concessit Alphonsus Rex supradicti filius Anno Domini M. C. LXXXIX, in quo hæc clausula: *Authenticum priuilegium illuſtris mamoriæ Genitoris mei Regis Sanctij, quod ipſe olim Monaſterium de* CASTELLIONE, *quod nunc dicitur de Fiterio, condidit; præſentis paginæ innouatione reſtituo, ac confirmo.* Quorum Priuilegiorum meminere D. Episcopus Pacensis Angelus Manrrique *tom.*1. *Annal. Ciſtercienſ. Ann.* 1241. *c.*9. *n.*11. *fol.*417. Et Chrisostomus Enrriquez *in Menolog. Ciſtercienſ. die I. Februar. fol.*39. *lit. M.* qui nomen CASTELLIONIS ruminantes, asserunt, fuisse antiquum Oppidum *Vasconiæ* iuxta Tudellam, quo primò Cœnobium erectum fuit, post aliò non procul translatum, Fiterum incœpit nominari, quod probat *Enrriquez* ex M S. Codice Morimundens. vbi hæc: *Iſte Raymundus fuit primus Abbas in Fitero, poſtquam ſe Monachi* II. Opinio de situ Castellonensis Sedis. Quæ in Nauarra.

transtulerunt de CASTELLIONE, *ad Fiterum.* En oppidum peruetustum, nomine CASTELLONIS in Vasconia, & iuxta Pyrenæi radices, in quo fortè S. AMANDVS Episcopatus infulas induit, cùm nomen Episcopatus, Prouinciæ, qua prædicauit, situs, hoc suadeant. Hisce vt dixi coniectationibus olim hanc sententiam tenui.

III. *Opinio communior. An forte verior.* TERTIA Opinio etsi non verior, validior, firmiter, imo tenaciter adhæret sensibus Giennensium Scriptorum, quorum antesignanus amicus eruditus M. Franciscus Rus-Puerta *in Hist. Giennens.* 1. *p. secul.* 7. *c.* 3. P. Francisc. Portocarrer. è S. I. *in suo S. Ildephonso c.* 14. *fol.* 34. & alij contendunt, S. AMANDVM fuisse Episcopum CASTVLONENSEM in Bætica ex vrbe, quam olim CASTVLO, hodie CAZLONA dixere, dicuntque. Quorum fundamina ad sequentia capita reducuntur. I. Quia, ex eo quod *Castulonensis*, seu *Castellonensis* (in quo nulla est differentia) *Episcopus* vocitatur AMANDVS, necessario in CASTVLONIS Bæticæ Episcopalis infula figenda erit vrbe, quoniam nulla in Hispania tali erat dignitate decorata, nisi CASTVLO. Quod probant ex diuisione Episcopatuum Constantini adducta ab Histor. General Hispan. 1. *p. c.* 143. Moral. *lib.* 10. *c.* 32. Padill. *Cent.* 4. *c.* 46. Marian. *lib.* 6. *c.* 16. Loays. *in Not. ad Concil. apud Lucum.* Biuar *ad Dextr. in Chron. Ann* 324. *n.* 3. Et Wambæ, quam referunt, Hist. General. 2. *p. c.* 51. Moral. *lib.* 12. *c.* 50. Padill. *Cent.* 7. *c.* 51. Marian. *lib.* 6. *c.* 45. Luc. Tudens. *in Chron.* Luitprand. *Aduers. n.* 266. & patet ex Catalogo Episcopatuum *Vassei*, Geographia *Padillæ*, Notitia *Mirai*, vbi extra CASTVLONEM Bæticæ, nulla hoc vrbs titulo Episcopatus agnoscitur.

I. Fundamentum pro hac sententia.

II. *Fundament.* SECVNDVM, nam S. Præsul superatis Pyrenæis, & prædicatis Vasconibus, Bæticam perrexit, vbi apud CASTVLONEM è viuis sublato *Marco* ipsius vrbis *Episcopo* CASTVLONENSEM sedem accepit. Quod probant ex suppositione, nam eo quod baculum ipsius Ciuitatis arripuit, nullum alium potuit agnoscere decessorem, inspectis temporum, & actionum successibus, qui in hisce vetustatis nebulis, attendendi sunt.

III. *Fundament.* TERTIVM, quòd in antiqua historia S. AMANDI refertur, oppidum nomine CHANELAVS solo æquatum fuisse propter irreuerentiam S. Viro exhibitam, & supposito, quòd CASTVLO olim fuerit funditus euersa, de CASTVLONE Bæticæ loquuntur Acta, cum inter CHANELAVS, & CASTVLONEM ferè nulla adsit discrepantia. Cui coniectationi adiicitur antiqua traditio, quæ subuersionem vrbis conseruat, factam interueniente maledictione sui Episcopi.

IV. *Fundament.* QVARTVM, quia hisce cognitis euidentiæ auctoritatibus Eminentissimus, & Reuerendissimus *D. D. Balthasar de Moscoso, & Sandoual* S. R. E. Cardinalis, tunc Episcopus *Giennensis*, nunc Archiepiscopus *Toletanus* S. AMANDVM, verum Sedis CASTVLENSIS in Bætica, quæ hodie Episcopatui Giennensi paret, Episcopum, & Præsulem declarauit, & ideo ab omnibus diœcesis clericis secularibus, & regularibus recitandi diuinum officium obeuntibus, illud de Communi Confessoris Pontificis Duplex die VI. Februarij recitari præcepit, vt ex suis literis Gienni confectis die III. Iulij Anno Domini M. DC. XL. coram Petro de Aguiar Secretario liquet. Ex quo stat possessio pro CASTVLONE, cui nullus in posterum euentus refragabitur.

Reiicitur primum fundam. TRIVM harum opinionum fundamentis propositis, quid tenendum sit, dubito: vna quæuis suis fulcitur coniectationibus; licet primam toto amplecterer corde, quia maius veritatis sensibus influit specimen. Quo aliquando ductus, amico *Magistro Francisco Rus-Puerta* quid senserim per literas mei sensus *placita* detexi, quæ ad hæc quatuor dubia deduxi. I. Duas fuisse in Hispania sedes Episcopales, non vnam vt credidit *Magister Rus*; Aliam in Bætica CASTVLONEM, alteram in Tarraconensi, eodem nomine, quæ postea dicta est CASTELLVM caput prouinciæ, vt probat prima opinio, ex *Luitprando*, *Floriano*, *Gerundense*, & aliis. Si ergo in *Vasconia*, aut *Vaccetania* iuxta Pyrenæi radices prædicauit S. AMANDVS, vt *Baudemundus*, & alij scriptores antiqui, & fere synchroni S. Præsulis fatentur; & in ipsa *Vaccetania*, erat Sedes *Castellonensis* per ferè centum

annos

annos præfixa; qua ratione credi potest, hac relicta, interiectis tot prouinciis; ad *Castulonensem* Bæticam AMANDVM demigrasse? Præantiquitatem Sedis *Castellonensis* in *Vaccetanis*, seu *Viscetanis* descripsit S. M. Maxim. *in Chron. d. Ann.* 562. Ergo de ista est intelligendus Pontificatus AMANDI, tanquam viciniori ad locum prædicationis, & existentiæ; quam de *Bætica*, cuius fines nec antiqui Scriptores, nec ipse *Iulianus* Auctor istius Præsulatus, tetigisse AMANDVM somniant.

COMMVNIS fuit olim in Ecclesia vsus, vt illo quo S. Viri euangelizabant loco, Præsules eligerentur, vix aliò deferebantur, de quo testes sunt fere omnium antiquorum Præsulum Acta, ipsaque AMANDI, quibus in comperto est, ipsum *Tungros* prædicasse, ex quo *Tungrorum* Pontificatum accepisse, quis inficiabitur? Ergo si constat S. Præsulem, *Vascones*, & *Vaccetanos* perlustrasse, illisque ab errorum indignitate, qua implicabantur, ad syncerum fidei candorem attraxisse; illicque Sedem Episcopalem extitisse; quo fulcro, nemo sanæ mentis in *Bætica* remotis confinibus illius infulas fatebitur, explosis verisimilibus, & proprioribus.

NEC hanc solidam persuasionis instantiam diminuunt *Diuisiones* Episcopatuum *Constantini*, & *Vvambæ*, quia ibidem non totas descripsere principes sedes, sed illas, de quibus lis inter Coëpiscopos adfuerat, circa locorum iurisdictionem, vt proœmiali Wambæ ratione, & decidendi causa, in *Diuisionis* præfixione; liquet, ibi: *Discordesque Pontifices, eo quòd alij aliorum parochias inuadebant, ad concordiam statuit reuocare.* Nec minus *Constani Diuisio* præiudicat, nam ista plurimas sedes omisit, vt *Pampilonensem*, cuius Episcopi fuere ante Constantinum *S. Saturninus*, *Honestus*, *Firmius*, & *Valens*, vt in Catalogo Episcoporum Pampilonensium infra VII. Id. Aprilis, scribemus, & probant *Dexter*, & *D. Prudent. de Sandoual* in Actis vniuscuiusque: Item omissit *Turiasonensem*, & *Aucensem*, & alias quarum nomina longum erit recensere. *Non obstat diuisio Sedium.* *Loays. fol. 135.*

SECVNDVM, quia SECVNDI fundamenti ex suppositione à *M. Rus* assignati apex corruit, propter suppositi improbabilis distantiam. Patet, nam nullus Scriptorum tale quid in suppositione prælibatum somniauit, nec transgressum AMANDVM *Bæticam* dixit; ergo suppositionis identitas, nullo probabilitatis rumore fulcitur. *Marci* Episcopi *Castulonensis* successionem S. Viro præfixam; merum commentum est. Nam *Marcus* iste interfuit Concilio X. Toletano, anno DC.LVI. contracto: At S. AMANDVS anno DC. L. iam erat *Episcopus Castellonensis* ex Iuliano *n.* 336. ergo *Marcus* non potuit consignari decessor AMANDI in Sede *Castulonensi*, si quidem post Episcopatum istius, per sex & amplius annos, ille superuixerit: ergo alium a Præsulatu *Castulonensi in Bætica*, Antistitem AMANDVM egisse conuincimur. *Non obstat II.* *Marcus nō superuixit Amando.*

TERTIVM, quod TERTIO aduersatur *M. Rus* placito, contra subuersionis traditionem CASTVLONIS, à quodam Episcopo factæ, & AMANDO attributæ, opponimus. Quis in Viro erudito tale studium credet? Concordare igitur intēdit *Giennensis* Historiographus, Insulæ CHANELAVS ruinam, cùm CASTVLONENSI, & hoc duplici coniectatione. I. quia si Episcopi *Castulonensis* maledictione, propter accolarum despectum, vrbs euersa fuit, hoc fieri nequit, nisi per AMANDVM, quia ad annum DC. LX. illius vrbis infulas induebat, & illis explosis, nullus in posterum illius Sedis Episcopus inuenitur, quo liquet tunc temporis vrbis excidium contigisse credendum est. II. quia cum hac depopulatione conueniunt Acta, licet corrupta, S. Antistitis, in quibus asseritur, S. AMANDVM quandam destruisse Ciuitatem nomine CHANELAVS propter irrisionem incolarum, & alia opprobria S. Præsuli facta. At talis Ciuitas in totis Orbis Geographiæ tabulis non reperitur, ergo Acta corrupta sunt, & loco vocabuli. CHANELAVS, reponendum erit CASTVLONIS, esto quod nulla ferè dissonantia adsit. PRIMÆ coniectationi obstat, quòd S. AMANDVS à sede *Castellonensi* discessit Anno DC. LX. aut LXI. à quo vsque ad DC. LXXV. quo contractum fuit Cōcilium XI. Toletanum, cui non interfuit Episcopus *Castulonensis*; *Non obstat III.*

sed per subrogationem Episcopus *Baecensis*, intercessere XV. anni, quibus potuit alius Episcopus subrogari, à quo excidium CASTVLO pateretur: quia cùm tempora non assignet traditio, in illis exquirendis, quælibet curiosa hallucinabitur inuestigatio. Item, & Secundæ faciemus satis, nam tempore, quo ex Actis vetustis S. AMANDI elicitur, peruenisse ad Insulam CHANELAVS, illamque maledixisse, nondum Sedem Episcopalem *Traiectensem* dimiserat S. Vir, nec ad Pyrenæi iuga deuenerat, vt ex Actis liquet: si adhuc *Tungrorum* erat Episcopus, quo pacto absque Pontificis absolutione potuisset *Castulonensem* Cathedram ambire? ergo ruina CHANELAVS Insulæ, diuersa à *Castulonensi* fuit. Denique CHANELAVS insula erat iuxta fluenta Scaldi fluminis, notissimi, & amœnissimi, quod in Veromanduis placidum incedens, versus Cameracum vrbem Imperialem, & Episcopali sede inclytam, pergit, eamque interluit. Hinc Hannoniam regionem petens, Bochanio oppidulo salutato, aliquot torrentibus auctum Valencenam vrbem nobilem suis aquis ditat. Hac relicta, & Hania maximo Hanoniæ fluuio in se recepto, Condatum oppidum in eius confluentis situm, præteriens, cum Scarpa amne, Tornacum vrbem, & vetustate, & Episcopatus titulo illustrem, in duas partes distinguens, Flandros visitat. Hinc postea Oudenardam in dua oppida diuidit, amplissimamque, & maximi loci, atque nominis vrbem Gandauum irrigat, in eaque præter minoris nominis riuos, etiam Lisa vberrimus Flandriæ amnis suas aquas in Oceanum deferendas cum eo communicat. In hac vrbe Oceani reciprocantis æstum primò hic sentit Scaldis, hucusque eius aqua ex maris incremento reflui, intumescique comprehenditur. A Gandauo sinuosis flexibus, multisque mæandris, ad Teneramundam decurrit, ibique Teneræ, deinde Rupelæ fluminum aquis concepto, Brabantiam à Flandris, discriminans, Antuerpiæ celeberrimæ vrbis mœnia lambit. Inde ad III. M. prolabens, in duo vasta ostia finditur; Quorum vnum Flandriam à Zelandis dirimens, inter Bierfletum Flandriæ, & Filissingam Zelandiæ vrbeculam, amisso nomine, idque mutato in Honte Oceanum intrat. Alterũ Bergam è longinquo à dextra prospiciens, & versùs Romerosualã à sinistra deflectens, inter Zelandicas Insulas diffinditur, & omnes eius vrbeculas alluens, inter Valachicam & Scaldiam, retento Scaldis nomine, in Oceanum Germanicum se exonerat. En situs *Schaldis* fluminis, ad cuius fluenta Insula (ex Actis) CHANELAVS à B. AMANDO destructa proditur. Ergo quæ, ista Insula, cum mediterranea vrbe CASTVLONE, habere potest consonantia?

Insulam Chenalus maledixit, multò antequam Vasconiam deuenerant.

Huius Insulæ situs ex Ortelio.

Nec obstat IV.

QVARTVM quod versatur circa Eminentissimi Cardinalis S. R. E. de Sandoual, de Officio S. AMANDO recitando, decretum, nihil de eius purpurata auctoritate subdubito, aut de eius candidissima pietate dissero; nam absque dubio, eum virtutibus insignem, prudentia instructum, ingenio ornatum, & religione præditum agnosco, fatenturque omnes quotquot eius vitæ stamina experti sunt. Ideo prout fecit, factum consistet. At cùm sæpe sæpius tanti Præsules ex aliorum relatione discernant, facile aut Patriæ amore, aut Sanctorum deuotione, multa censent, quæ si absque proprij affectus nebulis agerentur, nullius contemplatione perficerent. Sicque duntaxat alterius purpurati, vt finem imponam, vtar verbis: *Colantur vbique* SANCTI, *quorum Deus omnia in omnibus, & diues in omnes, qui inuocant illum.* Ad aliorum probationem deuenio.

Baron. in Not. ad diē 10. Decēbr.

DIXI in Actis: S. AMANDVM ad cœlos sublatum Anno DC.LXXI. contra Sigeberti Chronici computum, & omnium ferè qui de eo vitæ historiam attexuere, qui eius transitum ad Annum DC.LXI. reiiciunt, quibus lubenter adhærerem, si in antiquis Actorum monimentis, ab alio, quam à *Childeberto* Francorum Rege, *Elnonensis* territorij circulo, quo insigne Cœnobium construxit AMANDVS, inueniretur donatus. Omnes tam antiqui, quàm recentiores Actorum S. Præsulis Scriptores conueniunt à *Childeberti* munificentia illud territorium accepisse; ergo intra huius Regis imperium, vitam adhuc AMANDVM egisse temporum ratio infallibiliter persuadet. Quod si sic: quo pacto Anno DC.LXI. mortuum S. Antistitem fateberis, si *Childebertus* Regni Francorum solium

Anni transitus vera supputatio.

ſolium non adſcendit, ad vſque annum DC. LXVII. vt fideli computatione probant, ex *Samotheo*, *Alſterio*, *& Spondano*, Genebrardus, Opmerus, & Gaulterius in ſuis Chronicis, ita vt nullus Antiquorum, ſeu Recentiorum ab iſta deficiat. Demus in conſtructione Cœnobij trium annorum ſpatium; ad Annum DC. LXX. peruenit AMANDVS. Eſto quòd protinus moreretur, ergo ad minus Anno DC. LXXI. vitam exuit. Ex quo crederem in Actis recentioribus hoc non animaduertiſſe Compilatores, ſed *Sigeberti* fide muniti, in tantum errorem, abſque rationis calculo, deuenere. Hanc meam opinionem inſequitur M. Rus-Puerta *d. ſecul. 7. c. 3. n. 11.*

DE RELIQVIIS S. AMANDI ad *Eulaenſem* Eccleſiam translatis, videndus P.F. Anton. Vincent. Domenec *Hiſt. SS. Cathal. lib. 1. fol. 13.* qui poſt vitæ Acta S. Præſulis, de illarum aſſeruatione apud *Perpinianum*, diœceſis *Helltnenſis* fidem facit. *Reliquiæ apud Perpinianum.*

D B. DIDACVS Epiſcopus, & confeſſor.] Celebris eſt memoria huius Sanctiſſimi Epiſcopi in Actis S. Patriarchæ Noſtri DOMINICI, Ordinis Prædicatorij Inſtitutoris. Illius, Beatitudinis nota, meminere Hugo Menardus *in Appendic. 2. Martyrolog. Monaſtic. lit. D.* Petrus de Natalib. *in Catal. SS. lib. 11. c. 72.* Chryſoſtom. Enrriq. *in Menol. Ciſtercienſ. h. d. fol. 45.* Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib. 5. c. 83.* Idem Enrriq. *in Faſcicul. Ciſtercienſ. lib. 1. diſt. 24.* Theodoricus de Apol. Bellouacenſ. S. Antonin. Caſtillo, Senenſis, & quotquot Acta S. P. Dominici ſcriptitarunt. B. DIDACI ex peruetuſto Legendario MS. Vxamenſis Eccleſiæ, cuius mihi copiam dimiſit *D. Michel Erze Ximenez*, qui Romæ plurimum temporis, & laboris conſumpſit, pro definiendo affirmatiuè in Breuiariis, & Officiis Aduentu S. IACOBI Noſtri ſingularis Patroni, donec illud adeptus eſt, vt in Nouis Officiis ab Vrbano VIII. Pont. Max. emanatis, & in Breuiario à ſe recognito, conſpicere licet, Acta excribere propoſui, ſic: *Scriptores.*

ACTA B. DIDACI AZEBES Epiſcopi Oxomenſis, qui obiit VIII. Id. Feb. Æra M. CC. XLV.

IN ILLO tempore erat Vir vitæ venerabilis DIDACVS nomine, Eccleſiæ Oxomenſis Epiſcopus, quem & Sacrarum peritia literarum, & generis nobilitas, & in primis inſignis morum honeſtas ornarunt. Is totus amore inhærebat Deo, vt ſe ipſum contemnens, & ſola quæ ſunt Ieſu-Chriſti quærens, in id ſummopere, cura, & cogitatione eſſet intentus, quemadmodum multas Deo animas lucrifaciens, talentum ſibi creditum cum vſura multiplici ad illum reportaret. Quam ob rem vbicumque reperire potuit Viros vitæ, & morum integritate conſpicuos, eos quibus poterat modis ad ſe adiungebat, & in Eccleſia Oxomenſi Eccleſiaſticis Beneficiis donabat. Porrò ſubditos illos ſuos, quorum eſſe propenſa in virtutem, & ſanctitatem voluntas, & animus à mundo abhorrens, vt Religioſorum hominum inſtitutum complecterentur, & verbis hortabatur, & exemplis. Inde adeò accidit, vt Canonicis ſuis, crebris adhortationibus perſuadere niteretur, vt ad præſcriptum Regulæ B. Auguſtini, in Canonicæ Religionis obſeruantiam conſentirent. Tanta vero cura, & diligentia id egit, vt eorum animos (tametſi non deeſſent qui obluctarentur) ad ſuam voluntatem inclinarit. Quod vt perfecit, & ne amplius illis fuerit licitum reſilire, Toletani Archiepiſcopi Martini Magni à Piſorica, & Adephonſi Nobilis Caſtellæ Regis

Nomen, & dignitas. *Studium.* *Canonicos ſua Sedis, Regulares efficit.*

permissu, à Sede Apostolica paginam confirmationis accepit, tenoris sequentis.

Bulla confirmationis.

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto Fratri DIDACO Oxomensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Ordinem Religiosis plantare, ac fouere plantatum, ex officij nostri debito prouocamur, & sic Religionis locis Apostolicum nos conuenit præbere patrocinium, & fauorem, quòd sub regimine, & gubernatione nostra, assiduis proficere valeant incrementis. Intelleximus equidem per scriptum authenticum, sigillo tuo, & Venerabilis Fratris Nostri Toletani Archiepiscopi communitum, quòd tu de communi consensu totius Capituli Oxomensis, auctoritate præfati Archiepiscopi, consensu etiam, & consilio Charissimi in Christo Filij Nostri Alphonsi Regis Illustris Castellæ, deliberatione prouida statuisti, vt secundum præceptum felicis recordationis Alexandri, & Lucij Romanorum Pontificum, in Oxomensi Ecclesia sint de cætero Canonici Regulares; nec aliquis in Portionarium, vel secularem Canonicum recipiatur deinceps in eadem. Quædam etiam alia Capitula statuisti, quæ in eodem scripto perspeximus contineri. Volentes igitur, quòd à te videtur pia deliberatione statutum, debita firmitate gaudere; constitutiones ipsas, quas possumus restitutiones potius nominare, cùm à longis retrò temporibus, hoc ipsum de Oxomensi Ecclesia fuerit; sicut assentis, à Romanis Pontificibus ordinatum, sicut ipsæ à te rationabiliter factæ sunt, & à tuo receptæ Capitulo, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsenti scripti pagina communimus. Nulli ergo liceat &c. Datum Laterani, V. Id. Maij. P. N. A. II. Quo lætus rescripto, animum ad conquirendos virtutis pondere onustos, & literaturæ sarcina suffarcinatos Commilitones, erexit. Inter alios, ad S. Præsulis notitiam, celebris & odorifera B. Dominici fama peruenit, & cùm accurate de illo esset percunctatus, remque certam comperiisset, accersitum eum, fecit in sua Ecclesia Canonicum Regularem, ex hoc ipso beatum se putans, quod & sibi de tali filio, & Ecclesiæ suæ de ministro tam idoneo feliciter prouidisset. Postmodum crescente Canonici structura virtutum, ad Subprioratus apicem Didacus illum sopita æmulatione deduxit. Sic suam Vir Dei regebat Ecclesiam, sic populo vtiles virtutum fructus afferebat, quando Rex Alphonsus Castellæ, eueniente grauium negotiorum involucro DIDACVM ad Galliæ, & Italiæ partes exlegauit. Regi obediens Episcopus ascito sibi comite Dominico ad legationis suæ partes exequendas sedulus festinauit.

S. Dominicum Canonicum fecit.

Galliam, & Romam Legatus Regis perrexit comite Dominico.

Erat tunc temporis Prouincia Narbonensis, & Aquitania Albigensium turpissima hæresi maiori ex parte deprauata; sed præcipue ea pestis Tolosatum terminos insedebat, cùm DIDACVS, & Dominicus instante Legationis implemento, Tolosam conuenere, & eadem nocte; qua vrbem ingressi sunt, in domum cuiusdam recepti, Dominicus hospitem agnouit hæreticum, quem sic affabili persuasione deiiciens, & rationum connexione deuincens, reduxit, vt ad fidem Catholicam, Deo operante, conuerterit. Abhinc DIDACVS, & Dominicus occasionem nacti, postmodum ad hæreticorum conuersionem iuuandam, redire proposuerunt. At vero cum in negotiorum absolutione totum fere integrum annum consumpsere, Romam perrexere deuoti. Vbi postquam SS. limina Apostolorum more debito visitarent, & Sanctissimi oscula pedum Innocentij Papæ, solito munere venerationis exoluerent,

Albigensium hæreticorum vires.

rent,

rent, DIDACVS immenso desiderij robore cupiens deponere Episcopatum, vt commodius, liberiusquè posset se ad Albigenses conferre, & illis Euangelium prædicare, Sanctissimo suæ charitatis ardorem humili reuerentia detexit. Innocentius quippè, qui DIDACI morum præstantiam, integritatem, prudentiam, doctrinam, singularem impositi muneris curam, probè cognouerat, quantumque vtilitatis ex tali Pastore creditis ouibus accederet, adduci non potuit, vt eum Episcopali functione, alia haud impellente causa, dissolueret. Quinimo verbis amplissimis consolatum, & quantum virtutis in obsequio esset, admonitum, remisit. Ergo accepta Apostolica benedictione DIDACVS, & Dominicus Romam relinquentes, ad illustre Cistertij Cœnobium, quod in agro Diuionensi erat, vt tot seruorum Dei sancta conuersatione instructi, maiora diuini profectus capesserent specimina peruenerunt. Triduo illic diuersati Sanctissimi Socij, cùm iam DIDACVS institutum exercere, & imitari proposuisset, Cistertium relinquentes, ad montem Pessulanum inuenere honorabiles Viros Arnaldum Abbatem Cisterciensem, Petrum de Castro-Nouo, & Rodulphum Monachos eiusdẽ instituti, Legatos Apostolicæ sedis, qui conuocato Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorúmque in partibus illis Ecclesiæ Prælatorum Concilio, conquirebant inter se, quonam modo commodius, id cuius gratia venerant, executioni mandarent. Illis autem super hac deliberatione sollicitis, DIDACVS superuenit, cum honore suscipitur, consulitur, & vt libere quid sentiat prodat, impellitur.

Episcopatu se abdicare conatur.

Pontificis voluntas obstat, etiã pro causa fidei.

Ad Diuionense Monasterium properat.

Interfuit Congregationi contra hæreticos indictæ.

HOC autem fuit eius, Spiritu Diuino suggerente, consilium, vt abiecta pompa superflus apparatus, quam equidem satis incongrue, qui ad Christum pauperem prædicandum aduenerant, in expensis, atque equitatibus, ac vestibus, & varia supellectile præferebant; veram, atque Euangelicam in se prætenderent paupertatem, & fidem Christi non verbis tantum, & labiis personarent, sed rebus, & manibus demõstrarent: atque hoc modo animas, quas hæretici falsa virtute, ac pietatis imagine deludebant, ipsi vera Sanctitatis & Religionis exhibitione, possent ad fidei veritatem reuocare. Fauent omnes eius consilio, & iuxta verbum eius se facere pollicentur. Ipse verò primis dictis suis facta compensans (iam per temporis assignationem, impetrantibus legatis, illi Apostolica fuerat permissio) cæpit facere, quod aliis suadebat. Statimque misit suos Oxamam cum equitaturis, supellectili, & diuerso, quem tulerat, apparatu. Retinuit sibi paucos ex Clericis, & Dominicum. Pedibus ergo DIDACVS & Comites incedentes Euangelium annuntiabant, vt apposite in illos conuenirent verba Prophetæ, & Apostoli: *Quam pulchri pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Remissis igitur ad loca sua temporalium sarcinis, cœperunt singuli Euangelicam amplecti paupertatem, pedites discurrere, ac strenuè fidem Christi verbo, & opere prædicare, habentes super se quasi totius negotij ducem B. DIDACVM, qui factus omnium Patrum Pater, & Patriarcha, quem tanquam Dominum, & Magistrum vnanimiter sequebantur. Quod videntes hæretici, ex aduerso importunius sunt virus sui damnati veneni spargere, vocibus effrenatis, aggressi. Quo viso, DIDACVS assumpsit, & alios virtute, & gratia Viros, comites laboris, inter quos præcipuus, omnique sanctitate conspicuus, Vir Angelicus Dominicus, illi præ cæteris charus, dictis, & factis, seu sydus splendidissimum rutilabat, vt omnes pedites discurrerent in pau-

Episcopi Consilium. Eius exemplum.

Isai. c. 52. v. 7. Ad Rom. 10. v. 15.

Prædicat.

pertate voluntaria, aduersus hæreticorum simulatam malitiam, Christum pauperem prædicantes. Et licet Albigensium rabies omnia hæc subuertere conaretur, attamen, tam insigne in DIDACO erat morum decus, vt & incredulorum illorum, & omnium cum quibus versabatur, sibi vindicaret affectum. Demùm completo in prædicationibus biennio, quo, à Sanctissimo DIDACVS permissionis pagina donatus, illustria peregit facinora aduersus fidei hostes, indictis apud Montem-Regalem, & Fanum-Iouis disputationibus, vbi hæretici deuicti, & confusi vltimum præcipites erroris calculum consumpsere. Sed nondum finis, quia iterum Catholicis victoriam denegantes procaciores in palæstram prosiliere, S. Episcopus in Hispaniam redire compellitur, partim quia Papæ obediret decreto, partim vt rebus domesticis prouideret, partim etiam, vt è suis redditibus liberaliter largiretur, quæ necessaria erant ad sustentandos prædicatores Prouinciæ Narbonensis.

Hispaniā repedauit.

CVM igitur iter arripuisset, versus Hispaniam tendens, venit Pamiam in territorio Tolosano, vbi Fulco Tolosanus, & Nauarræus Consuarenensis cum pluribus Abbatibus obuiam ei processerunt. Ibi habita est disputatio cum Vvaldensibus, qui victi, & penitus confusi discesserunt; & populus illius Castri, præsertim plebs ipsa, & tenuiores pro maiori parte Nostris fauebat: & ille qui disputationis fuerat Iudex, licet Vvaldensibus faueret, & maximum in Castro Pamiæ nomen haberet, nihilominus renuntiauit hæreticæ prauitati, & in manus S. Episcopi DIDACI obtulit se, & sua omnia, & exinde cœpit impugnare validè omnes sectatores errorum. Post hæc B. DIDACVS iter suum direxit versus suam Ecclesiam, deliberans, accepta à Sanctissimo prorogatione, iterum, quamprimum posset, redire ad componendum fidei negotia in Prouincia Narbonensi, & cùm vtriusque Regni limites tetigisset, relictis ibidem quibusdam ex sociis, Dominicum eis in spiritualium cura, & Guillelmum Clareti in temporalium administratione præfecit, ita tamen vt ad Dominicum, omnium quæ ageret rationem referret. Vale deinde dicens omnibus, multo labore pedibus suis iter agens, tandem Oxamam peruenit, vbi correptus morbo, iactura vitæ temporariæ aditum inuenit in vitam sempiternam, fruiturus deinceps cœlesti gloria, VIII. Id. Februar. Anno Domini M. CC. VII. Eius corpus sanctissimũ in Crucifixi ædicula tumulatum, deinceps claruit miraculis, cuius tanta suæ Ecclesiæ, concitium, & vicinorum accolarum veneratione colitur, vt absque eius deprecatione nullus opus etsi minimum aggredi audet, vt propositi successus optimus consequatur à Deo, qui viuit, & regnat per sæcula sempiterna cum Filio, & Spiritu Sancto Amen.

Disputat cum Vvaldensibus.

Moritur.

Miracula, & Cultus.

En Acta: in quorum probatione non est cur tempus teratur. Omnia ex Theodorico, Bellouanensi, & Sarnensi coagulata cognoscet, qui illorum Doctorum scripta cũ hisce Actis contulerit. Quæ ab ipsis intermissa inuenit istorũ Scriptor, addidit, videlicet cõfirmationem à Sede Apostolica de Restitutione Canonicorum Regularium in Ecclesia Vxamensi, Innocentij III. Pont. Max. diplomate confirmata, cuius tenorem excripsit integrum, quem in Registro istius Pontificis *lib. 2. Epistol. 36.* conspicimus diminutum, in Episcopi nomine, quod restituit Actorum Scriptor. Et nequit aliud esse; nam Martinus à Pisorica (quem magnum vocitant Acta, eodem encomio laudatur à D. Roder. Ximenez eius successore *Hist. Hispan. lib. 7. c. 28.* his verbis, MARTINVS MAGNVS *nomen eius, & genus à* PISORICA, *honor gentis vita eius.*) Archiepiscopatus Toletani infulas induit Anno Domini M. C. XCI. illas exuit Anno M. CC. VIII. Item quia Alphonsus Castellæ Rex de quo in diplomate ab Anno M. C. LV. cœpit regnare, vsque

Annorum ratio.

vsque ad M. CC. XIV. & cùm in fine Bullæ apponantur hæ literæ: P. N. A. II. quæ extentæ, Pontificatus Nostri Anno II. continent, necessario confirmationem accepit Noster S. Episcopus Anno M. C. XCIX. qui fuit secundus Innocentij III.

Circa *Monachatum Cisterciensem*, quem fuisse professum indicant Scriptores Monastici Didacvm, subdubito, & Actis insistens, ibi: *Cum iam* Didacvs *institutum* (Ordinis Cisterciensis) *exercere, & imitari proposuisset.* Crederem non habitum *Clericalem* ita dimisisse, vt induto *Cisterciensi*, alienum absque Sedis Apostolicæ placito, induisse, sed ad formam illius Regulæ vitam instruxisse, vt potius Monachus Cisterciensis, quam secularis Clericus appareret; obseruata in vitæ decursu norma illius Illustrissimæ Religionis. Quam etiam opinionem tenuit Maluend. *Annal. Prædicat. Ann. D.* 1205. & plures alij. *An fuerit Monachus?*

De Miraculis ab eo patratis audi Theodoric. *c.* 7. dicentem: *Claruitque post obitum miraculis* (Didacvs) *qui in vita sua insignis fuerat operibus sanctis, & virtutibus multis.* Bzouius *Annal. Eccles. tom.* 13. *Ann.* 1207. eadem, sic: *In prædicatione* Didacvs *Vxomensis Episcopus non postremas partes cùm tulisset, in Ecclesiam suam redux, fatis defunctus est, post mortem multis miraculis clarus.* Menolog. Cisterciens. *fol.* 45. hæc: *Claruitque post obitum variis miraculis.* Dies Obitus *VIII. Iduum Februarij* dignoscitur ex Actis, illum itidem assignauit eodem Chrysostom. Enrriquez *in Fascicul. d. dist.* 24. & in Menolog. *d. fol.* 45. Annvs desumitur ex exordio, & fine Actorum; & ex inscriptione, quæ inuisitur in tumulo, vbi corpus quiescit sic: *Miraculorum fama.*

HIC IACET DIDACVS AZEBES. EPISCOPVS VXAMENSIS. OBIIT. ÆRA. M. CC. XLV. *Epitaphiũ.*

Quam si ad Annos Domini reducere velis, erit M. CC. VII. Quo etiam Anno eius dormitionem conscribunt fere omnes Nostri Scriptores, Marieta, Enrriquez, Maluenda, & Manriquius.

Vxama, & Oxama. Ciuitas est Episcopalis antiqua Hispaniæ, de qua agemus infra *tom.* 2. *die XI. Aprilis*; vbi diuersitatem inter *Vxamam-Barcham*, & *Vxamam-Argellam*, quæ & Nostra hodie Osma, in Areuacis. De ea mentio est in Cypi inscriptione apud Complutum, vt refert Ambros. Moral. *in Antiquit. c.* 13. *fol.* 12. *col.* 2. Quam dabimus *Antiquitas.*

LICINIVS IVLIA-
NVS. VXAMENSIS.
AN. XX. H. S. E.
IVLIA MATER.
F. C. S. T. T. L.

Inscriptiõ Vxamos.

Aliam referunt idem Ambrosius ibidem, & Gruter. *fol.* 900. *n.* 12. & alij Antiquarij.

SEPTIMO

SEPTIMO IDVS FEBRVAR.

DIES VII.

A *Apud vrbem Phrygiam Hiſpaniæ in Veteronibus paßio SS.* ADAVCI *Ducis, cum omnibus Clericis, Decurionibus, Nobilibus, Virginibus, Matronis, & accolis, ciuibus ipſius vrbis, qui Diocletiano imperante omnes pro Chriſti fide martyrizati, turmatim purpureis redimiti coronis in æternam ſunt beatitudinem ingreßi.*

B *Jn Cœnobio de Spina prope Pinciam depoſitio* B. NIVARDI, S. P. *Bernardi fratris germani: qui ab iſto vt Ciſtercienſe propagaret inſtitutum, dimiſſus, Hiſpanias venit, & conſtructo Spina celebri Monaſterio, ibidem Angelicam peregit vitam, qua exutus ad æternam virtutibus clarus, & mirabilibus inſignis Confeſſor inclytus properauit.*

NOTÆ.

A SANCTVS ADAVCVS, & Socij Martyres.] Hos Sanctiſſimos Pugiles, *Phrygiæ* in Aſia paſſos hucuſque crediderat concors neothericorum Martyrologorum cohors; cuius Baronius, vt inſectator, iſta h. d. in Rom. Martyr. conſarcinat verba. *In Phrygia* S. ADAVCI *Martyris, qui ex Italia genere clarus, & omni fere dignitatum gradu ab Imperatoribus honoratus, dùm adhuc Quæſtoris officio fungeretur, martyrij corona pro fidei defenſione donatus eſt. Item plurimorum* Martyrum *vrbis vnius Ciuium, quorum Dux erat idem* ADAVCVS: *qui cum omnes Chriſtiani eſſent, & conſtanter in fidei confeßione perſiſterent, à Galerio Maximo Imperatore, igne conſumpti ſunt.* Fere eadem *Galeſin. Maurolyc. Conſtant. Felic. Philipp. Ferrar.* in Topograph. ſacra, & recentiores. Sed an hæc PHRYGIA fuerit *Prouincia*, an vrbs, in controuerſiam reuocant Scriptores exteri, & Hiſpani. Quod fuerit Prouincia, tenent relati ex Euſebio *lib. 8. c. 23.* ibi: *Iam dudum enim* vrbs *Chriſtianorum, quæ eſt* in PHRYGIA. vbi vrbis nomine tacito, congreſſum Martyrum in prouincia conſignat. Iſtum ſequuntur Ruffin. *c. 11.* Nicephor. Calixt. *lib. 7. c. 10.* Lact. *de Inſt. lib. 5. c. 11.* Baron. Annal.

Phrygia paleſtra SS. an Prouincia, an Vrbs?

Annal. Eccleſ. *tom.* 3. *Ann.* 309. *n.* 22. *&* 23. Petr. Equil. *in Catal. SS. lib.* 11. *c.* 30. Ioan. Andr. Gilius *in Perſecut. Eccleſ. lib.* 1. *Idololatr.* 10. *fol.* 138. Quod fuerit Ciuitas nomine PHRYGIA contendit Venerabilis Alphonſus de Madrigal Eccleſiæ lumen, & Hiſpaniæ ſanctitate, & literatura ornamentum, Abulenſis Epiſcopus, in Animaduerſionibus *ad. d. c.* 23. *Euſebij*, vbi verba iſtius ſecundum genuinam veterum codicum lectionem extendit ſic: *Iam dudum* vrbs *Chriſtianorum, quæ* PHRYGIA *eſt*, vbi mutilata propoſitione IN, remanet PHRYGIA nomine, & titulo vrbis, non Prouinciæ. Ex quo liquet quod Exſcriptores Ruffini, Nicephori, & Lactantij ignorata vrbe, titulo PHRYGIÆ, condecorata, Euſebij auctographum corrumpentes, propoſitionem IN addiderunt, vt ſenſus eſſet, non quod vrbe cognomento PHRYGIA Martyres iſti occubuere, ſed quod vrbe IN prouincia PHRIGIÆ agonem compleuere. Quod vt facilius agnoſcatur, & vera Euſebij reſtituatur lectio, en numus in quo iſthæc ruina vrbis conſpicitur nomine PHRYGIA quam inter alia Comeſtabilis Caſtellæ numiſma inuiſi.

Audi nunc Iulianum Petr. *in Chron. n.* 127. nodum diſſoluentem: *VII. Februarij ſub Diocletiano in Hiſpania* CIVITATE PHRYGIA, *quæ nunc dicitur* FRIAS, *innumerabiles Martyres, ſub Duce* ADAVCO *Ciue, & ipſi Ciues horribiliter combuſti, in quibus Virgines, Matronæ, Nobiles, ac totus Senatus, & Clerus patitur.* P. Ieronym. Rom. de la Higuer. *in M S. Martyrolog. Hiſpan.* h. d. hæc habet: *En* FRIAS de Eſpanna, *Llamada antiquamente* FRIGIA, *dicha aſi de la Prouincia de* PHYGIA, *de adonde vinieron ſus fundadores, innumerables* Martyres *en los Pueblos Veterones, que fueren quemados per Chriſto enla perſecucion de Diocletiano.* Quæ latine ſonant. *Apud Hiſpania in Veteronibus* VRBEM FRIAS, *olim* PHRYGIAM *vocitatam, ſic à* PHRYGIIS *conditoribus dictam, Innumerabilium* Martyrum, *qui pro Chriſto in Diocletiani perſecutione combuſti ſunt.* Hanc eandem opinionem amplexi ſunt D. Martin. Carrill. *Annal. Eccleſ. lib.* 2. *Ann.* 309. *fol.* 115. P. Camargo eius abbreuiator. *in Theatr. Eccleſ. Ann.* 309. *fol.* 182. Ex quibus vt Noſtrorum inſectemus veſtigia Acta Sanctorum Martyrum ſcribemus, additis ex Noſtris, quæ apud Euſebium confuſa extetere.

ACTA SANCTI ADAVCI DVCIS, & Innumerabilium Martyrum apud PHRYGIAM *vrbem Hiſpaniæ paſſorum, ex Euſebio, & Iuliano Archipresbytero.*

ADAVCVS genere apud Italos clarus, dignitate à Romanis ornatus, omni fere honorum gradu, ab Imperatoribus potitus, & Magiſtri Officiorum, & Quæſtoris Generalis munera integre, & incorrupte executus, vt Idolorum vanitates agnouit, Chriſto, fidei veritate comperta, inſtantibus tot Sanctorum Martyrum, quos Imperatorum ſæuitia abſumpſerat, exemplaribus, nomen dedit. Euenit vt ad Quæſtoris Generalis munus exequendum, Imperatorum Diocletiani, & Maximiani munificentia, ad Hiſpanias dimiſſus eſſet. Vbi cùm ad vrbem in Veteronibus PHRYGIAM nomine, Ducis titulo, & Ciuis iure diuerſaretur, omnia pietatis munia,

Origo.

Queſtor.

Phrigiam Hiſpaniæ vrbem aggreditur.

nia, & religionis onera adimplens, Officij pondera, discrimine nullo reluctante, Christi pedisequus obiuit, ex quo tantis præclaris virtutum occupationibus, & confessionibus fidei in Deum insigniter nobilitatus, totius vrbis accolas ad salutare spiritualis aquæ lauacrum perduxit. At cùm Annus Christi Redemptoris CCC. IV. deuenisset, XI. Kal. Maij, Imperatores supra nominati æquali deliberatione sese Imperio abdicarunt, aut propter subuersionis Imperij ab ipsis, persecutionis in Christianos, excitatæ quà ferè totum Orbem depopularunt, timorem, aut propter amentiam à Diocletiano contractam, aut quod verius est, quia postquam omne adhibuere studium, vt Christianam Religionem conuellerent, & id humana non valuissent adipisci potentia, desperati, Imperialibus paludamentis depositis, plebeium, & priuatum vitæ genus sibi delegere. Quibus Constantius, Chlorus, & Galerius Maximianus successere, & licet ille pietate insignis, iste crudelitatis Diocletiani assertor aduersus Christianos implacabilis extitit, & horrendus: nam sic omnia ad nihilum reducere statuit, vt quamuis Diocletiani Imperium extinctum videretur, non sic in Christi asseclas afflictio, quia tunc repullulare dignoscebatur. Huius sæuitia in Hasparias peruenit, & vrbem Phrygiam inuadens, illam cum Duce ADAVCO & omni populo eiusdem, cum hominibus armatis obsidione vndiquè cinxit; & dum viri simul cum teneris liberis, & vxoribus Christi Dei Omnipotentis inuocarent opem, facibus ardentibus iniectis incensa, propterea quòd vniuersus populus, qui Ciuitatem incolebat, tum ipse ADAVCVS pariter cum magistratibus, & priuatis hominibus, sese Christianos ingenue confitebantur: neque infidelibus, qui eos Idolis hostias offerre mandauerant, vlla ex parte volebant obtemperare, combusti sunt, quorum animæ martyrij palma coronatæ ad æternam gloriæ mansionem conscendere, VII. Idus Febr. Anno Domini CCC. IX.

Phrygios Ciues ad fidē reducit.

Phrygiæ obsessio.

Inceditur.

Coronantur omnes.

Hactenus Acta. Quæ ab Archipresbytero Iuliano probauimus, vbi licet Ciuem Phrygiensem vocet ADAVCVM, hoc non de origine intelligendum est, cùm Eusebius, & cæteri illum Italum appellent, sed quia ratione Præfecturæ, siue Quæstratus, Ciuilitatem adeptus sit. Quod item asserit, idem Iulianus hoc martyrium fuisse à Diocletiano executum, sic accipiendum est, vt accepit Baron. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. C. vbi etiam in Diocletiana persecutione passos scripserit, scilicet quod Galerius illius in Christianos afflictionem prosequeretur, non incœperit. Eius, & Sociorum agonem descripsit Robert. Obrizius *lib. 4. Carmin. hym-no 26. fol.* 169. sic:

IN D. ADAVCTVM,

Sociosque Martyres, sub Diocletiano, & Maximiniano Cæsaribus.

Fœlix te niueo lactauerit vbere Mater,
Auspiciis tulerit Daunia terra tuis;
Vir Sacer, egregio DVX *commemorande triumpho;*
Mactande elegiis semper ADAVCTE, *nouis.*
Candida non simplex decorat tibi tempora laurus,
Tempora non Querna fronde Corona virens.

Hoc

Hoc seruare Deo est, cultu eripuisse Deorum
Ciues, perpetuo subtrahere exitio.
Quæ tibi vis fundi, quæ præsens pectore virtus
Impulit, illectos in tua fata Phryges?
Laus vnum potuisse mori est, potuisse per vnum
Quis sileat, Christo millia multa mori?
Vrbs fuerat differta viris, præclara Senatu.
Percelebris summi religione Dei,
Iussa Deûm, spreto cælesti Numine, cultus
Suscipere; horrendum despuit imperium.
Hinc subita inuidia est, vtriusque & Cæsaris ira:
Tum cita claudendis Ciuibus obsidio.
Effugium nulli patet, vlla ex parte, nisi quis
Sculptilibus malit thurá cremare Deis.
Vox obsessorum sola exauditur, ADAVCTO
Sub DVCE, *nos Christo dedita turba sumus.*
Tota subit muros acies, incendia miscet,
Omnis ab iniecto conflagrat igne domus.
Cladibus his non Vir, non Fœmina, non grauis æuo,
Non superest vsta Paruulus æde Puer.
At licet innumeri Christum testentur, ADAVCTO
Dicimus hic vnum sub Duce martyrium.

PHRYGIA Ciuitas olim clara, quam in *Veteronibus* cônstituit *Iulianus*, quos Populos descripsit Florian. de Ocamp. *Hist. Hispan. lib. 2. c. 3. & lib. 4. c. 14.* Hodie vrbs dicitur FRIAS. XLVIII. Mill. ab vrbe Burgensi, cuius diœcesis est. Titulus adhuc Ducatus Comitum Stabuli ex domo de *Velasco*. De ea est mentio in Priuilegio Regis Alphonsi VIII. cognomento Nobilis, quo Toletanis Archiepiscopis concessit titulum Cancellariatus Maioris, quo vtuntur adhuc ipsi Præsules. *Facta charta* (concludit auctographum) *apud* FRIAS. *Era M. CC. XLIV. Prima die Iulij.* Pennotus. *Hist. Canon. Regul. lib. 2. c. 31. §. 6. fol. 351.* & alij. *Veterones qui?*

B. B. NIVARDVS Abbas Spinensis.] Frater-Germanus natu minimus S. BERNARDI fuit. Eius memoriam recolit Menolog. Cisterciens. *h. d. fol. 46.* in hæc verba: *In Hispania natalis* Beati NIVARDI *Sanctissimi Patris* Bernardi *fratris-germani, à quo in Hispaniæ Regna ad propugnandum Cistercienfe institutum missus celeberrimum ibi Spinæ Monasterium extruxit, duxitque vitam sanctissimis operibus claram, quibus Cisterciensem familiam valde illustrauit, & in eodem Cœnobio fato functus, feliciter migrauit ad Christum.* Item Kalend. Ordin. Cisterciens. h. d. B. Guillerm. *in Vit. S. Bernard. lib. 1. c. 3.* Gonsalu. de Silu. *lib. 1. c. 17.* Montalu. *lib. 2. c. 38.* & 41. Bernard. Brit. *lib. 4. c. 7.* Episcop. Pacens. D. Angel. Manrriq. *Laur. Euangel. lib. 3. discurs. 7.* S. Bernard. *Epist. 101.* Idem Episcop. Pacens. in Annal. Cisterc. *tom. 1. Ann. 127. c. 6. n. 7.* & *Ann. 1103. c. 1. n. 7.* & *Ann. 1115. c. 1. n. 5.* & *Ann. 1138. c. 5. n. 6.* & *Ann. 1141. c. 4. n. 2.* & *tom. 2. Ann. 1147. c. 18. n. 4.* & *Ann. 1148. c. 1. n. 1. & 13.* Eius Acta à nemine separatim conscripta cognosco, illa ex Bernardi Actis seligemus. *Scriptores.*

ACTA S. NIVARDI ABBATIS Spinensis in Hispania, B. Bernardi fratris-germani, ex Variis.

Origo, & Parentes.

NIVARDVS patre *Tescelino* è Ducum Burgundiæ, & Regum Galliæ progenie, Claro; matre *Alcida* ex Safrensium familia, illustri; natus est: Fratrem germanum inter alios habuit *B. Bernardum* Clara-Vallensium Abbatem. Illum vt enixa mater est, protinus obtulit Deo, prout de *Bernardo* & cæteris fratribus perficere consueuerat; quem per triennium, vt moriserat, proprio lacte nutriuit. Creuit adolescens NIVARDVS, eo medio tempore, quo *B. Bernardus* Cisterciense ingressus Cœnobium, alios eiusdem fratres ad idem amplectendum perduxerat institutum, dimisso NIVARDO, tum licet puero, supra ætatem robustiori, cui totam terram possessionis omnium fratrum relinquere decreuere. Quo facto *Bernardus* cum fratribus suis paternam domum egrediens, *Guido* Primo-genitus videns NIVARDVM fratrem suum minimum cum cæteris pueris ludentem in platea, *Eia* (inquit) *frater* NIVARDE *ad te solùm respicit omnis terra possessionis nostra.* Cui non pueriliter, puer respondit: *Non ex aquo diuisio hac facta est; Nam vos cælum assumitis vobis, & mihi nudam terram relinquitis.* Abeuntibus illis, tum quidem domi cum patre remansit; sed medio post euoluto tempore, fratres sequutus, neque à patre, neque à propinquis, aut amicis potuit retineri. Ergo in fratrum Bernardi, cæterorumque amplexus quiescens, albam feruenti zelo cucullam expetitus, tandem illam expleto tempore, & exantlatis humilitatis operibus (vt illa ferebant secula) insigni fratrum lætitia, eius innata propensione perinduit. Tanta in Viro Dei strenuo virtutum operatio Monasticæ disciplinæ congressibus emicuit, vt licet natu minor in seculo, & minimus in ordine inspectaretur inter fratres, attamen illis in facinorum insignium aggregatione, haud inferior dignosci visus fuerit. Cuius, vt agnouit bonorum operum sarcinam *Bernardus*, instante *Sanctia* Alphonsi Imperatoris Hispaniæ sorore, vt aliquot ex Clara-Valle Monachos, pro extruendo illius instituti cœnobio permitteret, NIVARDVM germanum, aliis præficiens fratribus, vt votis illustrissimæ Virginis deferret, prompta deliberatione dimisit. In Hispanias igitur NIVARDVS obedientiæ stimulis oppignoratus aduenièns, à *Sanctia* Infante benignè receptus, protinus Bernardo germano, NIVARDO, & cæteris Monachis hæreditatem S. Petri de Spina cum aliis prædiis deuotissimæ Infantissæ pertinentibus, donationis chartulæ corroboratione concessit: quam postea expleto biennio ipse Imperator frater confirmauit Alphonsus. Qua concessione NIVARDVS illud Cœnobium de SPINA celebre extruxit, in quo fratres virtutibus operam nauare cœpere; quorum, & NIVARDI Abbatis odor illustrium facinorum, sic terminos regionis illius impleuit fragrans, vt ad eius pedes prouoluti plurimi à Deo vocati proceres cateruatim, pro consequenda instituti Cisterciensis regula conuenissent. Creuit pietate Abbatis Monasterium, creuit & Sanctissimæ Spinæ Coronæ Domini, à qua cœnobium cognomen accepit, miraculorum fama; ex quo breui, vita, sanctimonia, & monasticis disciplinis fratrum, nec non fidelium donariis ditatum, subito totius Hispaniæ principatum arripuit. De quo *Bernardus* Sanctiam gratulatus,

Fratres relinquere domum paternam parant.

Quibus puer.

Fit Monachus.

Sanctia Hispaniæ Infans expetit Monachos Albos.

Hispaniam venit.

Construit Cœnobium Spinense.

Ab Spina Corona Dominica Nomen.

Ep. 301.

latus, pro eius amplificatione, illi in hæc verba rescripsit: *Obsecramus vos pro nouella vestra plantatione (illos loquor de SPINA) vt eis viscera misericordiæ exhibeatis, quatenus vestro beneficio sustentati in seruitio Dei, & suo ordine perseuerent.* Quod facile compleuit *Sanctia*, vt ex ipsius Cœnobij patet incrementis.

Contentionis inter Monasteria aliquot origo.

ERAT tunc temporis Monasterium de *Toldanos* in Regno Legionensi, quod *Geloyra* Infantissa ex propriis construxerat, & B. Florentio Abbati Carracetensi Ordinis tunc S. Benedicti dederat possidendum. Istud (è viuis sublato Sanctissimo Abbate) Fernandus eius successor, qua ex causa motus incertum, tradidit Cisterciensium Ordini, qui illos sub eorum regula complectens, nigram cucullam denudare, & albam induere coegit. Quæ vt Carracetensis agnouit Abbas protinus reclamauit, & interposita *Sanctiæ* (quæ illos eximio prosequebatur amore) auctoritate, pro restituendis Toldanis Monachis suæ obedientiæ, omnem lapidem mouit. *Sanctia* ne frustra negotium caperet, NIVARDVM Spinensem Abbatem, Toldanum exlegauit, vt probata Abbatis, & Monachorum intentione, & qua auctoritate, translatione confecta, integrum mutationis negotium purâ relatione perdisceret. Annuit NIVARDVS, & re comperta, *Sancta*, & ipse NIVARDVS per epistolas de querela Carracetensium, & Toldanensium contradictione *Bernardum* fecere certiorem, vt amandatis litibus, quæ Monachorum disciplinam corrumpunt, Toldanenses à Claræ-Vallis gremio repellere dignaretur. Accepit vtriusque literas S. Abbas, qui animarum inter zelum quietemque, atque Infantissæ, cui multum deferebat, venerationem, cùm deesse sancto desiderio reformatorum fratrum, nec litigare vellet, aut minus obsequi, talem ad *Sanctiam* epistolam scripsit.

Niuardus Abbas Spinensis arbiter.

SANCTIÆ SORORI IMPERAT. Hispaniæ.

Bernardi epistola, circa litem hanc.

Quod factum est de receptione TOLDANOS Monasterij, sciatis per me non esse factum, vt pote absentem, & ignorantem, quid fieret. Factum autem per nostros non nego; consilio tamen multorum Religiosorum, Episcopi conniuentia, & assensu: Nobilis quoque Dominæ, quæ locum illum in propria possessione fundauit, petitione, & voluntate: publicè, vt accepimus, & nihil in abscondito factum. Existimabant autem se liberè posse suscipere locum, quem in Dei libertate, & sine alterius Ecclesiæ subiectione fundatum, ipsa quæ fundauerat, asserebat; & priuilegia, vt aiunt, præ manibus erant. Cæterum quia Carracetenses fratres factam sibi in hoc iniuriam (vt scribitis) conqueruntur: nec audientes Salomonem, qui ait: *Noli prohibere eum, qui bene vult facere; si potes, & ipse benefac*: nobis in tam sancto opere contradicunt: & quoniam seruos Dei non oportet litigare: consilij nobis fuit, ad vestrum potissimùm consilium causam remittere, vt vestra auctoritate, & opera, omnis inepta, & iniusta (vt aiunt) calumnia conquiescat! & Ordo in domo Dei receptus, ad eius gloriam, & vestram ipsius salutem; deinceps in pace permaneat. Nam & frater NIVARDVS, qui multum gratulatur de vobis, satis in hoc de vobis confidere monuit; tum propter vestram erga nos specialem deuotionem; tum etiam propter bonam, quam audiuit à vobis, de hoc ipso, promissionem. Si autem vestris (quod non credimus) salutaribus monitis, aut consiliis contradictores illi acquies

quiescere nolunt: tum duorum iudicio Episcoporum, ad quos duo illa loca iure parœciali pertinere noscuntur, omnis inter eos contr ouersia terminetur. Quodque ab eis iudicatum, siue constitutum concorditer fuerit, vestrum erit ratum habere, & de cætero firmiter manutenere. Si timetis Deum, non patiemini impediri tantum bonum: nec bonam illam mulierem frustrari à desiderio suo, nec fratres illos suæ deuotionis priuari fructu: nec Deũ denique tàm accepto, sibi reformati ordinis sacrificio defraudari.

Ministerio Angelorum interfuit morti Sororis.

Demùm, istis per *Sanctium*, & NIVARDVM compositis, cùm apud Iuleium *Humbelina* Sanctorum Bernardi, & Sociorum fratrum soror germana ægrotaret; Angeli ministerio illuc deductus NIVARDVS, felici obitui sororis interfuit. Qua ad cœlos assumpta, & peractis sacrorum officiis, parentatisque, ad proprium Spinense cœnobium translatus; adhuc virtutibus vacans, in Domino quieuit VII. Februarij. Eius sacrum Corpus apud Spinense Cœnobium adseruatum, debito Confessoris cultu veneratur.

Moritur.

Hucusque Acta. In his nonnulla probanda veniunt (explosis de Aduentu in Hispaniam, instante *Sanctia* Alphonsi Imperatoris sorore, NIVARDI, & Spinensis constructionis comprobationibus; nam hæc communia sunt) quæ in dubium reuocat D. Episcop. Pacens. Manrrique *in Annal. Cistercienſ. tom.* 1. *Ann.* 1127. *c.* 6. *n.* 7. & fit primum: *Quod* NIVARDVS *post Spinensis Cœnobij fundationem, Hispania Claram Vallem rediit, & fratri Bernardo de Sanctia fundatricis deuotione monuisset*, vt Epistolæ indicant verba: *Nam & frater* NIVARDVS (ait) *qui multum gratulatur de vobis, satis in hoc de vobis confidere monuit.* Ex quibus elicit discessum ex Hispania NIVARDI, quia *verba hac* (inquit Manrrique) *magis sonant ab ore narrantis hausta, adeòque reducis à fundatione, quam literis mandata.* Sed tanti Magistri venia, à vera Spinensis Cœnobij traditione deuiauit, cuius apud Monachos tanta est canities, quòd illinc perseuerauerit NIVARDVS, vt nihil tàm antiquius possit desiderari. Nec traditioni obstant verba Bernardi, in quibus haud aliquid de discessu NIVARDI excogitari potuit, quia verba *gratulatur de vobis*; & sequentia *de vobis confidere monuit*, tàm præsentem, quàm absentem respiciunt. Nam *de aliquo gratulari*, seu *de aliquo confidere per monitionem*, non important præsentiam, imò per epistolam aut nuntium expleri posse, nemo est qui dubitet. Ergo stante traditione peruetusta Cœnobij, & illi haud aduersante epistolâ Bernardi; vt quid coniectationi *Manrrique* adherebimus, conculcata auctoritate traditionis, nec renitentibus Bernardi verbis in epistola prolatis?

An repedarit Claram-Vallem?

An Corpus Niuardi in Clara-Valle?

SECVNDVM desumimus ex *Annal. tom.* 1. *Ann.* 1138. *c.* 5. *n.* 6. quo contendit idem Doctissimus Episcopus probare, *Corpus B.* NIVARDI *non apud Hispanos in Spinæ cœnobio, sed apud Claræuallis Monasterium, tumulatum, & conditum fuisse.* Quod vt probet, tabellam marmori appensam in Clara-Vallensi Ecclesia, producit huiusmodi: *Sub isto ædificio, quod est contra Ecclesiam, in cœmeterio Abbatum, columnis lapideis, & arcubus fabricato, in dextera parte præsentis sarcophagi continentur ossa felicis recordationis* fratrum Germanorum Patris Nostri Bernardi, *necnon Galdrici de Tullione auunculi ipsius, qui spretis nobilitate generis, & potentia seculari, quibus plurimum eminebant, ac Monachi facti, Claram-Vallem in suo sanguine fundauerunt, & Monachalis perfectionis exemplar suis posteris reliquerunt.* En inquit Manrrique ex tabellæ inscriptione omnium fratrum germanorum Bernardi lipsana in illo Claræ-Vallis cœmeterij Abbatum Sarcophago condita; ergo & NIVARDI. Cui obiectationi facilis est responsio: Nã licet fratrum germanorũ sancti Abbatis corpora ibidem adseruari manifestet tabella; hoc non de omnibus credendũ est omnino, alias *Firmitas*, quæ exuuiis B. BARTHOLOMÆI Bernardi fratris germani decoratur; vt referũt Brito *lib.* 4. *c.* 8. Montaluo *lib.* 1. *c.* 13. Enrriq. in Menol. *die IX. Decẽbr.* & ipse Henr. *d. Ann.* 1138. *c.* 5. *n.* 6. *& ann.* 1144. *c.* 5. *n.* 1. Et Pòtigniacũ, quod GVIDONIS, itẽ fratris germani B. Bernardi glebis illustratur, vt probat idem

Bartholomaeus frater Bernardi vbi quiescat.

idem D. Episcop. *Ann.* 1136. *c.* 3. *n.* 1. tantis Sanctorum lipsanis defraudabitur: quod non est credendum. Si ergo iam (ex ipso Manrrique) duo fratrum Corpora ab illo abesse cœmeterio cognoscimus, iam non omnia vniuersaliter ibidem quiescere fatebimur; si non Omnia, ergo tabellæ inscriptio deficit, & ex illius ecphrasi dubie Doctissimus Præsul suam opinionem confirmat. Abhinc elicies traditioni Spinensis Cœnobij, quo recondita B. NIVARDI pignora proclamat, potius quam tergiuersationibus *Manrrique* deferendum esse. Cui fauent Montaluus his verbis. *Ex hac domo* Claræ Vallis *venit in Hispaniam* S. NIVARDVS *frater P. N. minor natu, fundator, & primus Abbas* Spinæ, *quod est Cœnobium* Castellæ, *non procul ab vrbe* Vallis-Oletanæ, *vbi quiescit corpus illius.* & Enrriq. in Monol. Cisterciens. *h. d. n.* 2. Cætera in ipsis Cisterciensium Scriptoribus lectitabis. *Vbi Guido alius frater.*

SEXTO
IDVS FEBRVAR.
DIES VIII.

A *Apud Iaccam Hispaniæ Citerioris vrbem* S. PAVLI *ipsius Episcopi, qui Romam cum Lucio, & Cyriaco socijs ad visenda Martyrum ergastula pergens, illa deuotis precibus adorauit, at Decij Imperatoris cum persecutionis sæuitia in Christi asseclas diuagaretur ibidem, à satellitibus comprehensus, perpessis multis cruciatibus, tandem cum socijs martyrium compleuit.*

B *In Armenia Minori* S. SEBASTIANI *Militis Italicæ vrbis in Hispania Vlteriori accolæ, qui eodem Decio imperante illuc cum alijs militibus perductus, & Christianus inuentus, dimisso baltheo, & proiecto cingulo cum Dionysio, & Æmyliano Commilitonibus gladio iugulatus, ad gloriam Agonistæ peruenit.*

NOTÆ.

A SANCTVS PAVLVS Episcopus, & Socij Martyres.] In Antiquis Martyrologiis tàm M S. quàm editis istorum Sanctorum memoria perseuerat, vt referunt *Galesinius,* & *Baronius in not. ad hunc diem*; Quibus addendi *Peregrinis, Molanus,* & *Felicius*, cæterique recentiores, apud quos PAVLVS titulo Episcopi recensetur. Quale fuerit *Baronij* intentum, vt in reformatione Martyrologij Romani Sanctum priuarit hoc *Baronius Paulum ti-*

tulo Episcopo probat: At quo? hoc titulo, me latet. Quod indubie affirmare possumus, illud est, in omnibus inueniri antiquis Martyrologij B. PAVLVM Præsulatus infula, vt ex superius relatis (excepto Romano) liquet. At cuius fuerit Ecclesiæ Pontifex nemo profert. Fuisse *Iaccetanum* in Hispaniæ *Vasconibus* descripsit,& detexit Luitprand. *in Chron. n.* 14. in hæc verba: *Memoria est* S. PAVLI *Episcopi* IACCETANI, *qui Romam dum visitat cum aliis duobus, sub Decio martyrium patitur VI. Idus Februarij.* En ex *Luitprando* passionis tempus, quod ignorauit *Baronius*: En *Præsulatus* sedes, quam nondum agnouere *Galesinius,Molanus,Felicius*, & recentiores. En denique Prouinciæ origo, quam hactenus ignorauere Nostri. De eo Thom. Tamayo *in Not. ad Luitprand. fol.* 34. qui præter nomen & Rom. Martyrol. elogium nihil aliud profert. Eorum Acta Martyrum penitus delituere, sicut vsque nunc & Episcopatus titulus PAVLI, & trium sociorum patria. Illa breuiter compilabimus, vt instituti formulam impleamus.

Cuius Ecclesiæ Præsul?

Acta & Scriptores.

ACTA SS. PAVLI EPISCOPI Jaccetani, & Lucij, Cyriacique Martyrum ex Luitprando, & aliis.

Origo. PAVLVS natione Hispanus ex Vasconum ad Pyrenei iuga Iberiæ prouincia, fidem Christi amplexatus, sic vitam virtutum cumulis texuit, vt ad Iaccensem Præsulatus sedem laudabili propensione conscenderit. Cùm ergo in ouium directione aliquot tẽporis tereret, ad visitanda Romæ sacra Martyrum, Apostolorumque limina, ascitis secum Lucio, & Cyriaco Sociis, & vt creditur ministris, vrbem perrexit. Ibidem per aliquot dies persistens Sanctorum inuisit certamina Martyrum. Nam feruescente Decij Imperatoris persecutionis procella, qua Christi asseclæ per dira cruciatuum tormenta passim coronabantur vbique; illorum in vrbe flagra inspectabatur exæstuans. At à Satellitum manu tentus, Christianus agnitus, & Episcopus comprobatus, protinus cum ministris Sociis in ergastulum coniectus, communis passionis, fame, fœtore, & opprobriis pabulum est mira humilitate cordis expertus. Demùm cùm à fide desistere, & à Christo discedere haud auelli non pateretur, ad martyrij palmam cum Sanctissimis Sociis feriente mucrone peruenit, VIII. die Februarij circa Annum Domini CC. LI.

Romam pergit.

Comprehenditur.

Coronatur.

Decij in Christianos persecutionem ad hunc annum dinumerat Onuphr. Panuin. *in Chronicon*, & alij, ideo illius sum temporis rationem amplexus. Quid aliud adnotem non inuenio, ideo ad Episcoporum Iaccensium antiquam seriem deuenio.

Episcopi antiquiores.

CATALOGVS EPISCOPORVM Iaccensium Antiquorum ex Variis Scriptoribus.

I.	S. PAVLVS I. Episcopus Iaccetanus, qui ob Christi nomen Romæ cum Cyriaco, & Lucio martyrium pertulit Anno CC. LI.	251
II.	Ferreolus Episcopus Iaccetanus II. post ereptam à Sarracenis vrbem Ann. DCCC. III.	803
III.	Ennecus Episcopus Iaccetanus III. Anno DCCC. XL.	840
IV.	Mantius Episcopus Iaccetanus IV. Anno DCCC. LXXX.	880
V.	Fortunius Episcopus Iaccetanus V. Anno DCCC LXXXIX.	889

VI. Orilius

VI. Orilius Episcopus Iaccetanus VI. Anno DCCCXXXIV. 934.
VII. Degius Episcopus Iaccetanus VII. Anno DCCCC.LXXI. 971.
VIII. Mantius II. Episcopus Iaccetanus VIII. Anno M. XXII. 1022.
IX. Sanctius Episcopus Iaccetanus IX. Anno M. LXXV. 1075.

Huius tempore celebrata fuit Synodus Iaccetana, de qua est mentio apud Baron. *Ann.* 1060. *n.*29. *tom.* 11. P. Marian. *lib.* 19. *c.* 5. & ferè apud omnes Scriptores Aragoniæ.

X. Garsias, seu & alij, Gonsaluus Episcopus Iaccetanus X. An. M. LXXX. 1080.
XI. Stephanus Episcopus Iaccetanus XI. Anno M. LXXXIX. 1089.
XII. Petrus Episcopus Iaccetanus XII. Anno M. XCVI. 1096.

Huius æuo OSCA Ciuitas à Maurorum iugo erepta, Sedes Iaccetana, ad Oscam translata est. Ideo de cætero Oscenses Episcopi dicti, & Iaccetani successores finem Catalogo Iaccensium imponunt.

Postmodum instante Philippo II. Hispaniarum Rege Catholico S. D. Pius PP. V. restituit Iaccensibus Episcopum, & Cathedralem Ecclesiam die XVIII. Iunij Anno M. D. LXXI. Cui præfuit primo D. Petrus del Frago; cuius successores suo loco, hoc est die Dedicationis ipsius Ecclesiæ, XVIII. Iunij consignauimus. *Situs.*

IACCA, Vrbs in Citeriori Hispania peruetusta, de qua Ptolom. *lib.* 2. *Geograph. Tab.* 2. *c.* 6. his verbis: *Post Vuascones*: & *Ciuitates mediterraneæ Curnoninum*, IACCA, *Gracurris.* Illam patriam, *Indibilis*, & *Mandonij* Pœnorum Ducum, ex T. Liu. *lib.* 34. fuisse, D. Ioann. Briz Martinez *Hist. S. Ioann. Pinatens. lib.* 1. *c.* 22. sic scriptum reliquit: IACCA, *quæ antiquitus fuit* Laccetanorum *caput*, *& vt suspicatur* Blancas *satis firmiter, primam in hisce populis literam fuisse mutatam*, *nam* Iaccetani *vocandi sunt*, *& non* Laccetani. *Hæc ciuitas ad Pyrenei iuga*, *nulli inferior in antiquitate iacet*: *Patria fuit* Indibilis, *&* Mandonij *fratrum. Eius deditio tempore Romanorum* Catonem *nobilitauit.* Istius vrbis topographiam descripsit Florian. de Ocamp. *lib* 1. *Hist. Hisp. c.* 18. Cuius verba aliò dabimus, vbi alia ad antiquitatem eius pertinentia assuemus.

B SS. SEBASTIANVS & Socij Martyres.] Apud Nostros Hispaniæ Scriptores anceps in consignatione festiuitatum horum Martyrum tautologia fuit. Aliqui cum SEBASTIANO à *Victore Photino* conuerso ad fidem, cuius dies fastus *XX. Martij*, confundunt. Alij in totum illos reiiciunt. Roder. Car. in *Chorograph. Hispal. Conuent. lib.* 3. *c.* 13. *fol.* 106. vnicum tantùm SEBASTIANVM agnoscit, motus *Iuliani* Archipresbyteri Toletani corruptâ editione, vbi glosemma commenti simile interseritur; in Aduersar. *n.* 188. hac periodo: SEBASTIANVS [quem Victor conuertit] *Italicæ in Bætica factus Christianus, post Martyrium passus est cùm aliis. VIII. Februarj.* In MSS. aliquot quos viderim, & præcipue in *Higuerensi* notis illustrato apud *D.D. Laurentium Ramirez*, sic legitur: SEBASTIANVS *Leg. Vict. miles Italicæ in Bætica factus Christianus*, *Armeniæ post martyrium passus est cum aliis VIII. Februarij.* Quæ lectio geniuna est. Nam amanuensis, qui in editis aduersariis hanc clausulam exscripsit, loco *Leg. Vict.* reposuit: *Quem Victor conuertit*, addito hoc verbo vt sensum perficeret: Cum legendum sit: *Legionis Victricis Miles*: Itidem verbum *Armeniæ* omisit. Ab hinc colliges Martyrem istum longè diuersum fuisse ab illo, de quo die XX. *Martij* Acta compilabimus; licet P. Quintana-Duennas *in Hist. SS. Hispalens. fol.* 220. illos tali perplexitate confundat, vt omisso, in *Iuliani* ecphrasi, die *VIII. Februarij*, in hoc Nostro SEBASTIANO, illum cum alio, die *XX. Martij*, sine examine coniungat, & de Duobus Martyribus, Vnum faciat. Quibus sic notatis ad Acta deuenio, quæ *Iulianus* correctus, & Carmen *Auli Hali* mei suppeditauere:

Confusio Scriptorum circa hunc Sebastianum Martyrem.

Glosemma in Iuliano reiicitur.

Corrigitur.

Error à quibus?

ACTA SS. SEBASTIANI, DIONYSII & Æmyliani Militum, & Martyrum, ex Variis.

Origo, & militia.

SEBASTIANVS, DIONYSIVS, & ÆMYLIANVS ex antiqua Bæticæ vrbe, cognomento Italica originem traxere, qui cùm ad iuuentutis florem peruenissent, nomina militiæ Romanæ sub Italicæ Cohortis signaculo, strenui milites dedere. Hoc tempore Decius imperium Romanum per Philippoium cædem cruentam arripiens, in Christi asseclas diram persecutionis stragem protinus edere cœpit. Quod vt in Occidentalibus Orbis circulis acrius perficeretur, Censorem creauit Valerianum, cui omnis fere Cæsarum auctoritas est absque diminutione commissa. Ille vero comparato exercitu bellum aduersus Persas indixit; ita quod præcipuæ Legiones in huiusce rei euentu destinarentur. In hocce Persicum bellum Italicæ Legionis Victricis milites descripti perrexerunt, vbi SEBASTIANVS, & Socij, vt Principis mandata complerent, etiam exercituum vestigia subsequentes Armeniam cum cæteris peruenerunt. Illinc Christiani cogniti, iussu Imperatoris in carcerem coniecti sunt. Quos, vt Idolis litarent, compellere decreuit Principis immanitas, primò blanditiis, & promissionibus, post cruciatibus, & verberibus: At cùm istæc rigoris, & amoris instantia repeteretur, nec in ipsorum cordibus Christi confessio aliqua ex parte diminuta patesceret; quin potius maiore strenuitatis robore sacrati Milites acti, proiectis militiæ cingulis, fidem eleuatis vocibus exaltantes, ad vitæ æternæ per temporalem mortem, beatitudinem anhelabant. Omnia diuina ad amussim illis Prouidentia contulit: Nam cognita Martyrum constantia, Decius illos capitibus damnatos, Satellitibus dimisit, qui protinus Sanctissimos pugiles, mucrone feriente peremere; quorum vulnere ipsi ad martyrij coronam Agonistæ peruenerunt æternam VI. Iduum Februarij Anno Domini CC. LII.

Legio Victrix Italica aduersus Persas destinatur.

Comprehenduntur.

Coronatur.

En Acta. Circa quorum exornationem, primo notandum est, quod citra in prolegomeno huius Notulæ dicta, circa diuersitatem huius S. Martyris SEBASTIANI, ab illo de quo *die XX. Martij*, sciendum est: Istum apud omnes Martyrologiorum Scriptores scilicet Antiquum Roman. Rusvveidi, item Romana Martyrologia Peregrin. Gregorij XIII. Clementis VIII. & Vrbani VIII. nec non Bedæ, Adonis, Vsuardi, Notkeri, Maurolyci, Felicij, & Petri de Natal. Catal. Sanct. *lib.* 11. *c. fin. n.* 53. hoc die in Armenia, alterum Romæ die *XX. Martij*. Istum cum *Æmyliano*, & *Dionysio*; alterum cum *Victore*, & aliis passos fatentur. Ex quibus diuersitatem elicies.

Scriptores.

AT licet tantis deferre testimoniis non liceat, attamen venerandæ antiquitatis mnemosynon haud despicies. En inter *Auli Hali* mei carmina omnium Actorum anamnesin, vt & *Iuliano* credas, & istorum Martyrum actiones ediscas.

PRO

PRO SS. MARTYRIBVS SEBASTIANIS ITALICIS.

Dodecastichon.

ITALICA ô felix! quam plures habere SEBASTOS
Tunc meruisse pares prisca Kalenda docet.
Alter & vrbis amans oras, peruenit ad Aras:
Alter in Armeniæ finibus arma capit.
Ille coronatus victor cum Victore palmam
Arripit; atque iste Martyr amœnat agrum.
Dux ille; hic Miles, sic castra relinquitis Ambo,
Hastile vtque ille proijcit; iste Zonam.
Ille Neronis ita est confossus diro mucronis
Vulnere, quod pellis sarcina rupta ruat,
Isteque post, Decio regnanti, iugula præbet
Tortori sæuo, Vernulis hospitibus.

Cætera, quæ in Actis continentur communia sunt; Nam de Bello Persico consulendus Baron. *Annal. Eccles. tom. 2. Ann.* 253. *fol.* 451. in editione Romana.

De ITALICA vrbe nonnulla scripsimus die II. huius Mensis, cùm de *S. Cornelio Centurione* egimus, alia suis locis subiiciemus.

ARMENIA Minor, vbi stadium agonum Nostrorum Martyrum, à *Maiori* in Occasum recedit, Euphrate intercedente; aliquando cum Cappodocia, & Persia confusa, exquo PERSA-RMENIA dicta. Vrbes celebriores NICOPOLIS, AZA, SAZVLA, SEBASTE, MELITE, COMANA, fuere; quæ licet nominibus immutatis, hucusque florent. Capitolin. *in Antonini hist. Rom.* refert ab ipso fuisse subactam Imperatore, hisce verbis: *Gestæ sunt res in* ARMENIA *prosperè per Statium Priscum, Artaxatis captus, delatumquè* ARMENIACI *nomen vtrique Principum, quod Marcus(* Antoninus *) primo recusauit per verecundiam, postea tamen recepit.* Imò non tantum nomen, sed numismatibus insculpi ARMENIAM captam iussit, vt illo apud Hamill. *tab.* 29. D. A. August. *Dialog.* 3. *n.* 18. *Armenia diuisio.*

Qui plura de situ, antiquitate, populis, regionibus, Regibus, Dynastis, & moribus huius Prouinciæ desiderat, adeat Cosmographos, & alios Geographicarum rerum Scriptores.

QVINTO IDVS FEBRVAR.

DIES IX.

A *Egaræ in Hiſpania Citeriori* S. Nebridii *ipſius vrbis Epiſcopi: qui frater germanus SS. Iuſtiniani Valentinæ, Iuſti Vrgellitanæ, & Elpidij Lugdunenſis in Gallia ſedium Pontificum, primò Biguerrenſem in Aquitania cathedram aſcenderat; qua exciſa Egarenſis infulas induit, Vir literis, & ſanctitate conſpicuus, cuius elogium vnà cum fratrum recordatione concinnauit B. Iſidorus, plenus dierum ac virtutum Confeſſor inclytus obdormiuit in Domino.*

NOTÆ.

A SANCTVS NEBRIDIVS Epiſcopus, & Confeſſor.] Ipſius anamneſis deficit in Noſtris, & exteris ſcriptoribus, licet nullus eius Acta compaginet. Quid de illo ſcriptum reperero in publicum afferam, eius encomia apud multos diſperſa, vno contextu ſedulus offeram. Diem tranſitus nobis ſuppeditauit Martyrologium Hiſpanum MS. Hieron Roman de la Higuera h. d. ſic: *En* Gea de los Caualleros *cerca de Caragoza de Aragon* S. Nebridio, *Obiſpo que fue de Agde en Francia, y deſpues de* Gea, *hermano de los Santos Obiſpos Iuſtiniano, Iuſto, y Elpidio de los quales ay memoria en S. Iſidoro; fue gran Prelado, docto, y ſancto, y deſcanſo en el Señor à IX. de Febrero del Año de D. XLV.* Quæ latinè ſic ſonant. *Egara prope Cæſarauguſtam Aragoniæ* S. Nebridivs, *qui fuit Epiſcopus Agathenſis in Gallia, poſt Egarenſis, frater SS. Epiſcoporum Iuſtiniani, Iuſti, & Elpidij, quorum meminit S. Iſidorus; fuit Prælatus inſignis, doctus, & Sanctus, quieuit in Domino, V. Idus Februarij, Anno D. XLV.* In alio Codice MS. in quo per Alphabeti ordinem continentur ſummatim Acta Sanctorum Hiſpanorum, literis peruetuſtis exarato, cuius originale auctographum beneficio *RR. P. M. Fr. Thomæ de Herrera* accepi, hæc referuntur verba: *Iſidorus Noſter à quo Spanhemenſis agit de quatuor SS. Epiſcopis Hiſpanis, quorum nomina ſunt hæc:* Nebridivs, *qui fuit natu maior, aliquos Epiſcopatus in Gallia, & Hiſpania accepit, vt in Conciliis videre eſt. Eius memoria colitur V. Idus Februarij, qui ad Annum D. XLV. pertigit, ſed non exceſſit.* Quo cognito ad elogia veniamus. Præſtet primò ſymbolum *B. Iſidorus* Hiſpaniæ noſtræ lumen de *Script. Eccleſ. n.* 21. poſtquam de Iuſtiniano, & Iuſto verba fecerat, ſic proſequitur: *Huius quoque frater* Nebridivs, *& Elpidius quædam ſcripſiſſe feruntur, è quibus quia*

Dies Natalis.

Elogia.

quia incogniti sumus, magis reticenda fatemur. Ausbert. Myræus *in Schol. ad hunc locum fol.*87. adiecit: *Circa Annum Christi D.XXXV. floruerunt in Hispania fratres germani quatuor, sapientia opinione, & Episcopatus honore nobiles:* NEBRIDIVS *Agathensis Præsul in Gallia Gothica vixit.* Loayla *Egarensem* Episcopum vocat, Iulian. Petr. *in Chron n.* 274. itidem *Egarensem* Antistitem nominat. Post quos de eo videndi Trithem. *de Script. Eccles. fol.*140. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.* 540. Ambros. Moral. *lib.* 11. *c.*49. Alphons. Vener. *Enchir. Tempor. fol.*142. Petr. Anton. Beut. *lib.* 1. *c.* 27. Anton. Vincent. Domenec *Hist. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 51. *col.* 3. P. Marian. *lib.* 5. *c.* 7. Padill. *hist. Eccles. cent.* 6. *c.* 22. *tom.* 2. *fol.* 51. Garibay in *Comp. histor. lib.* 8. *c.* 16. Mariet. *hist. SS. Hispan. lib.* 5. *c.* 13. Baron. *tom.* 7. *Ann.* 548. Escolan. *Hist. Valent. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 9. *n.* 6. *fol.* 288. P. Diago in *Annal. Valent. lib.* 5. *c.* 4. *& lib.* 1. *hist. Comit. Barcinonens. c.* 18. Gualter. in *Chronograph. secul.* 6. *fol.* 484. & alij plurimi quorum nomina longum erit recensere: ex quibus omnibus hoc struemus elogium.

ACTA S. NEBRIDII BIGERRENSIS in Gallia & Egarensis in Hispania Episcopi Confessoris, ex Variis.

NEBRIDIVS ex Citeriori Prouincia Hispaniæ ortus, patres habuit Catholicos, qui ex eorum coniugio quatuor cum NEBRIDIO liberos procrearunt, scientia, virtute, & sanctitate conspicuos, quos procedente sęculo insignes Præsules Gallia, & Hispania pariter conspexere. Omnium natu maior fuit *Nebridius*, qui liberalibus studiis deditus, tantam in scholis doctrinæ copiam imbuit, vt sui temporis doctissimos præcelleret Magistros. Ad literaturæ gradus cùm postmodum temporum destinatione conscenderet, in patriam redux, sic literis operam dedit, ita virtutum cumulos coaceruauit, vt eius sanctimoniæ, & doctrinæ opinione cognita, Galli Gothici ad Bigerrensis fastigium Ecclesiæ Pontificatus infulis sublimarint. Ibidem & si præ modestia inuitus, sedem adeptus, prudenter, religiose, & humiliter se gessit; ouium incursibus sic se præbuit vigil, vt non solùm opus faceret Euangelistæ, sed etiam Pastoris munus optimi explere, toto cordis conatu, cuperet, animam pro grege sibi commisso ponere nec dubitaret. Eius in Gallia summa auctoritas cùm fuerit, & in populis eximia facinorum illustrium fama, euenit, vt inter Clodouæum Franciæ, & Alaricum Hispaniæ Reges dissensio exoriretur cruenta; cuius occasione vterque Princeps ad arma confugiens, armato milite vnusquisque Prouinciam impleuit. Congressus palæstra, saltus Aquitanicus designatur; Bigerrensis Ciuitas conuicina castris vtriusque conspicitur, militum aut incursionibus, aut contiguitate compressa, vltimum depopulationis terminum experta, Ciuium, accolarumque diffugium minutatim agnouit. Quod vt inspexit S. Pontifex in patriam repetens Egarensem vrbem incoluit, cuius Episcopus, aut morte subtractus, aut senio confectus, functiones adhuc Episcopales agere non comperitur; nam Ministri titulo NEBRIDIVS in Actis Episcopalibus inuenitur solummodo. Quia contracto Concilio Tarraconensi, VIII. Idus Nouembris Era D. LIV. Anno Domini D. XVI. regnante Theodorico Amalarici Gothorum Regis tutore, illi interfuit, & subscripsit, tanquam Ecclesiæ Egarensis Minister, vt indicat subscriptionis formula. Ast anno insequenti congregata iterum Synodus Gerundensis fuit, cui B. NEBRIDIVS solo Episcopi vocabulo interfuit, absque aliqua Sedis adsignatione, donec

Origo. *Natu maior.* *Episcopus Bigerrensis.* *Dissensio inter Reges Hispaniæ, & Galliæ.* *Ministrat in Egarensi Episcopatu.* *Interfuit Cõcilio Tarraconensi.* *Gerundẽsi.*

Toletano II. donec XVII. die Maij Anno D. XXVII. indictum fuit Concilium Toletanum II. quod B. Pontifex Montanus Amalarici Regis permissione, pro cleri, & populi Christiani reformatione congregauerat; sed cum dissoluto Concilio NEBRIDIVS, & eius frater Iustus Vrgellitanus Toletum conuenissent, à Montano de Actis synodalibus edocti, illi nihilominus eadem confirmarunt, tunc plenè Egarensis Sedis Episcopi titulo. *Episcopus Egarensis.* Ergo B. Vir his bonis operibus, & doctrinæ spiritu plebem instruens Catholicam, talem de se omnibus præbuit sanctitatis odorem, vt transactis aliquot annis, eius suffragantibus meritis, è viuis sublato Episcopo Barcinonensi, ad illius Cathedram vrbis Præsul inclytus translatus est. *Episcopus Barcinonensis.* Illo igitur sedem istam moderante, Sergius Tarraconensis Ecclesiæ Episcopus, & Prouinciæ Metropolita alteram apud Barcinonem Synodum congregauit, Anno Domini D. XL. qua decem canones sunt decreti, vbi B. Vir in ipsis proponendis, & ordinandis, singulari qua præditus doctrina erat, mirum in modum laborauit. *Ordines Canones Cōcily Barcinonensis.* Post modum magnis virtutibus fulgens, tanquam lucerna in candelabro posita, exemplum se bonorum operum exhibebat. *Virtutes.* Dei autem cultus, & honoris zelo exæstuans, animarum quoque saluti consulere cupiens, omnia suæ diœcesis oppida pedester lustrauit, mores corripuit, desidia sedauit, & in Ecclesiis ministros, qui diuinis laudibus incumberent, constituit. Demum cùm miris enituisset facinoribus, & tanta cum omnibus fuisset vi s humilitate, & in egenos, & famelicos charitate, vt ab omnibus diligeretur, & singulis, vnde breui sanctitudinis eius odor vniuersam prouinciam illam replens, omnes ad eius merita laudanda, ac beneficia per eum recipienda perduxerit, in grauem incidit morbum, quo ingrauescente, cùm iam vitæ terminum pro illo interpellare prænosceret, Sanctis Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis vallatus, post multa virtutum opera, & miraculorum insignia, peracto bono certamine, & cursu felici consummato, vitam in terris Angelicam viuens, & mentem in cœlo semper adfixam habens, pretiosissimam tandem Creatori suo animam reddidit, *Moritur.* quam ipse Dominus inter cœlestium Spirituum tripudiantes choros in Sedibus conlocauit æternis, IX. die Februarij, Anno Domini D. XL. V.

Hactenus Acta, à me in subsidium extensa; quorum periodos elucidare constituens, de *Patria* cùm non ambigatur, ad Sedes Episcopales (in quo est dissensio) quas inlustrasse dicitur, calamum conuertamus. Ioann. Vass. *in Chron. d. Ann.* 540. contendit fuisse AGRAGENSEM *Episcopum*, quem sequutus Garibay. *d. lib.* 8. *c.* 6. situm istius vrbis consignat, dicens: NEBRIDIVS, *qui fuit Episcopus* AGRAGENSIS, *cuius sedes* (*vt aliqui aiunt*) *fuit Episcopalis in Africa.* *Perperam Episcopus in Africa.* Ambrosius Moral *d. lib.* 11. *c.* 49. non nisi AGATHENSEM in Gallia Gothica somniat; *Opinio aliarum Sediū reucitur.* cui adhærent P. Marian. *d. lib.* 5. *c.* 7. hac clausula: NEBRIDIVS *Præsul* AGATHENSIS *in Gallia Gothica vixit.* & P. Higuera in citato *Martyrol. Hispan.* supra. P. F Ioann. Mariet. *d. lib.* 5. *c.* 13. AGENNENSIS Ecclesiæ Antistem suspicatur, sic: NEBRIDIVS *eorum frater fuit Episcopus* AGENNENSIS, *quæ est Ciuitas in Gallia, Guianensis Prouinciæ.* Stephan. Garibay *d. c.* 16. suum agnoscens errorem, Consonantia literarum allectus, in maiorem incidens, AGABRENSEM Pontificem fuisse concludens. *Sed vt alij præsumunt* AGABRIENSIS *vocandus est, nam hæc est* Bæticæ *ciuitas vulgo* CABRA, *quæ illo æuo sedes erat Episcopalis.* dixit. O Deus bone! in quantas itum est sententias.

At tantorum Scriptorum pace, nec AGRAGENSIS, aut AGATHENSIS, nec AGENNENSIS, imò nec AGABRIENSIS Episcopus fuit NEBRIDIVS. *Non fuit Agabriēsis.* De AGRAGENSI patet, quia nullibi in Conciliis Hispanicis aliquando vllum Africanum Episcopum interfuisse comperies, ideo non est credendum, in Nostro

vsus

vsus communis normam præpostere defecisse. Quod AGATHENSIS non fuerit, nec AGENNENSIS, liquet, quia lectionibus istis inficias eunt subscriptiones B. Præsulis in Conciliis Tarraconensi, & Toletano II. exaratæ, vbi in primo clarè EGARENSIS Minister, in secundo EGARENSIS plane, & aperte Episcopus inuenitur. Quod ad AGABRIENSEM attinet lectionem à *Garibayo* excogitatam, procul dubio à vera sedis denominatione Historiographus iste recessit; EGABRVM, aut ÆGABRVM legi huius vrbis vocabulum constat, ex diuisione Episcopatuum à Loaysa excripta *in Not. ad Concil. apud Luc. fol.* 157. licet in Cod. Gregor. AGABRIENSIS scribatur, sed corruptè, cùm Gratian. 16. *q.* 3. *c. Primà actione*, Morales, Mariana, & omnes Scriptores, & Geographi ÆGABRVM, aut EGABRVM scriptitant, non AGABRVM. Ab hinc perpendes veram NEBRIDII sedem EGARENSEM fuisse; pro qua stant Iulian. Archipresb. Toletan. *in Chron. n.* 274. dum inquit: S. NEBRIDIVS *Pontifex* EGARENSIS *in Hispania*. Padill. *d. Cent.* 6. *tom.* 2. *c.* 22. Escolan. *d. lib.* 2. *c.* 29. *n.* 6. Diagus *d. lib.* 5. *c.* 4. Qui omnes primam S. Præsulis Ecclesiam fuisse BIGERRENSEM in Gallia fatentur: Quam ob bellorum inter Alaricum Gothorum, & Clodoueum Francorum Reges exortas procellas, destructa, & depopulata vrbe, & prouincia, dimisit, & in EGARENSEM vrbem Hispaniæ Episcopalem secedens, ipsius Ministri titulo appellatus, regimen diœcesis acceptauit: Ad cuius postea fastigium adscitus, *populos* (inquit Diagus) *pauit doctrinis*.

Nec Agennensis. *Nec Agathensis.* *Fuit Bigerrensis.* *Fuit Egarensis.*

ILLVD duntaxat discutiendum venit, qua ratione NEBRIDIVM Episcopum egimus BARCINONENSEM, cùm nullus ex antiquis, & recentioribus, tale quid somniauerit. Cui argumento faciemus satis, si tempora, & Conciliorum Hispaniæ subscriptiones expendamus. Nulli dubium est congregatam fuisse Synodum Barcinonensem, impulsore Sergio Tarraconensi Metropolita, Era D. LXX. VIII. quæ fuit, Ann. Dom. DXL. In eadē Episcopus BARCINONENSIS inuenitur NEBRIDIVS; nullus illo seculo illius erat nominis Episcopus in Hispania, ergo credendum est NEBRIDIVM nostrum EGARENSEM ab hac ad BARCINONENSEM fuisse translatum Ecclesiam. Non obstat P. Diag. *Hist. Comit. Barcinon. lib.* 2. *c.* 17. in fine, computatio annorum, qua NEBRIDIVM Barcinonensem reiicit ad Annum DC. XXX. vel circiter, assignans Borrellum, post Emilam, post NEBRIDIVM, demùm Eusebium Episcopos sedis illius: Quia in hoc, temporum rationem inuertens, de suo annos luxauit loco, vt constat ex Loaysæ Conciliorum Hispaniæ compilatione *fol.* 94. vbi Concilium Barcinonense, cui interfuit NEBRIDIVS, congregatum à Sergio Tarraconensi fuisse Episcopo Era D. LXXVIII. quæ in Annum Domini D. XL. sonat, fatetur: Quod & amplius probatur, nam in Synodo Ilerdensi coadunata Era D. LXXXIV. id est annus Domini D. XLVI. confirmat *Taurus Egarensis*; & *Paternus Barcinonensis*, vt patet ex eodem Loaysa *fol.* 101. vbi subscriptionibus Episcoporum ibidem adsistentium Notulas effingente, concludit: *Paternus succedit* NEBRIDIO *Barcinonensi*, ergo perperam *Eusebium* successorem NEBRIDIO extitisse contendit. Ex his omnibus liquet, obseruata hac temporum ratione, NEBRIDIVM fuisse Episcopum BIGERRENSIS in Gallia Ecclesiæ, & vrbis, quâ destructâ, EGARENSIS Sedem in Hispania percepisse; demum BARCINONENSIS infulas induisse, & clarum virtutibus, & miraculis insignem æternam, accepisse repromissionem.

An fuerit Episcopus Barcinonensis. *Diago respondetur.* *Corroboratur sententia.*

CIRCA diem, mensem, & annum transitus satis liquet fuisse die *IX. Februarij*, Anno Domini D. XLV. quia vt nuper diximus Anno D. XLVI. iam *Taurus* habenas Episcopatus EGARENSIS tenebat; & Anno D. XL. NEBRIDIVS Barcinonensem sedem regebat, & ipso eodem anno D. XLVI. Paternus illi successerat, ergo credendum est illo medio tempore è viuis absumptum. Quibus agnitis ad Catalogum Egarensium Præsulum deuenio, ne Sedes isthæc tantis Pontificibus defraudetur.

Dies, & Annus Transitus.

Episcopi Egarenses.

CATALOGVS EPISCOPORVM
Egarensis Ecclesiæ in Hispania, quorum nomina inueniuntur.

I. S. Leo Episcopus Egarensis I. de quo Luitprand. Aduerſ. n. 72. & 73. de quo, & Nos infra agemus.

II. Irenæus Episcopus Egarensis II. qui Barcinonem Sedem administrauit ad Ann. CCCC. LXIV. ex Diago lib. 1. Comit. c. 18. 464.

III. S. Nebridius Episcopus Egarensis III. interfuit Conciliis Tarraconensi, Ilerdensi, Toletano II. Barcinonensi, Ann. D. XLV. 545.

IV. Taurus Episcopus Egarensis IV. interfuit Concilio Ilerdensi, Anno D. XL. VI. 546.

V. Sophronius Episcopus Egarensis V. interfuit Conciliis Toletano III. Cæsaraugustano, & Barcinonensi II. Ann. D. XC. II. 592.

VI. Ilergius Episcopus Egarensis VI. interfuit Conciliis Barcinonensi III. & Toletano Gundemari, Anno DC. X. 610.

VII. Iustus Episcopus Egarensis VII. interfuit Concilio Egarensi Anno DC. XIV. ex Luitprand. Aduerſ. n. 67. 614.

VIII. Eugenius Episcopus Egarensis VIII. interfuit Concilio Toletano IV. Anno DC. XXXIII. 633.

IX. Vincentius Episcopus Egarensis IX. per Seruandum Vicarium subscripsit Concilio Toletano VIII. Ann. DC. LIII. 653.

X. Ioannes Episcopus Egarensis X. per Samuelem Vicarium interfuit Cōcilio Toletano XIII. & per se Conciliis XV. & XVI. & in alio Toletano Era DCC. XIII. peruenit ad Annum Domini DC. XCII. licet Luitprand. Aduerſ. n. 69. affirmet peruenisse ad Annum DCC. XXXI. 731.

Istius tempore excidium Hispaniæ eueniens, postmodum Egara desiniteſſe Sedes Episcopalis, quæ Barcinonensi Episcopo vnita, sub eius correctione, sine iuris ipsius, præiudicio persistit, vt ex Dig. d. lib. 1. c. 17.

Olim Beseda. Egara, siue Exara sed corruptè, Ciuitas fuit olim Episcopalis in Hispaniæ Laletania, quam dictam Romanorum tempore Besedam affirmat Luitprand. *Aduerſ. n.* 69. qui antea *n.* 68. hæc scribit: *Quam vrbem vocauerunt Gothi corruptè* Egaram, *vocauerunt Latini* Besedam *in Castellanis, cuius meminit Ptolomæus.* Hæc etiam notauerat *n.* 57. & *n.* 65. prosequitur: *Mauri creduntur esse depopulati Ciuitatem* Egaram, *olim Sedem Episcopalem, quæ tempore Gothorum Ciuitas fuit amplissima: Cuius ruinæ in* Laletaniæ *fine, videntur prope ciuitatem* Basem, *& exortum, fontesque fluminis* Clodiani, *sic à nobili Romano* Clodio *vocati. Habet terminos* Bordel, *dictum* Burdus, Palada *nunc* Paladera, Montesam, *Montem Magnum* Tespiadem, *&* Pouelam, *vt nunc nomen habet.* Hanc eandem opinionem sectantur P. Diag. *lib.* 5. *Annal. Valent. c.* 4. *& lib.* 1. *Comit. Barcin. c.* 18. Ieronym. Pujad. *Hist. Cathalon. lib.* 4. *c.* 42. qui non *GEA de los Caualleros* vt somniarunt Loaysa *in Not. ad Concil. apud Luc. fol.* 160. Padil. *in Chronol. Episcop. fol.* 34. Escolan. *lib.* 2. *c.* 9. *n.* 3. & alij Scriptores; sed Terraza oppidum nunc à Barcinone XVI. Mill. dissitum; vt ex rationibus Chronographicis, autographis, & situationibus infra suo loco patebit. *Hodie Terraza.*

QVARTO

QVARTO IDVS FEBRVAR. DIES X.

A *Ad vrbem Palemo, quæ in Cathaloniæ Orientali visitur tractu, natalis* S. SOTHERÆ *Virginis, & Martyris Romanæ, quæ ingrauescente Imperatorum Diocletiani, & Maximiani persecutionis procella, Romam deserens, & Hispaniam pergens, ad Ciuitatem Palemo perueniens, à Satellitibus tenta, & in carcerem inclusa, post cruciatuum certamina, & alapas, demum, vt Christi Sponsi fidem seruaret, gladio cæsa, martyrij & virginitatis palmas virili strenuitate percepit.*

B *Madridij in Monasterio Excalceatorum S. Bernardini Ordinis Seraphici, depositio* B. GVILLIELMI *Eremitæ, qui cum schisma aduersum Innocentium II. Pont. Max. totus viribus fouisset, à S. Bernardo ad Ecclesiæ vnitatem reductus, virtutibus clarus in stabulo Rhodis in territorio Senensi feliciter in Domino quieuit.*

C *In Cænobio S. Michaëlis de Murano apud Venetias* B. EVSEBII *Ordinis Camaldulensis Confessoris, qui ex Hispania oriundus, ibidem ad tale Sanctitatis specimen peruenit, vt per sexdecim dies integros, ante eius obitum, in Dei laudibus, nullo prorsus cibo, aut potu accepto, vitam transegisset, ex qua ad gloriam terrenis vacuus, cælestibus plenus sarcinis, peragrauit æternam.*

NOTÆ.

A SANCTA SOTHERA Virgo, & Martyr.] Huius Sanctissimæ Virginis palæstra variè à Scriptoribus tàm antiquis, quam neothericis consignatur. Bedæ, Vsuardus, Ado, Maurolycus, Galesinius, Equilinus, & alij *in Oriente* agonem consummasse fatentur, sic: *In* Oriente *Sancta* SOTHERIS *Virginis, quæ alapis cæsa, & cruciata, gladio martyrium consummauit.* Eadem Italo idiomate Ioann. Andr. Gillius *de Eccles. Persecut. lib.* 2. *Idololatr.* 6. *fol.* 88. & Constant. Felic. *h. d. in suo Kalend.* His omnibus & aliis *Cardin. Cæs. Baron.* se opponens, in Romano Martyrologio à se correcto, verba *in Oriente* expungens, eorum loco, ista substituit: *Romæ via Appia.* Qua verò auctoritate; ab illo in hanc periodum edisces: *Qui habent passam* in Oriente, *mendum irrepsisse, certum est. Vetus illud exemplum Martyrologij Monasterij* S. Cyriaci *sic habet*: Romæ via Appia S. SOTHERIS Virginis; *assentitur huic lectioni antiquum Martyrologium* Cassinense, *& alia: Roborantur què hæc auctoritate* S. Ambrosij, *qui dùm de ea agit.* in exhortat. ad Virgin. prope fin. lib. 3. Virginib. *Romanam fuisse genere, ortamque Parentibus Consularibus, nec alibi, quam* Romæ *passam significat.* Cui adsertioni adhæsere Oloandr. *in Addit. ad Sur.* Anton. Gallon. *de SS. Virginib. Rom. fol.* 35. & alij Itali, post eum. Sed quàm infirma sint Purpurati scriptoris fundamina, ex sequentibus elicies. Primo, quia plus deferre Martyrologio S. Cyriaci M S. quàm auctoritati Bedæ, Vsuardi, Adonis, & aliorum, quibus assentitur NOTKERUS, potius est omnia Sanctorum Acta subuertere, & corrumpere, quàm eadem corrigere, & emendare. Quis tantùm antiquorum penum amandare proposuit vnquam, & incerta ex MSS. commenta amplexatus est, ni euidens in contrarium veritatis apex elucescat? Secundo, quia *S. Ambrosij* auctoritas haud oppignorata cognoscitur in defensione passionis palæstræ Nostræ S. Virginis, qui duntaxat *Romanam* origine fatetur, non Romanam martyrio: cùm bene potuit euenire, illam & Romæ Consulari prosapia ortam, & Romæ natam, & nutritam, & alibi extra Romam passam, vt passim exempla dignosces. Ergo Cardinalis S. Nerei correctio reiicienda venit, cum potius destructio dicenda sit, quæ falso nititur impulsore. Forte hanc ipsam rationis instantiam speculatus Philipp. Ferrar. *in Topograph. Sacr. verb.* Roma, vbi illius vrbis Martyres consignat, haud quaquam Nostram in illo Catalogo Martyrem appinxit.

Baronij correctio.

Auctoritas B. Ambrosij, circa originem.

Reiicitur Baron. Martyrologiis est insistendum.

S. Ambrosius de origine, non de loco martyrij agit.

Ferrarius exclusit à Roman. Martyribus.

VLTIMO nec in Oriente, nec Romæ passam S. SOTHERAM, sed Hispaniæ in vrbe PALEMO Cathaloniæ in Orientali circulo Galliam versus, fateri compellimur, auctoritate L. Flauij Dextri *in Chron. Ann.* 300. vbi V. GL. sequentia protulit verba: *In* ORIENTALI *Hispaniæ parte, vrbe* PALEMO *Sancta* SOTHERA *Virgo, & Martyr, quæ more seruorum, acceptis in facie alapis, illustre martyrium in Domino impleuit. Quam ad exemplum pudicitiæ adducebat* S. Monica *digna* Augustino *parens. Hæc venit in Hispaniam persecutionis causa, anno Domini CCC. IV.* Non me latet in editis codicibus Dextri legi *peregrinationis causa*, sed perperam, nam in duobus M S. quos videram, *persecutionis causa* inueniri, & melius. quia Romæ tunc sæua Diocletiani, & Maximiani persecutionis pestis serpebat, quam vt diffugeret Virgo, Hispaniam aggredere isthæc monimenta suadent. P. Biuar. *ad Dextr. d. Ann.* 300. *Com.* 1. *n.* 21. *fol.* 333. ad aliud Baronij argumentum quo de Sepultura B. Virginis agens, illam via Appia tumulatam contendit, sicque in titulum Equitij translatam, breuiter, sic respondet: *Corpus successu temporis* Romam (*vt de aliis accidit*) *delatum est; & primùm via* Appia *sepultum* (*quod in causa fuit, vt à nonnullis via* Appia *passa crederetur*) *inde in titulum Equitij translatum.* Ex quibus agnosces quanta præseferat veritatis Chronicon vestigia Dextri,

Hispania patitur.

Scriptores.

Corpus translatum ad Viam Appiam.

tri. Ad Acta deueniens hæc ex meo M S. Legendario additis addendis excribere curaui.

ACTA S. SOTHERÆ VIRGINIS *Romanæ, & Martyris Hispanæ, ex Dextro, & M S. Legendar.*

SOTHERA nobilis Virgo ex maiorum prosapia Consularium Romæ orta dignoscitur, cuius Parentes patritia, & senatoria dignitate condecorati, Præfecturas, & Consulatus in vrbe exercuisse memoriæ proditum est. Ipsa cum esset decora facie valde, maiorem in Spiritus feruore in Dei, proximorumque amore intuitum defigebat, quàm in vanis illis mulierum figmentis, quæ pudicitiam corrumpunt; ex quo sic mundi illecebras, & ætatis ineptias, suadentibus fidei Catholicæ dispositionibus, amandauit, vt status sui elationem, & clarissimi sanguinis vanitatem, vt stercora æstimans, mirâ constantiâ calcaret. Iesu-Christi igitur sponsi ardore exæstuans, illa duntaxat, quæ diuinæ voluntati consona viderentur, corde festiuo, & alacri, licet humili, vultu peragebat. Hisce & aliis in Dei obsequio operibus vitam exercebat, cùm Maximiano Imperatore, in partibus Occidentalibus, præcipue Romæ, vesana excrescebat crudelitas, qua quotidie Christianorum horrida ciuitas intuebatur certamina, & passim immanes demirabatur agones, quorum vix diem sine sanguine inspectaret effuso, vix absque supplicio noctem effera Martyrum tyrannis agnouit, cùm nulla esset absque stupore domus, omnes fœda mortis tenebat imago, quibus confusa Virgo sacrata spectaculis, territa suppliciis, vrbem deserere, Hispaniam adire proposuit. Tanto quippe conamine, iter arripiens pudica Virgo, nullo, Dei nutu, obstaculo intercedente, Hispaniam aduenit, & ad vrbem *Palemonem* in Tarraconensi prouincia sistens, ibidem exiguâ extructâ ædiculâ, quâ se receperat, per aliquot temporis commorata, in Dei laudibus, & proximorum subsidio, humilis, & paupercula, quotidie cælesti Sponso cordis contriti sacrificium, strenuâ propensione litabat. Sed cùm vanæ sint hominum mentes, si Dei contraria disposito, aliò nos deducere decernit, ex quo nec valet effugium, nec prodest voluntas, euenit, vt Dacianus crudelissimus Imperatorum Præses Hispanias à Gallia pergens, Christianos inquirere festinauit. Post multa verò in Christi fidelibus consummata supplicia, ad *Palemonem* vrbem deuenit, vbi inter alios, quos adulatrix inquisitio adinuenit Christicolas, SOTHERAM Virginem apprehendens, illam coram Præside, multa vociferatione perduxit. Dacianus, qui (vt cæteros deterreret) efficacius muliebrem cõminabatur fortunam, fortè credens, quòd aut ætatis infirmitate, aut imbecillitate sexus, illam ad sui erroris deliramenta pertraheret, nam cum robustis & strenuis viris congressum exercere timebat, illorum expertus virtutem, quâ passim victus, de honoris gloria, & horroris opinione deiectus sese inspectabatur vbique animum, & halitum capiens, Virginem in suum introduxi conspectum præcepit. Adfuit illico B. Virgo catenis constricta, cui Præses de origine, & familia plura multoties interrogauit, sed nihil aliud (depositis sanguinis, & nobilitatis titulis) ab ea, quam se esse Christianam intellexit. In ergastulum furore inescatus iterùm horribile Beatam Virginem includere

Nascitur Romæ.

Persequutio.

Hispaniam venit.

Capitur.

iubens, de illius prosapia sciscitans, eam esse Romanam è Consulari origine genitam agnouit. Quæ cùm edisceret, ipsam accersiri ante tribunal, petit. Cui cùm de ipsius Maiorum longam oratione compositâ seriem facinoribus attexuisset in P. R. illustribus; honoresque receptos, & alia, quæ ad mundi potius gloriam, quam ad virtutum exempla prosunt, in præsentium reuocaret memoriam, S. Virginem à proposito diuertere conabatur. Sed cùm frustra tempus terere conspexisset, quia Virgo immobilis in fide, Christum inter verbera, Sponsum inter certamina, non minus ac inter lilia quæritans, vix ab eius conspectu cordis commouebat ocellos, ad vrbem veniens, illam vt seruam tractans, illius genas alapis percutere imperitauit. Quod vt SOTHERA prænouit, protinus velum, quod ad pudoris tegumen, pudicitięquè ornatum è capite in pectus pondebat, festiuâ significatione proiecit; Satellitibusque maxillas roseo rubore perfusas, verecũdâ humilitate, dicauit. Illas protinus immanissimi carnifices palmis, & pugionibus crudeliter sunt aggressi; quibus tantâ constãtiâ firma, & immobilis permansit, vt prius satelles cædendo deficeret, quam Martyr sufferendo cederet. Tanto nec flexit vultum dolori, præsenti nec ora conuertit iniuriæ, quin potius cùm martyrij sacrificium exquireret, & supplicij pœnas arderet, donec ad finem concupitum deueniret, omnia, etiam grauiora, parui pendebat, vt Christum Sponsum inter verbera lucrifaceret: Igitur pondere cruciatuum inflictorum confracti carnifices Virginem corpore cruentatam, sed corde, & animo liberam, & illæsam reliquere, quæ in genua procumbens, denuò sese diuino Sponso offerens, noua efflagitabat certamina sitibunda. Demùm cùm alia pœnarum genera deuicisset, gladium quem desiderabat, inuenit; nam à Daciano ad mortem damnata, ferali gladio percussa, æternum cuius amore languebat amplexata Sponsum, ad nuptias in cœlis euolauit pudicas IV. Id. Februarij Anno Domini CCC. IV. Eius sacra pignora ibidem sepulta à fidelibus, post modum Romam translata, & via Appia condita, demùm in titulum Equitij delata, ibidem honorifice quiescunt. Eius Epitaphium, sic:

Cruciatur.

Coronatur.

Romula me genuit: passam me nouit Iberis:
Nomine SOTHERA: *Pignora Roma tenet.*

Nominis diuersitas.

Istæc Acta. In Nomine dissensio est. Omnes SOTER in nominatiuo nomen scribendum censent. Ad cuius probationem proferunt duarum inscriptionum lectiones, quarum altera Viri apud Gruter. *fol.CIↃ.X. n.1.* in qua L. SOTER. Altera Fœminæ, apud eundem *fol.DC.LXII.n.3.* in qua SOTER *Mater*, legitur. Cui lectioni libenter adhærerem, si *Dextri*, & *Auli Hali* mei, cuius est Epithaphium supra inclusum, in hoc auctoritatibus non deferrem.

Annus agonis.

CIRCA Annum agonis cum *Dextro* Nostro conueniunt Acta *S. Pancratij*, quæ descripsit Surius *tom.3. die XII. Maij*, vbi hæc verba leguntur: *Eodem tempore passa est Sanctissima Virgo* SOTERIS *nobili genere orta Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Consf.* Quorum Consulatus anno à Christo Nato CCC. IV. consignant Onuphr. Panuin. *in Fast. Consular.* Baron. *in Not. ad hunc diem. lit. D.* & in Annal. Eccles. *tom.2. Ann.*304. *n.*27. Roder. Car. Et alij ex Nostris.

Translatio Hispaniâ Romam?

QVATENVS ad translationem Romæ, & viæ Appiæ sepulchrum, & in titulum Equitij tumulationem corporis sacrati, audi Baronium in Not. *Corpus autem eiusdem S.* SOTERIS *translatum est à Sergio Iuniori Papa in titulum Equitij, vt docet vetus inscriptio, marmori incisa illic posita.* Apud *Drodacum* in Hollandia adseruatum, indicant Philippi Ferrar. *in Catal. General. SS. h. d. fol.* 71. verba, vbi postquam

Error Ferrarij.

quam eius elogium in textu appinxerat: prosequitur: *Ex Molano in Natalib. SS. Belgij. Hac Sura quoque nominatur. Eadem putatur cum ea, de qua hac die in Martyr. Rom. passa Roma, licet Vsuardus Maurolycus, & Galesinius eam* IN ORIENTE *passam referant. Cuius agonem Galesin. die VI. huius refert. Corpus* Dodraci, *vbi pracipuam habet venerationem, conditum est.* Sed proculdubio maximum *Ferrarius* contraxit errorem; nam sacra pignora, quæ *Dodraci* conduntur, alterius SOTERIS, quæ & SVRA, binominis, esse manifeste colligitur ex Auberti Miræi factis Belgicis, *hoc die fol.* 93. vbi ista de ea compaginat Acta: *Claruit Anno circiter M.CCC.* S. SVRA, *seu* SOTER, *Dodraci, quæ Hollandiæ vrbs est antiquissima. Huius Virginis, ac Ciuis sua meminit Guillelm. Lindanus, primùm Ruremundensis, post Gandensis Episcopus* c.50. Apologetic. *ad Germanos.* *Soter Dodracensis alia, ab Hispanâ.*

ALTERIVS huius nominis Virginis Romanæ, & Martyris lipsana honorificè adseruantur in Religioso Sanctimonialium Cisterciensium Cœnobio Madridensi SANCTISSIMO SACRAMENTO dicato, quod à fundamentis ædificare cœpit, licet non perfecit Excell. Dux. Vcedensis, D. Francisci Ducis Lermensis Cardinalis S. R. E. de Rojas, & Sandoual filij, de qua infra die. *Alia Matriti.*

PALEMO Vrbs fuit antiqua Hispaniæ Citerioris, quæ in meditarraneis ad Orientalem plagam conspicitur, non procul Gerundæ Ciuitate, vt liquet ex Diuisione Episcopatuum Hispaniæ ab Wambano facta, in qua, vt refert Morales *lib.* 12. *c.*50. Gerundensem Diœcesim describens, ista profert: *Hierunda* à Palamos *vsque Iustamant, de Ventosa vsque Panneras.* P. Biuar ad Dextr. *Ann.* 300. *Com.* 2. *n.* 21. & Roder. *Caro fol.*105. fatentur nomen istius vrbis, nullis in Geographis inueniri, quod & Ego confiteor, licet suspicer *L. Numisium*, de quo inscriptio in lapide apud *Tarraconem*, cuius meminit Pons Icart. *in Hist. Tarracon. c.* 29. huius vrbis fuisse Ciuem. En textum, quem licet corrupte excripsere *Ocon*, & Grut. *fol.*314. *Antiquitas.* *L. Numisius Ciuis Palemensis.*

L. NVMISIO. L. F.
PALEMONTANO.
TARRACONE.
OMNIB. HON. IN R.P.S.
FVNCTO.
FLAMINI. P.H.C.
P. H. C.

Hodie hæc vrbs dicitur PALAMOS, Caput Comitatus, domus Suessani Ducis, & Baënensis ex familia Cordubarum adhærens. Olim dictam putat PALEOPOLIM, Ieronym. Pujad. *Hist. Cathal. lib.*1.*c.*17.*fol.*15.*col.* 3. Et quia Montanæ contigua, corrupte dicitur PALE-MONS, ab hinc PALAMOS. Ab ista nominis ætymologia facile suspicionem meam de Ciuilitate L. NVMISII, cuius memoriam in Tarraconensi inscriptione legisti, probabis. Necnon *Dextri* vrbium consignationem veridicam digito contueberis, vt sic eius scripta à morionibus, & bubulcis vindices Libellatoribus. *Ætymon vrbis.*

B S. GVILLELMVS Dux, Eremita, & Confessor.] Communis, triuialisque est huius Sancti Confessoris historia, quam synopticè contexuere Martyrologium Romanum h. d. Galesin. Peregrin. Maurolyc. & Constant. Felic. A quibus Andr. Saussay. in Martyrol. Gallic. & Enriq. in Menolog. Cisterciens. De eo scripsere *Theobaldus* Episcopus prosâ, *Cornel. Grapheus*, carmine. *Albertus* eius Discipulus eius res gestas conscripsit, quas *Surius* integras, *Lipolæus* summatim excripsere, A quibus *Villegas*, *Ribadeneyra*, *Vega*, *Æmylianus*, *Sanctorius*, & alij florum Sanctorum scriptores. D. D. Angel. Manriq. Episcop. Pacens. *tom.*1. *Annal. Cisterc. Apn.*1136.*c.*1.*n.*6.*& seqq fol.*303. P.M.F. Thom. de Herrera *in Alphabet. Aug.* *Scriptores.*

gust. lit. G. fol. 275. Eius Acta breuiter referemus, Lectores ad proprios remittens fontes.

ACTA S. GVILLELMI AQVITANI Ducis, & Eremitæ ex eis, quæ conscripsit Theobaldus, & alij.

Nobilitas. GVILLELMVS Ducum Aquitaniæ, & Comitum Pictauiæ filius, sanguine, opibus, ac dynastis illustrissimorum. Successit iis tanquam hæres, cœpitque esse Dux, & Comes, quemadmodum ipsius parentes, à quibus suopte superbus ingenio, ad omnia vitia procliuis, magna pompa, deliciarumque affluentia fuit educatus. *Vires.* Erat statura procerus, adeo, vt gigas esse videretur. Tantis porrò viribus pollebat, vt nusquam quisquam par ei reperiretur, comedebatque quod satis esset octo iuuenibus validis, robustisque. Delectabatur armis atque discordiis; Venerique sic deditus, vt vxorem fratris, triennio suis ædibus detinuerit: furori subditus, ac incorrigibilis fuit; & in charitatis operibus adeo inflexibilis euasit, vt quouis adamante durius obrigeret. Hoc Tempore B. Bernardus in Clara-Valle degebat, qui GVILLELMI vitam improbam cum dignosceret, & quanti fuisset eius petulantia impedimenti, ad noui Cisterciensis instituti progressus, ad Deum pro illo preces effundens, cum eo verba facere desiderauit, vt vitam corrigeret, sed frustra. *A S. Bernardo corripitur.* At cùm mortuo Honorio II. Pont. Max. ei Innocentius fuisset subrogatus, Petrus Leonis Patritius Romanus, nomine Anacleti violenter Cathedram subripuit, ex quo periculosum in Ecclesia schisma suscitauit. *Schismaticus.* Istius fouebat partes Dux, & licet coacta apud Gallos synodo, ibidem Anacletum schismaticum declaratum agnouerit, nihilominus in proteruia sic induratus perstetit, vt Anacletum propugnauerit, & Innocentij sectatores valida oppugnauerit manu. Hac occasione instanti iterum Bernardus Pictauiæ consistens animum pro conuersione Comitis totis viribus applicuit, sed iterum in vanum laborauit Abbas Sanctissimus, quovsque Eucharistiæ Sacramentum sacræ patinæ impositum (peracta Missa) manu Christum tenens, adeò potenter Ducem fuit alloquutus, vt GVILLELMVS subito in terram prolapsus, & Bernardi pedibus aduolutus, omnia à Bernardo imperata concessit. *Corrigitur.* His peractis, & relicto Duce mitiori Bernardus in Claram-Vallem secessit. Post modum Dux ex Saulo, Paulus factus, ad quendam Eremitam simplicissimum perrexit, à quo vitæ normam sibi suggeri destinauit; sed ab illo reprehẽsus ad alium Eremitam doctiorem, Comitem remisit, quem vt inuenit, vt omnia (pro peccatorum pœnitentia) quæ habet vendat, & pauperibus eroget, propriamque loricam ferream ad carnem nudam, omnibus diebus vitæ eius importet, & vt nudis pedibus se Apostolico præsentet conspectui, quia secundum eius arbitrium Domino satisfaciat, imperat. Omnia hæc humili consensu ad implens, ad Eugenij Pont. Max. pedes prouolutus, oculis in terram submissis, vbertim lachrymantibus, facieque in rubore data, supplex ab eo suorum scelerum, veniam flagitauit. *Romam migrat.* At à Pontifice primò reiectus post admissus, & Ierosolymam ad Patriarcham remissus, ab eo absolutionem accepit. Qua assequuta in spelæum secedens vitam peregit Angelicam, qua meruerit solatiis cœlestibus honorari. *Eremita.* Sed illinc à consanguineis inuentus, tentatusque, eorum persuasiones

siones eludens, & aliò secedens, primæuæ illecebras vitæ paulatim obliterauit; at à Diabolo impetitus, sic illum antiquæ nobilitatis honore, dominationis excellentia, & imperij ambitu collimauit, vt huiusmodi cogitatibus immoratus, cœperit intepescere, à priori pietate remittere, pristinæ vitæ commoditatibus affici, & in sancto proposito vacillare. Ergo Ierosolymis digressus, & in Italiam appulsus, Lucanos ciues à vicinis obsessos cùm vindicare, militari baltheo iterum cinctus, promisisset, oculorum lumine priuatus, animi oculos aperuit, suumque agnouit peccatum, pro cuius piaculo à Domino veniam petens, & pro visus restitutione suppliciter efflagitans, in æternum se sub Crucis vexillo militaturum promisit. Annuit Deus; & GVILLELMVS Ierosolymam repetens, ab Agarensis captus, & solutus in proprium, & pristinum tugurium aduenit, vbi iterum ab amicis, & consanguineis oppugnatus, secreto in Eremum secedens, illorum voces, elusit. In illam ergo solitudinem aliquandiu diuersatus, diuino annuente Numine suis viribus diffisus, seque indignum opis alienæ ratus, in Hispaniam peregrinari constituit, & Apostoli IACOBI limina visitare. Igitur in Hispaniam appulsus, S. Apostoli patrocinio multos diuinos fauores consecutus, cùm dies aliquot illic suæ pietati satisfecisset, ab aliquot personis Deo deuotis, atque illic demorantibus, perhumaniter habitus, in Italiam redux, in Pisano territorio, syluam Liualliam ingressus horribilem reperit speluncam. Huc cùm sodales aliquot ad eum confluxissent, ædificare Xenodochium, quo pauperes exciperentur, cœpit; sed ab illis tentatus, in solitariam iterum speluncam perrexit. Ibidem à Diabolo oppugnatus, & vexatus, illum B. V. MARIA comiter affata ad constantiam, & perseuerantiam adhortata est. Demum illustratus miraculis, adeo à vana gloria sibi timuit confusus, vt ne quid à blanda populi aura pateretur, inde ad vallem, quæ dicitur *Stabulum Rhodis*, vallem prorsus incultam, inhospitam, hodieque *Malam-Vallem* dictam, in Senensi territorio sitam, discessit, vbi à deuotis extructo exiguo tugurio, sesquiannum solitis corpus afflictationibus exercens, exegit, cum ex infirmitate membrorum, suisque animi affectibus sibi vitæ metam imminere collegit. Etenim licet benè semper paratus, denuo tamen à Sacerdote sacramenta suscepit, & Domino reddidit spiritum, IV. Iduum Februarij Anno Domini M. C. LVI. Sacrum corpus Sacerdos ille, & Albertus eius discipulus humarunt in horto, quem Vir sanctus ipse suis excolere manibus solitabat. Postea extructum fuit ibidem templum, & Monasterium, vbi hodie extat eius tumulus, eratque eius Corpus, cuius pars Castellionem, pars Madridium ad Cœnobium fratrum excalceatorum Ordinis seraphici, S. Bernardino dicatum, translata vtrobique honorifice quiescunt.

Eremum deserit.

Ierosolymã repetit.

Hispaniam venit.

Italiam reuertitur.

Moritur.

Chronographi Ordinis S. Augustini, aliique Scriptores, qui scribunt institutionem, & reformationem Religiosorum Ordinum, aiunt S. GVILLELMVM fuisse Religiosum Eremitam Ordinis S. Augustini, eumque suis virtutibus, & exemplis, suaquè diligentia, & sollcitudine meruisse, vt Eremitæ, paulo post GVILLELMITÆ cœperint appellari, nomen non ab Auctore, sed Reformatore sortiti, quemadmodum in Insubria, & aliis Italiæ prouinciis iidem Eremitæ dicti sint Ioanbonitæ à S. Ioanne Bono, & alibi aliis nominibus, donec Alexander IV. Pont. Max. cunctos ad vnum ordinem reduxit. Hoc in causa fuit vt Eremita Augustinianus vocaretur, vt docet P. Ribadeneyr. *in traduct. Latina h. d. tom. 1. fol. 92. col. 1.* De quo videndus *P. F. Thom. de Herrera. Ieronym. Roman.* & alij.

Cuius instituti?

QVATENVS

Vbi pignora. QVATENVS ad translationem sacrorum pignorum partis ad Monasterium *S. Bernardini Madridense*, expressè illam fatetur Quintan. *Histor. Madridens. lib. 3. c. 113. fol. 444.* vbi inter alia Sanctorum corpora ibidem adseruata B. GVILLELMI lipsana recenset. Aubert. Myreus *in fast. Belgic. h. d. fol. 92.* expressis verbis *Ossa argenteo simulacro, affabrè elaborato, inclusa adseruari Antuerpiæ in Augustissima Soc. Iesu Basilica, ex candido marmore*, contendit. Vtrobique partem corporis credendum est, vt iam pluribus (de aliis Sanctorum exuuiis) demonstrauimus.

Situs. STABVLVM-RHODIS. Locus Hetruriæ, apud Montem Prunam, & Lacum Prilem, in Territorio, & Diœcesi Rosetana, vbi in Valle quæ hodie MALAVALLE dicitur, Eremitorium, quo S. Vir asperam vitam duxit, inspicitur, vbi Monasterium Eremitarum S. Augustini extructum inuisitur.

C. B. EVSEBIVS Ordinis Camaldulensis Confessor.] Nullus ex Nostris Scriptoribus, quos viderim, huius Sanctissimi Monachi meminit, imò nec ipsius nomen agnouit. Illud ex Martyrologio Monastico *Vvionis* desumpsimus h. d. hæc verba contexens. *Venetiis in Monasterio S. Michaëlis de Murano depositio Beati* EVSEBII *Hispani, Ordinis Camaldulensis, qui cum Oratoris pro Rege Hispaniæ apud Serenissimam Rempublicam Venetam, fungeretur officio, spretis mundi illecebris, Monasticæ vitæ propositum arripuit, & cum in omni vita semper admiranda egerit, illud tamen præcipue commemoratur, quod ante mortem sexdecim totos dies nihil prorsus edens, nec bibens in Dei laudibus permanserit.* Eadem Hugo Menard. *in Martyrolog. Benedict.* A quibus Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS.* sic: *Murani apud Venetias* B. EVSEBII *Monachi Camaldulensis.* In Nota hæc subiicit: *Is ex Oratore, siue Legato Regis Hispani factus Monachus Camaldulensis, Obiit Anno* 1501. *non sine magna sanctitatis opinione.* De eo Chron. Camaldulens. *Ann.* 1501. Eius Acta scripsit D. Augustin. Florentin. *Hist. Camaldulens. 2. p. lib. 4. c. 14.* Quæ, quia nondum ad manus nostras peruenere, hic non subiicimus, contenti pro nunc cum Epitaphio ab *Aldo Manutio* ad eius sarcophagum conscripto. *Scriptores.* *Acta nondum visa.*

Lector parumper siste, rem miram leges.
Hic EVSEBII Hispani *Monachi corpus situm est.*
Vir vndecumque qui fuit doctissimus.
Nostræque vitæ exemplar admirabile.
Morbo laborans sexdecim totos dies,
Edens, bibens nihil prorsus, & vsque suos monens,
Deum adiit. Hoc scires volebam. Abi, & Vale.

Quo tempore, qua ve causa, vel à quo Hispaniæ Rege Oratoris apud Rempublicam Venetam officium egerit, me latet: fortassis in illa *D. Augustini Florentini* Actorum compagine, omnia quæ ignoramus, & desideramus conscripta inueniremus, si Codicis copiam, heu quanto tempore exquisitam, acciperemus. Tu Hispane Lector patienter hanc sustine lacunam: nam omnia perdiscere difficile.

Situs. MONASTERIVM S. MICHAELIS DE MVRANO. Apud Venetias Ordinis Camaldulensis, sic dictum, quia in Pago cui nomen MVRANO, satis amplo in Stagnis Adriaticis, ab vrbe ipsa XI. P. M. distans, extructum inuisitur. Ibidem omnia vasa vitrea cuiusuis generis elegantiora, & puriora fiunt.

TERTIO

TERTIO IDVS FEBRVAR. DIES XI.

A *Rauennæ in Italia* S. CALOCERI *ipsius vrbis Episcopi, qui cum primò B. Iacobi Apostoli Discipulatus per Hispanias munera peregisset, Italiam pergens, & B. Apollinari adhærens, Rauennates ad cultum Dei, depositis Idolorum figmentis, pertraxit. Post illius Sedis Pontifex creatus, sic vitam texuit, vt centenario major plurium virtutum sarcina cumulatus; & miraculorum honore insignis, feliciter in Domino quiesceret.*

B *Apud Legionem in Hispania* B. MARTINI *Canonici Regularis qui cùm virtutis esset speculum, castitatis splendor, obedientiæ exemplar, sapientiæ mirabiliter thesaurus, religionis regula, fortalitium fidei, vas sanctitudinis, & methodus morum, felicitatem postmodum est consecutus æternam.*

NOTÆ.

A SANCTVS CALOCERVS Episcopus, & Confessor.] Omnes scriptores Nostri qui de Aduentu in Hispaniam B. IACOBI Hispaniarum Apostoli peregere, in memoriam reuocant anamnesim, & commemorationem tanti Sanctissimi Præsulis, qui fuit vnus ex *Duodecim* Discipulis, quos secum portauit Apostolus Ierosolymâ Hispaniam; de cuius rei memoria videndi Comestabilis Castellæ. P. Mariana, P. Iodar. P. Oseda, Castillo, & alij ferè innumeri quos congerit D. Michael de Erze Ximenez de quo & de aliis Discipulis multa D. Maior. Castella, & D.D. Antonius Calderon. Dexter *in Chron. Ann.* 37. vbi P. Biu. *Com.* 3. *n.* 1. eius discipulatum, & Lectoratus ordinem describit, sic; *Multos autem Discipulos, præcipuos autem numero XII. more Apostolico in* Hispaniam *secum* (IACOBVS) *portat, scilicet Theodorum, Cæcilium, Tesiphontem, Iscium,* CALOCERVM, *Lectores*; ab eo, vt opinor *Aulus Halus* meus *Carm.* 47. *fol.* 11. *Scriptores.*

Theodorus.

Theodorus, Caciliusque
Iscius, & Thesiphons, CALOCERO *iuncto minores.*
Lectorum *gradus, primi recepere rogati.*

De eo etiam P. Marian. *Hist. Hisp. lib.* 4. *c.* 2. his verbis: *Prorsus qui historiam ante quingentos fermè annos scripsit* Pelagius *Ouetensis Episcopus,* IACOBI *discipulos facit* CALOCERVM, *Basilium, Pium. &c.* De ipso in Sanctorum numerum relato, Martyrol. Rom. h. d. isthæc verba: *Rauenna* S. CALOCERI, *Episcopi, & Confessoris.* Petr. Equilin. *lib.* 6. *Catal. SS. c.* 128. Philipp. Ferrar. *in Topograph. sacr. verb.* Rauenna, cum hoc elogio. *XI. Februarij.* S. CALOCERVS *Episcopus, columba signo electus, S. Apollinarij discipulus.* Rubeus *Hist. Rauennat. lib.* 1. *Ann.* 127. in hunc modum: CALOCERVS *Græcus in Martiani locum, Rauennatum Archiepiscopus, columba cælitus super eum sedente, suffectus est.* Eius Acta separatim nullus conscripsit. Aliqua ex Nostris Chronicis, aliqua ex Actis S. Apollinaris decerpemus, vt florarium integrum coagulemus, in hunc modum.

ACTA S. CALOCERI DISCIPVLI B. IACOBI *Apostoli Episcopi Rauennatis, ex Dextro, Rubeo, & aliis.*

Origo. CALOCERVS Græcus origine, adhuc adolescentulus Ierosolymam perrexit, vbi cùm Christi Apostolorum prodigia cognouisset, & doctrinæ lucem ad vitam consequendam audiuisset æternam, radio S. Spiritus illuminatus, zelo est fidem amplexatus ardenti. *Discipulus Iacobi.* Illius ab exordio extitit IACOBVS, Magister, Apostolus, cui adhærens, & ab eo quotidie disciplinam veritatis ebibens, ad Lectoratus ordinis gradum, propria vrtute peruenit. Ast IACOBO ad Hispanias transfretante Magistro, illum deserere nolens, *Hispaniam venit.* ipsius pedissequus in Occidentem, ex duodecim Discipulorum numero, æstuanti propensione deuenit. S. Apostoli ergo per Hispanias vestigia sectans, fere omnes regionis vrbes lustrauit, sed cùm è B. Virginis MARIÆ præcepto, IACOBVS Ierosolymam reuerti *Carpetanis prædicat.* properasset, CALOCERVM, vt Carpetanos reuiseret, prædicaretque, magisterij delegatione dimisit. Qui Apostolico suffultus, mandato, discedens omnem illam perlustrauit regionem, Dei verbum disseminans, & collecto animarum credentium non sterili fructu, ad eius peruenit auditum, quo modo S. Magistrum apud Ierosolymam occisum, & martyrio fuisse coronatum, cuiusque corpus à condiscipulis extractum, in nauigio positum ad Iriæ *Magistri corpus tumulatur.* Flauiæ ciuitatis in Gallæcia portum aduentasse. Hac siquidem cognita fama, illico ad Iriam perrexit, adquè illorum Sanctorum Condiscipulorum cœtum se iungens, cum illis itidem tumulum, quo corpus humaretur, erexit, sacrauit, & Minister sui ordinis sacrum confecit. Quo expleto, cùm cæteri diuersa peterent climata, CALOCERVS ad Italiam se contulit, vbi S. Apollinarij, B. *Italiam pergit.* Petri discipuli, qui ab ipso Rauennatum Episcopus ordinatus Æmillianam collustrabat regionem, comes factus, per duodecim annos, eius fuit syncronus indiuiduus, & omnium B. Magistri Apollinaris fidelissimus passionum extitit ocularis. Post aliquot temporis à sodalitate CALOCERI, Apollinarius, cognitis virtutum Discipuli cumulis, & quantis Leuitam Deus muneribus condecoraret, cùm apud Rauennas demoraretur occultè, in domo cuiusdam Tribuni, cuius vxor Thecla sanitatem orante Apollinario recepe-

rat, ad Presbyreratus ordinem, CALOCERVM, & Adericum annuente Domino sublimauit. Quo illustratus ordine, ad maiora bonorum operum capessenda festinauit elogia, quæ sic breui temporum interstitio effulsere, vt Apollinario Rauennis ablegato, in locum Sanctissimi Præsulis, ad ipsius Ecclesiæ gubernacula gubernanda, fuerit, Magistro concedente, prouectus. Quantis in huius oneris ministeriis profecerit, quantisque supremis coaluerit virtutibus in pensi Ecclesiastici pondere, ipsius rerum euentus indigitauit. Nam in nomine Iesu-Christi illustria patrabat mirabilia, & in virtute sui Sanctissimi Nominis insignia operabatur miracula: Ergo cùm aliquot annos in ipsius moderamine floreret Ecclesiæ, cognita S. Apollinarij Magistri morte, in Episcopale Rauennatum fastigium S. Aderitus, post quem B. Martianus, istoque è viuis sublato, S. CALOCERVS suffecti sunt. At in Nostri insignia electione euenere prodigia, nam cùm fideles pro eligendo successore intimas ad Deum preces effunderent, & S. Spiritus lucem humili oratione deposcerent, illico columba niue candidior supra CALOCERI capitis verticem consistens, illius electionem silentioso symbolo declarauit. Ad Cathedram protractus B. Vir, illius infulas induens, populo benedicens, futuri regiminis pondera, corde lacrymante suscepit. In huius ministerij igitur sic se gessit grauamine, vt Dei auxiliante nutu, valida voce Christi Euangelium prædicans, & Rauennates Christicolas in fide detineret, & Idololatras ad fidẽ cateruatim conuerteret. Nam cùm ab Adriano Imperatore, pax aliqua credentibus fuerit data, plebs ope Pastoris, & opera Doctoris, sic in religione concreuit, vt pio Episcopo fouente, & ministrante, intra breui temporis curriculum, vix erat Rauennatum vllus, qui Idolis litaret, forte Ciuium aliquis aberat, qui Christi nomen non amplecteretur assecla. Tandem ille Cygnus canicie albus, moribus candidus, & Dei zelo candens, cùm iamiam sese ætate longæuum agnosceret, & artuum ruinam imminentem conspiceret languentium, gregem acrius edocere, feruentius Dei monitis instrui vocis modulatione disposuit; sed corporis compage tremula impeditus, & febris corruptione prostratus, ad Deum, quem ardebat, supremum exhalauit spiritum III. Iduum Februarij, Anno C. XXX. Eius sacra pignora, iuxta techam B. Aderiti prædecessoris sepulta, in pretio habita, mirabilium patratione signorum venerata quieuerunt, donec ciuitate euersa, sub silentiosa aggerum ruina delitescentia, inuentionis sæculum inspectarunt. Quæ futuris perfecta æuis, Inuenta lipsana in honoratiorem locum translata venerationem Conciuibus augent, & amorem.

Presbyter fit.

Rauennatũ Episcopus.

Fructus prædicationis.

Moritur.

Hactenus Acta. De Discipulatu S. IACOBI iam diximus. Quod idem ipse sit, ac Episcopus Rauennatum, B. Apollinarij post etiam Discipulus, probat Dext. *Ann.* 37. his verbis: *Postea* CALOCERVS *profectus in Italiam, adhæsit* Apollinari *Rauennatum Episcopo, & ab illo factus* Presbyter *successit Martiano, & factus est Episcopus centenario maior, vigens tamen.* Eadem *Ann.* 130 Cum quo conueniunt, circa *Præsbyteratus* assumptionem à B. Apollinario, Acta ipsius à Bonin. Mombritio descripta *tom.* 1. *fol. LXII.* hisce clausulis: *His verò qui in Christum credebant, intra domum Tribuni, Missas, & Baptismum* B. Apollinaris *agebat, cum discipulis suis Itaque intra duodecim annos, duos Presbyteros Aderitum, &* CALOCERVM *ordinauit; Martianum nobilissimum Virum, & Leocadium Philosophum diaconos fecit.*

Discipulus S. Apollinaris.

Presbyter.

De Prædicatione S. Viri apud Carpetaniam; audi Dextr. *Ann.* 44. *n.* 1: CALOCERVS *Discipulus* S. IACOBI *per Carpetaniam prædicat, quod & tuentur* D. Thom. Tamayo, P. Biuar. Roder. Caro ad Dextrum, & D. Episcop. Turiasonens.

Carpetaniæ Apostolus.

nenſ. in Primat. *Tolet.* 1. *p. fol.* 95. Qui etiam fatentur interfuiſſe cum aliis Diſcipulis conſecrationi Sepulturæ B. IACOBI, quod & primo dixerat Simpirus Epiſcop. Aſturicenſ. *in Chron. Ær.* 917. vbi iſta compaginat: *In Altari quoque, quod eſt ſuper Corpus* B. IACOBI *Apoſtoli, quod conſecratum fuerat, à ſeptem Diſcipulis eius, quorum nomina ſunt hac:* CALOCERVS, *Baſilius, Pius, Chriſogonus, Theodorus, Athanaſius, Maximinus.*

Sacrat Altare Magiſtro IACOBO.

DE MORTE, ætate grandæuo, in hunc annum Fl. Dextri *in Chron. Ann.* 130. hæc verba ſuadent: *Hoc anno* S. CALOCERVS *Sancti* IACOBI *Diſcipulus, & Epiſcopus Rauennas, maior centenario, miraculorum gloria clarus, ad cælum migrat.* Ieronym. Rubeus vbi ſupra: *Sub Teleſphori Pontificatu* CALOCERVS *cùm annum ætatis centeſimum, viridi ſenecta ſuperaſſet, mortem cum vita commutauit. III. Id. Februarij. Sepelitur non procul ab Aderito.*

Ætas eius grandæua.

DE PACE ab Adriano Imperatore Eccleſiis data, idem Ieronym. Rubeus in Actis Noſtri Pontificis teſtis eſt, ſic dicens: *Qui* (CALOCERVS) *cum rerum omnium ſub Adriano pacem, & quietem fuiſſet nactus, aſsiduo hortatu, Deo verbis efficaciam, & robur tribuente, omnes ferè Rauennates, relictis falſis Diis, religioni ſanctæ adhærere, ſic perſuaſit, vt admodum pauci fuerint, qui non receperint cultum, & cognitionem veri Dei.* Sed ne iſtius pacis ſucceſſus in vno tantum teſtis vnius recentioris verbo firmetur, adeat ſententiæ Criticus Ruffin. *lib.* 11. *c.* 9. Nicephor. *lib.* 3. *c.* 27. Euſeb. *in Chron. Ann.* 128. & in *Hiſt. lib.* 4. *c.* 9. qui ex S. Iuſtino Philoſopho & Martyre iſthæc deſumpſere. *Iuſtinus ergo pro Chriſtianis contra Creſcentem Cyricum impudicum, cuius cauſa nouiter exorta perſecutio erat, inter alia quæ ad Antoninum Imperatorem ſcripſit, hac verba recenſet*: Etſi ex Epiſtola Patris tui Adriani Cæſaris Maximi, & Illuſtriſſimi Principis poſſumus iure repetere, vt iudicia de Chriſtianis (ſicut poſtulauimus) mandes ex æquitate fieri: illud tamen non tam poſtulauimus, quod ab Adriano præceptum ſit, quàm quòd pro certo intelligimus, illud ipſum, quòd à nobis poſtulatum eſt, iuſtum æquumque exiſtere. Iſthæc pacis munificentia à Serenio Grannio Aſiæ Præfecto adepta eſt, quia cùm iſte Adrianum pro Chriſtianis in hæc verba interpellaſſet: *Mihi iniquum videri* Chriſtianos, *nullo obiecto crimine, indictaque cauſa, quò populi acclamationibus ſatisfacias, neci dare.* Hiſpanus Imperator Traiani Imperatoris Hiſpani pediſſequus, ſicut ille, interpellante Plinio Secundo Iuniori, vetuerat quempiam Chriſtianorum, ex eo quod Chriſtiani eſſent, occidi, ita iſte Minutio Fundano Granij ſucceſſore, eadem reſcripſiſſe fatentur omnes. Iſtius Epiſtolæ textum ſi perlegere cupis, adi B. Iuſtini opera, in cuius calce, iſtum, & Traianicam inuenies, & alibi. De hoc dicta ſufficiant.

Pax ſub Adriano.

S. Iuſtini Martyris ad Adrianum verba.

Serenius Grannius pacem Chriſtianis impetrat.

RAVENNÆ. Æmiliæ, ſeu Galliæ Togatæ antiquiſſima Ciuitas Epiſcopalis fuit, inter Vitim, & Bedeſim fluuios apud ipſam confluentes, olim maritima, nunc maris receſſu ad II. P. M. diſtans. Vrbs inclyta, quæ ſub Exarchis, & Regibus Gothis maximè fulſit. De ea Ptolom. Plin. Strabo, & cæteri Geographi, qui Coloniam Romanam ſcribunt, & à Theſſalis conditam contendunt. Plin. item Sabinorum Coloniam ante Vrbem conditam. Suet. Tranq. *in Auguſt. c.* 13. ab ipſo munitam claſſe, à Tyberio mœniis ad tuendam Illyrij oras, fatetur. Caput fuiſſe Piceni, antiqua inſcriptio apud Gruter. *fol. CCC. XCIX. n.* 3. proclamat. Qui plura de Antiquitatibus huius vrbis, Reges, leges, Exarchos, Pontifices, & alia deſiderat, adeat Ieronym. Rubeum in ipſiſſima huius vrbis Hiſtoria, Carol. Sigon. *lib.* 1. *de Regn. Ital.* Raphael Volaterran. *in Geograph. lib.* 4. *fol.* 115. Philipp. Ferrar. *in Geograph. ſacr. fol.* 105. Leandr. Aluert. Enrric. Stephan. & Abraham. Ortellium.

Situs. Vrbis.

Theſſalis condita.

B. B. MARTINVS Canonicus Regularis, Confeſſor.] Eius memoria apud Legionenſem vrbem Hiſpaniæ cultu honorifico celebratur, & inter Noſtros, & exteros Scriptores ſumma veneratione recolitur, Philipp. Ferrar. *in Catal. Gener. SS. h. d. fol.* 72. hoc elogium adnectit: *Legione in Hiſpania* S. MARTINI *Presbyteri*, & in *Topograph SS. verb.* Legio. *fol.* 66. iſtud: *XI. Februar.* MARTINVS *Presbyter Canonicus Regularis, ex Breuiario Legionenſi.* Alphonſ. Vener. in *Enchirid. Tempor*

Scriptores.

pot.fol. 40. lato calamo profert: S. MARTINVS *Doctor S. Isidori Canonicus, & discipulus floruit circa Annum Domini M. CC. qui cùm esset totius disciplinæ ignarus, à B.* Isidoro *continuis precibus exorabat, vt sibi aliquantulam suæ sapientiæ partem impartiri dignaretur. Cui gloriosus Episcopus apparens, librum tradidit comedendum. Illum S. Vir humiliter accipiens, protinus deglutiuit, & infusa est ei scientia diuina, quam postmodum doctiores controuertere non valebant. Composuit multos sacræ doctrinæ libros, inter quos vnus de Veteris, & Noui Testamenti concordantia, qui extat.* Luc. Tudens. in Præfat. ad Chon. sic: *Quid de* B. MARTINO *Legionensi Presbytero sentiendum: qui tantam à Domino precibus, in diuinis scripturis prærogatiuam obtinuit, vt in expositione scripturarum, sanctissimis primis Doctoribus merito valeat adæquari.* P. Ioan. Marian. *Hist.Hisp. lib.* 11. *c.* 16. etiam eius meminit: MARTINVS *Presbyter per hæc tempora literis, & vita claruit,* Legione *multis libris conscribendis operam dabat, ex rudi, atque illiterato, repente factus doctissimus ab* Isidoro, *cuius in Monasterio viuebat, oblato in somnis libro, quem comederet. Eorum librorum pars nulla ad nostras manus venit: Canonicis eius templi magna religione seruantibus, rei gestæ monimentum posteritati præclarum.* Denique de eo Ambros. Moral. *lib.*12.*c.*23. Mariet. *Hist. SS. Hispan.lib* 6. *c.*5. P. Truxillo *in Thes. Concionat.* 2.*p.fol.* 661. Gabriel Pennot. *Hist. Canonic. Regular.lib.*2.*c.* 31.§.5 *fol.*350. P.F. Athanas. de Lober. *Hist. Legionens.*1.*p.c.*32 *fol.*311. Qui Hispano sermone eius Acta contexuit, quæ nunc Latina dabimus.

ACTA B. MARTINI CANONICI *Regularis Presbyteri, Doctoris, & Confessoris, ex Athan. Lobera.*

MARTINVS Legionem in Hispania antiquissimam vrbem patriam agnouit, ex illustri familia ortus: Patrem Ioannem, & Eugeniam matrem habuit, qui licet nobilissimo sanguine clarerent, virtutum stirpem honestiori nomine decorarunt, vt vtrique muneri, verbis, operibus, & exemplis responderent. *Patria, & Parentes.* Totis viribus Catholici coniuges à Domino prolem expectabant, qui eorum misertus angoris, MARTINVM illis, vt patrûm gloriam, & patriæ honorem augeret, mirabili liberalitate concessit. *Precibus Parentum nascitur.* A prima autem ætate se totum in sanctis facinoribus exercuit, adeò, vt in ipso nihil, nisi opera pietatis, charitatis, amoris, & timoris Dei inuenire potuerit scrupulosa libido. Istis sic quippe imbutus exercitiis, perfectionis culmina perquirebat, & patribus reclusis in Monasteriis vrbis, patrem est sequutus, vbi in Cœnobio S. Martiali dicato, cuius pater monachus erat, receptus est, vt in Missis dicendis, ministerio acolyti fungeretur. *Monasterio se addixit cum parente.* Illinc protinus virtutum germina erumpere, fructuumque splendentium flores eructare cœpit, quibus Dei Ecclesia breuiter ditaretur. At cùm ad maiores annos adscendit ætatis, subdiaconatus (mortuo Patre) ordinem suscepit, cuius sacrum intuens ministerium, Monasterij claustra reliquit, & in pauperes opibus dispensatis, in Ouetensem demigrat vrbem, vt sanctorum pignora, quæ in illius Ecclesiæ camera reconduntur, visitaret. *Peregrinatur.* Quibus veneratis, Compostellam descendit, inde Romam pergit, & deosculato pede Vrbani III. Pont. Max. ab eiusque benedictione suscepta, manu, in Sanctam transfretat Ierusalem, vbi sacris visitatis humiliter nostræ Redemptionis locis, in Xenodochio, quo pauperes peregrini curabantur, per biennium quieuit, quibuscunque ministeriis, pro curatione infirmorum, inseruiens, donec in patriam repedare tentauit. In Nauem ingressus, Constantinopolim aduentauit, vbi empta cassula, Cyrcæum promotorium Italiæ deueniens, vrbem ingreditur, ibi-

Vt latro comprehenditur in Italia.

demque diabolica fraude comminutus in carcerem est coniectus, ex eo quod cassullam Constantinopoli emptam, furto fuisse subtractam, antiquus coluber, qui eius virtutes fascinabat, ministerio perditorum hominum contendebat. Sed Dei prouidentia, quæ suorum opprobria redimere satagit. factum est, vt Angeli auspiciis, vt olim Petrus, MARTINVS liber, & incolumis euaderet. Quo miraculo S. Vir ab vrbe recessit, Galliam, Britanniamquè peragrans, omnia ipsarum sacraria Prouinciarum salutauit, indeque Hispaniam reuersus, propriis manibus, sibi, & pauperibus alimenta quærebat. Quot non in hisce peregrinationum itineribus labores, fames, opprobria, pericula, iniurias, egestatem & alia huiusmodi pertulit. Nam post ieiunia, quæ alternatiuis diebus in solo pane, & aqua peragebat, tot regiones perlustrans semper pedester, & mendicus, à diabolo insecutus, & à prauis hominibus comminutus, demùm omnia felici festinatione persoluit. Igitur Legionem ingrediens, ad sacros breui tempore Diaconij, & Presbyteratus ordines est ascitus. Quibus acceptis, agnoscens quanta ad complendum tanti ministerij cumulatissimè officium, perfectioris vitæ, & morum munia nouus deposceret status; illicò Canonicorum Regularium in Monasterio S. Martialis, quo pater vixerat, epomidon induit. Sic ergo homo nouus humilitatem, & obedientiam, quæ fundamenta status Religiosi dignoscuntur, amplexatus est, vt breui cæteros in illis, & aliis exercitiis longius progrederetur consocios. Ipsius etenim consuetudo, familiaritasque ita erat omnibus amabilis, vt quiuis in eius fronte mundi despectum agnosceret, spiritus paupertatem perciperet, & Dei amorem, aliaque virtutum illustrium inclyta facinora conspectaret. Per hoc temporis inter Episcopum Manriquiũ Legionensem, & Canonicos cùm grauis exoriretur contentio, euenit, vt expulsis Monachis de Cœnobio, Episcopus illi Clericos sufficeret seculares. MARTINVS verò, qui vnus erat ex expulsis, in aliud etiam Canonicorum Regularium S. Isidoro Archiepiscopo Hispalensi dicatum Monasterium accitus, feruida virtutibus deditus operatione vitam homo Dei transegit. At cùm nulla sit in hoc seculo virtus, quæ à tergo non habeat, & suos teneat, instigante inuidiæ liuore contrarios, euenit, vt in fratrum scrupulosam inciderent murmurationem B. Monachi præclara facinora. Quorum inuidentium cognita detractione MARTINVS, ne illis scandalo esset, relicto Isidoriano cœnobio ad antiqum S. Martialis, Clericis efflagitantibus secularibus, & Deo inspirante perrexit. At ne S. Viri opinio infamiæ scrupulo laboraret, permisit, vt B. Isidorus suis Monachis appareret, dicens: *Vt quid* MARTINVM *eiecistis seruum Dei? Iterum in vestrum recipite consortium. Potiùs in ædificationem, quàm in scandalum eius opera conspicite. Lætamini enim, quod sit inter vos, qui perfectionis semitam sectet.* Quibus auditis, manè Abbas, Prior, & magna Monachorum caterua, in Monasterium S. Martialis conuenere. qui ad B. Viri pedes prouoluti, & vt eis veniam concederet, & in Isidorianum cœnobium remearet, efflagitabant. Ad quorum preces (licet apprimè obduratus) tandem delinitus in cœnobium repedauit. Illic nouo modo in vitæ austeritate sic creuit, vt antiquæ pœnitentiæ exercitia efficacius repetere satageret. In diuinarum Scripturarum intelligentia penitùs deficiebat B. Vir, quia ab exordio vitæ, itineribus, & peregrinationibus præpeditus, haud quanquam literis animum conuerterat. Harum specimen deprecationibus, & orationibus consequi

Angelo ministrante liber euasit.

Legionem reuertitur.

Presbyter fit.

Cannonicus Regularis.

Controuersia inter Episcopum & Canonicos.

A fratribus est persequutus.

Aliò se contulit.

S. Isidoro iubente ad propria repedauit.

cum

cùm dierum, ac noctium continuatione perquireret, à Deo, qui eius desiderium, & occulta cordis cognouit arcana, ista est, ministerio B. Isidori, repletus muneris scientia, & doctrinæ supellectili. Nam cùm quadam nocte, pro huiusmodi causa dominum oraret, in somniis B. vidit Isidorum librum in manibus gestantem qui dixit ei: *Accipe volumen istud, & comede istud, sic tibi scientiam, & scripturarum intelligentiam Dominus dabit, vtere illa, vt à te feliciter erudiantur fideles.* Excusabat se MARTINVS, ex eo, quòd illo die ieiunaret. Cui Isidorus respondens ait: *Minimè à ieiunij merito frustraberis. Hoc tibi ad literas addiscendas opus est. Isidorus huius loci tutela, sum, Dei placitum adimple, vt studio à te tanto tempore fruaris concupito.* Annuit lætabundus, & alacer MARTINVS, & volumine deglutito, recessit Isidorus; cuius libri comestione, sic in diuina scientia inflammatus remansit, vt facile omnes Theologos illius superaret ætatis. Denique vt sol inter nebulas, sic eius doctrina emicuit, qua Ecclesiam suis inlustrauit scriptis, hæreticos deuicit, doctos illuminauit, errores contriuit, deperditos ad viam traxit, & denique aut disputationibus, aut scriptis, aut reuelationibus, aut ore prophetico, aut notabilibus miraculis vrbem, & orbem omnium acclamatione compleuit. Et licet in sui cognitione tantam conspiceret mutationem, cum de omnibus auctorem Deum fateretur, nec eum vanè inflare scientia potuit, nec doctrinæ fama mutare, quinimò ipsa illa semper pace animi fruebatur, qua ante sui primæuo nitebatur statu. Scripsit Concordiam Noui, & Veteris Testamenti duobus tomis distinctam; & aliud volumen, quo collegit varias sanctorum Patrum sententias. Continuò septem secum distentos in conscribendo Clericos habebat, qui tantum MARTINI ex ordinario victu, serui Dei benedictione, nutriti, affatim alebantur, & continuatione miraculi pauperibus relinquebant. Tandem cùm iam Hispaniæ circulos, & prouinciarum adiacentium orbis eius opinione virtutis, & doctrinæ repleret, febre correptus suum vitæ vltimum prænoscens diem, sacramentis vallatus, & miraculorum gloria insignis feliciter ad Dominum properauit, die XI. Februarij, Anno Domini M. CC. XXI. Eius corpus ibidem tumulatum, postmodum pluribus emicuit mirabilibus, adeo vt cateruatim oppidanorum deuotio ad illud firma fide confluerent donariis, & votis appensis ad eius sarcophagum, insignia miracula eius intreuentione patrata, significantibus.

A S. Isidoro docetur.

Eius doctrina.

Scripta eius.

Moritur.

Isthæc P. Lobera, qui fortè typographi errore B. MARTINI transitum ad dum XI. Ianuarij reiicit, contra antiquum S. Leg. E. Breuiarij placitum, qui h. d. mortuum fatetur; à quo P. Trugillo, Marieta, Ferrarius, & alij. Quo explorato, haud aliam Acta comprobationem exposcunt.

LEGIO, Ciuitas est Hispaniæ Episcopali Sede ornata, & Regni primatu nobilis, hodie LEON dicitur. Eius primæuam fundationem P. Athanas. Lober. in eius historia 2. *p.c.* 1. *fol.* 166. Castellanos antiqui versificatoris auctoritate subnixus, à quodam *Mercurio Philosopho*, qui illam SVBLANTIAM appellitauit anno ab Orbe condito MM. CCCC. XX. ante Christi Aduentum M. D. XXI. originem traxisse contendit. Quanto hæc sententia claudicet veritatis vestigio *die XI. Martij.* probabimus. *Antiquitas.*

PRIDIE IDVS FEBRVAR. DIES XII.

A *Barcinone in Hiſpania* S. EVLALIÆ *Virginis, & Martyris, quæ Daciani Præſidis Hiſpaniarum, Diocletiani, & Maximiani Imperatorum decreto, Chriſticolas perſequentis, ferocitatis ſæuitiam cùm publicè obiurgaret, ab eo tenta, & carceri mancipata, tandiu eſt cruciamenta ſatellitum experta, & verborum ſupplicia perpeſſa, quandiu ſpiritum præcox fidei agoniſta, Chriſtique ſponſa tenera concupitis amplexibus exhalaret.*

B *Cartagine in Hiſpania* SS. MODESTI, *&* IVLIANI *Martyrum, qui ſub Antonino Imperatore pro fidei defenſione cruciati, ad Martyrum palmas cucurrerunt illuſtres.*

C *Salmanticæ in Collegio fratrum SSS. Trinitatis excalceatorum depoſitio ſacrorum pignorum* B. DAMIANI *Martyris, qui cùm in Africa militaret, martyrio ſublatus eſt.*

D *Toleti prima* S. EVGENII *ipſius vrbis Epiſcopi brachij tranſlatio, quæ ibidem honorifico colitur plauſu, & mirabili annuatur cultu.*

NOTÆ.

Martyrologia. A SANCTA EVLALIA Virgo, & Martyr Barcinonenſis.] Huius ſanctiſſimæ Virginis, & Martyris memoriam recolunt non ſolùm Noſtri, ſed etiam exteri Scriptores. Martyrologium peruetuſtum Romanum à *Roſuueido* editũ, Nouum à *Baronio* correctum, item Adonis, Bedæ, Vſuardi, Alexandri de Peregrinis, Galeſinij, Maurolyci, Conſtant. Felicis, & Petr. de Natalib. *in Catal. SS. lib.* 1. 54. Petr. Cabilon. *in antiq. Topograph. SS. verb.* Barcinon. Philipp. Ferrar. *in Non. eod. verb. fol.* 27. Ex Noſtris S. Iſidor. *in Hymn. Breuiar. Toletani Gothic.* S. Eulog. *lib.* 1. *Memorial. SS. c.* 1. *n.* 16. 17. *&* 18. Marin.

18. Marin. Sicul.*de Reb. Hisp.lib.*5. P.Truxill. *in Thes. Concionat.2.p. fol.* 661. Ambros.Moral.*lib.*10.*c.*3.P. Mariet. *lib.*4.*de SS.Hisp.c.*1.Padill. Ambros.Moral.*lib.* 10. *c.*3.P. Mariet. *lib.*4.*de SS.Hisp.c.*1.Padill.*tom.*1.*Hist.Eccles.Hisp.cent.*4.*c.*3.P.F. Anton. Vincent.Domen.*lib.*1.*Hist.SS. Cathalon.fol.*15.Ieronym. Pujad. *Hist. Cathol.lib.*4.*c.* 79.P.Diag. *Hist.Comit.Barcinon.lib.*1.*c.*8. *&* 9. P. Biu.*in Not.ad Dextr. Ann.* 347. Ex florib. SS. Vega, Ribadeneyra, Sanctorus, & alij Antiquiores. Item *Breuiaria Toletanum*, Salmanticense, Palentinum, Asturicense, Abulense, Hispalense, Placentinum, Ilerdense, Tarraconense, Cæsaraugustanum, & omnia fere Hispanica. Ex Italis *Fiamma h.d.tom.*1.*fol.* 229. Ioan. Andr. Gillius *de Persecutor. Eccles.lib.*2.*Idolloatr.*10.*fol.*147.Saluian.Razzi *Hist.Mulier.sanctit.Illustr.tom.*1.*fol.*143. Latini, Ioann. Maldonadus *in Vit. SS. fol.*74. Haræus, Lipolæus, Grassis, Surius, & alij. Eius Acta peruetusto membranaceo Gothicis literis exarato Codice Cœnobij Montis Sion, quorum copiam beneficio *D. D. Martini de Zelaya Ocariz*: tum Toletanæ Inquisitionis alumni, & visitatoris, post electi Episcop. Cubensis apud Indos, nunc in Celebri totius Orbis Salmanticensis Academiæ Scholæ Magistri, cuius iustitiæ pondus, graue ingenium, & virtutum modestia maiora expetunt ex merito præmia, accepimus: quæ vt singularia, & tanta canitie veneranda, tibi offerre curauimus, vt & Nostrorum agnoscas pietatem, & veram ecphrasis compaginem scruteris. *Scriptores.* *Breuiaria.*

ACTA S. EVLALIÆ BARCINOnensis Virginis & Martyris, ex M S. Codice Toletano. M. Sion.

IV. Idus Februarij. PASSIO *Sanctæ, ac Beatissimæ* EVLALIÆ *quæ passa est in Ciuitate Barcinonensi sub Daciano Præside.*

IN DIEBVS illis, EVLALIA Sancta Barcinonensium Ciuis, & incola, nobilis genere, à tenero ætatis suæ tempore, Dominum Iesum-Christum ex toto corde amabat. Morabatur autem cum parentibus in prædiolo proprio, quod erat situm paulo longiùs a Ciuitate; quoniam propter humilitatem, & tantam sapientiam, quæ vltra ætatem eius, erat in illa, parentes eius plusquam indulgentissimè amabant eam. Et cùm in vno proposito persistens, nihil aliud ageret, nisi quotidianis diebus in sequestrata cellula, cum sociabus, quas secum adunauerat, in laude hymnorum Domino deseruiret. Hæc faciendo cùm peruenisset ad pubescentes annos, cœpit insanientium Principum sæuire persecutio aduersus Christianos, vt si quis sacrificare noluisset, diuersis pœnarum cruciatibus, morte afficeretur. Dacianus Præses adueniens Ciuitatem Barcinonensem sacrificauit Diis, & iussit perquiri Christianos, vt thurificarent; de qua re mox flagrauit opinio, per impiissimum Iudicem, Ciuitatem esse turbatam: quod audiens S. EVLALIA hilaris effecta est, & magno gaudio repleta lætabatur, dicens: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, & gloriam nomini sancto tuo, quia video quod cupiebam, & sic credo in te, vt de hoc opere te adiuuante impleatur mihi voluntas.* Quod audientes sui mirabantur hæsitantes, quod optabile, & venerabile vidisset, quod nollet prodere eis solito more, quia quæcunque per Dei gratiam addiscebat, omnia eis patefaciebat, & secundum vigilantiam circunspectionis fidei suæ in qua eas adloquebatur suauissimè ædificabat. Sancta verò EVLALIA quid cum corde suo volueret, nul- *Patria.* *Successus.*

li dicere voluit, neque parentibus, qui tàm insatiabiliter eam diligebant, neque alicui de sociabus, aut familiaribus suis, qui eam omnes super salutem animæ habebant. At silentij hora, primo gallorum cantu, quiescentibus illis, profecta est ad Ciuitatem, & omni animositate totum iter pedibus delicatis Puella infatigabilis confecit. Quæ cùm ingrederetur portam Ciuitatis audiuit præconum vocem sonantem, & perrexit ad forum; videns autem Dacianum pro tribunali sedentem, irrumpens inter populi turmas cum officio permixtas, direxit se ad tribunal, & voce magna dixit ad eum: *Iudex iniquitatis sic in altum sedes, vt Deum altissimum non timeas, qui est super omnes Principes tuos, & super te, vt homines, quos ipse Dominus magnus, & verus ad imaginem, & similitudinem suam fecit, vt ipsi soli seruiant; tu propter opera Sathanæ, per afflictionem pœnarum morte afficias?* Dacianus autem cum stupore animi intuens EVLALIAM, dixit. *Quæ es tu, quæ tam temerè non solum ad tribunal Iudicis non iussa accedere præsumpsisti, sed insuper elata in superbiam ausa fuisti res inauditas, & contrarias Imperatorum iussibus in vultu Iudicis dicere?* At illa cum maiori constantia animi, strepitu vocis, respondit: *Ego sum* EVLALIA *ancilla Domini Iesu-Christi, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & ideò confidens in eum nihil verita sum ad redarguendum te voluntariè, & festinanter venisse; quare tam insipienter agas, vt postponas Dominum verum, cuius sunt omnia inferiora terræ, & quæ sunt in eis: & Diabolum colas, & adhuc homines, qui Deo suo verè deseruiunt, vt mereantur vitam æternam consequi, tu eos cogis per diuersa tormentorum genera sacrificare Diis, qui non sunt, sed Diabolus est cum angelis suis; cum quibus vos omnes, qui colitis eos in ignem æternum consumendi eritis.* Præses hæc audiens iratus iussit eam sisti, & tergo fortiter cædi, quæ cùm duceretur Pręses dixit ad eam: *O misera puella, vbi est Deus tuus; quare te non liberat à pœna ista: quare tantâ dementiâ arrepta es, vt rem tàm illicitam ageres? Sed d. o te ignoranter incurrisse, quod nescires, quæ esset potestas iudicis, & veniam accipies; quia ego doleo super te, quod nobilissima persona tàm fortiter flagellaris, & grauissimè cùm sit nobilis nata.* EVLALIA Sancta respondit: *Te irrides, dum suades mihi mentiri, dum dicam me nescire quanta sit potestas tua. Quis hominum ignorat omnem potestatem cuiuslibet hominis esse temporalem, sed & ipse homo hodie est, & cras moritur. Nam potestas Domini mei Iesu-Christi finem non habet, sed & ipse æternus est: ideò falsum dicere non possum, quia timeo Deum meum, qui mendaces, & sacrilegos in gehennam ignis cum omnibus inique agentibus comburi iubet. Nam ego modo dum cædor propter Deum meum plusquam satis, nobilitata sum. Tuas quidem plagas non sentio, protegente me ipso Domino meo Iesu-Christo, qui te secundum actum tuum in die iudicij sui æternis iubeat pœnis affligi.* At Præses maiori ira repletus iussit eculeum deferri, & suspendi eam, & torqueri, quandiu exungularetur. S. EVLALIA collaudabat Dominum dicens: *Domine Iesu-Christe exaudi ancillam tuam inutilem quia tibi soli peccaui; indulge factis meis malis, & confirma me ad sufferenda tormenta, quæ pro nomine tuo Sancto mihi adducuntur; vt confundatur Diabolus cum ministris suis.* Præses dixit ad eam: *Vbi est, quem clamas? me audi infelix, & stulta puella; sacrifica Diis, vt viuere possis; quia ecce iam imminet tibi mors, & non est qui te liberet.* S. EVLALIA læta effecta dixit ei: *Nunquam tibi bene sit sacrilege, dæmoniose, periture, vt ego à fide Domini mei discedam. Dominus meus, quem clamo, mecum est, quem tu propter immundissimam mentem tuam, & insanam animam tuam videre non mereris. Ipse confirmat me, vt quancumque pœnam inferre mihi volueris, pro nihilo habeam.* Præses autem fremés cum ira iussit militibus

Proficiscitur Ciuitatem.

Cæditur.

Oratio Martyris.

tuis

ſuis faculas ardentes lateribus eius applicari, & pendere tandiù S. EVLALIAM, quandiu flammarum facibus exureretur. Tunc illa læta, cum exultatione, magna voce pſalmum Domino dicebat: *Ecce Dominus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Redde mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos. Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.* Tunc cœpit flamma in miniſtros conuerti, quod videns S. EVLALIA reſpiciens in cœlum clariori voce orauit, dicens: *Domine Ieſu-Chriſte exaudi deprecationem meam & perfice miſericordiam tuã in me, & iube me ſuſcipi inter electos tuos in requiem vitæ æternæ faciens ſignum in bonum, vt credentes in te videant, & collaudent potentiam tuam.* Et completa oratione ſua, mox extinctæ ſunt faculæ illæ ardentes, quæ infuſæ oleo, nimis glomerabant flammis: & miniſtri qui admouentes eas erant, ipſi exurebantur; & tumefacti ceciderunt in facies ſuas, & S. EVLALIA emiſit ſpiritum, columba ab ore eius exiens ad cœlum euolauit. Quod videntes populi mirati ſunt, inter quos Chriſtiani lætabantur, ciuem in cœleſtibus meruiſſe habere Patronam. Dacianus autem videns poſt tantum certamen pœnarum nihil ſe profeciſſe, gemens cum ira, & deſcendens à tribunali iuſſit corpus in Crucem eſſe, poſitis cuſtodibus, & comminans dixit: *Pendeat in Cruce, quouſque deuoretur Auibus cæli cum oſſibus.* Et ecce ſubito nix de cœlo deſcendit, & cooperuit eam. Quod videntes cuſtodes timore perterriti, amouerunt ſe à corpore, ſed ſtantes à longe cuſtodiebant ſecundum præceptum iudicis. Quod vt diffamatum eſt per territorium in circuitu ciuitatis multi aduenerunt videre miracula Dei; ſed & parentes, & ſocij eius cum magno gaudio cucurrerunt, qui flentes nimis tribulabantur, quia quod euenerat neſciebant. Poſt diem autem tertium viri Religioſi nocte abſtulerunt corpus eius, quod cum linteis, & aromatibus inuoluerunt. Sanctus verò *Felix*, qui in confeſſione vnanimis eius fuerat, cum magna exultatione animi dixit ad eam: *Domina tu prior palmam meruiſti.* Cui S. EVLALIA ſubriſit. Cæteri quoque cœperunt lætantes hymnum Deo canere: *Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus liberauit eos.* Et ad voces pſallentium multi è populo conuenerunt, & mox cum lætitia ſepelierunt eam benedicentes Dominum Patrem, & Ieſum-Chriſtum filium eius, & Spiritum-Sanctum, cuius regnum permanet in ſecula ſeculorum. Amen.

Moritur.

Cruci affigitur corpus.

Nix cooperuit illud.

Miraculũ.

En Acta; quæ mihi puriora, & ſinceriora viſa ſunt. Nunc quia plures eximiæ auctoritatis, & venerandæ antiquitatis ſcriptores, de duabus Sanctis EVLALIIS vno, eodemque tempore, iiſdem fere circunſtantiis, dubitauere, vt conſtat ex S. Antonin. *in Chron. tit.* 8. *c.* 1. §. 15. Marin. Sicul. *lib.* 5. Bergomenſ. *in Chron. lib.* 8. *Ann.* 300. Sabellic. *Ænead.* 7. *lib.* 8. illorum dubia diluere conabimur, vt liquido conſtet duas fuiſſe huius nominis Virgines, & Martyres, aliam *Emeritenſem* de qua, die *IV. Idus Decembris* apud Martyrologos alteram, *Barcinonenſem*, de qua hoc die apud ipſos. Pro quarum differentiæ probatione (omiſſis à Ieronymo Pujades *d. lib.* 4. *c.* 80. & Briuar. *ad Dextr. Ann.* 300. *Com.* 3. *fol.* 346. adductis) tantum Breuiarij Mozarabum Toletani hymnos vtriuſque EVLALIÆ ſubiiciam, quibus deprehendes duplicem fuiſſe EVLALIAM. En primus de Noſtra.

Duæ Eulaliæ.

XII. Februarij

XII. Februarij in festo S. EVLALIÆ Virginis, & Martyris Barcinonensis,

HYMNVS.

Fulget hic honor sepulchri Martyris EVLALIÆ,
Quem sacro signauit idem paßionum stemmate,
Huc vocat adesse cunctos, conuenit occurrere.
Germinis huius propago, vel caterua confluens
BARCHINON *Augusta semper stirpe aucta insigni*
Ciuium florens corona, plebs fidelis inclyta.
Virginem videte vestram, quam sit index gloriæ:
Quæ fide probata terret sic furrentem Iudicem,
Prædicans Crucis honorem, vel salutis indicem.
Hæc enim excæcato insistitur equuleo,
Cæditur, exungulatur, atque flammis vritur;
Terminum habere laudis inter ista nesciens.
Ambiens Crucis patronum, in Cruce suspenditur,
Corpus, illic ad honorem nix polorum protegit,
Sic calore plena sancto, paßionem sustulit.
Huius ex ore columba iam solutis artubus
Prosilijt, inire per auras, ceu volatu percito;
Virginem vicisse clamans in supernis sedibus.
Quæ tamen Dei puellam gestiens præcurrere,
Lege iam mortis peracta, gaudijs attollitur,
Sicque risu rorat ora, corda mulcet flentium
Lucida felix per Orbem BARCHINON *attolleris*
Quæ sinu pignus retentas tàm salubre, tam pium
Scilicet tanti habendo corporis consortium.
O Beata Sponsa Christi Virgo clementißima,
Suscipe iam signaculorum vota, vel suspiria:
Postulans Christum precatu, quo gementes audiat:
Non iniquis seruiamus mente factionibus;
Non caro iugum rebellis suaue Christi renuat;
Sed sacri caloris omnes Sanctitate fulgeant.
Solue quod tædet, quod arguet mortis ad perniciem;
Pestilens morbus recedat; mucro hostis subruat;
Vita sit tranquilla, cunctis sint quieta tempora:
Ciuibus occurre, ciuibus, & salutem porrige;
Esto sic Patrona nobis in relatu gratiæ,

Sicut

Sicut es vicina cœlis ad fauorem gloriæ.
Inter hæc amixtus ipse conquererat & Quiricus,
Qui tui locum sepulchri regulis Monasticis,
Ad honorem consecrauit sempiterni Numinis.
Vt mei post vincula carnis sis memor in æthere.
Et minus quod hic peregi, tu valenter suppleas,
Hæc tibi perlata vota, vel camæna consecrans.
Gloria Patri. Natoquè semper, & Paraclito;
Laus, potestas, atque virtus, gratiarum copia,
Quem Deum cuncta fatentur seculorum secula.

Iam Barcinonensis EVLALIÆ ex hymno Muzarabi, à *Quirico* Toletanæ Sedis Episcopo tempore Gothorum scripto Acta cognouisti; En nunc Emeritensis EVLALIÆ in ipso *Muzarabum Breuiario*, eodem sæculo hymnum ab Isidoro compositum.

PRO SANCTA EVLALIA VIRGINE, & Martyre Emeritensi, ad Vesperas

HYMNVS.

Laudes Beatæ EVLALIÆ
Puro canamus pectore:
Quam Christus inter Martyres
Casto sacrauit sanguine.
Quæ clausa duris postibus,
Interquè fortes cardines;
Somni, cibiquè nescia
Christo canebat peruigil.
Custos tremendi Numinis
Lucem, stupet in vinculis:
In Carceris angustia
Mentis beata gaudia.
Iudex furore turbidus,
Surgit cruentis faucibus,
Et increpat noctis moram
Sanctam daturus hostiam.
Lætoque primo verbere
Christi puella caditur:
Sed consecrare pernegat
Libamen aris impium.
Tunc in reciso stipite
Ductis in altum brachiis

Lætus

Latus puellæ cæditur,
Nudaque flammis vritur.
Victor recedit spiritus,
Corpus relinquens pallidum:
Quod lege mortis perditum
Perducat ad vitam Deus.
Emeritensis *Ciuitas*
Tanto relucens germine,
Conciuibus, in secula
Laudes recantat Vernulæ.

At quidquid dicant exteri hi Scriptores iam de vtriusque *Martyrii* diuersitate, non est cur ambigatur, cùm Romana Ecclesia illas discernat, vniuscuiusque elogium variis diebus consignans.

Aliqui Scriptores hallucinantur.

De Petro de Natalibus, & aliis, qui vtriusque Acta tanta, confusaque relatione texuerunt, non est mirandum, inuenere res gestas Evlaliæ diuersis in vrbibus concinnatas, non perceperunt vtriusque differentiam, & ideo vtriusque agones, sub vnius titulo digessere. Sicque alteram *Emeritæ* passam, & *Barcinonem* translatam fuisse hallucinantur. De quo etiam videndus P. Biuar. *d. fol.* 346. & Pujad *d. lib.* 4. *c.* 81. Barnab. Moreno de Vargas *lib.* 1. *Hist. Emerit. c.* 8. apud quem aliqua circumferuntur, quæ *die X. Decembris* reducere curabimus, quia tantæ eius vrbis Patronæ encomiastes videri voluit, vt fere euentus potentiam resecare, & ad nihilum reducere properaret. Scriptoris ergo officium est, antiqua producere prout inspectantur; nec potentiam successuum negare, tanquam testis ocularis, cum plura sint, etiam in Ecclesia Dei historiarum acta, quæ variabili lectione referuntur, & non ex hoc potentias euentuum, doctor, & peritus temerariâ oppositione condemnat. Quis ergo (exempli gratia) non ridet in isto Auctore (licet erudito) irregularem assertionem, cùm dixit: *Etiam falluntur, qui dixere* B. Evlaliam *Barcinonensem secessisse in proprio prædio extra ciuitatem, à quo ad martyrium perrexisse, temporequè, quo spiritum emisit, ab eius ore* columbam *euolasse. Hæc enim omnia* Tantvm *Beatæ* Evlaliæ Emeritensi *accidisse.* Vt quid amice potentiam successus denegas Barcinonensi, quando cætera (quæ fere contraria) concedis? Vt quid possibilitatis mucro, verbo Tantvm ingeris, cum tam antiqui, quàm recentiores ea omnia euenisse Barcinonensi fatentur Scriptores? Ergo vela temeritatis recollige, & hisce in relationibus Tantvm quæ à maioribus conscripta sunt addisce, quibus ad veritatis apicem peruenies.

Scriptoris officium.

Alia quæ inter Pujades, & Diago controuertuntur dubia circa supplementum Actorum, cùm huius non sint loci, prorsus omittimus, Lectorem illuc remittentes.

Barcino, siue Barcinona. De eius antiquitate diximus die VI. & XXIX. Ianuarij, vbi duas retulimus sententias circa conditorem tantæ vrbis. Nunc alteram aliorum scriptorum opinionem describemus. Ieronym. Paul. *in Descript. Barcin.* & Florian. de Ocamp. *lib.* 4. *c.* 12. referunt conditam in memoriam vrbis *Cariæ*, quæ Barcilo vocitatur, ducti à nominis similitudine: sicque Nostram non Barcinonem, nec Barcinonam, sed ab ipsa cuius etymon suxit, Barcilonam vocandam esse contendunt. At huius denominationis placitum minimè doctis, & literatis arridet.

Opinio IV. de Vrbis antiquitate.

B. SS. Modestvs, et Ivlianvs Martyres.] Illos restituisse indicat *Baronius* ex antiquo exemplari, & in Martyrologio Romano à se edito reposuisse; passosque *Carthagine* fatetur; sic h. d. *Carthagine SS. Martyrum* Modesti, *&* Ivliani.

IVLIANI. Quo cum conueniunt Martyrologia Societatis Iesu *Lusitanum*, P. Dionys. Vazq. *Castellanum*, & *Italum* Constant. Felicis Sed in qua ex duabus vrbibus, an Africanæ Carthaginis, an Hispanæ, nemo aperit. In antiquo illo Martyrologio Romano à *Baronio* desiderato, & à *Rosweido* edito MODESTI cum Amnonio inuenitur memoria solummodo, de quibus etiam Notkerus, & Rabanus, à quibus etiam Galesinius, qui IVLIANVM, inter *Stephanum* Episcopum, & *Damianum* apud *Lugdunum*, passum affirmat. Sed an quos isti Scriptores, diuersis clausulis, martyrio coronatos dicunt, eosdem esse quos coniunctim *Baronius* posuit, nondum diuino. Ambos coniunxit Flau. Dext. *in Chron. ann.* 160. hoc elogio: *Carthagine Hispaniæ* MODESTVS, *&* IVLIANVS *florent.* Quo loco P. Biu. *n.* 1. *fol.* 249. subiicit: *Suscitauit Cardinalis Baronius memoriam Sanctorum Martyrum* MODESTI, *&* IVLIANI *Carthagine (in Hispania) passorum, quæ Librariorum incuria à Romano Martyrologio exciderat.* Cum eo conuenit Roderic. Car. *fol.* 72. *lit. T.* suos agnoscunt Martyres *Carthago Noua*, & Bigastrum, vt referunt Cascal. *Hist. Murciens. discurs. fin. c.* 4. & P. Vargas *Hist. Hortens.* §. 2. Eorum Acta periere, illa pro instituti continuatione, pia relatione scribemus.

Cuius vrbis Carthaginis palæstra.

Scriptorum varietas.

ACTA SS. MODESTI, ET IVLIANI Martyrum Carthaginensium in Hispania, ex Dextro, & aliis.

IVLIANVS, & MODESTVS nobiles inter Carthaginis Spartariæ Ciues, sed nobiliores inter Christi asseclas Hispaniæ, temporibus M. Aurelij Antonini Imperatoris inuenti sunt. Ij ergo cùm fidem adepti Catholicam fuissent, quam Sancti illius Sedis Apostoli, & Præsules suo sanguine, verbis, & operibus prædicarunt, in eius vitam agerent confessione constanter, euenit vt Imperatoris decreto, quos ferox inuenisset Christianos sæuitia. Gentilium, aut Diis litare, aut per cruciatuum agones ad mortem protrahere, sine intermissione, compelleret. Annuit Principis placito lætabunda Ethnicorum vesana libido, & inter alios, quos fides tenebat orthodoxos, MODESTVM, tenuit, & IVLIANVM Satellitum manus, quæ illos in carcerem coniiciens, in ergastulum sepeliens, tandiù fœtore spelæi lacessiti, famis squalore correpti, cathenarum stridore confusi, delituerunt, quandiù fœtore, fame, & confusione mortui suspicarentur. Ast ex erumnoso carceris rapti hiatu, constantiores inuenti, & ad mortem damnati, iugulum mucroni, vitam gladio, & spiritum Creatori, intrepida confessione obtulere, Pridie Id. Februarij, Anno Domini C. LX.

Ciues Carthaginis Nouæ.

Comprehenduntur.

Coronãtur

En Acta: Additionator marginalis ad Notas Baronij in Martyrologio Romano ab Vrbano VIII. Pont. Maximo, Antuerpiæ excuso, credidit, absque auctoritate, passos Martyres Nostros, Anno CCC. vel circiter; sed toto cœlo aberrans, à vera anni consignatione defecit. Hæc de illis, maiora Deus qui illos coronauit agnouit.

Error Additionatoris ad Notas Baronij.

CARTHAGO NOVA, seu SPARTARIA, hodie CARTAGENA Hispaniæ, de qua diximus supra die XV. Ianuarij, & III. Februarij, & dicemus VIII. Aprilis, Ciuitas Episcopalis antiqua, cuius est insignis mentio apud Scriptores, & antiquæ inscriptionis memoria isthæc perseuerat.

IOVI. OPTIMO. MAXIMO.
IVNONI. Q. OXORI.
OB. TRES. VICTORIAS. E. TRIBVS. MAXVM.
CARTHAGINENSIVM. IMPERATORIB.
PARTAS.
P. SCIPIO. VICTOR. TEMPLON. POSVIT.
APVD. BASVLAM. FLVV. HISPAN.

Huius inscriptionis formulæ meminere Morales *in Antiquitat.* & Gruter. *in supposit. fol.* 1. *n.* 6. licet perperam illam in numero illorum apponat, cum certa ex oculorum inspectione deprehendatur notitia.

C. S. DAMIANVS Martyr in Africa.] Illius anamnesim congessere Beda, Vsuardus, Ado, Galesinius, & Recentiores, & ex antiquis Rabanus, Notkerus, & alij. Ab omnibus Martyrolog. Romanum h. d. sic. *In Africa S. DAMIANI militis, & Martyris.* Quo tempore vixerit nullus refert, ideo sola relatione contenti nominis ad vlteriora pergo: huius ergo S. Martyris lipsana ex cæmeterio Calisti extracta per Reu. Dom. *Ioannem Baptistam de Alteriis* olim Episcopum Camerinensem, donata Reu. *Patri Ioanni de la Annunciacion* Ordinis fratrum excalceatorum SSS. Trinitatis, & post modum toti ordini cum aliis Sanctorum pignoribus ab ipso Reu. Patre concessa, vt ex auctograho huiusmodi liquet:

IN NOMINE DOMINI Amen. Præsenti publico instrumento cunctis vbique pateat euidenter, & sit notum, quod Anno à Natiuitate eiusdem D. N. Iesu-Christi M. DC. XL. Indictione VIII. die vero XXX. Mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. Anno eius XVIII. In mei Notarij publici, & testium infra scriptorum præsentia, præsens, & personaliter constitutus Perillust. & Reuer. Pater frater Ioannes de Annũtiatione fratrum decalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum in Romana Curia Procurator Generalis, ac Eminentiss. ac Reuerendiss. D. Francisci Cardinalis Barberini S. D. N. Vrbani VIII. Nepotis Confessarius, necnon Minister Conuentus S. Caroli eiusdem Ordinis ad Quatuor-fontes in vrbe, mihi Notario cognitus, asserens reuerenter habuisse, & accepisse ab Illustrißimo & Reuerendißimo D. Ioanne Baptista de Alteriis olim Episcopo Camerinensi, Eminentiss. & Reuerendiß. D. Vicarij Generalis Almæ vrbis vices gerente nonnulla Sanctorum Corpora & signanter CORPVS B. DAMIANI prout in literis patentibus ab eodem Illustriss. & Reuerendiss. D. Vices gerenti subscriptis, quas in medium exhibuit, mihique Notario tradidit, & consignauit præsenti instrumento inserendis, tenoris sequentis, videlicet: IOANNES BAPTISTA de Alteriis olim Episcopus Camerinensis, Eminentissimi Vrbis Vicarij vices gerens, & Iudex Ordinarius Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis fidem facimus, & attestamur qualiter Nos hodie ad maiorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum suorum gloriam tradidimus, & consignauimus Admodum Reuerendo Patri Fratri Ioanni de Annuntiatione, fratrum Discalceatorum Ordinis SSS. Trinitatis &c. nonnulla Sanctorum, atque Sanctarum corpora, alias à Nobis ex Calixti cœmeterio de mandato S. D. N. Vrbani extracta &c. inter quæ CORPVS S. DAMIANI Martyris eidemque tenore præsentium, vt ab vrbe transmittere, seu transportare, aliis donare, ac in Ecclesiis exponere, vt à piis fidelibus deuote venerari possint licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die IX. Ianuarij. M. DC. XL. Ioannes Baptista Episcopus, Camerinensis Vices gerens. Loco sigilli †. Ioannes Rubeus Secretarius. Ideo huiusmodi facultatem, dedit, concessit & consignauit Ordini SSS. Trinitatis

nitatis Hispaniæ, præter alia, hoc S. D A M I A N I *Corpus &c.*

Ego Ioannes Baptista Marus Presbyter Romans V. I. D. & ad scribendos & rogando processus Illust. ac Rev. Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Monasteriorum Consistorialium Notarius specialiter priuatiue, quoad omnes à S. Sede Apostol. deputatus, necnon & Notarius Apostolicus Sacræ Rituum Congregationis, & in Archiuio Romanæ Curiæ descriptus, de præmissis rogatus præsens instrumentum subscripsi, ac publicaui, ac meo solito signo muniui reique in fidem.

S A L M A N T I C A, Vibs antiqua in Vlteriori Hispaniæ, qua Vettones ad Orientalem plagam cum Lusitanis confusi, distendebantur. Ciuitas Episcopalis est, vbi celebris toto orbe Academia conspicitur, ex qua insignes eruditione, & sanctitate prosiliunt omni tempore Magistri, qui post modum Orbem Hispanum, qua Italiam cingit, qua Flandriam, & Nouos Orbes amplectitur, Ministri Regij iustis factis, & prudentibus facinoribus moderantur. Hodie S A L A M A N C A, de qua historiam M. Æ G I D I V S *Gonzalez Dauila*, olim eius S. E. Portionarius, nunc Castellæ, Legionis, & Indiarum Archichronographus texuit. De ea inferius dicemus. *Salmanticæ situs.*

TRANSLATIO Brachij S. EVGENII, Archiepiscopi Toletani.] De ea *Tabulæ S. E. Toletanæ*, à quibus Philipp. Ferrar. *in General. Catalog. SS h. d. fol.* 74. in hæc verba: *Toleti in Hispania Translatio* S. E V G E N I I *Episcopi, & Martyris.* Eius in Breuiario ad vsum Toletanæ diœcesis exarato officium Duplex hoc die inuenitur, in cuius Rubrica sic: T R A N S L A T I O *prima* S. E V G E N I I *Archiepiscopi Toletani, & Martyris, Duplex.* Eius Acta scripsere Blas. Ortiz *in Descript. Eccles Toletan. c.* 32. Francisc. Pis. *Hist Tolet. lib.* 2. *c.* 9. P. Marian. *lib.* 11. *c.* 3. Salazar de Mendoza *in Vit. M. S. D. Ioann. Archiep. Toletan.* D. D. Dicad. Cast. *de Primat. Tolet.* 4. *p. c.* 2. *fol.* 691. Quam euenisse sic referunt.

ACTA TRANSLATIONIS BRACHII, S. E V G E N I I *Episcopi Toletani, & Martyris, Parisiis Toletum ex variis.*

C V M Eugenius III. Pontifex Maximus, Lucij II. successor, de rebus in Syria diffideret, tanto periculo prouocatus, ac Christianæ Religionis amore succensus in Galliam abiens Christianos Principes ad bellum sacrum excitare non desistebat. Conradum Imperatorem, & Ludouicum Galliæ Regem, vt cum lectissimis copiis in Syriam proficiscerentur, permouit: atque in eam rem intentus Remis vrbe Galliæ Episcoporum ex toto orbe Conuentum indixit anno Domini M. C. XL. VIII. Ad istud ergo Concilium Raymundus Toletanus Præsul ex Hispania abiit. Lutetia Parisiorum in ipso itinere posita est. Eò cum peruenisset, Dionysiacum templum, quod quarto ab vrbe lapide in oppido eiusdem nominis situm est, S. Dionysij cineribus sacrum, & Regum Galliæ sepulcris nobile inuisendi studio abiit. Ibi dum moles templi, & ornatum curiosius contemplatur, & singula diligenter perscrutatur oculis, atque considerat, forte, admonitus animaduertit in Sacello quodam hæc verba in marmore incisa: *Occasio Translationis.*

HIC SITVS EST S. EVGENIVS PRIMVS.
ARCHIEPISCOPVS TOLETANVS. MART. *S. Eugenius Episcopus Toletanus.*

Eam inscriptionem miratus primùm, cùm E V G E N I I memoria penitus esset in Hispania obliterata, neque vllum tantæ rei præterea monimentum extaret, libros eius templi, atque veteres

ſchedas diligenter excuſſit: inuenitque conſentire omnia: atque ex ea re lætitia geſtiens Remos ad Concilium perrexit, ſolutoque Conuentu, atque iis rebus, pro quibus venerat, ex ſententia conſtitutis, in Hiſpaniam tantæ rei lætus nuntius reuertit. Regis ergo, Procerum, atque adeo vniuerſæ gentis animos, re nuntiata, gaudio quam maximo cumulauit. Conſilia Toletum reducendi ſacros EVGENII cineres agitari cum inciperentur Berengariæ Reginæ, atque Raymundi Archiepiſcopi coniuncta fermè funera diſturbarunt. At poſtmodum adueniente in Hiſpaniam Ludouico VII. Galliarum Rege inuiſendi B. IACOBI ſepulchrum cauſa, vt palam creditum, licet aliis onerato, ALFONSVS item VII. Caſtellæ Rex, cognomento Imperator, totius rei ignarus, vtroque filio, Sanctia, & Fernando, cum Vaſconum Rege ſtipatus, Ludouico genero obuiam Burgos vſque proceſſit. Confluxerunt ex vniuerſa Hiſpania, è propinquis, vlterioribus, longinquis, & vltimis oris tum Proceres, tum magna multitudo mortalium, tot Reges ſub eiſdem tectis viſuri. Quidquid decorum magnificumquè erat proferebatur, quaſi ſe Hiſpania Francis, apud quos inopiæ fama laborabat, oſtentare cuperet. Hoc apparatu Compoſtellam itum eſt: votiſque rite perſolutis Toletum feſtinatum, quo ex vtraque gente, Mauris, & Chriſtianis, qui imperio parebant, Conuentus indictus erat, amplioris potentiæ ſcilicet oſtentandæ cauſa. Quæ Ludouicum ſecreta traxerat, explorata cùm fuiſſet donis acceptis in proprium remeare Regnum conſtituit. Aſt quo tempore Ludouicus Galliæ Rex Toleti erat, mẽtio incidit de B. EVGENII, I. Archiepiſcopi Toletani agone, præſulatu, & operibus, cuius cineres in templo Dionyſiaco fuiſſe, paulo ſuperius dictum eſt. Petebant vt ſacra pignora Hiſpaniam mitterentur. Graue id Francis videbatur. Impetratum tamen vt mitteretur pars. Quod Ludouicus in patriam reuerſus cumulatè præſtitit, eius Cœnobij Abbate ad Alfonſum ſocerũ Legato cum dextro Martyris BRACHIO. Alfonſus, Sanctius, Fernandus filij, Proceres, Populus, & Clerici Toletum BRACHIO appropinquante obuiam cum ſuperpelliciis proceſſerunt, Imperatorequè, & vtroque filio ſuccollantibus, techa ad Templum maximum delatâ, atque in ſacrum ærarium illata Februarij Menſis die XII. Anno ſalutis M. C. LVI.

Ludouicus VII. Hiſpanias adiit.

Brachium Dextrum miſit.

Hæc ſunt Acta TRANSLATIONIS primæ è Lutetia Toletum. De hac ibidem compoſite *Aluarus Gomezius* eruditam inſcriptionem texuit, quam in ſecunda Tranſlatione lapide inciſam demonſtrauit, hiſce characteribus:

ALPHONSO. VII. HISPAN. REGI.
RAYMVNDO ARCHIEP. TOL.
HVIC. QVOD. EVGENII. NOTITIAM.
DEDERIT.
ILLI. QVOD BRACHIVM. EIVS. ANNOS.
DETVLERIT.
TOLETANI. VTRIVSQVE. SVSPICIENTES.
D. D.

Quibus omnibus Aubert. Myræus *in Faſt. Belgic. die XV. Nouembr. fol, 684.* contrariatur; aſſerens duo. Primum, quod Toleto Lutetiam tranſlata lipſana fuere. Secundum quod Corpus Noſtri EVGENII Lutetia Bronium in Belgium tranſlatum. Hæc ſunt verba: *Saraceni à Mauritania cùm in Hiſpaniam irrupiſſent, Corpus* S. EVGENII. I. *Toletani Antiſtitis in Galliam eſt tranſuectum, & in S. Dionyſij Abbatia, Regum tumulis chariſſima, prope Pariſios collocatum. Inde pars Corporis à S. Gerardo*

Myrei error.

Gerardo Abbate in Belgicam translatum, ad Bronrense Monasterium, diœcesis hodie Nasmurcensis, vbi etiamnum religiose adseruatur. Hisce duobus dubiis faciemus satis alibi, sed quia primum ab omni prorsus historicæ veritatis placito deuiat, Lectorem missum existimauimus ad vniuersos Galliæ, & Hispaniæ Scriptores, qui Acta *S. Eugenij* contexuere, quos Andr. Saussav. *in Martyrol. Gall. die XV. Nouembr. tom. 2. fol.* 876. Suarium *tom.* 6. Acta S. EVGENII apud *D. Petr. Manrique,* & alios quos referemus eodem agonis die.

TOLETVM, vrbs Regia, postmodum Imperialis de qua scripsimus die I. Ianuarij, & die XXII. & infra dicemus die VI. Aprilis. De ea hic nisi inscriptionis epigraphem Philippo Romanorum Imperatori à Toletanis erectam, nihil aliud inserere cogitamus.

IMP. CÆS. M. IVLIO. PHILIPPO FEL.
PIO. AVG. PARTHIC. MAX. TRIB.
POT. P.P. CONSVL.
TOLETANI.
DEVOTISSIMI. NVMINI. MAIEST.
QVE. EIVS. D. D.

Alteram inscriptionem qua Toletani propter Christó nomen à Philippo Imperatorum Rom. datum, *Sanctoque Fabiano* Summo Pontifici diuitias ad pauperes subleuandos collatas, alibi subijciemus.

IDIBVS FEBRVAR.

DIES XIII.

A *Caraui prope Cæsaraugustam Hispaniæ in Sedetanis Sancti* POLICETI, *qui tempore Neronis Imperatoris crudelissimi, cum Christi coleret fidem, & vnus Athanasij Cæsaraugustani Præsulis Leuitæ fungeretur honore, ab Ethnicis tentus carceratus, in ergastuloque fame correptus, tandem ad martyrij gloriam intrepidus agonista mucrone cædente peruenit.*

B *Apud Ratense Cœnobium prope Braccaram Augustam, olim Gallaciæ, nunc Portugalliæ Metropolim,* S. STEPHANI *Abbatis: qui cùm S. Benedicti cucullam induisset, & in ipso Monasterij claustro vitam consummasset mirabilem, post Abbatiatus onera, assistentiæ Concilio Toletano III. honorem, plenus facinoribus inclytis, & admirabili virtutum Sarcina onustus, ad gloriam diu desideratam Confessor properauit honestus.*

NOTÆ.

A SANCTVS POLYCOETVS Leuita, & Martyr.] De hoc Sanctissimo Agonista altum silentium apud Scriptores Hispanos, & quod est mirabile apud Aragonenses, qui adhuc eius nomen penitus ignorant. Illud primò mihi præbuit Philippus Ferrar. *in General. Catal. SS. h.d. fol. 75.* hisce verbis: *Cæsaraugustæ in territorio* S. POLYCETI *Martyris.* Qui in Notula, hæc: *Ex Kalend. & Tabul. Ecclesiæ Cæsaraugustanæ. De quo tamen nihil apud Scriptores Hispanos legi.* Quod verū est: licet de *Kalendario,* & *Tabulis Ecclesiæ Cæsaraugustanæ,* quas ego viderim, incertam relationem subiiciat. Illius Acta ex hymno antiqui *Breuiarij Cœnobij S. Naboris in Lotharingia,* olim *Hilariacum* vocitatum, mihi remisit eruditissimus *P. D. Froalinus Monachus,* à quo hymno hæc desumpsi Acta:

ACTA S. POLYCOETI LEVITÆ, & Martyris Carauiensis ex hymno Breuiarij MS. S. Naboris Cœnobij.

Origo. POLYCOETVS fuit origine Gallus, qui cùm Christo nomen dedisset patriam relinquens, vt fidei documenta perciperet, & adepta doceret, Hispaniam abiit, quam B. IACOBVS Zebedæi filius sua prædicatione lustrauerat. *Hispaniam venit.* Ibidem Euangelicæ vocis præsidio munitus, fidem exaltans, sine cessatione clamabat: quo plurimi illius Ibericæ regionis populi, licet feroci conspicerentur natura, Dei verbis molliti, & suaui legis onere attracti, mite Religionis iugum admisere contriti. His, & aliis bonorum operum sarcinis onustus S. Vir Cæsaraugustam deuenit, *Cæsaraugustæ sistit.* vbi Athanasium IACOBI discipulum, & illius vrbis Episcopum inueniens, illi per aliquod temporis adhæsit, à quo sacri dogmatis specimina suggerens, perfectissimos doctrinæ apices, mira eruditione, suscepit. Illum postmodum POLYCOETVS per Celtiberiam, & Carpetaniam prouincias (quibus imbuere fidei rudimenta S. satagebat Antistes) est indiuiduus pedissequus comitatus, *S. Athanasij comes indiuiduus.* donec Cæsaraugustam redeuntes, B. Athanasius cognita doctrinæ, pietatis, & fidei veritate Discipuli, ad Sanctum Leuitæ munus, admirabili destinatione Virum sanctissimum euexit. Tanto ergo POLYCOETVS munere donatus, ad maiora capessenda virtutum agmina animum, Magistri exemplo, direxit, *Fit Leuita.* & ideò gloriosis facinoribus imbutus altum sibi perfectionis florarium breui comperendinatione contexuit. Ad Magistri quippe, Discipulorumquè eius, & præcipue POLYCOETI, qui circumiacentes vrbeculas, oppida, & vicos continua prædicatione lustrabat, exemplar, non tantummodo viri catholicam seruabant methodum euigiles, sed & imbecillis tenerarum quoque Virguncularum, mulierúmque aliarum sexus, inualidi senes, ac pueri, impuberes, qui virtute teneritudinem vincentes ætatis, fortitudine infirmitatem superantes, inuicta animi constantia carnis triumphabant illecebras, & quasi carnis, & corporis expertes, per exactissimam castitatem, & cæterarum virtutum tramites, Christo corpora, & animos humili resignatione sacrabant ad hoc tantum lucis nouæ iubar Ethnicorum oculi, conuersaque in virus medicina, cum suorum cultum Deo-

rum

rum minui in dies aduerterent, Neronis Imperatoris exemplo, qui Christianos insequi dira persecutione iactauerat, Athanasium, Theodorum, POLYCOETVM, & alios eorum synchronos, Christique ascetas de medio tollere, mortemque inferre, consilio præcedente, decreuere. Sic Athanasius, sic & alij ad agonis stadium per cruenta Gentilium supplicia deuenientes, martyrio iugulum præbuere lætantes. Aberat POLYCOETVS, vt missionis Euangelicæ onus, ex more persolueret, sed *Caraui* iuxta Cæsaraugustam tentus, carceratus, & in ergastulum coniectus, tandiu fame, & fœtore correptus delituit, quousque post varia certamina per medium corporis sectus, ad gloriæ coronam Martyr inclytus properauit æternam. Idibus Februarij, Anno Domini LXI.

Hæc sunt Acta, quæ ex peruetusto hymno depromere potuimus, cuius copiam à P. Froalino susceptam, carmineque Phaleucio-hendecasyllabo exaratam, licet minus puriori, Lectori ad probationes paramus.

PRO SANCTI POLYCOETO M.

HYMNVS.

AVDI mi Deus hominum cateruas
Quas Sanctus POLYCOETVS *vnit, ornat:*
Vt magno tibi dono, vocibusque,
Grates conspicui re, corde, & ore
Persoluamus: fidem fidelis Almi
Læti Martyris insequamur atque.
Istum Gallia magno progenitrix.
Ciuem testificum dedens amore,
Quem Hispania, post, honorabunda
Vidit sanguine tum cruento passum.
Ergo iam fide fusus, inque Iberos.
Degens, protinus arma legis, ægris
Monstrat ciuibus ore, signis; vnde
Totum post Regionis in Deum ardet
Ferocis populi genusque, plesque.
Isthæc scilicet en per heroicum
IACOBVM *fidei vias edocta;*
Athanasio iuncta Presbytero,
Qui post Cæsaris vrbe Præsul Almus
Augustæ sedis inque factus vltro.
Prælato POLYCOETVS *hæret isti:*
Cuius spiritus hauriens amanter
Se totum dedit illius saluti.
Omnes postea gressus ac Magistri
Libens insequitur fidelis heros.

At mirabiles Almus huius ergo
Virtutes Pater eminusque noscens,
Hunc Leuitico imbuit sacrato
Sanctos ordine ritus arte seruans.
Tanto munere sanctus hoc donatus,
Christum prædicat ore, voce, corde:
Donec Carauis vrbe tentus vltro,
Factus Martyr ouans fidem reseruat.
Isthæc hoc modo euenere: Namque
Furor tempore hoc Neronianus
Hispanos fere deuorans seuerè,
Omnes Christicolas resumit acri
Mucronis fero verbere, & fatali,
Hoc ergo POLYCOETVS *impiger ferali*
Pugil verbere tunc sacer resectus
Mortem per medium placens recepit:
Quo post Incola cælitus fit. AMEN.

Non me latet hoc die Antiquum Martyrologium à Rosuueido editum POLYEVCTI Martyris Militenæ in Armenia passi meminisse, prout similiter meminere Petr. Equilin. lib. 12. c. fin. n. 61. hisce verbis: POLYOTVS *Martyr, qui latine interpretatur* multæ auris, *in Milytana Armenia Id. Feb passus est.* Constant. Felic. & Galesin. Sed iste Martyr à Nostro longe diuersus est. Iste apud Armeniam; Noster in Hispania. Ille tempore Decij, vt refert Galesin. sic: *Melitenæ in Armenia* S. POLYEVCTI *Martyris. Is in* Deciana persecutione, *datis pro Christo ceruicibus coronatur.* Et conueniunt vetera Martyrologia Bedæ, Vsuardi, & recentiorum, & Menolog. Græcorum. V. Id. Ianuarij, ex Metaphraste Lippomanus, à quo Surius tom. 1. Noster vero tempore Neronis; & denique iste, & ille in nomine, & genere agonum differunt. Quibus vtriusque discrepantiam agnosces. Tu interim erudite, nouitatem lauda, & inuentis adde. Facilis enim istis aggregatio est.

De ea Appianus Alex. de Bell. Hisp. fol. mihi 930.

CARAVIS, peruetusta Hispaniæ Citerioris vrbs fuit. De ea isthæc Andr. de Poza in Corographia Antiq. Vrb. Hispan. lit. C. verbo: CARAVIS *suum habuit situm inter Nauarræ, & Aragoniæ terminos; adhuc eius sedes ignoratur. Hoc tantummodo absque controuersia dignoscitur, quod* Gracus Prætor *illam fraude subegit, anno C. LXXVI. ante Christi aduentum.* Imperator Antonin. *in suo Itinerar.* Ab Asturica per Cantabriam Cæsaraugustam *fol.* 100. eius item meminit, sic:

Turiasonem. M. P. XVII.
CARAVI. M. P. XVIII.
Cæsaraugust. M. P. XXXVII.

Quo loco Ieronymus de Zurita *fol.* 599. eius mansionis vestigia reperisse nulla, ingenua veritate fatetur. Forte Agarenorum proluuie, eius mœnia disrupta, & excisa sub aggerum silentiosis ruinis delituere.

B S. STEPHANVS Abbas, & Confessor.] D. Rodericus de Acuña Hist. Braccarens. 1. p. c. 79. fol. 371. De isto sanctissimo confessore isthæc adnectit verba: *Quatenus ad vita Acta, apud Nostros altum silentium: Ille luminum Pater, qui vides*

in abscondito, illius S. Abbatis merita retribuet. Ipse enim M. Maximus *Sancti mortem ad annum D.XCVIII. post solutum Concilium Toletanum III. anno IX. reiicit. Aliqua nos feruida suspicio capit, quod iste* B. STEPHANVS *Abbas, est ille, de quo Martyrologium Romanum Idibus Februarij meminit, in cuius gloriosa morte Angelorum descendens turba, quam qui aderant sentire meruere, eius spiritum ad cœlos asportauit, vt* S. Gregorius *refert. Sicque loco* REATE, *substituendum esse* RATE, *vt non in* Italia, *sed in* Portugalia *euenisse miraculum credatur, cuius odor Romam vsque, ad tanti Pontificis solium penetraret.* At salua pace Præsulis Braccarensis, haud crederem Nostrum STEPHANVM Ratensem Abbatem, illum esse, cuius meminere B. Gregorius Papa, & Martyrologium Romanum, ex pluribus.

PRIMO, quia in contrarium sunt Acta à Baronio, & Philippo Ferrario in Catal.SS. Ital.h.d.fol...conscripta, in quibus veridica relatione subiicitur, illum Reatinum Abbatem fuisse, ibidemque honorificentissima coli veneratione.

SECVNDO, nam si benè verba B. Gregorij notentur, facile ab errore discedere compellemur. Audi Roderice, Pontificem Magnum *lib.4.Dial.c.19.*in cuius lemmate: *De Transitu* STEPHANI *Viri Dei* est post modum in exordio: *Prædicto autem* Probo, *aliisque Religiosis narrantibus Viris, agnoui ea quæ indicare audientibus, de Venerabili Patre* STEPHANO *in homiliis Euangelij curaui. Fuit idem Vir, sicut idem* Probus, *& multi alij testantur, nihil in hoc mundo possidens*, &c. Vt ergo agnoscas de quo loquitur STEPHANO Gregorius, ab ipso edifcere debes, quis iste *Probus*, à quo Pontifex vitæ suxit ecphasim, fuerit: quo cognito, nulliter te tam erronea suspicio teneret. Sed quia hoc haud didicisti, ego tibi Auctorem relationis propalabo: imò non ego sed B. Gregorius, qui *lib.4.c.12.* in summa capituli eius dignitatis titulum manifestat, sic: *De anima* PROBI *Reatinæ vrbis Episcopi.* Postmodum in capitis corpore: *Qua de re, neque hoc sileam, quod* PROBVS *Omnipotentis Dei famulus, qui nunc in hac vrbe monasterio præsto est, quod appellatur* REATE, *de* PROBO *Patruo suo* Reatinæ *Ciuitatis Episcopo mihi narrare consueuit.* En quis PROBVS. Quis Auctor vitæ STEPHANI, vterque ex *Reatina* vrbe, iste Abbas, ille Episcopus in Italia; ergo perperam Portugallos Acuña facit.

HIS sic intellectis, ad veram Actorum B. STEPHANI cognitionem Hispani Abbatis deuenio. Non enim ex hoc Hispanicæ Ecclesiæ aliquid detrahitur, quia cum ipsa tot referta Martyrum, Confessorum, ac Virginum trophæis dignoscatur, vno, aut altero, nec honore minuitur, nec magnitudine augetur. Veritati ergo consulimus, non errori. Vtilius enim est, patriam veridicis relationibus onerare, quàm furatis laudibus honestare. Nullum quippe honoris sibi Hispania adiungit magnificum, ex defictis, & commentitiis Sanctorum exterorum plausibus; quia si veritatem celare, aut mendacium dicere, culpa est, vt inquit August.de Agon.Christ. *Qui veritatem* (inquit) *occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus est: ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat*; vt quid alienum appropriabimus Sanctum, quem re vera nusquam Nostrum agnouimus? Ergo vt ad inceptum reuertar, B. STEPHANVM Monachum fuisse Benedictinum, & in Ratensi, Gallæciæ tunc, Cœnobio iuxta Braccaram, illius regionis Metropolim, Abbatem, profiteor, vt indicant S.M.Maximi Cæsaraugustani Præsulis in Chron. Ann.590.verba, vbi referens Episcopos, & Abbates, qui III interfuere Toletano Concilio, prosequitur: STEPHANVS *Abbas* Ratensis, *Ordinis S. Benedicti.* Et Ann. 598. illius transitum designans, simplici oratione, & *defectuosa*, sic concludit: *Sanctus* STEPHANVS Rate *prope Braccaram Augustam*, moritur. *Diminuta.* Sic orationem perfectam construes. Eius Acta nullibi scripta percepi; illa sic attexe.

ACTA

ACTA B. STEPHANI RATENSIS Abbatis Ordinis Benedictini Confessoris, ex S. M. Maximo.

STEPHANVS natione Hispanus, patria Gallæcus, à vita rationis Arianorum cõmercium diffugiens, totum se Catholicæ fidei placitis, & Orthodoxæ religionis dogmatibus dedit; sed quia hæresum lues fere totos depascebat Hispanici Orbis, Leouigildo suadente, circulos, vt tempestuosi maris procellas euaderet, & pestiferi veneni corruptionem illuderet, portum in religione suscepit, antidotum in silentio Monasterij perbibit. Vnde æui turbulentiam effugit, & hæreticorum virus euasit. Talis ergo in eo vitæ apex fuit; tanta religionis obseruantia, vt omnes non solum Cœnobitas coæquaret, sed longius gratia Numinis interueniente superaret. Portus ergo illi Ratense Cœnobium fuit, vbi protinus, quòd eius silentiosa tuguria calcauit, pronus lateres mira humilitate deosculatus, animum ad superiora virtutum cacumina direxit. Illic, vt minime mundi illecebræ illius propositum reuocarent, ieiuniis, disciplinis, silentio, orationibus, & aliis afflictiuæ carnis exercitiis, sibi, & Deo, à nullo cognitus, omnibus gratus, & sibi terribilis, vitam transigebat Angelicam. Eius virtutes in publicum deferre Numinis voluntaria prouidentia decreuit, & ideo è viuis sublato illius Monasterij Abbate, illud muneris onus, etsi reluctante humilitate, percepit. Fuit siquidem in illo potius obedientiæ suffragium, quàm verecundæ modestiæ conceptum. Illâ, etiam aut inuoluntariè meremus, istâ, nisi deposita resistentia, vix progredimur. Ad Abbatiale igitur fastigium perductus Vir Sanctus, omnem suam operam in euehendis vlterius fratrum virtutibus posuit; sicque à Domino adiutus nil nisi religiosum, nil nisi perfectum, & pium, in quolibet agnosceres Cœnobita. Hoc tempore Hispanicæ fidei miseratus Omnipotens, Reccaredum, Hispaniæ Regem constituit, qui partim Leandri, Isidori, & aliorum Præsulum hortatu, & S. Hermenegildi fratris, & Martyris sanguinis profusi monitu, Arianam dimittere, & conculcare hæresim; Catholicam fidem amplecti decreuit. Quod vt solemnius fieret apud Toletum, Regiam vrbem Nationale Concilium contrahitur, cui LXXII. Episcopi, & plurimi Abbates interfuere, inter quos B. STEPHANAS, qui cum cæteris Episcopis, & Abbatibus, Proceribusque Catholicis, hæresim condemnauit. Postmodum in suum reuersus Cœnobium, Deo placens, pauperibus subueniens, Monachos edocens, populos erudiens, sibi proficiens, & omnibus charus, vltimam vitæ periodum, haud carne reluctante, peregit, Era DC. XXXVI. Anno Domini D. XC.VIII.

De die obitus nihil ad nostram notitiam peruenit. Hoc apponere opus fuit, & quia Archiepiscopi Braccarensis suspicionem eneruaremus, & quia cum B. STEPHANO Reatensi in nominibus personarum, & locorum, fere suppar agnoscitur.

RATE, Oppidum est Portugalliæ nunc, Olim Gallæciæ apud Braccaram Augustam, cuius meminit Dexter in Chron. Ann. 66. vbi P. Biu. fol. 144. D. Roder. de Acuña Hist Braccar. 1. p. c. 18. Eius originem ad diem XVII. Octobris, Deo iuuante, dimittimus.

SEXTO

SEXTO DECIMO Kal. Martij.

DIES XIV.

A *Apud Rubricatam prope Barcinonem in Laletania Hispaniæ Depositio sacrorum pignorum* S. VALENTINI, *Interamnensis Præsulis, & Martyris, qui diu cæsus, & in ergastulum coniectus, cùm tertio sub noctis gallicinio fuisset de carcere eiectus, à Placido vrbis Præfecto decollari iussus, Martyr inclytus florentem palmam promeruit.*

B *Romæ* SS. VITALIS *Archipresbyteri Toletani, Zénonis, & Feliculæ Martyrum, qui B. Marcello Eugenio adhærentes Toletano Pontifici, ab eo in Insulam Pontiam dimissi, post Romam reuersi, demum Traiani Imperatoris decreto comprehẽsi, martyrio coronati sunt. Eorum Corpora demum ad Hispanias delata honorifice coluntur, Abulæ* S. VITALIS. *In Cœnobio Serrateixensi* SS. ZENONIS, & FELICVLÆ. *Item ibidem* S. VICTORIS *Martyris.*

C *Rhodæ in Celtiberia Hispaniæ* SS. DIONYSIVS, & AMMONIVS *Martyres, qui Imperatorum Diocletiani, & Maximiani, persecutione comprehensi, pro fidei constantia, strenui Christi milites occubuere.*

D *Romæ* S. VALENTINI *Martyris, qui pro Christi nomine tentus, & cruciatibus afflictus, tandem intrepidus Agonista ad superos euolauit. Cuius sacra lipsana Vrbano VIII. Pontifice Maximo concedente, è Calixti cæmeterio extracta, & fratribus Ordinis SSS. Trinitatis Excalceatis tradita, in Monasterio ipsorum quod de Socuellános dicitur, collocata, honorifice quiescunt.*

NOTÆ.

NOTÆ.

A SANCTVS VALENTINVS Episcopus, & Martyr.] Romæ agonem compleuisse eius indicant Acta. Episcopum fuisse, & Martyrem Interamnensem in Italia fatentur Beda, h. d. his verbis: Eodem die natale S. VALENTINI Interamnensis Episcopi, qui tentus à Paganis, ac virgis cæsus, post diuturnam cædem, custodiæ mancipatus, cùm superari non posset, medio noctis silentio, eiectus de carcere, decollatus est, iussu furiosi Placidi, Vrbis Præfecti; Eadem Ado, Vsuardus, Rabinus, Notkerus, Maurolycus, Constantius Felic. Petr. de Natalib. in Catal. SS. lib. 3. c. 122. Alexand. de Peregrin. Galesin. & cæteri recentiores, à quibus Martyrolog. Rom. Castellanum P. Vazq. Lusitan. & Hispan. P. Higuera MS. Philipp. Ferrar. in Topograph. fol. 63. in Catalog. General. SS. XI. Kal. Iulij fol. 251. & in Catal. SS. Ital. fol. 97. Eius Acta Bon. Mombrit. tom. 2. à quo Surius tom. 1. fol. 145. & in meo MS. Legendario, in quo hæc:

ACTA S. VALENTINI EPISCOPI Interamnensis, & Martyris, ex Legendario MS. Asturicensi.

VALENTINVS Interamnæ nobilis nascitur in Italia Aprutij, in Præcutiorum finibus, intra colles Apennini montis, qui præmissis primarum studiis literarum, ad Diaconij ministerium accitus est, omnesque suæ ætatis, & maioris Clericos superando, postulante populo, & instante clero, à S. Feliciano Fulginensium Episcopo, Iteramnensium Præsul effectus est. Hoc nouo indutus onere, ad religionis Christianæ fidem propagandam animum conuertens, duas Clericorum, & Virginum congregationes, ex cuius claustro quædam mirabilis Agapes alumna virgo processit. At cùm Craton quidam, Ciuis Atheniensis, Orator conspicuus, græcè, & latinè peritus, Romæ clarus haberetur, tresque haberet nobiles conciues Proclum, *Phœbum*, & Apollonium secum Discipulos, in vrbe perorantes, euenit, filium eius Cheremonem tanta ægritudine per triennium detineri, vt incuruatus dorso, circa genua caput defixum teneret, & nisi aliorum adiumento, per se nulliter poterat ambulare, nec penitus se mouere. Sed deficiente Medicorum doctrina, Frontonius quidam Tribunus, compassione Cheremonis motus, Cratonem accersit, & de VALENTINO Interamnensi Episcopo, qui quandam sororem suam simili paralysi laborantem sanauerat, verba faciens, ipsius virtutes, in curandis ægrotis, exposuit. Quo audito Craton quosdam nobiles amicos Interamnam mittit, qui supplicationibus interpositis VALENTINVM, Romam importarent. Quod fecit Protinus Præsul, non sine Numinis prouidentia, vt & eius glorificaretur nomen, & Antistitis palæstra manifestaretur agonis. Romam igitur perueniens, cumprimùm Catonis domum intrauit, Cheremonem ad sanitatem restituit, & Cratonem, eiusque Discipulos, & familiam ad fidem conuertens, omnes vt plurimum baptizauit. Continuò huius admirabilis medicinæ fama per omnium vrbis septimontium terminos peruagauit, ad cuius stupendæ virtutis Auctorem concurrens, & occurrens

Aliàs: Ephebum.

occurrens Gentilium turba, magnis baptismum clamoribus exposcebat. Quibus succurrebat, doctrina, chrismate VALENTINVS, sic, vt vix vnus sine baptismo discesserit. Huius concursus, & miraculi vox ad Senatus Romani solium admiranda peruenit; qua Patres perterriti Conscripti, & casum inquirunt, & VALENTINVM exquirunt; qui ad Senatum delatus, & de religione interrogatus, se esse Christianum intrepida confessione fatetur. Tunc Patres Placido Vrbis Præfecto Sanctissimum Episcopum tradunt, causæque cognitionem, & punitionem committunt. Præfectus illum in carcerem includi iussit, quâ talibus est afflictatus ærumniis, tantis consumptus angoribus, vt vix vitam, quâ pascerentur angustiæ, ipsamet inueniret afflictio, nisi Spiritus spiritum ad tanta supportanda certamina procrearet. Tandem verberibus cæsus, ad mortem damnatus est. Videntes autem Placidas, & satellites, eum in ipsa cæde gloriari, eiusque constantia Christicolarum animos confirmari, medio noctis silentio eiectum de carcere, iussu Placidi, vitam fractis ceruicibus inuenit æternam XVI. Kalend. Martij, Anno Domini C. XI. Imperante Traiano. Eius sacrum Corpus à tribus Discipulis Proculo, Ephæbo, & Apollonio Interamniam delatum, ibidem mansit, donec postmodum ad vrbem Rubricatam prope Barcinonem translatum est, vbi in Monasterio S. Benedicti Bagensi honorifice adseruatur, & debita veneratione colitur. Caput ad Taurum vrbem Zamorensis diœcesis, olim dictam Sabariam deuectum, argentea capsula custoditur.

Hucusque martyrij dies tot agnouit sententias, quot capita. Itali fere omnes ad Annum CCLXXIII. agonem reiiciunt. Lipool. & Grassis, ad tempora Iustini. Nos ergo Luitprandi Nostri in Aduers. n. 62. vestigia sectantes, ad imperium Traiani concedimus. Illius audi verba, quibus & TRANSLATIONEM notabis: S. VALENTINVS Episcopus, & Martyr (quem alij faciunt Interamnij Flauij in Hispania Episcopum, alij autem Italum, Romæ passum sub TRAIANO Imperatore) creditur allatus ad Monasterium quoddam, prope Rubricatam vrbem; nunc Manrresam dicunt. En Sanctum Episcopum tempore Traiani passum. Cuius quia persecutionis seueritas Anno C. X. incœpit, Martyris agonem, anno sequenti consignauimus.

QVATENVS ad TRANSLATIONEM; iam ex Luitprando notatam didicisti, qui licet per verbum *Creditur*, illam demonstret, attamen eius dubitantis animi placitum, veritatis symbolo confirmauit P. F. Anton. Vincent. Domenec Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 17. & Nos diximus in Hist. S. Epitatij c. 4. fol. 371. Non obstat Philippi Ferrarij in Catal. SS. General. die 22. Iunij, & in SS Ital. fol. 97. dicterium, quo probare nititur, Corpus S. VALENTINI Episcopi repertum fuisse, Anno M. DC VI. quia inquit Baron. in Not. ad hunc diem lit. C. auctoritate Equilini lib. 1. Catal. c. 15. duos fuisse huius nominis Episcopos Interamnenses, alius Noster, alius tempore Iustini, ideo illa sacra pignora inuenta dicto anno, non de VALENTINO antiquiori, sed de moderno, intelligenda esse. De Capite apud Sabarim, hodie *Toro* Zamorensis diœcesis, videndus M. Ægid. Gonz. Dauila tom. 2. Theatr. Eccles. Hispan. 391.

MONASTERIVM BAGENSE nomen recipit ab antiqua vrbe, quam olim dictam ferunt BACCASIVM, hodie BAGA, quam ædificasse Dionysium Bacchum referunt Petr. Ioann. Nunnius de Sit. Orb. c. Mediterranea Tarraconens. Ieronym. Pujad. Hist. Catal. lib. 1. c. 34. fol. 29. col. 3. Alibi alia dicemus.

B. SS. VITALIS, ZENONIS & FELICOLÆ Martyrum.] Ipsorum memoria in tabulis adest Ecclesiasticis omnibus. Bedæ in hæc verba: *Eodem die SS. Martyrum* VITALIS, FELICVLÆ, *&* ZENONIS. Eadem, addita voce ROMÆ, repetit Ado, Vsuardus, Maurolycus, Galesinius, Constantius Felic. & recentiores. B. Notkerus consignat locum passionis: *Via Ardeatina*. Menolog. Græcor. tacito no-

 mine

mine FELICOLÆ, ad diem XXIX. Aprilis, martyrij genus exponit : *Igne consumuntur.* E conuerso Wandelbertus ZENONIS nomine prætermisso, hæc carmina subiicit:

Tuum decimo-sextoque die praeunte Kalendas
Martyr VITALIS *nitet*, & FELICVLA *Virgo.*

Petrus de Natalibus in Catal. SS. lib. 11. c. fin. n. 64. Ordinem S. VITALIS *Presbyteratus* appingit. Post quos Martyrolog. Roman. Philipp. Ferrar. in Catal. SS. Ital. fol. 98. & in Topograph. fol. 107. Iulian. Archipresbyter Toletan. in Chron. n. 28. 29. & 37. P. Ieronym. Rom. in Dipthyc. Tolet. fol. 585. n. 29. in fine. D.D. Sanctius Dauila, & Toledo Carthaginensis, Giennensis, & Placentinus Episcopus de Venerat. Reliquiar. lib. 3. c. 8. n. 3. fol. 291. Qui etiam VITALIS vitam hispano sermone contexuit. Eorum ex Nostris etiam meminere Anton. Vincent. Domen. Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 16. D. Thom. Tamayo in Veritat. Dextr. Nouitat. 8. fol. 24. & in Disquisitionib. Dextrian. Nouit. 4. fol. 96. Flau. Dext. in Chron. Ann. 105. & 110. vbi P. Biu. fol. 210. & 216. Roder. Car. fol. 60. lit. c. D.D. Didac. de Castejon Episcop. Turiaſ. de Primat. Toletan. tom. 1. p. 1. c. 6. & Nos in vita S. Epitatij c. 4. fol. 371. M. Ægid. Gonz. Dauil. in Theatr. Eccles. Hispan. tom. 1. fol. 212. Ex quibus hoc Actorum Symbolum Sanctis Martyribus consecro.

ACTA SANCTORVM VITALIS ARCHIPRESBYTERI TOLETANI, ZENONIS, & FELICVLÆ *Martyrum, ex D. Thom. Tamayo.*

VICTORIVS VITALIS MARCELLVS ex nobilissima MARCELLORVM familia oriundus, patrem habuit Marcum Marcellum Vrbis Præfectum, post tempore Claudij Imperatoris, Auguris, & Quæstoris in Hispania Citeriori Officiis functum, qui Carthaginis Spartariæ murum refecit: Matrem verò Claudiam Xantippen, ex splendidissimo Atheniensium genere ortam, in cuius procerum staturam, aliquando est iocatus Martialis. A primis quippe, vt aiunt, vnguiculis, sic se literarum (vt hominem decebat Patritium) eruditioni subiecit, vt, pro illis, perfectiori calculo, capessendis Athenas adire (pro vt nobiles Romani Iuuenes consueuerant) efficaci obstinatione constituit, ne in illo hæc melioris notæ cultura, impigra retardatione deficeret. Ergo illam maximam Orbis Academiam lustrans, Dionysij magni ipsius Areopagitæ magisterio vsus, totius philosophiæ, & Theologiæ apices penetrauit, cum Paulus Apostolus vrbem perlustrans, Deo Incognito sacratam inueniens Aram, in ipsa Christum vsque tunc Deum Incognitum Athenienses veneratos, argutia inuincibili, & efficaci demonstratione perdocuit. Ad tanta verò fulmina veritatis protractus Dionysius, vnà cum VITALE à Gentium Apostolo ad fidem conuersus est. Exhinc ad cognitionem veri Dei, cuius etsi inter tenebras Gentilici erroris scientiam, feruida speculatione quærebant, deuenere. Agones postmodum SS. Petri, & Pauli Apostolorum, aliorumque eorum successorum Romæ euenere, quorum sacra pignora, vt inuiserent, & venerarentur Dionysius, VITALIS, & alij eorum Discipuli, Romam perrexere, tempore B. Clementis Pont. Max. ad cuius pedes prouoluti, ab ipso Summo

Ecclesiæ

Ecclesiæ Sacerdote humaniter sunt recepti; quos protinus ordinibus insignitos, vnà cum M. Marcello Eugenio, VITALIS fratre, Galliam dimisit. Acceperat VITALIS ab Apostolico titulum Archipresbyteri, & cùm Gallias peruenisset, Dionysij societate relicta, vnà cum ZENONE, & FELICVLA Virgine, & aliis, Eugenium fratrem est Arelate comitatus; ab hinc Hispaniam profectus; cuius Eugenio fratri, B. Clemens; & à quo Dionysius, Primatus, & Ecclesiæ Toletanæ administrationem commendauerat, illi tàm in Ecclesiastici ordinis disponenda œconomia, & in prædicatione fidei amplianda, quam in aliis maximæ auctoritatis, & ponderis negotiis eius Ecclesiæ incumbentibus, constituendis, magno auxilio fuit. Ingenium in VITALE fratre excultum, agnouerat Eugenius, ideoque illum, Toletum præmisit, vt interim, quòd ipse tanquam Legatus in Ecclesiarum visitatione constructarum, aliarumque erectione detentus, vniuersam perlustrasset Hispaniam, frater ciuium corda verbis placidis demulceret, fidelium animos roboraret, & Gentilium spiritus corrigeret. Perrexit demùm VITALIS, vbi ad annum vsque nonagesimum sextum, Toleti in cōfortandis fidelibus, & prædicandis Gentilibus tempus consumpsit: quo elapso, ab Eugenio vocatus cum epistolis responsiuis ad Sanctos Martyres, apud Insulam Pontianam exilij propter fidei confessione pœna mulctatos, dimisit. Insulam intrauit breui VITALIS, vbi per vnius anni circulum demoratus, Hispanias reuertitur, & fratri Eugenio, quidquid mirabilium B. Domitillæ de precatione Omnipotentis Dei prouidentia patrauerat, Virginisque gloriosam mortem, Sanctorumque Eutychetis, Victorini, Maronis, Euphrosinæ, Theodoræ, & aliorum insignium Martyrum agones; qui strenuè fidei veritatem, quam profitentes suo sanguine confirmarunt, lachrymabili, licet composita relatione, nuntiauit. Postmodum verò cùm grauia in Hispaniæ Ecclesia exorirentur negotia, illa Clementi Pontifici, & Dionysio Magistro patefacere decreuit Eugenius, & vt ab vno medelam Apostolicam, & ab alio consilium agnosceret admirabile, quibus, optatis remediis suffultus, totius operis felicem suggereret euentum. Vt ergo hæc felicius explerentur omnia, VITALEM Romam, Parisiosque direxit, qui itidem cum *Zenone*, & *Felicula* indiuiduis suorum itinerum comitibus, Galliam, & Italiam pergens, vt fratris Episcopi adimpleret mandatum, per totius viæ oppida Christum intrepidè prædicans, sermonem miraculis confirmabat. Inter alia illud singulare refertur, de duarum illarum palmarum natiuitate, quas ipse suis vidit Padus in oris, & postmodum accolæ ad scapharum securitatem seruauere, vt æternum seculis esset miraculi monimentum; quo futuræ agnoscerent ætates, illic munitum transitum VITALI, & sociis flumen præbuisse, quando & ipsa torrentis volubilitas firmissimum illis exhibebat accessum. Romam denique peruenit VITALIS, qui à B. Clemente benigne acceptus, illi operis Ecclesiastici, Religionis Christianæ apud Hispanos augmenti, & totius reddidit Legationis rationem. Sed tunc misso in exilium Clemente ad Tauricam Chersonesum, Pontificem VITALIS, ZENON, & FELICVLA non tantum sunt insequuti in itinere, sed in laboribus, quorum in illa Insula tanta frequentia fuit, vt vix in hominum corporibus adesse potuisset ad illos sufferendos vis, nisi Dei prouidentia, vt suorum experiretur constantiam, illis halitum condonaret. Isthinc tum illa mira fontis inuentio, quem agnus ad Sanctorum solamen indigetauit, euenit. Illic gloriosus Clementis

transitus, cuius Corpus Gentilium rabies in mare proiecit, quodque VITALIS sic eius absentiæ dolore compulsus, oculis prosecutus, vt ab illo haud potuit loco separari, donec maris aperta volumina contuens, notauit vndas sic alteram in alteram conglomeratas retrocedere, vt per tria passuum, & amplius millia, vacua sese inspectaretur campi planities, quâ protinus Angelicis manibus templum, quo sacra lipsana conderentur, extructum apparuit, cuius aditus frequentia per totam vnius diei permansit feriata periodum. Sarcophago lætabundi confestim adhæsere VITALIS, ZENON, & FELICOLA, socijque, mœrorem, quo propter mortem tanti Pontificis afflictabantur, certitudine gloriæ, qua Clementem potitum, & fiducia protectionis, qua ipsis subuenturum credebant, sustinentes. Ast tantis Christianorum venerationibus stomachati Gentiles, Sanctos Clementis pedissequos, inter quos VITALEM, ZENONEM, & FELICOLAM feraci conclamatione carceribus mancipantes, illos Romam crudelissima tractatione retulere. Ibidem licet custoditus VITALIS plurimos ad fidem conuertens, alios in fide roborans, ad vltimam desiderati agonis palæstram deueniens, post insignia tormentorum certamina, Via Ardeatina, vnà cum ZENONE, & FELICOLA suorum fidei, itinerum, & laborum comitibus, igne consumptus, sanctum Domino commisit spiritum, qui vt verus virtutum, & passionum remunerator, illorum tempora coronis pulchritudinis redimiuit, XVI. Kal. Martij, Anno Dom. C. V. Imperante Traiano. Quorum Corpora Romæ sepulta in Cœmeterio Callixti temporum decursu in Hispaniam adlata, S. VITALIS Abulæ, SS. ZENONIS, & FELICVLÆ Serrateixensi Cœnobio translata, honorifice coluntur, & cultu debito venerantur.

En BB. Martyrum acta sincera, ad quorum probationem videndus *D. Thom. Tamayo* plenè in locis relatis. Nunc nos per compendium aliqua. De prænomine VICTORIO, nomine VITALI, & cognomine MARCELLO audi Iulian. Petr. *in Chron. n.* 55. in hæc verba à *Tamayo* relata, *fol.* 24. *Floret.* VICTORIVS MARCELLVS *ad quem* Statius *scribit: fuit hic S. Marcelli frater*, VITALIS *dictus.* Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 110. suppresso nomine VICTORII, cætera refert: MARCELLVS VITALIS, *frater S. Marcelli, Marci filius, Vir pius, charus est Imperatori Adriano, cui quandam* syluam, *vt viro doctissimo* Papinius Statius *dedicauit.* Sed quia in hanc incidimus dedicationem *Papinij*, operæ pretium duxi verba in hoc ab eruditissimo *D. Thom. Tamayo* prolata contexere: MARCELLVM VITALEM (inquit) *Iuris fuisse peritum*, Statij Papinij, *illius cui Poëtæ felicis inuentionis, & facilis spiritus, prosa, versusque constat. Nec alio potuit illam elegantissimam prosam, & versum, de quibus* lib. 4. Syluarum *mentio est.* Inueni librum MARCELLE charissime, quem tuæ pietati dicarem. *Postea in carmine, cum Epistola loquens, prosequitur:*

Curre per Euboicos non segnis Epistola campos,
Has ingressa vias, qua nobilis Appia crescit &c.
Illic egregium, formaquè, animisque videbis
MARCELLVM, *& celso præsignem vertice nosces &c.*
Certè iam Latia non miscent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reuersa
Dimisere forum: iamian tibi turba reorum
Vestibulo querulique rogant exire clientes.

Postmodum Principis fauorem addit, & denique MARCELLI VITALIS *de nobilitate encomium hisce versibus, auget:*

Surge, agedum, iuuenemque puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna.

Optimè; quia Matris *origine* Atheniensis *illustrißimus fuit, &* Patris *fama (de cuius ingenuitate Romæ nulla vix mentio desiderabatur, quia Augustorum, & Marcellorum prosapia omnium ora capiebat) insignis dignoscebatur. Sic* Statium *fauentibus* Dextro, & Iuliano *penetro, hucusque à nullo animaduersum.* Hactenus *Tamayo.*

De Patre M. Marcello, Vrbis Præfecto, Augure, Quæstore in Citeriori, & mœnium Carthaginis Spartariæ reparatore, Dextrum in Chron. Ann. 100. ausculta: Celebris est Toleti memoria M. Marcelli, Romæ Præfecti, qui tempore Claudij, Citerioris fuit in Hispania AVGVR, QVÆSTORQVE QVINQVENNALIS, & murum Carthaginis Spartariæ refecit. Si Dextro non credis, incredule crede insigni monumento antiquitatis, quod in marmore conscripsit veritas, & orbi transmisit D. Franc. Cascales Hist. Carthag.

M. CORNELIVS. M. F. GAL.
MARCELLVS. QVÆST. QVINQ.
MVRVM. A. PORTA. TOPILLA.
AD. *TVRRIM*. PROXIMAM.
PED. CXLVI. VLTRA. TVRRIM.
PP. XI. D. D. F. I. Q. P.

De Matre ex Atheniensi familia, idem Dexter in Chrôn. d. Ann. 100. à Tamayo vindicatus: *Quarta Marcella Xantippe* (ait) *M. Marcelli Romæ Præfecti filia, M. Marcelli Toletanorum Pontificis soror (quam S. Paulus visis, in eius fronte, literis aureis ad fidem conuertit, redeuntem ex Italia ad Hispanias; morientem S. frater Marcellus sepulturæ mandauit) Eius mater* CLAVDIA XANTIPPE *Ciuis fuit, & de genere splendidißimo* Atheniensium. *Fuit corpore supra iustam staturam procera, in quam iocatur Martialis.* De hoc Nostri Valerij Martialis lepidissimi inter Romanos Poëtæ lusu, videndum Epig. 60. lib. 8. vbi hæc carmina.

Summa Palatini poteras æquare Colossi.
Si fieres breuior, CLAVDIA, *sesquipede.*

Non enim illo, nec isto seculo, procera ad speciosæ pulchritudinis formam, statura damnabilis, quinimo si Andr. Tiraquell. in l. 2. Connub. n. 74. credimus, Homeri, Virgilij, Propertij, Ouidij, Statij, & aliorum auctoritate, potius inter pulchritudinis veræ genera computatur.

Quoad cætera in ecphrasi contenta Iul. Petr. in Chron. n. 28. 29. & 37. debitum soluet, vbi de S. Eugenij Legatione ad Arelatenses Galliæ, & Toletanos Hispaniæ verba fecisset n. 28. prosequitur. *Venit comite Archipresbytero suo* VITALI, *& fratre, cum* ZENONE, *&* FELICVLA. Post n. 29. alia recensens, ait: *Acceptis Toleti literis* (S. Eugenius) *quas ad eum miserunt Sancti Christi Martyres ex Insula Pontiana, mittit eos consolatum fratrem* VITALEM. & postea n. 37. omnia breuiter absoluens, concludit. S. VITALIS, *Toletanus* Archipresbyter, *missus à S. Eugenio ad consolandum Christianos detentos in Insula Pontia, ex itinere consulit S. Dionysium Parisiorum Episcopum, deinde* Clementem *(post visos, & consolatos Martyres) ad exilium missum, comitatur; illo verò mortuo, Romam rediens, illustre martyrium patitur cum* ZENONE, *&* FELICVLA *viæ comitibus.* Sic legendum est, nam in edito, tot literæ, quot errores. Flau. Dext. d. Ann. 110. ista consarcinat: S. VITALIS *primi Toletanorum* Archipresbyteri (*ex his quos venisse scimus, qui*

cum ZENONE, *&* FELICVLA *venerat Toletum, Romamque ex Chersoneso reuersi mirificum* certamen fuit, quod ad Ecclesias totius Occidentis scribitur. Eadem scribunt D. Thom. Tamayo, & P. Ieronym. de la Huguer. d. num. 79.

De Translatione Corporis Roma Abulam S. VITALIS, testem aduoco ipsissimum Illustrissim. ac. Reuerendiss. Dominum D. Sanctium Dauila, & Toledo, cui hæc pignora S. D. N. Clemens VIII. Pont. Max. ex Calixti cœmeterio extracta remisit, Illeque Ecclesiæ tradidit Abulensi, de quo testis ocularis sum. Clementis ergo Diploma sic se habet.

CLEMENS. PP. VIII.

Venerabili Sanctio Dauila, Episcopo vti fratri.

VENERABILIS Frater salutem, & Apostolicam benedictionem. In magnis, & assiduis curis nostræ Apostolicæ seruitutis, quæ Nos hoc tam difficili, & luctuoso Christianæ Reip. tempóre, dies, noctesque angunt, & solicitant, nihil Nos magis consolatur, & recreat in Domino, quàm, cùm audimus Venerabiles fratres Episcopos, in partem solicitudinis nostræ, à Nobis, & hac sancta sede vocatos, & adscitos, labores nostros sua diligentia, & vigilantia subleuare. Itaque spirituali voluptate repleti sumus, ex his, quæ de tuæ fraternitatis insigni pietate, & zelo cognouimus, partim ex his, quæ literis, quas ad Nos scripsisti, partim ex accurato sermone Procuratoris, & Visitatoris tui, quem nominatim ex Hispania misisti ad visitanda BB. Apostolorum limina, partim denique aliorum relatu, quorum graue admodum est apud Nos testimonium. Gaudemus frater, tibique gratulamur, quod generis nobilitatem, & magnorum Principum affinitates, & fugaces huius seculi splendores, solidis animi ornamentis, & vera virtute collustres, & in omni Pastorali munere peruigiles, ac gregi tibi credito, te ipsum exemplum præbeas bonorùm operum in sanctitate, & in iustitia, coram Patre luminum; à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Perge igitur hanc eandem viam insistere, vt Dei adiutrice gratia, ministerium tuum impleas, & animas multas Christo lucrifacias. De Nobis verò tibi persuade, quod te in Christi visceribus gerimus, & paterno amore complectimur, cùm merito tuo, tùm etiam ob arctam propinquitatem, qua deuinctus es cum Nobilissimo Viro, & filio Nostro dilecto Ferdinando Medices Magno Duce, cuius etiam intuitu, & rogatu, eius apud Nos Oratore procurante, tibi dari, & concedi iussimus sacras Reliquias Sanctorum, hoc est *Corpus vnum integrum venerandum* S. VITALIS *Martyris*, ex religiosissimo cœmeterio S. Calixti ad Catacumbas. Quod sanè libenter egimus, vt nostræ in te Charitatis extet significatio, quod item omni oblata occasione, quantum cum Domino possumus, præstabimus. Cætera ex eodem procuratore, & Visitatore tuo copiosius intelliges. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVII. Ianuarij, Anno Domini M. D. XC. V. Pontificat. Nostri, Anno III. Sylu. Antonianus.

Iam de TRANSLATIONE sacrorum pignorum S. VITALIS Martyris, omnem desiderij tui expectationem expletam credo. Nunc de SS. ZENONIS, & FELICVLÆ ad Serrateixense Cœnobium Ordinis S. Benedicti in Cathalonia ecphrasin expectabis: P. F. Antonin. Vincent, Domenec in Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 16. de illa loquentem audi.

TRANS

TRANSLATIO. SS. ZENONIS, VICTORIS, ET FELICVLÆ MARTYRVM.

ANNO ab Incarnatione D. N. Iesu-Christi DCCCC. LXXVII. regnante in Barcinona Serenissimo, Comite D. Borello. D. Oliba cognomēto Cabrera Comes Brisoldunensis, vt Comitis D. Guifridi cognomento Pilosi aui, & Caroli Magni Imperatoris, è cuius linea fœminina originem trahebat, imitaretur opera, sciens, quòd Froylanus Abbas Cœnobium construxisset, apud Sertateixense oppidum, sub inuocatione B. Virginis MARIÆ, approbantibus DD. Mirone Gerundensi, & Wisaldo Vrgellensi Episcopis, decreuit prædicto Monasterio, dotis nomine, magna conferre donaria. Ideò Deo, B. Virgini, Abbatique Froylano, & fratribus Domino seruientibus, omnem illam Sarrateixensem Parœchiam cum omnibus decimis, domibus, primitiis, & redditibus, ex illis obuenientibus, vnà cum syluis, pratis, aquis, fontibus, riuulis: item & omnes aquas, quas in molendinorum vsum necessarias habere dignosceretur, etiam in fluuio Cardesner, & in Comitatu de Berga, sine aliqua diminutione concessit. At ista tali conditione donauit, vt nullo vnquam modo Abbatis electio fieret, sine consensu, & consilio ipsius Comitis, aut eius successorum, & Episcopi Vrgellensis; & quòd eligendus ex ipso esset Cœnobio, interueniente Monacho habili, & benemerito, aliàs ab alio trahatur. Deditque huic Monasterio sacra Martyrum VICTORIS, ZENONIS, & FELICVLÆ pignora, vt eorum meritis, & interuentu Deus contra diaboli ei victoriam concederet fraudes.

Istam ex antiquis illius Cœnobij documentis P. Domenec TRANSLATIONIS extrahit relationē. Cui addidit, quod die XIV. Februarij (qui fastus solemnitate duplici conseruatur) eorum peragitur officium cum Octaua; inquè Cœnobij Missali, & Breuiario isthæc recensetur Collecta: DEVS, *qui Nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum* VICTORIS, FELICVLÆ, *&* ZENONIS *natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine, de eorum societate gaudere.* Accolis, qui illinc sepulturam eligere decreuissent, aut eleemosynas pro Ecclesiæ reparatione expendere properassent, dicti DD. Miro, & Wisaldus Episcopi; omnium eorum peccatorum remissionem concessere. Hactenus Domenec.

D S. VICTOR Martyr.] Iam eruditè hunc Sanctum Martyrem inter Zenonem, & Feliculam, memoratum in Autographo Cœnobij Serrateixensis, agnouisti. Nunc qualis fuerit sciscitaberis. Sed si verum profitendum est, quis Martyr fuerit, penitus ignoro. Plures in Ecclesia Dei huius nominis Martyres agnosco, quorum memorias passim comperimus, ast P. Domenec, nec alius illos cum Nostro confudit. At si coniecturis daretur locus crediderim, aut illum fuisse S. VICTOREM Episcopum Barcinonensem, tempore Imperatoris Claudij passum, de quo agemus die IV. Aprilis, tom. 2. Cuius sacras glebas obliterauit temporum cursus; aut hic non agi de singulari aliquo Martyre vocato VICTORE, sed agi de VITALI Archipresbytero Toletano, quæ comes in vita SS. Zenonis, & Feliculæ existens, itidem in sepulcro partem cum illis tenere concupiuit, ideoque cùm sociorum lipsana ex cœmeterio Calixti extrahere Comes Oliba curauit, itidem aliquod ex S. VITALIS ossibus fragmentum, cum illorum exuuiis deuenisse credendum est. Sed cùm VITALIS prænomen, vt diximus, VICTORIVS esset, dilabentibus æuis, ex nomen Martyris ignoratum, solo VICTORIS, pro VICTORII titulo cognitus Martyr perseuerat. Quâ bonâ fide illos copulauit Cœnobium Serrateixense, & meritò, vt vna celebritate coleret deuotio, quos eadem fides martyrio fecit esse germanos. Ab hinc etiam crediderim, illos Philipp. Ferrar. in Catal. General.

L 4 h.d.

h. d. in Indice coniunxisse in Territorio Vrgellẽsi, licet hodie in Solsonensi sit.

HAVD mihi arridet aliquorum opinio dicentium, hunc Martyrem fuisse Calaritanum, cuius vacuum monumentum inuentum nostra ætate referunt, Esquiuel, Dimas. Arca, & alij, quia iste non Martyr, sed confessor fuit, vt indicant caracterum signa in tabula lapidea, exarata, sic:

IACET. B. M̄. VICTOR. QVI.
VIXIT. ANNIS. LV. PM.
REQVIEVIT. IN. PACE. SVB.
DIE. III. KAL. MAI.

Illa verba, seu notæ B. M̄. quas aliqui interpretantur BEATI MARTYRIS. non sic sunt extendendæ, quando postmodum adest Clausula REQVIEVIT IN PACE, sed propius legenda veniunt BEATÆ MEMORIÆ. Nam Martyribus, quos per agones, supplicia, & labores ad palmam peruenisse fatetur Ecclesia, nusquam hac formulâ encomia concessit. Confessoribus verò sic, qui pulchra dormitione, & quieta spiritus efflatione moriuntur. Ex quibus adhuc in mea sententia sum, scilicet quod Martyr Noster non VICTOR, sed VICTORIVS VITALIS censendus est, cuius cum Zenone, & Felicula, aliqua Reliquiarum seruatur particula.

SERRATEIXENSE Cœnobium. Eius erectionem constat ex Translatione superius relatâ, perfectâ à FROILANO Abbate, circa annum DCCCC.LXX. De quo scriptore P.F. Anton. Vincent. Domenec. d. Hist. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 16. col. 3. F. Anton. de Yep. Chron. Benedict. tom. 4. Ann. 970.

SS. DIONYSIVS, ET AMMONIVS Martyres.] Quanta fuerit varietas, quâ in consignandis locis passionum Martyrum vtuntur Scriptores, passim agnoscet, qui eorum volumina euoluerit. Ad huiusmodi inconstantiam ansam præbuere Neotherici, qui antiquorum vestigia respuentes, & proprio iudicio elati, ex eo nouum quid absque duce commentantur. In huius veritatis comprobationem, testes Nostros aduoco Martyres, quorum elogia cùm describerent Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, antiquissimi Martyrologiorum Scriptores, illorum sine expressione nominis loci agonis meminere, hac tantummodo clausula contenti: *Item* DIONYSII, & AMMONII *decollatorum*. Quos Petr. Equilin. lib. 3. Catal. SS. c. 124. cùm insequi debuisset, non fecit, quinimò *Apud Alexandriam* passos effingit. Cuius nouitatem vt vidit *Petr. Galesin.* protinus illi adhærens, commento vires adauxit. Istorum *Baronius* in Romano à se reformato amplexatus sententiam, omissis antiquioribus, etiam *Alexandrinos* Martyres fecit. Hæc in assignatione loci martyrij discrepantia est; & licet multum sit deferendum Romano Martyrologio, attamen si quæ in eo circa historiam, siue chorographiam, minus rectè sunt recensita, liberam quilibet habebit facultatem, quæ probabiliora fuerint exponendi His sic prælibatis in antiquis Romanis Martyrologiis *Alexandri de Peregrinis* à Iulio III. Pont. Max. permissis, *Constantij Felicis*, & aliorum M S S. tantum nomina reperiuntur, quia antiquorum *Bedæ*, & sequacium notis cohærentes, *Petri Equilini*, cuius electionem in aliquibus minus animaduersam probauere, iudicium confictum respuere. Quod & patet; nam glossemmatis auctorem *Equilinus* B. Ieronymum inducit, à quo *Beda*, & cæteri antiquiores sua contexuere martyrologia, quod si hæc *Ieronymus* dixisset, primò illi vt vetustiores vidissent; hoc reticent, ergo *Ieronymus* non dixit. Item nam Vetus Romanum Martyrologium à *Rosuueido* editum, & à *Baronio* desideratum, tantum die XII. huius mensis appinxit *Alexandria* AMMONIVM, *& Modestum*, quod & fecere *Græci in Menologio*, qui, vix credendum est, ignorasse martyrium: imò *Philipp. Ferrar.* qui Nouam SS. Topographiam scripsit, nostros ab *Alexandria* penitus amandauit, vt videre est *fol.* 4. verb. *Alexandria*. Alium Græci *Dionysium Lectorem* tempore Decij consignant die VI. Septembris, sed sine *Ammonio*: sed quanta inter istum, & Nostrum

ſtrum adſit diſtantia, tuo iudicio relinquimus.

Si verò hoc cupis diſſidij diſſoluere inuolucrum, audi Flau. Dextr. *in Chron. Ann.* 300. qui & tibi locum præbebit agonis, & temporis exhibebit computum abſque tergiuerſatione martyrij: *Rhoda* (inquit) *in Hiſpania Celtibera Sancti Martyres* DIONYSIUS, *&* AMMONIUS. Eorum meminit P. Biuar. *d. Ann.* 300. *Com.* 3. *n.* 7. *fol.* 337. Roder. Car. *fol.* 107. *lit.* S. D. Didac. Portocarter. *Hiſt. Ercauicenſ.* 1. *p. c.* 11. *fol.* 102. *& c.* 15. *fol.* 153. Acta eorum periere, at illa breui calculo compulſabimus, vt & inſtituto, & deuotioni parcamus.

ACTA SS. DIONYSII, ET AMMONII Martyrum Rhodienſium, ex Flau. Dextro.

DIONYSIUS, & AMMONIUS Ciues Rhodienſes in Celtiberia Hiſpaniæ fuere, & ibidem Chriſti nomini addicti, fidem ſunt amplexati Catholicam, pro qua vitam exponere, & in qua ad vltimum vſque animæ ſpiritum perſeuerare, illis decorum, & glorioſum fuit. Eorum Deus vt affectibus feruidis ſubueniret, & Martyrum experiretur amorem, diſpoſuit, quantocyus Dacianum Hiſpaniæ Præſidem ad Celtiberiæ terminos properare. Iſte Imperatorum Diocletiani, & Maximiani furorem aduerſus Chriſti aſcetas, ebibens, dimiſſis Iudicibus, totam Tarraconenſem prouinciam ſpectaculis Martyrum adimpleuit. Rhodam vrbem Celtiberiæ occupauit in ſania, quæ tanto furore depaſcebatur Chriſticolas, vt vix vnus, aut alter abſque certamine inueniretur illæſus. Tenuit Satellitum manus dira ſeueritate DIONYSIUM, comprehendit ſacrilega Carnificum turba vocibus ſceleratis AMMONIUM, quos quia nec Dijs litare, nec à fide Separari, cognoſceret Iudex, poſt cruciatuum, & verberum ſuſtiaria, ceruicibus mulctatos, inhumanis tradidit fœda crudelitate tortoribus, qui protinus (Martyribus, extra vrbem extractis) illorum capita truncauere XVI. Kal. Martij, Anno Domini CCC.

Actis ſanè in iſtis nihil probationis expecta; omnia enim in Prolegomeno, vt vidiſti, enodata ſunt; de Die, iam liquet, de Anno Dextri ſententiam legiſti, nunc locum deſcendo martyrij, in quo explicando, ſaliuam mihi mouebit labor, quia tot perplexum caligine, & ſpinis obſitum iter eſt, vt vix vadum relinquat.

RHODA, ſeu RHODE. Huius nominis duplicem in Tarraconenſi prouincia Hiſpaniæ vrbem inuenio; Alia quæ in Celtiberia; Alia quæ in Indigetibus. Prima adiacet in Mediterraneis ad Barbaſtrum, in qua celebre Ordinis Ciſtercienſis inuiſitur cœnobium, quod ROTENSE dicitur, de qua vrbe loquitur P. Biu. ad Dextr. d. Ann. 300. Coment. 3. n. 7. fol. 337. Secunda Indigetum peruetuſta eſt, de qua Ptolomeus, & Strabo, Liuius, & Stephanus, quam ΡΟΔΗ vocat; Tarrapha, & Morales, qui ROSAS nunc eſſe contendunt. In prima paſſos Martyres noſtros ſuſpicatur Biuarius, eo ſolo nixus, quod Dexter Celtiberiæ nomen adiunxit vrbi, ad differentiam illus RHODÆ Indigetum, quæ extra Celtiberiæ terminos iacet. Facilè me doctiſſimus ad ſuam ſententiam traheret Pater; ſi ROTÆ, in qua Cœnobium eſt, de tempore Daciani comprobaſſet natales: quod quia omiſit, ab eo diſcedere cogimur. Meam in hoc itidem reſipiſcentiam auget Ieronymi Zurita lib. 1. Annal. Aragon. c. 9. Didaci de Aynſa lib. 3. Hiſt. Oſcenſ. c. 10. opinio, dicentium ROTAM hanc Aragoniæ conditam fuiſſe, Anno DCCCC. LXXV. per Comitem Raymundum Ripadorciæ & eius vxorem Garſendam, quod ſi ita eſt, quo pacto ibidem paſſos Martyres fateberis?

Iterum à Biuario diſcedere compellor, quia præter Dextrum, de antiquis ſeu

seu recentioribus Geographis, seu classicis Historiographis, nullus huius RHODÆ in Celtiberia meminerit. Nec de ROTA apud illos mentio est, nisi ab Anno DCCCC. & amplius, & tunc vocabulo ROTA, non RHODA, vt in illius temporis antiquis monimentis apparet. Aymericus Narbonensis Episcopus, cuius auctoritate Raymundus Comes vrbem erigere, Cathedralem Ecclesiam S. Vincentio dicatam extruere concupiebat, in licentia erectionis, *vrbem ROTAM* vocat: Ipsa erectio: *Placuit*: (inquit) *nobis pro remedio animarum nostrarum, vt ædificemus domum in honorem D. N. Iesu Christi, & Saluatoris, in ciuitate qua vocatur* ROTA, *vt sit sedes Episcopalis.* Et Anno 1040. Sanctius Rex, in eius reædificatione: *Quoniam fuit voluntas Patris mei Regis Ramiri restaurare in ciuitate* ROTA *Sedem Episcopalem.* Et infra in concessione iurisdictionis: *Dono, atque concedo prædictæ Ecclesiæ S. Vincentij Ciuitatem* ROTAM *cum terminis suis.* Demum, eius Episcopi ROTENSES dicebantur, & hoc titulo priuilegia confirmabant, de quo Blancas Ann. 1080. fol. 108. Plura exempla consarcinare otiosum reputo, ideo illa omitto.

SECVNDA quippe verè vera est RHODA Dextri, in qua Nostri Martyres compleuerunt agones, quia eius antiquitas ante Christi tempora cognita est. Crede Liuio *lib.* 4. *Dec.* 4. seu *lib.* 34. vbi de Classe M. Porcij Coss. ad Lunæ promontorium appulsa, prosequitur: *Inde* RHODAM *ventum, & præsidium Hispanorum, quod in* Castello *erat, vi deiectum, ab* RHODA *secundo vento Emporiam peruentum.* Claud. Ptolom. *lib.* 2. *Geograph. Tabul.* 2. *Europ. c.* 6. sic: *Emporiæ Clodiani Flauij ostia,* RHODA *Ciuitas, post hanc Veneris Templum.* Strab. *lib.* 3. isthæc: *Ibi quoque est* RHODOPE *vrbs Emporensium, quidam à RHODIIS conditam dicunt.* Raph. Volaterran. *in Geograph. fol.* 19. RHODA, *Rhodiorum* COLON. *Plinio, & Ieronymo in Epistol. ad Galat. Straboni autem* RHODOPE *vocata.* Apud Grut. *fol. CCCC. IV. n.* 4. hæc adest inscriptio, quâ ante tempora Diocletiani vrbem conditam deprehendes.

Q. EGNATVLO. Q. F. EQVO. PVB.
DON. AB. AEL. HADRIAN.
CÆS. NERV. TRAIAN. F.
RHODIENSES.
OB. PLVRIM. LIBERAL. ET. IN. R. P. S.
MVLTA. BENEFACT. EQVEST.
E. MARM. STAT. P. ÆD. MIN.
CONSTITVERE.

Non obstat Biuarij causa, hoc est, adiectio IN CELTIBERIA vrbi apposita, quia aut Codicibus Dextri addita, aut eius tempore; sub CELTIBERIÆ finibus RHODA fortè iacebat. Nec absque antiquorum assertionibus, T. Liu. *Decad.* 3. *lib.* 8. siue 28. CELTIBERIAM nominat, omnem prouinciam, quæ inter duo Maria, Cantabricum scilicet, & Balearicum continetur, sic: *Nouus Imperator Hanno in locum Barchini, Asdrubalis, nouo cum exercitu, ex Africa transgressus, Magonique iunctus, cùm in* CELTIBERIA *quæ media inter duo Maria est, breui magnum hominum numerum armasset.* Strabo lib. 3. Geograph. eius extensionem ad finitimas regiones describens, ait: Nam CELTIBERI aucti potentia, à se etiam Regionibus omnibus circumiacentibus nomen fecerunt. Eadem General. Histor. Regis Alponsi 4. p. c. 1. Ocampus, & alij. Ex quo quid mirum, si tempore Dextri CELTIBERIA ad RHODAM vsque pertingeret? Maxime, quia passim Prouinciarum immutabantur termini, vt notauit Plin. 3. c. 3. agens de Tarraconesi, his verbis. Citerioris Hispaniæ, sicut complurium prouinciarum aliquantulùm vetus forma mutata est. De quo aliqua videre licet exempla apud Roder. Car. in Præfat. Dextri ad Paul. Oros. fol. 2. lit. F. & apud me in Histor. S. Epitatij. c. 1. n. 3. fol. 65.

NEC me mouet D. Didaci Portocarrero Hist. Ercauicens. 1. p. c. 11. & 15. sententia, qua anxiè conatur probare Martyres Nostros coronas recepisse, in

loco

loco non procul ab Ercauica, quæ hodie Molina dicitur, cui nomen RVEDA est, in Celtiberia, quia ipsissimo claudicat pede, quo ROTA Cistenciensium. Non ergo eruditus Didacus antiquitatem istius comprobat oppidi, quâ inhærens qualitas est, quâ deficiente.

Omnia cuncta ruunt, nec est spectanda salutis
Copia, suppremos diuexat funere campos.

D. S. VALENTINVS Martyr.] Inter alia Sanctorum Martyrum Corpora, quæ felicis recordationis *Vrbanus Papa VIII.* Fratribus Excalciatis SS. Trinitatis concessit, vnum S. VALENTINI Martyris Romani ex S. Calixti cœmeterio, extractum, diplomatum asseueratione dignoscimus. Quis iste VALENTINVS fuerit me latet. Nam inter Romanos Martyres, tantum *vnum*, istumque hoc die *Presbyterum*, agnosco; cuius sacra lipsana *Theodorus* Pontifex seruans, *Via Flaminia*, mirifico extructo *Templo* locauit. Ideò neutiquam hoc concedere potuit Fratribus Corpus Vrbanus, tùm quia in propria Ecclesia conditum, tùm quia Nostrum ex *Calixti* cœmeterio extractum, diuersum ab illo, ipsissima diplomatum ecphrasis suadet. Fortè de *Nostro* nihil percepere *Martyrologi*, non enim omnia Sanctorum appinxit nomina Martyrum, Notariorum stylus; plurima sub vniuersalitate delitescent relationum, inter quos iste Martyr, cuius nec Acta recensere, nec Diei, Mensis, & Anni computum adnotare valemus, sinentes Deo, quod Nos inuestigare nec possumus. Restat ergo de concessione Apostolica copiam exscribere, vt debito faciamus satis: en pono.

IOANNES Baptista de Alteriis olim Episcopus Camerinensis, Eminentissimi Vrbis Vicarij Vices gerens, & Iudex ordinarius, Vniuersis, & singulis præsentes litteras inspecturis, fidem facimus, & attestamur, qualiter Nos hodie ad maiorem Omnipotentis Dei, & sanctorum suorum gloriam, tradidimus, & consignauimus admodum R. P. F. Ioanni de Annunciatione Fratrum Discalciatorum Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captiuorũ, in Romana Curia Procuratori Generali, & Em. ac. Reu. D. Cardinalis Barberini, S. D. N. Vrbani VIII. Pont. Max. Nepotis, Confessario, necnon Ministro Conuentus S. Caroli, eiusdem Ordinis ad Quatuor-fontes in vrbe, nonnulla Sanctorum, atque Sanctarum corpora, alias à Nobis ex Calixti cœmeterio de mandato eiusdem S. D. N. Vrbani VIII. extracta, inter quæ Corpus S. VALENTINI Martyris. Eidem tenore præsentium, vt ab vrbe transmittere, seu transportare, aliis donare, ac in Ecclesiis collocare, & exponere valeat, vt à piis fidelibus deuotè venerari possit, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. In quorum fidem, & testimonium easdem præsentes subscripsimus, & sigillo nostro muniri curauimus Dat. Romæ IX. Ianuarij M. DC. XL.
Ioann. Bapt. Episc. Camerin. V. G.

Cuius Sanctissimi Martyris Corpus postmodum Romæ die XXVIII. Augusti, eodem anno, R. P. F. Ioannes de Annunciatione cum aliis XXXV. sanctis Corporibus donauit Fratribus Excalciatis SSS. Trinitatis Cõgregationis Hispaniæ, vt ex Autographo à Ioanne Baptista Maro Presbytero Romano I. V. D. Notario Apostolico liquet subsignato. Quæ sancta Corpora Hispaniam adlata R. P. F. Isidorus à S. Ioanne Minister Generalis ipsius Ordinis distribuit inter Ordinis conuentus, & illi quem de SOCVELLAMOS dicunt, S. VALENTINI lipsana donauit, vt patet ex instrumento distributionis, & donationis Madridij facto die XXXI. Martij M. DC. XLI. coram Lamberto Tito Notario Apostolico.

SOCVELLAMOS Oppidum hactenus antiquitati, & mihi ignotum; vt ab aliquibus percepi in diœcesi............ constructum, vbi Monasterium Fratrum SSS. Trinitatis Excalcearorum ab Anno .... extructum inuisitur.

QVINTO

QVINTO DECIMO Kalend. Mart.

DIES XV.

A *Romæ* S. CAMILLI *Martyris, qui sub Adriano Imperatore cum Saturnino, Castulo, Magno, & Lucio, post multa pro Christi fide suscepta certamina, coronam agonis suscepit æternam. Cuius sacra pignora, è cœmeterio B. Calixti extracta, & Excellentiss. D. D. Emanueli de Moura, Marchioni Castri-Roderici donata, & in Hispaniam aduecta in eius Oratorio honorifice seruantur.*

B *Patauij* TRANSLATIO *sacrarum exuuiarum* B. ANTONII *Confessoris ex ordine Minorum Hispani, ex honesto ad sublimiorem locum, vt ipsius, & merita, & miracula exigebant. Cuius actum S. illustrauit Bonauentura, qui Sancti Fratris virtutes mirificis laudibus exaltauit.*

NOTÆ.

A SANCTVS CAMILLVS Martyr.] In editis Martyrologis nullam de isto sanctissimo pugile memoriam inuenies, in Kalendario M S. quod apud me est, beneficio Didaci de Colmenares, in S. Ioannis parœchia Segobiensi Plebani, ipsiusque vrbis Historiographi, hoc die, ista recensentur. Romæ natalis Sanctorum Martyrum Saturnini, Castuli, CAMILLI, Magni, & Lucij, qui ab Hadriano Imperatore pro fide cruciati sunt. Beda tantum de Saturnino agit, & Castulo, Castula, est apud Rabanum. Martyrolog. Roman. addidit Magnum, & Lucium; Ego Camillum ex meo Martyrologio M S. Eius nec aliorum Acta nullus perscripsit, Nos breui periodo describemus.

ACTA

ACTA S. CAMILLI MARTYRIS Romani qui cum aliis martyrio coronatus occubuit, ex Kal. MS.

CAMILLVS, vt eius indicat nomen, ex nobilissima Camillorum familia Romæ oriundus, temporibus Adriani Imperatoris vitam agebat. Christi fidem accepit, vt ad æternæ beatitudinis præmium accederet, sibi persuadens, nulliter posse coronari, nisi qui legitimè in Catholica Religione certaret. Isto sanè axiomate inescatus, omnes quæ ad triumphi gloriam perducerent actiones, intrepida confessione quærebat; donec Adriani Imperatoris iussu captus, ad ergastuli fœdam custodiam perductus, ibidem Socios Saturnum, Castulum, Magnum, Lucium, & alios Christicolas adinuenit. Inter omnes de fidei confessionis constantia conuentio disponitur, breui ad executionem promissionis deuentum; quilibet cruciatur, nullus resipiscit, omnes satellitum crudelitas torquet, quousque illi quos vna fides iunxerat, diuersis ictibus separati, ad trophæi gloriam, parili fortuna cucurrere. XV. Kal. Martij Anno Domini C. XXII.

De Familia CAMILLA, quæ auctorem, & patronum cognoscit Fur. Camillum, de quo T. Liu. lib. 5. & alibi, Plutarch. in eius vita, & fere omnes Romani Scriptores, nulli dubium est, quanto honore illustretur. Virgil. lib. 2. Georg. vers. 165. familias quas Romæ virtus euexerat enumerans, ait.

Hæc genus acre Virûm Marsos, pubemque Sabellam,
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: Hæc Decios, Marios, magnosque CAMILLOS,
Scipiados duros bello, & te Maxime Cæsar.

Postmodum lib. 6. Æneid. vers. 825. effingens Anchisem filio Æneæ Albanorum, Romanorumque regum Catalogum recensentem, Nobiliumque aliquot Romanorum Ducum nomina percurrentem, prosequitur.

Quin Decios, Drusosque procul, sæuumque securi
Aspice Torquatum & referentem signa CAMILLVM,

Ego crediderim hanc Camillorum familiam, originem traxisse à Volscis, quorum fortissima fœmina Turno, contra Æneam, & Troianos, in auxilium venit CAMILLA, quam describens Virgil. lib. 7. Æneid. vers. 803. isthæc Virgilio digna carmina subiicit:

Hos superaduenit Volscâ de gente CAMILLA,
Agmen agens Equitum, & florentes ære cateruas
Bellatrix: non illa colo, calathisue Mineruæ
Fœmineas assueta manûs, sed prælia Virgo
Dura pati, cursuque pedum præuertere ventos.

De qua etiam lib. 11. facinora, & mortem recenset. Vnde ab huius CAMILLAE nomine deductam creditur originem vocitandi CAMILLOS, & CAMILLAS

MILLAS miniſtros, & miniſtras impuberes in ſacris, vt inquit Seru. ad Virg. d.lib.11.verſ 543. qui auctoritate Statij Tullian. lib.1. de Vocab.Rer.ideo Mercurium appellari CAMILLVM, tâquam Deorum miniſtrum. *Vnde*(proſequitur) *Virgilius benè ait Metabum* CAMILLAM *appellaſſe filiam, ſcilicet Dianæ Miniſtram.* Sed & Pacuuius in Medea, illam CAMILLAM vocitat, vt Deorum miniſtram, ſic: *Cœlitûm* CAMILLA *expectata aduenis: ſalue hoſpita.* Quod & notauit Pomp. Lat. de Sacerdot. Rom. verb. Camilli. Demum videndi Macrob. lib.3. Saturn. c.8. vbi Iſaac. Pontan. fol.629. Turneb. lib.4. Aduerſ. c.13. Briſon. de Ritu Nuptiar. Taulmann. d. Virg. lib.11. verſ. 543. fol.991. P. Ioann. Ludou. de la Cord. ibid. n.16. Iacob. Pontan. Symbolic. Lect. ad Virg. lib.16. verſ. 643. fol.2155. & alij.

DE Extractione Corporis S. CAMILLI ex Calixti cœmeterio ad Catecumbas, eiuſque donatione D. D. Emanueli de Moura, Caſtri Roderici Marchioni, tum apud D. Vrbanum PP. VIII. Regis Catholici Oratori facta per Ioannem Baptiſtam de Alteriis olim Epiſcopum Camerinenſem, tum Romæ Iudicem ordinarium, conſtat ex originali diplomate, cuius copiam ab ipſo Excellentiſſ. Domino Marchione, nunc Philippi IV. Hiſpanianum Regis Catholici, domus Præfecto, accepi, quæ talis eſt.

> IOANNES Baptiſta de Alteriis olim Epiſcopus Camerinenſis, Emin. Vrbis Vicarij Viceſgerens, & Iudex Ordinarius. Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, facimus fidem, & atteſtamur, qualiter Nos ad maiorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum ſuorum gloriam tradidimus, & conſignauimus Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. D. D. Emanueli de Moura, Curiæ Regali, Marchioni Caſtri-Roderici, Comiti Lumiarum, Militiæ Chriſti magno Commendatario, Ferræ Nouæ, & quatuor Inſularum maris Occeani, S. Georgij, Faiali, & Pici perpetuo Præſidi, Cenſui Regio in Luſitania Præfecto, Hiſpanianum Dynaſtæ, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Auratæ Clauis Cubiculario, & nunc apud S. D. N. Vrbanum VIII. P. M. digniſſimo Oratori, nonnulla Corpora Sanctorum, atque Sanctarum Martyrum, inter quæ Corpus S. CAMILLI Martyris, à Nobis aliàs ex Calixti cœmeterio de mandato eiuſdem S. D. N.ᵢ Vrbani VIII. extracta. Eidemquè tenore præſentium, vt ab Vrbe tranſmittere, ſeu tranſportare, aliis donare, & in Eccleſia ſeu Eccleſiis ſibi benè viſis collocare, & exponere poſſit, vt à piis fidelibus deuotè venerari valeant, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. In quorum fidem, & teſtimonium eaſdem præſentes ſubſcripſimus, & ſigillo Noſtro muniri curauimus Datis Romæ hac die XXV. Iulij. M. DC. XI. Ioann. Bapt. E. Camerin. Tic. Ger.

Iſtud ſacrum corpus honorificentiſſima theca conditum adhuc Excellentiſſimus Dominus in Oratorio penes domum ſuam Madridij, elegantiſſimis picturis, extracto ſeruat, quouſque alibi collocet.

TRANSLATIO S. ANTONII Confeſſoris.] Huius feſtiuitatis memoria ſolemni repetitur cultu annualis apud Seraphici Ordinis alumnas, de qua mentio eſt apud Maurolyc. Galleſin. & Philipp. Ferrar. Martyrolog. Franciſc. ſic: Pataüij Tranſlatio S. ANTONII Luſitani Confeſſoris tempore Vrbani Papæ IV. De hac feſtiuitate S. Antonin. in Chron.3.p.c.24. P. Mariet. Hiſt. SS. Hiſpan. lib.16. c.21. Matth. Aleman. Hiſt. S. Anton. lib.3. c.4. Bartholom. Piſan. lib.1. Conf.5. Franciſc. fruct.8.p.2. Marc. Vlyſipp. in Chron. Minor.1.p.lib.5. c.37.& 39. Wading. Annal. Minor. tom.2. Ann.1263.§.8.& ſeq. Toſinian. in Hiſt. Seraph.2. p.fol.77. Henric. Sedul. ead. Hiſt. in Not. ad Vit. S. Anton. c.18. fol.208. P. Artur. in Not. ad Martyrolog. Franciſc. h. d. fol. 65. §. 1. & 2. Huius admirabilis TRANSLATIONIS hiſtoriam nullus ex relatis ſcriptoribus ſcripſit methodo currenti, ideo ea, illa, qua potuerimus ordinis breuitate, & actionis Veritate

ritate compaginabimus, vt tanti Patris meritis, haud vllum deficiat symbolum.

ACTA TRANSLATIONIS SACRORVM Sancti Antonij Pignorum Patauij, ex Varijs Script.

ECCELINVS de Romano dictus, ex Germanorum genere oriundus, Paduæ, & Veronæ Tyrannus immanis, qui sæuitiæ fama, nulli Tyrannorum cessit, imò omnes crudelitate superauit, cùm in Euganeis oris tyrannidem exercere constituisset, Paduam militari impetu ingressus, maximas cædes perpetrauit; violauit virgines, matronis ademit mammas, prægnantium vteros exccuit, partus exectos in ignem proiecit, aliaque innumera crudelitatum genera patrans, vrbem immani ferocitate subegit. Erat illi Anselmus nepos, qui aui documenta sugens, sic teterrimus euasit, vt belluas vinceret feritate. Huic vrbis mœnia, & propugnacula tradidit custodienda, qui sic durus se in ciues gessit, vt singulis diebus vrbis excidium expectaretur. Tantam Alexander IV. Pont. Max. audiens tyrannidem, Dei zelo, & tot vrbium populorumque libertate constrictus, & amore Patris attractus, Philippum Fontanam Archiepiscopum Rauennatum exlegauit, vt constructo per Venetorum terminos valido militum agmine, obuiam Eccelino prodiret. Pontificis protinus mandatum impleuit Philippus, qui versus Paduam inter aggrediens, illam, quæ ferè iam hastam abiecerat, in summo fortunæ positam periculo conspexit. At cùm iam Deus illius misereretur, Ciuium per B. ANTONII merita supplices orationes exaudiens, permisit, quòd F. Bartholomæus Coradinus Conuentus Minorum Guardianus in medio noctis silentio profesti S. Confessoris ad eius tumulum orasset, & pro libertate populi preces fudisset, protinus ab intrinseco tumuli cauo, hæc verba audiuit: *Deo gratias. Ciuitas liberata est.* Quod Domino disponente factum est, quia Anselmus perterritus, vrbe relicta, fugam arripuit, & subinde Archiepiscopus summa pace ciuitatem intrauit. Cuius miraculi fama, vt Patauinorum corda compleuit, omnium voto, dies ille, qui S. ANTONII festi Octauus erat, fastus, & solemnis est renuntiatus: & ne tantùm in eorum lætitiis deuotio terminaretur, S. Confessoris lipsana supra Aram Maiorem Ecclesiæ Cathedralis Patauinæ, celebri iubilatione locarunt.

POSTMODVM cùm iam Ciues Patauini se ad summum libertatis apicem peruenisse cognoscerent, intuitu, & meritis B. ANTONII, quem apud Deum Tutelarem fatebantur, solemni ritu sibi illum in vrbis Patronum vnicum elegere. Cui Anno M. CC. LIX. magnificum Templum, quo eius sacra pignora conderentur profusa liberalitate, & absque pauperum exactionibus construere cœperunt. Hoc ad perfectionem redacto, tanta marmorum elegantia, totque artificum celaturis, vt materiam superaret opus, Anno Domini M. CC. LXIII. Corpus Sanctissimum ad nuperam Ecclesiam translatum est die XV. Februarij. Ad tanti festi solemnitatem Guido Cardinalis Boloniensis, Portuensis Episcopus, & Sanctæ Sedis Apostolicæ per Italiam Legatus, qui S. ANTONII deprecatione, à graui, quâ diu laborauerat, infirmitate liberatus, in gratiarum actiones, accedens, actum Præsidens illustrauit. Cui

quit, (lege remisit) *cui Episcopus post* B. Timotheum, *& ipse resedit. Hic Romam perductus, atque ibi per fidem Christi lapidatus, sepultusque est Christi Martyr, primum ibi, inde ad loca, vbi fuerat ordinatus Episcopus, corpus eius delatum est.* Eadem penè verba transcribunt Vsuard. & Ado, qui & Martyrol. Roman. addunt, & perperam: *Paulum apud Ephesiorum Ciuitatem* ONESIMVM *Episcopum reliquisse.* Notker. Bedam, Maurolyc. Vsuardum, & Adonem sequuntur, *Rabanus*, & *Menolog. Græc.* tantùm diem, & passionem appingunt. Petr. de Natalib. *in Cat. SS. lib.* 3.*c.*130. & Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 104. qui *Vsuardi* opinionem amplectuntur. Sed sine dubio omnes isti Scriptores *Bedæ* relationem inuertentes, ONESIMVM à Paulo *Ephesi* relictum, *Episcopum* illius vrbis ordinatum fuisse, contendunt, quod nec potest probari, nec *Beda*, à quo omnes ecphrasim mutuauere, tale quid dixit. Illum ausculta in correctioribus codicibus: *Quem* (ONESIMVM) *B. idem* Apostolus *ordinans, prædicationisque verbum ei committens, apud* Ephesiorum *Ciuitatem reliquit* (in correctionibus *remisit*) *Cui* Episcopus *post B. Timotheum, & ipse resedit.* Hanc correctiorem lectionem amplexatus *B. Notkerus*, loco *reliquit*, posuit *remisit.* Optime, quia cùm *Timotheus* Paulo superuixisset, quo pacto, ille adhuc *Ephesiorum* infulas tenens, ONESIMVM potuit *Episcopum* ipsius vrbis relinquere?

MAIOREM errorem contraxit *Petr. Galesinius*, asserens ONESIMVM Martyrem *Puteolanum* in Italia, fuisse *Discipulum Pauli*, Ephesiorum Episcopum, & Philemonis seruum: illum audi: S. ONESIMI *Martyris. Qui B. Apostoli* Pauli Discipulus, *post illius martyrium Tertilli vrbis Præfecti iussu comprehensus*, Puteolos, *ducitur; vbi grauissimè cæsus, cum à fide desciscere nollet, imò liberius, & constantiùs Christum Deum prædicaret, contusis cruribus, & brachiis, sanguinem pro illius nomine profudit.* A quo hæc *Prothonotarius*? Nullus de Nostro loquens Martyre tale dixit. Quinimò Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. d. fol.* 104. Galesinij commentum improbans, sic alloquitur: *P. Galesinius, hac in re apertissimè hallucinatur. Qui enim, in* Puteolis *passus est, non* Apostoli Pauli discipulus, *sed longe ab illo diuersus fuit, vt acta vtriusque demonstrant.* Et optime, ob dierum, temporum, & agonum diuersitatem. *Puteolensis* Pridie kal. Augusti; *Noster* XI. V. Kal. Martij; *Ille* tempore Decij ad Annum CC. LI. *Noster* Nostri Traiani tempore ad Annum C. X. *Italus* contusis brachiis, & crucibus; *Ephesinus* lapidibus obrutus occubuit. Demum *ille* cum sociis, & sine titulo, *Noster* solus, & Prælaturæ munere. Vtriusque Acta consarcinauit Ferrarius *illius* XXXI. Iulij fol. 474. *Nostri* h. d. fol. 104. vbi discrepantiam videbis. De Nostro post relatos videndus Nicephor. *lib.* 3. *c.* 11. Euseb. *in Chron. Ann.* 74. Flau. Dexter *in Chron. Ann.* 71. Iulian. Archip. Tolet. *in Chron. n.* 44. *&* 45. & Aduers. *n.* 71. *&* 73. D. Thom. Tamayo *in Notit. Antiq. Nonit.* 16. *fol.* 58. Eius Acta scripsere Metaphrastes, à quo *Surius*, & illius Compilator *Grasius.* Sed Galesinij errorem ebibens duos *Onesimos* confundit. Eadem additis quæ ad Nostram attinent Hispaniam excribemus.

ACTA S. ONESIMI EPISCOPI Ephesini, & B. Pauli Apostoli Discipuli ex Metaphrast. Dextr. & Iulian.

ONESIMVS vnus ex Pauli Apostoli discipulis, Philemonis nobilis Colossensis seruus fuit. Qui ab heri domo clàm, sublatis aliquibus pecuniis (vt auctor est Theophylactus) Romam fugiens, in B. Pauli Apostoli tunc in carcere degentis consortium ascitus, illi omnia necessaria fidei obsequio ministrabat. At cùm illic per multum temporis cursum quiesceret, & Pauli doctrinam auscultaret, fidei excellentia conuictus, & Apostoli virtutes demiratus, paulatim religionis pondere captus, illam profiteri satagebat. Quod vt Paulus agnouit, haud pluribus admonitionum instantiis, ONE-

SIMVM ad fidem breui interuallo perduxit. Tum Apoſtolo fugam aperuit, tunc ſe ſeruum confitetur, tunc delicti medelam à Paulo visceralibus ſingultibus depopoſcit. Cui malo, vt ſubueniret Apoſtolus Philemoni hero Epiſtolam ſcribens, iſthæc verba pro ONESIMI excuſatione firmauit: *Obſecro te pro filio meo, quem genui in vinculis* ONESIMO, *qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem, & mihi, & tibi vtilis; quem remiſi tibi. Tu illum vt mea viſcera ſuſcipe, quem ego volueram detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij. Sine conſilio autem tuo nihil volui facere. Forſitan ideò ad horam diſceſſit à te, vt æternum illum reperires, iam non vt ſeruum, ſed pro ſeruo chariſſimum fratrem, maxime mihi, si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me, ſi autem aliquid nocuit tibi, mihi imputa. Ego* Paulus *ſcripſi manu mea; ego reddam.* Hac igitur accepta Epiſtola nouus Chriſticola Coloſſos pergit, & ad pedes Philemonis Domini prouolutus, & Pauli Epiſtolam, & ſui obſequium lachrymarum imbre perfuſus humili tradidit reuerentia. Illo à Philemone benigne ſuſcepto, lectis literis, & ſerui cognita verecundia, protinus vt Deo ſeruiret, Paulo obſequelam ageret, & ſeruum redimeret, vt libentius fidei negotia compleret, ONESIMVM, virgulæ felici iniuria donatum libere manumiſit, & iterum Romam ad Apoſtoli conſpectum reciproca reſponſione remiſit. Quem Paulus benigne ſuſcipiens, poſt aliquot temporis in munus prædicationis euexit, & Epiſcopatus onere decorauit, quo vrbis, & orbis terminos perluſtrando, orbi, & vrbi Dominicum verbum Euangelica veritate monſtraret. Iſta ergo dignitate ſuſcepta, vt onus commiſſum exequeretur Roma diſcedens, innumeras Orientis vrbis colluſtrans, Achaiam peruenit, vbi inuentis Polyxena, & Sarra, ſeu Rebecca Hiſpanis mulieribus, Pauli, & Andreæ diſcipulis, illis ſolatij medelam præbens, Hiſpaniam vſque, ipſas eſt charitatis feruore comitatus. In Noſtram quippe prouinciam aduentantes, & Polyxena Sororem Xantippen inueniens, illi adhæſit; ONESIMVS verò per Carpetaniam prædicans, S. Eugenio Toletano Epiſcopo charus, innumeras ad Chriſti fidem animas circumduxit. Poſt modum Epheſum pergens, Apoſtolici miniſterij munere fungens, ad ſui dulcedinem eloquij omnium corda trahebat, ex quo è viuis ſublato B. Timotheo illius vrbis Epiſcopo, in illius locum, omnium eſt acclamatione ſuffectus. Serpebat vbique iam Imperatorum perſecutionis contagium, quod cùm primùm aduerſus Eccleſiarum myſtes, & doctores dirigeretur, euenit, vt ONESIMVS, vt Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Magiſter, omni cunctatione detineretur abiecta. Sic Romam perductus, carcerique mancipatus, vltimum fidei experimentum animi ſtrenuitate ſpectabat. Poſt decimum autem, & octauum diem ad Præfecti tribunal adductus. Quiſnam, & cuius conditionis eſſet ab illo interrogatus; libere, & conſtanter reſpondens, ait: *Chriſtianus ego ſum, olim quidem famulus hominis, nunc verò gratus Domini, & Seruatoris Noſtri* Ieſu-Chriſti *ſeruus. Et qua nam occaſione* (inquit Præfectus) *& quo pretio in nouum hoc dominium translatus es?* Cui Epiſcopus: *Occaſione* (inquit) *non alia, quàm veritatis; & odio cultus ſimulacrorum. Pretium verò, quo redemptus ſum, eſt pretioſſimus* D. N. Ieſu-Chriſti *ſanguis, quo de morte ad vitam tranſlati ſumus.* Cui Præfectus: *vellem, vt tu rationibus, & ſcripturis, nobis probabili aliquo argumento, hac de re diſſereres.* Tum ONESIMVS, luculenta admodum oratione, præclarè de Chriſtiana pietate multa prædixit, & multiplicem impietatem, quâ ſimulachrorum cultores nefarie pollutos eſſe probabat, egregie confutauit;

ac poſtremò Præfectum enixè rogauit, atque obteſtatus eſt, ne certiſſimo æternæ perditionis ſuæ periculo, lucem à ſe veritatis repelleret oblatam. Præfectus placidè quidem ONESIMI orationem admiſit ad aures, ſed nihilominus Virum Sanctũ in carcerem tenebricoſum coniecit. Demùm cum S. Viri conſtantiam notaret Præfectus, & videns, quòd in tormentis exultaret, & ignominiam illam ad ſummum decus reputaret, & gloriam, protinus illum ſatellitibus tradidit lapidandum, quo agone, vt alter Stephanus in cœlos conſcendens glorioſus Martyr, viuificæ beatitudinis gloriam eſt patenter intuitus, XIV. Kal. Martij, Anno Domini C. X. Anacleto Sum. Pont. & Traiano Imperat. Corpus S. Martyris, Martia Matidia Auguſta, ipſius Imp. ſoror, in arca argentea clauſum, ſecum retinuit, donec Epheſum delatum, per multa tempora honorificè quieuit.

En puriora, ſinceraque S. Martyris Acta. In quorum comprobationem duo diſſerenda veniunt.

PRIMVM de eius in Hiſpaniam ADVENTV. Cui Flau. Dext. in Chron. Ann. 71. ſic facit ſatis: S. ONESIMVS *S. Pauli diſcipulus ex vrbe Patratum in Achaia, cum SS. Virginibus* Polyxena, *&* Sarra *diſcipulis* Andreæ *Apoſtoli, per* Hiſpanias *prædicat.* Iulian. Archipreſb. Tolet. n. 44. & 45. eadem refert; & in Aduerſ. n. 73. clarius, ſic: ONESIMVS inde profectus eſt Coloſſos, & venit *Patras, vbi reperit* Polyxenam Hiſpanam, *& anno LXX. venit in* Hiſpaniam, *& à Iuliano Epiſcopo Carpetanorum factus Presbyter prædicauit Euangelium in* Hiſpania, *pluſquam XXXIII. annis.* Proſequitur in Chron. n. 44. & 45. his clauſulis *Xantippe, & Polyxena eius Soror Virgo Sanctiſſima: & eius Socia* Rebecca *item Virgo, &* S. ONESIMVS, *S. Pauli diſcipulus frequenter Laminio Toletum ventitant, eoque* Eugenio *conſulto, nimis animati reuertuntur domum. Frequenter* S. ONESIMVS *Toleti prædicat, & per totam diſcurrit Carpetaniam.* En iſtius articuli euidens probatio. Sed ne domeſticorum tantum teſtimoniis niti reprehendar, Græcorum Menologium, teſtis tantæ adſit veritati: non illud Caniſij diminutum, ſed aliud Biuarij plenum, vbi de Polyxena, & Xantippe ſororibus Hiſpanis agens proſequitur: *Polyxena autem rapta à quodam improbo, ſed gratia Dei incorrupta manſit, & ab Apoſtolo* Andrea *baptizata eſt. Multis autem credentibus per ipſam: accipiens autem* ONESIMVM *Apoſtolum tetendit in patriam ſuam* Hiſpaniam, *& poſt multas nauigationes, & infinitas fugas, cùm ſecum duxiſſet* Rebeccam, *cum quâ baptizata fuerat, reperit ſuam ſororem vterinam Xantippen.* Hunc locum refert P. Biuar. *ad Dextr. d. Ann. 71. n. 1. fol.* 165. M. Rus-Puerta Hiſt. Giennenſi, ſeculo 1. c. 2. n. 4.

SECVNDVM de Collectione Corporis S. Martyris à Martia Matidia Auguſta. Huius relationis memoriam auctorauit idem Iulian. Petr. in Aduerſ. n. 75. in hæc verba: *Matidia Auguſta Imperatoris Cæſaris Traiani ſoror diſcipula ſecreta S. Clementis, accepit Corpus* S. ONESIMI, *& arca argentea clauſit.* Ab hinc veniunt intelligenda verba Actorum S. Martyris à Surio, & Graſſio relata, circa Martyris ſepulturam, ſic: *Sacræ illius Reliquiæ fuerunt* à Muliere quadam Imperatorio ſanguine claram, *ſummo cum honore, & reuerentia excepta, & in thecam argenteam recondita.* Vbi *Mulier Imperatorio ſanguine clara*, eadem eſt ac *Matidia* Imperatoris Traiani ſoror. Ex quo Iuliani Noſtri periodum illuſtrabis. Pro coronide alterius Toletani Poëtæ carmina, quibus preces B. Apoſtoli Pauli ad Philemonem pro venia ONESIMO impetranda continentur, tibi ſubſcribere curaui, & vt Noſtrorum pietatem, & Toletanorum camœnas agnoſcas. Ergo Aluarum Gomezium in Muſa Paulin. fol. 294. auſculta.

Sed precor, & natum pro nato, ex ſemine Chriſti
Quem genuit puro vox mea caſta Deo,
Creſcit amor, quod non genui fumantibus vmbris,

Sed

Sed cœlo, & veris editus ille sacris.
Quod genui vinclis iamiam moriturus acerbis, In vinculis.
Natus in extremis charior esse solet.
Isque est ONESIMVS, *charum placet edere nomen:* ONESIMO.
Nec pudet vt Dominum fugerit ille suum.
Fugerat, atque fuga dominum fraudarat, ad ipsum Qui tibi aliquando inutilis fuit.
Iam redit, & pulsis sordibus, alter adest.
Mutatumquè fuga redeuntem pœnitet, illum
Suscipe: sic seruos conditor ipse suos,
Ipse suos dira captos meretricis amore
Suscipit, in Patrio confouet ipse sinu.
Filius in Syluis errabat prodigus atris,
Sed rediens læti dona Parentis habet.
Inspice quo affectu distratos quæritat hostes,
Vt leuat hos, natos, & facit esse suos.
Vt trahit, vt refouet, donisque ingentibus implet,
Optimus; in lapsos nec furit ille viros.
Exemplo Christi puros imiteris amores;
Ille tibi, seruo tu quoque parce tuo.
Iste laboranti PAVLO *fuit vtilis; ad te* Nunc autem, & mihi & tibi vtilis, quẽ remisi tibi.
Nunc veniens nostro carcere, gratus eris.
Ad te Christisoni dulcißima nuntia PAVLI
Afferet; & socij vincula sancta tui.
Vincla sacrum nomen, quo non sacratius vllum
Nosse potest animo qui capit alta pio.
Suspice diuinis firmatas viribus arces.
Erige que ad Trinum lumina casta Deum.
Hoc tenet astrictum tenebroso carcere PAVLVM,
Hoc facit esse animo vincula gratu meo.
Quod tibi, si veri recolis memorata Magistri Tu autem.
Vincula, si Christi pectore nomen habes;
Si tibi, quæ pietas veros adiungit amores,
Quæ recolit grato dona paterna sinu,
Si pax, si qua tui vel curas vincula PAVLI,
Quem vinctum frater conspicis, atque senem;
A PAVLO *Christi redeuntem suscipe seruum,*
Hunc iam non seruum suscipe, sed socium. Illum, vt mea viscera suscipe.
Suscipeque vt PAVLI *natum, charißima mater*
Quem genuit Trino Chrystea lympha Deo.
Malueram comitem nostro retinere labori, Quem ego volueram

Nam

mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij. Sine consilio autem tuo nihil volui facere.

Nam potuit vinclis vtilis esse meis.
Nec sine te volui seruum retinere pudicum,
Nec sine te donis vterer ipse tuis,
Nam licet, & PAVLO fueras cessurus habenti,
Sponte quidem virtus hac tua maior erit.
Et tibi ad hoc seruum mea viscera chara remitto,
Liber vt ad votum des tua dona tuum.
Si retines tuus est, habeas PAVLOQVE remissum,
Si dabis hunc vltro, plus tibi laudis erit.

Vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset sed voluntarium.

Exortum munus non est laudabile, iam tu
Fac mihi de seruo, quod velis ipse tuo.
Hoc tantum fratrem libeat meminisse, nec illum
Plus æquo inflictis perdere ponderibus.
Nec memor erroris fræno tractabis acerbo,
Iam redimit lachrymis impia facta suis.
Abluit hic totas Christiano flumine culpas.
Sanctáque purgatum reddidit vnda virum.

Forsitan enim ideò discessit ad horā à te.

Nec te pœniteat, fugitiuo est vtilis error,
Et tibi, & hic felix vtilis error adest.
Carneus hic quondam seruus fuit, & tibi tempus
Ad modicum seruus temporis huius erat,

Vt in æternum illum reciperes.

Suscipis æternum; iam nunc cœlestia doctus,
Iura nocens Domino non erit ille suo.
Hactenus hic renuens vultu parabat amaro,
Nunc patiens Christi iam tibi miles erit.

Iam nō vt seruum.

Ante tuis iussis nullo restabat amore,
Nunc amat, & veris est comes ille sacris.
Iam didicit Christo solitum damnare furorem,
Mitis, & ad furti numina cuncta pauet.
Dedidicit sæuos cælesti semine mores,
De tali talis, vix queat esse fides.
Suscipis ecce tuum magno cum fœnore seruum,
Crede mihi, tantus non erat ante tuus.

Sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi.

Frater adest, Christo redeuntem suscipe fratrem,
Frater enim PAVLI charus & iste tui.
Communis nos æquat amor, statusque, fidesque,
Quique pius viua nos lauat emptor aqua.

Quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino;

Vna salus, Deus vnus adest, ad regna vocamur
Vnica, communem gens habet vna Patrem.
Has mihi per causas, hic est vir charus, & idem

Sit

Sit tibi, sic votis lux micet alma tuis.
Quòd tuus est, quòd habet Christiani signa trophæi,
Sis pius, huic gemino cogeris officio.
Quod si consortem verbi me suscipit almi, — Si ergò habes me socium,
Meque tibi socium dat Pater ipse pium;
Suscipe in hoc PAVLVM, PAVLVS *venit alter in isto,* — Suscipe illum sicut me.
In Christo vultus exhibet iste meos.
Exhibet, atque fidem, diuina & viscera flammæ,
Vt comes in vinclis affuit iste meis.
Cumque Dei voces, æternumque hauserit ignem,
Alter ego, in nostris profuit ille malis.
Suscipe iamque nouum, Christo generante, ministrum,
Huic simul atque nouum te decet esse patrem.
Si tamen hic domui fugiens, dispendia vestræ — Si autem aliquid nocuit tibi.
Fecerit, aut furto quid tulit effugiens:
Si nocuit debet vè aliquid, veniamque recuses — Aut debet.
Tradere, & in damnum soluere ante tibi:
Sponsor ero, PAVLOQVE *petes, quod læserit iste:* — Hoc mihi imputa.
Obstringit nostram littera nostra fidem.
Si satis esse putas obstricti nomina PAVLI, — Ego PAVLVS scripsi manu mea.
PAVLVM *pro seruo, qui tibi soluat habes.*
Hunc sinito, nihil ille tenet quo soluat, & ipsum — Ego reddã.
Te Deus admissis soluit amice malis.

Plura prosequitur Aluarus Gomezius, quæ consulto omisimus, ne Hispanis, quibus communis codex, in fastidium traheremus. Hoc Nostris, & exteris animaduertendum duximus; quod apud Toletum duos fuisse ALVAROS, hosque cognomine GOMEZIOS, temporum, & scriptorum diuersitas suadet. De quibus videndus Andr. Scothus in Bibliothec. Hisp. 3. clas. tom. 3. fol. 565. & 566. qui vniuscuiusque scripta recenset.

EPHESVS. Ciuitas Archiepiscopalis Ioniæ maritima, Asiæ propriè dictæ, Metropolis quondam clarissima, ac Conuentus muliarum vrbium Maximus, & nobilissimus, Templo Dianæ memorabilis, apud Caistri fluminis ostium, cui ab Occidente Samus Insula adiacet: Inter Miletum Cariæ Metropolim, & Smyrnam vrbem Ionicam, à qua in Austrum ad XL. M. P. distat: à Magnesia ad Mæandrum in Occidentem ad XV. M. Colophoni etiam proxima, & Sardibus. Dici vix potest, quàm olim hæc vrbs floruerit, quot literis præstantes tulerit, quot Artifices dederit. Quæ nunc obscura iacet, nisi quod dignitatem retinet Metropolitanam. Hodie à Nostris EPHESO, ab Incolis FIGENA dicitur, vt notauit Philipp. Ferrar. in Topograph. fol. 50.

B. SS. QVINTVS SERENVS, & ZENAS Confessores. Istorum illustrium Sanctorum nullus meminit Scriptorum, qui martyrologia contexuit. Illos mihi suppeditauit Luitprandus, qui in Aduers. n. 176. de ipsis agens, hæc verba connectit: ZENAS, *&* Q. SERENVS *Samonenses ex* Gallæcia *conueniunt Romæ* Iustinum, *& licet coniugati, reuersi in* Hispaniam *vtebantur officio Catechistarum.* Postmodum Q. SERINI transitum referens, hæc n. 177. profert: *Decessit* Q. SERENVS *Samone in* Gallæcia *cum opinione sanctitatis, Anno* C. LXV. *relicto filio adolescentulo,*

qui

qui fuit egregius Medicus, & virtutis, & religionis amantissimus. Dies seniorũ Q. SERENI *dicitur fuisse* XIV. *Kalend. Martij, illo Anno.* Eorum Acta à nullo scripta comperio, illa breuiter attexemus, vt instituti formulam impleamus.

ACTA SS. Q. SERENI, ET ZENÆ Confessorum ex vrbe Samone in Gallacia Hispan. ex Luitprand.

Q. SERENVS, & ZENAS ex Samone Gallæciæ vrbe antiquissima oriundi, maiorum stigmatibus nobilitati, temporalem hanc, & perituram respuentes vanitatem, illos duntaxat virtutum apices, quos propria progignit actio, quos eadem conscientia parturiit, ac ipsissima animi ratio consaginat, quæritantes, Christo nomina dedere. Vterque ad casti coniugij thoros peruenit, sed spe proficiendi in facinorum illustrium speciminibus, audita Iustini Philosophi fama, relictis vxoribus, filiis, & familia, Romam pergit. Ibidem in fide roborati, & Iustini amicitia deuincti, eius doctrinam Catholicam Gallæci Nostri infatigabili continuatione suxerunt. Sed in patriam repedare constituentes, ab ipso Sanctissimo Magistro luculentam ipsius Christiani dogmatis methodum, vt illa instructi perfectius Gallæcos suos, cæterosque fideles catechizarent, & veritatis Euangelicæ disciplinam profunda eruditione perciperent, supplici animi deuinctione petiere. Iustinus ergo Sanctorum Conciuium pia vota cognoscens, illis annuens protinus libellum de DOCTRINA CHRISTIANA conscripsit, Sanctissimis quæ Gallæcis inscripsit, & dicauit, vbi Christianum dogma mira breuitate complectens, & illorum desideria compleuit, & fidelium vniuersorum Christianæ veritatis specimina confirmauit. Ideóque in ipso Libelli epilogo illos alloquens, breuiter perstringit: *Hæc habui ô fratres (* SERENE, & ZENAS *) quæ cum vobis consilium impartiens facienda suaderem: tum reliquos quosque per vos ad voluntatem Dei exequendam, seruare cohortarer. Dominus autem gloriæ, qui constat in secula, det vobis omnibus, vt vna cum electis honorem consequamini, & requiem. Cuius etiam gratia sit cum vniuersis vobis.* Hoc quippe thesauri Euangelici munere onusti Sancti Viri in patriam repetentes, cæteros Christi asseclas edocebant, & nouiter conuersos catechizabant. Quo officij onere distenti ad placidam deuenere senectam, qua virtutibus clari, egregiis bonorum operum facinoribus illustres, in fide strenui, in charitate non ficta validi, & in spe Christiana firmi, ad æternam beatitudinem euolarunt, die XVI. Februarij Anno Domini C. LX. Tantam Deus Q. SERENI fidei constantiam persoluere constituens, illi felicissimam Sanctorum Martyrum & Confessorum prolem est elargitus. Nam eius filius Q. Serenus, professione Medicus, & fide Christianus à Patre nutritus, Romam pergens, Gordiani Præceptor fuit, qui à Caracalla pro Christi fide in balneo occisus fuit. Iste duos habuit filios Q. Serenum, & M. Serenum, quos Seueri Imperatoris sæua crudelitas Martyres effecit Alexandriæ. Ex his processere L. Serenus Monachus Diocletiano familiarissimus, qui Sextifirmi in Bætica, agonem consummauit Anno CCXC. P. Serenus qui in Africa martyrium pertulit; & Serena vxor Philippi Imperatoris, à qua Serenæ duæ eius filiæ, alia vxor Diocletiani, à quibus Artemia, altera vxor Caij, à quibus Caius Papa, & Gabinus, qui Susannam filiam, & illius neptem procreauit. Item ex hac prosapia, & familia

milia Serenorum fuit B. Serenianus Episcopus Braccarensis,& alij Sanctissimi Viri, quorum nomina, mortalibus sublata, in Albo cœlestis Kalendarij illa Dei conseruat *summa* prouidentia, quæ illis ne periturum capitis capillum æterna promissione firmauit: & qui in secula regnat seculorum, Amen.

Hæc sunt Acta, quibus quos fructus Ecclesiæ exhibuit opimos Noster S. Q. Serenus Samonicus agnosces. Sed vt nihil intactum relinquamus, hanc progeniem à Luitprando deductam, accipe in Aduers. n. 177. apud Ramiresium, n. 158. apud Tamayo, sic: *Medici* (Q. Sereni) *duo filij* Q. *&* M. *Sereni passi sub Seuero Alexandriæ. Item Tertius, & Quartus Sereni passi cum aliis in Africa sub Diocletiano. Horum filij L. Serenus Monachus familiaris Diocletiani, & P. Serenus, Martyr in Africa hic, ille vero in Hispania Sextifirmi in Bætica passus est, sub Diocletiano Anno CCXC. Horum erat cognata S. Serena vxor Diocletiani: Serena vxor Imperatoris Philippi mater fuit Serenæ vxoris Diocletiani.* De cæteris, qui etiam fratres, sorores, & nepotes horum fuere suis locis dicemus, præcipuè die XIX. huius Mensis.

Hæc Serenorum posteritas, & proles apud Hispanos sic in vsu fuit, vt vix inter vrbium Hispanicarum rudera, aliud nisi Serenorum cognomen agnosces. Nonnulla inter alia inscriptionum fragmenta ab oculos ponere curaui, vt ad desideratum veritatis apicem deuenias. Inter Emeritam, & Lerenam in Estremadura, in peruetusto Templo Iunoni sacro, hæc ab Ambrosio, post à Grutero fol. XXV. n. 6. refertur Inscriptionis peruetustæ nota:

IVNONI. REGINÆ.
SACRVM.
LIC. SERENVS. V. C. ET VERANIA
ACCINA. C. F. PRO. SALVTE.
FILIÆ. SVÆ. VARINÆ. SERENÆ.
DICAVERVNT.

Alia in loco, seu oppido Portugalliæ, quod nunc *Torres-Vedras* dicitur, fuitque conditum ante D. N. Iesu Christi aduentum CCC. VIII. annis, vt scribit Roder. Mend. in Populat. Hispan. tit. de Portugallia c. 35. inuenitur monumenti, seu cyppi Inscriptio, quam refert Grut. fol. DCC. III. n. 4.

D. M.
PVLTARI. FLAVINIANI.
SEREN. ANN. XXV.
VOLVPTAS. MATER.
F. C.

Apud Salmanticam celeberrimam vrbem, scientiarum matrem, & magistram in vetusto S. Bartholomæi, per emphasim Collegio, inter alia antiquitatis monimenta, hoc Romanis literis exaratum inspicitur mnemosynon, apud Ægid. Gonzal. Hist. Salmant. lib. 1. c. 8.

CELSIDIVS. ALBINVS. P. ET. ATIL.
ALBINA. M. CELSIDIAE. SERENAE.
F. AN. X. F. C. H. S. E. S. T. T. L.

In Antiquissima Beturiæ Turdulorum vrbe, quam tunc ILIPAM, nunc CALAMEADELA SERENA dicunt, in Bæticæ terminis situm, & Conuentus Cordubensis & quam amantissimam Patriam meam agnosco, in qua primos visiuæ lucis radios conspexi, fui que sacro baptismatis rore perfusus, die IX. Mensis Augusti, Anno Domini M. DC. II. Ecclesiæ Vniuersalis gubernacula obtinente Clemente VIII. Pontifice Maximo, Philippo huius nominis III. cognomento

etiam B. Bonauentura, tunc Ordinis Seraphici Generalis Minister interfuit, qui capsam, vbi Corpus per XXXII. annos delituerat, aperiens, illud à membrorum compagine dissolutum inuenit, excepta lingua, quæ adeò recens, rubicunda, & pulchra conspectabatur, vt S. Doctor in hæc verba prorumperet:

O, vbi nunc rigidi, Mors, est victoria teli?
Et tanquam spirans integra LINGVA *viget.*
Qua, nunquam Domini liquisti candida verbum;
Te, nunquam voluit linquere: semper eris.

Quo dicto, illam chrystallino inclusam vitro, seorsim collocauit. Guido quoque Cardinalis maxillam eius S. Viri, in ipsius Ecclesiæ sacrario, in insigni tabernaculo argenteo, minio, & pigmento laudatissimi coloris eleganter exornato, reposuit. In cuius Translationis actu, nec id silentio prætermittendum est, quòd arca, in qua reuerenter conditæ sunt exuuiæ, fuit diuinitus inuenta, & fabricata, (vt refertur) à Sanctis Quatuor Coronatis, qui passi sunt sub Diocletiano Imperatore. Huius demùm Translationis die, tanta affuisse miraculorum frequentia genera postmodum nouisse (dicitur) Generale Capitulum Lugdunense, vt mandauerit, diem Translationis, non secus, ac diem obitus, solemniter ab omnibus celebrandam esse. Demum Ano M.CCCC. LXXV. die Dominico XVIII. Mensis Iunij, infra Octauam eiusdem S. Confessoris, consecratum est Altare eius, per D. Iacobum Zeno Episcopum Patauinum, pio voto, & propensa in S. ANTONIVM pietate.

Isthæc omnia ab Auctoribus supra relatis extraximus, præcipuè à Tosiniano, & Matthæo Alemano. Carmina Iulij Cæsaris Scaligeri sunt 2. p. Poëmat. fol. 39. Hæc vt scires volebam. Abi.

PATAVIVM. Ciuitas Episcopalis, sub Patriarcha Aquileiensi, Italis hodie PADOVA, Hispanis PADVA, Venetis paret, situm ad Meduacum fluuium habens. Vrbs minime inexpugnabilis, & duplici murorum gyro, Maxima. De ea Raphael Volaterr. lib. 4. Geograph. fol. 103. Leandr. Albertus Ferrar. Myræus, & fere omnes Scriptores Italiæ. Alibi eius conditores, & antiquitates referemus.

QVARTODECIMO Kal. Martij.

DIES XVI.

A *Hispaniæ celebris est memoria* S. ONESIMI, *Discipuli Beati Pauli ; & totius Carpetaniæ Regionis Magistri , qui cum à Philemone hero manumissus ; Colossos deueniret ; inde ad Patras ; ibidem B. Virginem Polyxenam Hispanam ; & Sarram pedissequam , B. Andreæ discipulas adinuenit , quibus Hispaniam contendens , post plurima nauigationis dissidia , Nostras ingressus , Carpetanos lustrauit , prædicauit , inde Ephesum reuersus , B. Timotheo ipsius vrbis Episcopo suffectus , post Romam adlatus, post longa pro fide certamina , tandem lapidatus occubuit.*

B *Samone in Gallæcia Hispaniæ S. Quinti* SERENI *Confessoris egregij , qui cùm Romam cum* ZENA *conciue , & Synchrono B. Iustinum Philosophum , & Martyrem ad visendum pergeret , ab eo benigniter acceptus , & in fide instructus cum Socio dimissus , quibus postmodum Epistolam de* Doctrina Christiana *dicauit. Tandem* SERENVS *Sanctorum relicta Martyrum , & Confessorum felici prole , ad Dominum Confessor inclytus properauit.*

NOTÆ.

A SANCTVS ONESIMVS Episcopus, & Martyr.] qui B. Paulū Apostolum habuit encomiastem, & defensorem; vt eius verba ad Philemonem herum demonstrant, & ad Colossens. scribens c. 4. S Ignat. In Epistol. ad Ephes. c. 14. Eius memoriam repetunt ferè omnes Martyrologi, inter quos Beda his verbis : *Natale* S. ONESIMI *Apostoli , de quo B. Apostolus* Paulus *Philemoni literas mittit. Quem B. idem* Apostolus *Episcopum ordinans , prædicationisque verbum ei committens, apud Ephesiorum Ciuitatem reli-*

quit, (lege remisit) *cui Episcopus post* B. Timotheum, *& ipse resedit. Hic Romam perductus, atque ibi per fidem Christi lapidatus, sepultusque est Christi Martyr, primum ibi, inde ad loca, vbi fuerat ordinatus Episcopus, corpus eius delatum est.* Eadem penè verba transcribunt Vsuard. & Ado, qui & Martyrol. Roman. addunt, & perperam: *Paulum apud Ephesiorum Ciuitatem* ONESIMVM *Episcopum reliquisse.* Notker. Bedam, Maurolyc. Vsuardum, & Adonem sequuntur, *Rabanus*, & *Menolog. Græc.* tantùm diem, & passionem appingunt. Petr. de Natalib. *in Cat. SS. lib.* 3. *c.* 130. & Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 104. qui *Vsuardi* opinionem amplectuntur. Sed sine dubio omnes isti Scriptores *Bedæ* relationem inuertentes, ONESIMVM à Paulo *Ephesi* relictum, *Episcopum* illius vrbis ordinatum fuisse, contendunt, quod nec potest probari, nec *Beda*, à quo omnes ecphrasim mutuauere, tale quid dixit. Illum ausculta in correctioribus codicibus: *Quem* (ONESIMVM) *B. idem* Apostolus *ordinans, prædicationisque verbum ei committens, apud* Ephesiorum *Ciuitatem reliquit* (in correctionibus *remisit*) *Cui* Episcopus *post B. Timotheum, & ipse resedit.* Hanc correctiorem lectionem amplexatus *B. Notkerus*, loco *reliquit*, posuit *remisit*. Optime, quia cùm *Timotheus* Paulo superuixisset, quo pacto, ille adhuc *Ephesiorum* infulas tenens, ONESIMVM potuit *Episcopum* ipsius vrbis relinquere?

MAIOREM errorem contraxit *Petr. Galesinius*, asserens ONESIMVM Martyrem *Puteolanum* in Italia, fuisse *Discipulum Pauli*, Ephesiorum Episcopum, & Philemonis seruum: illum audi: S. ONESIMI *Martyris. Qui B. Apostoli* Pauli Discipulus, *post illius martyrium Tertilli vrbis Præfecti iussu comprehensus*, Puteolos, *ducitur; vbi grauissime cæsus, cum à fide desciscere nollet, imò liberius, & constantius Christum Deum prædicaret, contusis cruribus, & brachiis, sanguinem pro illius nomine profudit.* A quo hæc *Prothonotarius*? Nullus de Nostro loquens Martyre tale dixit. Quinimò Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. d. fol.* 104. Galesinij commentum improbans, sic alloquitur: *P. Galesinius, hac in re apertissimè hallucinatur. Qui enim, in* Puteolis *passus est, non* Apostoli Pauli discipulus, *sed longe ab illo diuersus fuit, vt acta vtriusque demonstrant.* Et optime, ob dierum, temporum, & agonum diuersitatem. *Puteolensis* Pridie kal. Augusti; *Noster* XI. V. Kal. Martij; *Ille* tempore Decij ad Annum CC. LI. *Noster* Nostri Traiani tempore ad Annum C. X. *Italus* contusis brachiis, & crucibus; *Ephesinus* lapidibus obrutus occubuit. Demum *ille* cum sociis, & sine titulo, *Noster* solus, & Prælaturæ munere. Vtriusque Acta consarcinauit Ferrarius *illius* XXXI. Iulij fol. 474. *Nostri* h. d. fol. 104. vbi discrepantiam videbis. De Nostro post relatos videndus Nicephor. *lib.* 3. *c.* 11. Euseb. *in Chron. Ann.* 74. Flau. Dexter *in Chron. Ann.* 71. Iulian. Archip. Tolet. *in Chron. n.* 44. *&* 45. & Aduers. *n.* 71. *&* 73. D. Thom. Tamayo *in Nouit. Antiq. Nouit.* 16. *fol.* 58. Eius Acta scripsere Metaphrastes, à quo *Surius*, & illius Compilator *Græsius*. Sed Galesinij errorem ebibens duos *Onesimos* confundit. Eadem additis quæ ad Nostram attinent Hispaniam excribemus.

ACTA S. ONESIMI EPISCOPI Ephesini, & B. Pauli Apostoli Discipuli ex Metaphrast. Dextr. & Julian.

ONESIMVS vnus ex Pauli Apostoli discipulis, Philemonis nobilis Colossensis seruus fuit. Qui ab heri domo clàm, sublatis aliquibus pecuniis (vt auctor est Theophylactus) Romam fugiens, in B. Pauli Apostoli tunc in carcere degentis consortium ascitus, illi omnia necessaria fidei obsequio ministrabat. At cùm illic per multum temporis cursum quiesceret, & Pauli doctrinam auscultaret, fidei excellentia conuictus, & Apostoli virtutes demiratus, paulatim religionis pondere ca ptus, illam profiteri satagebat. Quod vt Paulus agnouit, haud pluribus admonitionum instantijs, ONE-

SIMVM

SIMVM ad fidem breui interuallo perduxit. Tum Apostolo fugam aperuit, tunc se seruum confitetur, tunc delicti medelam à Paulo visceralibus singultibus depoposcit. Cui malo, vt subueniret Apostolus Philemoni hero Epistolam scribens, isthæc verba pro ONESIMI excusatione firmauit: *Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis* ONESIMO, *qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem, & mihi, & tibi vtilis; quem remisi tibi. Tu illum vt mea viscera suscipe, quem ego volueram detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij. Sine consilio autem tuo nihil volui facere. Forsitan ideò ad horam discessit à te, vt æternum illum reperires, iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maxime mihi, si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, mihi imputa. Ego Paulus scripsi manu mea; ego reddam.* Hac igitur accepta Epistola nouus Christicola Colossos pergit, & ad pedes Philemonis Domini prouolutus, & Pauli Epistolam, & sui obsequium lachrymarum imbre perfusus humili tradidit reuerentia. Illo à Philemone benigne suscepto, lectis literis, & serui cognita verecundia, protinus vt Deo seruiret, Paulo obsequelam ageret, & seruum redimeret, vt libentius fidei negotia compleret, ONESIMVM, virgulæ felici iniuria donatum libere manumisit, & iterum Romam ad Apostoli conspectum reciproca relaponsione remisit. Quem Paulus benignè suscipiens, post aliquot temporis in munus prædicationis euexit, & Episcopatus onere decorauit, quo vrbis, & orbis terminos perlustrando, orbi, & vrbi Dominicum verbum Euangelica veritate monstraret. Ista ergo dignitate suscepta, vt onus commissum exequeretur Roma discedens, innumeras Orientis vrbis collustrans, Achaiam peruenit, vbi inuentis Polyxæna, & Sarra, seu Rebecca Hispanis mulieribus, Pauli, & Andreæ discipulis, illis solatij medelam præbens, Hispaniam vsque, ipsas est charitatis feruore comitatus. In Nostram quippe prouinciam aduentantes, & Polyxena Sororem Xantippen inueniens, illi adhæsit; ONESIMVS verò per Carpetaniam prædicans, S. Eugenio Toletano Episcopo charus, innumeras ad Christi fidem animas circumduxit. Post modum Ephesum pergens, Apostolici ministerij munere fungens, ad sui dulcedinem eloquij omnium corda trahebat, ex quo è viuis sublato B. Timotheo illius vrbis Episcopo, in illius locum, omnium est acclamatione suffectus. Serpebat vbique iam Imperatorum persecutionis contagium, quod cùm primùm aduersus Ecclesiarum mystes, & doctores dirigeretur, euenit, vt ONESIMVS, vt Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus, & Magister, omni cunctatione detineretur abiecta. Sic Romam perductus, carcerique mancipatus, vltimum fidei experimentum animi strenuitate spectabat. Post decimum autem, & octauum diem, ad Præfecti tribunal adductus. Quisnam, & cuius conditionis esset ab illo interrogatus; libere, & constanter respondens, ait: *Christianus ego sum, olim quidem famulus hominis, nunc verò gratus Domini, & Seruatoris Nostri* Iesu-Christi *seruus. Et qua nam occasione* (inquit Præfectus) *& quo pretio in nouum hoc dominium translatus es?* Cui Episcopus: *Occasione* (inquit) *non alia, quàm veritatis, & odio cultus simulacrorum. Pretium verò, quo redemptus sum, est pretiosissimus* D. N. Iesu-Christi *sanguis, quo de morte ad vitam translati sumus.* Cui Præfectus: *vellem, vt tu rationibus, & scripturis, nobis probabili aliquo argumento, hac de re, differeres.* Tum ONESIMVS, luculenta admodum oratione, præclarè de Christiana pietate multa prædixit, & multiplicem impietatem, quâ simulachrorum cultores nefarie pollutos esse probabat, egregie confutauit;

ac postremò Præfectum enixè rogauit, atque obtestatus est, ne certissimo æternæ perditionis suæ periculo, lucem à se veritatis repelleret oblatam. Præfectus placidè quidem ONESIMI orationem admisit ad aures, sed nihilominus Virum Sanctũ in carcerem tenebricosum coniecit. Demùm cum S. Viri constantiam notaret Præfectus, & videns, quòd in tormentis exultaret, & ignominiam illam ad summum decus reputaret, & gloriam, protinus illum satellitibus tradidit lapidandum, quo agone, vt alter Stephanus in cælos conscendens gloriosus Martyr, viuificæ beatitudinis gloriam est patenter intuitus, XIV. Kal. Martij, Anno Domini C. X. Anacleto Sum. Pont. & Traiano Imperat. Corpus S. Martyris, Martia Matidia Augusta, ipsius Imp. soror, in arca argentea clausum, secum retinuit, donec Ephesum delatum, per multa tempora honorifice quieuit.

En puriora, sinceraque S. Martyris Acta. In quorum comprobationem duo disserenda veniunt.

PRIMVM de eius in Hispaniam ADVENTV. Cui Flau. Dext. in Chron. Ann. 71. sic facit satis: S. ONESIMVS *S. Pauli discipulus ex Vrbe Patrarum in Achaia, cum SS. Virginibus* Polyxena, *&* Sarra *discipulis* Andreæ *Apostoli, per* Hispanias *predicat*. Iulian. Archipresb. Toleti n.44. & 45. eadem refert, & in Aduers. n. 73. clarius, sic: ONESIMVS inde profectus est Colossos, & venit *Patras, vbi reperit* Polyxenam Hispanam, *& anno LXX. venit in* Hispaniam, *& à Iuliano Episcopo Carpetanorum factus Presbyter prædicauit Euangelium in* Hispania, *plusplusquam XXXIII. annis*. Prosequitur in Chron. n. 44. & 45. his clausulis *Xantippe, & Polyxena eius Soror Virgo Sanctissima: & eius Socia* Rebecca *item Virgo, &* S. ONESIMVS, *S. Pauli discipulus frequenter Laminio Toletum ventitant, eoque* Eugenio *consulto, nimis animati reuertuntur domum. Frequenter* S. ONESIMVS *Toleti prædicat, & per totam discurrit Carpetaniam*. En istius articuli euidens probatio. Sed ne domesticorum tantum testimoniis niti reprehendar, Græcorum Menologium, testis tantæ adsit veritati: non illud Canisij diminutum, sed aliud Biuarij plenum, vbi de Polyxena, & Xantippe sororibus Hispanis agens prosequitur: *Polyxena autem rapta à quodam improbo, sed gratia Dei incorrupta mansit, & ab Apostolo* Andrea *baptizata est. Multis autem credentibus per ipsam: accipiens autem* ONESIMVM *Apostolum tetendit in patriam suam* Hispaniam, *& post multas nauigationes, & infinitas fugas, cùm secum duxisset* Rebeccam, *cum quâ baptizata fuerat, reperit suam sororem vterinam Xantippen*. Hunc locum refert P. Biuar. *ad Dextr. d. Ann. 71. n. 1. fol.* 165. M. Rus-Puerta Hist. Giennensi, seculo 1. c. 2. n. 4.

SECVNDVM de Collectione Corporis S. Martyris à Martia Matidia Augusta. Huius relationis memoriam auctorauit idem Iulian. Petr. in Aduers. n. 75. in hæc verba: *Matidia Augusta Imperatoris Cæsaris Traiani soror discipula secreta S. Clementis, accepit Corpus* S. ONESIMI, *& arca argentea clausit*. Ab hinc veniunt intelligenda verba Actorum S. Martyris à Surio, & Grassio relata, circa Martyris sepulturam, sic: *Sacræ illius Reliquiæ fuerunt* à Muliere quadam Imperatorio sanguine claram, *summo cum honore, & reuerentia excepta, & in thecam argenteam recondita* Vbi *Mulier Imperatorio sanguine clara*, eadem est ac *Matidia* Imperatoris Traiani soror. Ex quo Iuliani Nostri periodum illustrabis. Pro coronide alterius Toletani Poëtæ carmina, quibus preces B. Apostoli Pauli ad Philemonem pro venia ONESIMO impetranda continentur, tibi subscribere curaui, & vt Nostrorum pietatem, & Toletanorum camœnas agnoscas. Ergo Aluarum Gomezium in Musa Paulin. fol. 294. ausculta.

Sed precor, & natum pro nato, ex semine Christi
Quem genuit puro vox mea casta Deo,
Crescit amor, quod non genui fumantibus vmbris,

Sed

Sed cælo, & veris editus ille sacris.
Quod genui vinclis iamiam moriturus acerbis, In vinculis.
Natus in extremis charior esse solet.
Isque est ONESIMVS, *charum placet edere nomen:* ONESIMO.
Nec pudet vt Dominum fugerit ille suum.
Fugerat, atque fuga dominum fraudarat, ad ipsum Qui tibi aliquando inutilis fuit.
Iam redit, & pulsis sordibus, alter adest.
Mutatumque fuga redeuntem pœnitet, illum
Suscipe: sic seruos conditor ipse suos,
Ipse suos dira captos meretricis amore
Suscipit, in Patrio confouet ipse sinu.
Filius in Syluis errabat prodigus atris,
Sed rediens læti dona Parentis habet.
Inspice quo affectu distratos quæritat hostes,
Vt leuat hos, natos, & facit esse suos.
Vt trahit, vt refouet, donisque ingentibus implet,
Optimus; in lapsos nec furit ille viros.
Exemplo Christi puros imiteris amores;
Ille tibi, seruo tu quoque parce tuo.
Iste laboranti PAVLO *fuit vtilis; ad te* Nunc autem, & mihi & tibi vtilis, quẽ remisi tibi.
Nunc veniens nostro carcere, gratus eris.
Ad te Christisoni dulcißima nuntia PAVLI
Afferet; & socij vincula sancta tui.
Vincla sacrum nomen, quo non sacratius vllum
Nosse potest animo qui capit alta pio.
Suspice diuinis firmatas viribus arces.
Erige quæ ad Trinum lumina casta Deum.
Hoc tenet astrictum tenebroso carcere PAVLVM,
Hoc facit esse animo vincula gratu meo.
Quod tibi, si veri recolis memorata Magistri Tu autem.
Vincula, si Christi pectore nomen habes;
Si tibi, qua pietas veros adiungit amores,
Qua recolit grato dona paterna sinu,
Si pax, si qua tui vel curas vincula PAVLI,
Quem vinctum frater conspicis, atque senem;
A PAVLO *Christi redeuntem suscipe seruum,*
Hunc iam non seruum suscipe, sed socium. Illum, vt mea viscera suscipe.
Suscipeque vt PAVLI *natum, charißima mater*
Quem genuit Trino Chrystea lympha Deo.
Malueram comitem nostro retinere labori, Quem ego volueram

Nam

mecum detinere, vt prote mihi ministraret in vinculis Euangelij. Sine consilio autem tuo nihil volui facere.

Nam potuit vinclis vtilis esse meis.
Nec sine te volui seruum retinere pudicum,
Nec sine te donis vterer ipse tuis,
Nam licet, & PAVLO fueras cessurus habenti,
Sponte quidem virtus hæc tua maior erit.
Et tibi ad hoc seruum mea viscera chara remitto,
Liber vt ad votum des tua dona tuum.
Si retines tuus est, habeas PAVLOQVE remissum,
Si dabis hunc vltro, plus tibi laudis erit.

Vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset sed voluntarium.

Exortum munus non est laudabile, iam tu
Fac mihi de seruo, quod velis ipse tuo.
Hoc tantum fratrem libeat meminisse, nec illum
Plus æquo inflictis perdere ponderibus.
Nec memor erroris fræno tractabis acerbo,
Iam redimit lachrymis impia facta suis.
Abluit hic totas Christiano flumine culpas.
Sanctáque purgatum reddidit vnda virum.

Forsitan enim ideò discessit ad horā à te;

Nec te pœniteat, fugitiuo est vtilis error,
Et tibi, & hic felix vtilis error adest.
Carneus hic quondam seruus fuit, & tibi tempus
Ad modicum seruus temporis huius erat,

Vt in æternum illum reciperes.

Suscipis æternum, iam nunc cœlestia doctus,
Iura nocens Domino non erit ille suo.
Hactenus hic renuens vultu parabat amaro,
Nunc patiens Christi iam tibi miles erit.

Iam nō vt seruum.

Ante tuis iussis nullo restabat amore
Nunc amat, & veris est comes ille sacris.
Iam didicit Christo solitum damnare furorem,
Mitis, & ad furti numina cuncta pauet.
Dedidicit sæuos cælesti semine mores,
De tali talis, vix queat esse fides.

Sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi.

Suscipis ecce tuum magno cum fœnore seruum,
Crede mihi, tantus non erat ante tuus.
Frater adest, Christo redeuntem suscipe fratrem,
Frater enim PAVLI charus & iste tui.
Communis nos æquat amor, status que, fides que

Quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino;

Quique pius viua nos lauat emptor aqua.
Vna salus, Deus vnus adest, ad regna vocamur
Vnica, communem gens habet vna Patrem.
Has mihi per causas, hic est vir charus, & idem

Sit

Sit tibi, sic votis lux micet alma tuis.
Quòd tuus est, quòd habet Christiani signa trophæi,
Sis pius, huic gemino cogeris officio.
Quod si consortem verbi me suscipit almi, Si ergò habes mè socium,
Meque tibi socium dat Pater ipse pium;
Suscipe in hoc PAVLVM, PAVLVS *venit alter in isto,* Suscipe illum sicut me.
In Christo vultus exhibet iste meos.
Exhibet, atque fidem, diuinæ & viscera flammæ,
Vt comes in vinclis affuit iste meis.
Cumque Dei voces, æternumque hauserit ignem,
Alter ego, in nostris profuit ille malis.
Suscipe iamque nouum, Christo generante, ministrum,
Huic simul atque nouum te decet esse patrem.
Si tamen hic domui fugiens, dispendia vestræ Si autem aliquid nocuit tibi.
Fecerit, aut furto quid tulit effugiens:
Si nocuit debet vè aliquid, veniamque recuses Aut debet.
Tradere, & in damnum soluere ante tibi:
Sponsor ero, PAVLOQVE *petes, quod læserit iste:* Hoc mihi imputa.
Obstringit nostram littera nostra fidem.
Si satis esse putas obstricti nomina PAVLI, Ego PAVLVS scripsi manu mea.
PAVLVM *pro seruo, qui tibi soluat habes.*
Hunc sinito, nihil ille tenet quo soluat, & ipsum Ego reddã.
Te Deus admissis soluit amice malis.

Plura prosequitur Aluarus Gomezius, quæ consulto omisimus, ne Hispanis, quibus communis codex, in fastidium traheremus. Hoc Nostris, & exteris animaduertendum duximus; quod apud Toletum duos fuisse ALVAROS, hosque cognomine GOMEZIOS, temporum, & scriptorum diuersitas suadet. De quibus videndus Andr. Scothus in Bibliothec. Hisp. 3. clas. tom. 3. fol. 565. & 566. qui vniuscuiusque scripta recenset.

EPHESVS. Ciuitas Archiepiscopalis Ioniæ maritima, Asiæ propriè dictæ, Metropolis quondam clarissima, ac Conuentus muliarum vrbium Maximus, & nobilissimus, Templo Dianæ memorabilis, apud Caistri fluminis ostium, cui ab Occidente Samus Insula adiacet: Inter Miletum Cariæ Metropolim, & Smyrnam vrbem Ionicam, à qua in Austrum ad XL. M. P. distat: à Magnesia ad Mæandrum in Occidentem ad XV. M. Colophoni etiam proxima, & Sardibus. Dici vix potest, quàm olim hæc vrbs floruerit, quot literis præstantes tulerit, quot Artifices dederit. Quæ nunc obscura iacet, nisi quod dignitatem retinet Metropolitanam. Hodie à Nostris EPHESO, ab Incolis FIGENA dicitur, vt notauit Philipp. Ferrar. in Topograph. fol. 50.

B. SS. QVINTVS SERENVS, & ZENAS Confessores. Istorum illustrium Sanctorum nullus meminit Scriptorum, qui martyrologia contexuit. Illos mihi suppeditauit Luitprandus, qui in Aduers. n. 176. de ipsis agens, hæc verba connectit: ZENAS, *&* Q. SERENVS *Samonenses ex* Gallæcia *conueniunt Romæ* Iustinum, *& licet coniugati, reuersi in* Hispaniam *vtebantur officio Catechistarum.* Postmodum Q. SERINI transitum referens, hæc n. 177. profert: *Decessit* Q. SERENVS *Samone in* Gallæcia *cum opinione sanctitatis, Anno* C.LXV. *relicto filio adolescentulo,*

qui

qui fuit egregius Medicus, & virtutis, & religionis amantissimus. Dies senioris Q. SERENI *dicitur fuisse* XIV. *Kalend. Martij, illo Anno.* Eorum Acta à nullo scripta comperio, illa breuiter attexemus, vt instituti formulam impleamus.

ACTA SS. Q. SERENI, ET ZENÆ Confessorum ex vrbe Samone in Gallacia Hispan. ex Luitprand.

Q. SERENVS, & ZENAS ex Samone Gallæciæ vrbe antiquissima oriundi, maiorum stigmatibus nobilitati, temporalem hanc, & perituram respuentes vanitatem, illos duntaxat virtutum apices, quos propria progignit actio, quos eadem conscientia parturiit, ac ipsissima animi ratio consaginat, quæritantes, Christo nomina dedere. Vterque ad casti coniugij thoros peruenit, sed spe proficiendi in facinorum illustrium speciminibus, audita Iustini Philosophi fama, relictis vxoribus, filiis, & familia, Romam pergit. Ibidem in fide roborati, & Iustini amicitia deuincti, eius doctrinam Catholicam Gallæci Nostri infatigabili continuatione suxerunt. Sed in patriam repedare constituentes, ab ipso Sanctissimo Magistro luculentam ipsius Christiani dogmatis methodum, vt illa instructi perfectius Gallæcos suos, cæterosque fideles catechizarent, & veritatis Euangelicæ disciplinam profunda eruditione perciperent, supplici animi deuinctione petiere. Iustinus ergo Sanctorum Conciuium pia vota cognoscens, illis annuens protinus libellum de DOCTRINA CHRISTIANA conscripsit, Sanctissimis quæ Gallæcis inscripsit, & dicauit, vbi Christianum dogma mira breuitate complectens, & illorum desideria compleuit, & fidelium vniuersorum Christianæ veritatis specimina confirmauit. Ideóque in ipso Libelli epilogo illos alloquens, breuiter perstringit: *Hac habui ô fratres* (SERENE, & ZENAS) *quæ cum vobis consilium impartiens facienda suaderem: tum reliquos quosque per vos ad voluntatem Dei exequendam, seruare cohortarer. Dominus autem gloriæ, qui constat in secula, det vobis omnibus, vt vna cum electis honorem consequamini, & requiem. Cuius etiam gratia sit cum vniuersis vobis.* Hoc quippe thesauri Euangelici munere onusti Sancti Viri in patriam repetentes, cæteros Christi assèclas edocebant, & nouiter conuersos catechizabant. Quo officij onere distenti ad placidam deuenere senectam, qua virtutibus clari, egregiis bonorum operum facinoribus illustres, in fide strenui, in charitate non ficta validi, & in spe Christiana firmi, ad æternam beatitudinem euolarunt, die XVI. Februarij Anno Domini C. LX. Tantam Deus Q. SERENI fidei constantiam persoluere constituens, illi felicissimam Sanctorum Martyrum & Confessorum prolem est elargitus. Nam eius filius Q. Serenus, professione Medicus, & fide Christianus à Patre nutritus, Romam pergens, Gordiani Præceptor fuit, qui à Caracalla pro Christi fide in balneo occisus fuit. Iste duos habuit filios Q. Serenum, & M. Serenum, quos Seueri Imperatoris sæua crudelitas Martyres effecit Alexandriæ. Ex his processere L. Serenus Monachus Diocletiano familiarissimus, qui Sextifirmi in Bætica, agonem consummauit Anno CCXC. P. Serenus qui in Africæ martyrium pertulit; & Serena vxor Philippi Imperatoris, à qua Serenæ duæ eius filiæ, alia vxor Diocletiani, à quibus Artemia, altera vxor Caij, à quibus Caius Papa, & Gabinus, qui Susannam filiam, & illius neptem procreauit. Item ex hac prosapia, & familia

milia Serenorum fuit B. Serenianus Episcopus Braccarensis,& alij Sanctissimi Viri, quorum nomina, mortalibus sublata, in Albo cœlestis Kalendarij illa Dei conseruat *summa* prouidentia, quæ illis ne periturum capitis capillum æterna promissione firmauit: & qui in secula regnat seculorum, Amen.

Hæc sunt Acta, quibus quos fructus Ecclesiæ exhibuit opimos Noster S. Q. Serenus Samonicus agnosces. Sed vt nihil intactum relinquamus, hanc progeniem à Luitprando deductam, accipe in Aduers. n. 177. apud Ramiresium, n. 158. apud Tamayo, sic: *Medici* (Q. Sereni) *duo filij* Q. *&* M. *Sereni passi sub Seuero Alexandriæ. Item Tertius, & Quartus Sereni passi cum aliis in Africa sub Diocletiano. Horum filij L. Serenus Monachus familiaris Diocletiani, & P. Serenus, Martyr in Africa hic, ille vero in Hispania Sextifirmi in Bætica passus est, sub Diocletiano Anno CCXC. Horum erat cognata S. Serena vxor Diocletiani: Serena vxor Imperatoris Philippi mater fuit Serenæ vxoris Diocletiani.* De cæteris, qui etiam fratres, sorores, & nepotes horum fuere suis locis dicemus, præcipuè die XIX. huius Mensis.

Hæc Serenorum posteritas, & proles apud Hispanos sic in vsu fuit, vt vix inter vrbium Hispanicarum rudera, aliud nisi Serenorum cognomen agnosces. Nonnulla inter alia inscriptionum fragmenta ab oculos ponere curaui, vt ad desideratum veritatis apicem deuenias. Inter Emeritam, & Lerenam in Estremadura, in peruetusto Templo Iunoni sacro, hæc ab Ambrosio, post à Grutero fol. XXV. n. 6. refertur Inscriptionis peruetustæ nota:

IVNONI. REGINÆ.
SACRVM.
LIC. SERENVS. V. C. ET VERANIA
ACCINA. C. F. PRO. SALVTE.
FILIÆ. SVÆ. VARINÆ. SERENÆ.
DICAVERVNT.

Alia in loco, seu oppido Portugalliæ, quod nunc *Torres-Vedras* dicitur, fuitque conditum ante D. N. Iesu Christi aduentum CCC. VIII. annis, vt scribit Roder. Mend. in Populat. Hispan. tit. de Portugallia c. 35. inuenitur monumenti, seu cyppi Inscriptio, quam refert Grut. fol. DCC. III. n. 4.

D. M.
PVLTARI. FLAVINIANI.
SEREN. ANN. XXV.
VOLVPTAS. MATER.
F. C.

Apud Salmanticam celeberrimam vrbem, scientiarum matrem, & magistram in vetusto S. Bartholomæi, per emphasim Collegio, inter alia antiquitatis monimenta, hoc Romanis literis exaratum inspicitur mnemosynon, apud Ægid. Gonzal. Hist. Salmant. lib. 1. c. 8.

CELSIDIVS. ALBINVS. P. ET. ATIL.
ALBINA. M. CELSIDIAE. SERENAE.
F. AN. X. F. C. H. S. E. S. T. T. L.

In Antiquissima Beturiæ Turdulorum vrbe, quam tunc ILIPAM, nunc CALAMEA DE LA SERENA dicunt, in Bæticæ terminis situm, & Conuentus Cordubensis & quam amantissimam Patriam meam agnosco, in qua primos visiuæ lucis radios conspexi, fuique sacro baptismatis rore perfusus, die IX. Mensis Augusti, Anno Domini M. DC. II. Ecclesiæ Vniuersalis gubernacula obtinente Clemente VIII. Pontifice Maximo, Philippo huius nominis III. cognomento

Optimo Hispaniarum Rege Catholico aliud antiquitatis cyppum, licet vetustate corrosum, sequentes duntaxat literas demonstrantem, sed ad intentum perspicuas, olim iuuenilis mea adinuenit sedulitas, sic:

ACILI .... L. V. M.
SEREN. ANNOR. XX.
H. S. E..........
H. T. P. F. ....

Immò, & ipsa Prouincia, in qua Patria ista continetur mea, quæ Ordini, & Religioni Equitum paret Alcantarensium, adhuc SERENA dicitur; subqua XVIII. Oppida, diuite commercio illustria continentur. Alia innumera taceo testimonia, ne fastidium Lectoribus adducam meis.

SAMO, Vrbs antiqua in Gallæcia, quam hodie SAMOS Luitprand. *Aduers. n.* 175. vocitat. De ea Nostri Antiqui, & recentiores Scriptores vt videre est apud R. P. F. Philippum dela Gandara in Histor. General. Gallec. passim. In ea condidit Rex D. Fruela celebre Cœnobium S. Iuliano Martyri dicatum impulsore Argerico Abbate Agaliense Toletano, qui Sarracenorum oppressionem diffugiens, Fruelam Regem accersiit cuius munificentia fotus, SAMONENSE condidit Monasterium.

DECIMO TERTIO
Kalend. Mart.
DIES XVII.

A *Concordiæ in Lusitania Hispaniæ* SS. DONATI, SECVNDINI, ROMVLI *cum aliis* LXXXVI. *Sociis, qui cùm tempore Antonini Imperatoris Christum libera voce confiterentur, à satellitibus tenti, & grauibus affecti cruciatibus, sanguinem suum strenui Martyres pro fidei veritate fuderunt.*

B *Nertobrigæ in Hispania Vlteriori* S. EVTROPII *ipsius Vrbis Episcopi, qui cùm per Hispanias Priscillianistarum, Originensium, & aliorum hæreses serpere cognouisset, B. Paulum Orosium Presbyterum Africam exlegauit, Consulturum B. Augustinum circa animæ originem, aliáque à veris fidei regulis discrepantia, quæ Sanctorum Patrum, & Episcoporum aures offendebant: demum virtutibus clarus ad requiem Confessor properauit æternam.*

NOTÆ.

NOTÆ.

A SANCTVS DONATVS, & Socij Martyres.] Eorum est memoria apud Vsuardum, Maurolycum, Notkerum, Galesinium, Constantium Felicium, Petrum Equilinum lib. 11. c. fin. n. 69. Philipp. Ferrar. in Cat. SS. Ital. fol. 108. Martyrolog. Rom. Iulij III. Pont. Max. ab Alexandr. de Peregrinis, Gregorij XIII. Clementis VIII. & Vrbani VIII. à Baronio recognitum, à quibus Castellanum P. Dionys. Vazq. & Lusitanum PP. Societ. Iesu. At apud nonnullos, diuersis est inspectionibus notanda. Nam Vsuardus, Maurolycus, Felicius, Peregrinis, Baronius, & pedissequi CONCORDIÆ passos fatentur, absque Prouinciæ consignatione, sic: *Concordiæ SS. Martyrum* DONATI, SECVNDINI, *&* ROMVLI *cum aliis LXXXVI. eiusdem coronæ Consortibus.* At B. Notkerus prout corrupte apud Canisium, apud *Africam* passos scribit, aliosque apud *Aquileiam*, illum ausculta: *In Africa* SS. DONATI, *&* SECVNDINI. *In Aquileia Chrisanti, Eutychij, Concordiæ, Iusti, Romuli, Salonis, Syluani, & aliorum LXXXIV. quorum nomina Deus scit.* In cuius verborum clausulæ compagine, duo notanda sunt; primum, quòd CONCORDIAM vrbem, Martyrem facit. Secundum, quòd Martyrum nomina inuertens alios *Africæ* passos, alios *Aquileiæ*, totam rationis formam expungit; ideo crederem irrepsisse mendum in amanuensi, aut in prælo, sicque periodum scribendam hoc ordine censeo: *In* Africa *SS. Eutychij, Iusti, & Syluani. In* Aquileia *S. Chrysanti.* CONCORDIÆ *Sanctorum* DONATI, SECVNDINI, ROMVLI, SALONIS, *& aliorum LXXXIV. quorum nomina Deus scit.* Sic concordabis Notkerum cum aliis Martyrologiis. Et patet, quia S. Chrysantus Aquileiensis colitur hac die, vt refert Philipp. Ferrar. d. fol. 108. ex antiquo Breuiario Aquileiensi.

Item duplicem errorem contraxit idem Ferrar. in Catal. SS. Ital. fol. 107. vbi de Nostris Martyribus agens, hæc subiicit: DONATVS, SECVNDINVS, ROMVLVS *cum aliis LXXXVI. in immani Diocletiani, & Maximiani Imperatorum* persecutione, *apud* CONCORDIAM *(ciuitatem inter Aquileiam, & Altinum, quæ vrbes ab Hunnis excisæ iacent) martyrium ob Christi fidem perpessi sunt: atque in ea vrbe, tanquam illius Patroni, summa celebritate coluntur cum Octaua.* Primum, in testificatione temporis, quia nullo modo sub Diocletiani imperio passi sunt. Secundum in CONCORDIÆ vrbis Italiæ consignatione, cum apud Hispaniam passos probabimus. In hoc itidem Galesinius fallitur, qui sub Iuliani Apostatæ imperio ad Annum CCC.LXIV. martyrium compleuisse coniectat. Omnium ora obliniuit Flau. Dexter. in Chron. Ann. 145. qui Martyrum agones tempore Antonini Pij describens, hæc protulit verba: CONCORDIÆ *in* LVSITANIA, *quæ nunc* Besulci *dicitur SS. Christi Martyres* DONATVS, & socij eius, multa passi. Quo loco hanc nostram amplectuntur opinionem P. Biu. n. 2. fol. 247. & Roder. Car. fol. 71. Acta hæc:

ACTA SS. DONATI, SECVNDINI, ROMVLI, ET LXXXVI. *Sociorum Martyrum, ex Flau. Dextro.*

DONATVS, SECVNDINVS, ROMVLVS, & Socij apud Lusitaniam in vrbe, quæ *Concordia* dicitur, aut oriundi, aut ciues, vitam agebant. Dederant nomina Christo, sicut & alij plurimi, quos Apostolorum, & Præsulum illius prouinciæ fida sedulitas Euange-

licæ doctrinæ verbo parturierat. Mos fuit Hispanicis Præfectis, & Iudicibus à prima Neronis persecutione Christianos, tanta continuatione, perquirere, vt licet Romanorum Principum gratia illos absoluerit, attamen cùm isthæc condonationes tardissimè perferrentur, aut ad illorum manus non perueniebant, aut si illas accipiebant, ita serò vt iam plurimos Christi asceras per cruciatuum verbera perdidissent. Ab istis Præfectorum, & Iudicum sanguinariis carnificinis, aduersus Christianos, abstineri pia Adriani Imperatoris magnificentia præceperat, vt ad Fundanum Asiæ PROCOSS. edita Epistola manifestat. Sed mortuo Adriano, protinus Satellitum turma, non spectata noui Cæsaris voluntate iterũ in Christicolas desæuiens, carcerum ergastula Confessorum illustrium turbis compleuit. Inter tot innocentium agmina, DONATVS, & Octoginta, & Octo socij, per huiusmodi carcerum angustias, ad supplicij agonem strenui pugiles deuenerunt. Qui ibidem multa perpessi, Antonino Pio imperante, ad gloriam martyrij, diù desideratam, validi pro Christi confessione peruolant Agonistæ, die XVII. Februarij Anno Domini C. XLV.

Non obstat huius ecphrasis veritati veneratio apud *Concordiam Italiæ*, quam refert Philippus Ferrarius adhuc ibidem vigere. Nam non est nouum, quod hæc pia deuotionis instantia, apud plurimos populos vno, eodemque nomine consignitos, obseruetur. Acceperat *Concordia Italiæ* passos Martyres DONATVM, & Socios, apud *Concordiam*, ignorauit agonis topographiam, credidit suam, fuisse Martyrum palestram, *Concordiam*. Quid mirum si suos abrogauit: quos alienos historiæ auctoritas manifestat? Grates illis à Nostris referendas censemus, ex eo quod Nostris Agonistis ditati, festum illis deuoto, illustrique errore persoluant. Pietas ergo Christiana facile Sanctorum sitiens patrocinia, vniuersos, vt suos, felici adquirere comprehensione conatur.

SED quia isthæc *Philippi Ferrary* sententia, quâ contendit SS. Martyres Nostros apud *Italiam* passos, penitùs euacuetur, audi D. Roder. de Acuña, qui in *Hist. Flyssipp.* 1. *p. c.* 14. *fol.* 32. postquam horum Martyrum orignem Lusitanam, & Acta vnà cum recensisset elogiis, prosequitur: *CONCORDIA Ciuitas ex Ptolemæo, iacet vbi nunc visitur Oppidum* THOMAR, *quam vrbem Antiqui* NABANTIAM *dixere, Ierosolymitanorum Militum primò, post Christiferorum metropolim. Non longe conspicitur Oppidulum, cui nomen* BISVLCO, *seu* BESELGA, *in quo nati, & passi supra memorati Martyres sunt. In huius rei memoriam adhuc miraculosus perseuerat* LAPIS *ibidem, omnium Lusitanorum deuotionem arripiens, quatenus apud illum relatos Martyres, fama est, agonem efficaciter compleuisse. Huius traditionis veritatem indigetant, & sanguis è marmore defluens, & miracula passim apud illud patrata. Lapidis forma quatuor angulos complectitur, cuius pars solo affixa, pars sursum per fermè quinque dodrantes erigitur. Nec situm mutasse constanter creditur, nam cùm aliquando ad Abbatissarum ædes, quas in huius oppidi possident territorio, lapis ille sacer à latomis aduceheretur, repente in antiquum locum reuersus est. Hinc deinceps in eximiam venerationem habitus, Oppidanorum reuerentiam exhausit. Post hæc duo fossores, cùm prope lapidis suffixi locum pertransissent, vnus, cui nomen* Arocho, *furore concitus, ligone sacrum ferire lapidem properauit*: Ecquid (*dicens*) & Nos lapidem adorabimus? *O res mirabilis! Vix illum percussit, cum ecce marmor ex ictus foramine guttatim sanguinem stillauit, & rusticus febre correptus, animam protinus eructauit. Nec hisce mirabilibus tantum, virtus lapidis circumscribitur: innumera alia Deus Sanctorum Martyrum inuocatione ægris beneficia incolis elargitur: & agris præ nimia siccitate compressis, pluuiam impartitur in tempore congruentem. Quis febricitantium fide marmor tetigit, qui ægritudine exutus, hilaris ad propria non recessit, & gratus? Si fortè agri pluuiam expetunt opportunam, quia sterilitate sitibundi depereunt, illicò vicorum circumiacentium accolæ processiones indicunt, quas ex collectis paruulorum caternis extruunt, & ad lapidis sacri locum aduentantes, puerulis officium de more committunt, qui e certo termino genuflexi procedunt, ad*

lapidem

lapidem pergunt, & ibidem sistunt orantes, donec pluuias à Domino Sanctorum Martyrum intercessione conquirunt. Ergo Lapis *iste Oppidanorum* Sanctuarium *est, in quo medelam suis infirmitatibus adipiscitur vnusquisque; sicque in summo honore est habitus, & tanquam palæstra, quâ SS.* DONATVS, *& Socij martyrio coronati sunt, honorifice veneratur.* Hactenus Archiepiscopus Vlysliponis, cui tanquam oculato testi, & cuius ditionis oppidum est, multum est deferendum. Nunc conferat hæc *Ferrarius*, cum veneratione *Concordiensium* Italiæ, & agnoscet quantò maiora apud Nostrates perseuerant vetustatis, & veritatis indicia, circa genuinam Nostrorum Martyrum agonis palæstram, & martyrij locum, & quantum credendum est *Dextro* passionum Martyrum loca, & topographias consignanti, apud quem legimus, & intuemur certiora, & puriora huius veritatis exempla.

CONCORDIA, Vrbs fuit Hispaniæ Vlterioris in Lusitania, vt ex Ptolom. lib. 2. Tabul. 2. Europ. c. 5. colligitur, his verbis: *Scalabiscus, Talubis*, CONCORDIA, *Talabriga, Rusticana*, Plinio *lib. 4. c. 22.* qui CONCORDIENSES *qui Boccori*, consignat. Hodie dici TOMAR in Portugalliæ Regno scribunt P. Biu. 8. fol. 247. & Roder. Mendez in Descript. Populor. Hisp. libro de Portugall. c. 25. Et licet alias vrbes cum nomine ipso cognoscamus, at quia Dexter, vt tauthologiam effugeret, addidit: *Quæ nunc Besulci dicitur*, in verum situm deuenimus, cùm hodie fluuius *Beselga* à Besulco, paucis inuersis literis, nominatus, illius oppidi mœnia lambat.

B. S. EVTROPIVS, Episcopus, & Confessor.] Eius diem transitus, & Annum restitutum accipio à P. Ieronymo Roman de la Higuerà in Martyrologio MS. Hispano sæpius à me laudato, in hæc patrio idiomate verba: *En* Fregenal de Estremadura *el transito glorioso de S.* EVTROPIO *Obispo de aquella Ciudad, que conociendo los errores que por* España *senbrauan los dos* Auitos, *embio à Africa al Venerable Presbytero* Paulo Orosio, *para que consultadas estas eregias con San* Agustin, *apuntase el modo mas seguro para condenarlas. Fue este Santo Prelado pariente muy cercano de* Flauio Paterno Campecio *Arcobispo de Toledo, y successor de Castino. Murio enpaz con opinion de santidad, y no sin el don de milagros à* XVII. *de Febrero, cerca de los años de* CCCC. XX. Quæ latinè sonant. NERTOBRIGÆ *in Vlteriori* Hispania, *quæ hodie* Estremadura *dicitur*, S. EVTROPII, *ipsius vrbis Episcopi, qui vtriusque* Auiti *errores, quos per Hispanias seminabant, agnoscens, Venerabilem* Paulum Orosium *Presbyterum, vt* B. Augustinum *pro istis damnandis hæresibus consuleret, Africam dimisit. Fuit iste Sanctus Præsul*, Flauio Paterno Campecio *Episcopo Toletano & Castini successori sanguine couiunctissimus. In pace haud sanctitatis opinione vacuus, nec absque miraculorum dono quieuit* XIII. *Kalend. Martij, circiter Annum* CCCC. XX. De isto EVTROPIO S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.* 458. per transitum scribens ait: *Mortuo Castino Toletano, succedit illi Flauius Paternus*, Cognatus Sancti EVTROPII Nertobrigensis Episcopi. *Qui Paternus etiam alio nomine Campeius dicebatur.* In huius loci notula Roderic. Caro *fol. 166. col. 2. lit. P.* hanc coniectationem adnectit: *Eum* (EVTROPIVM) *esse suspicor, qui* Paulum Orosium *ad Africam misit, super animæ origine consulturum.* Hac sanè *Roderici* coniectatione intellecta, quæ *Ieronymi de la Higuera* propositioni cohæret, aliqua à nobis probanda veniunt dubia, quæ istorum, aut inuertere Scriptorum opinationes, aut firmare poterunt assertiones. Quibus sedatis illorum conamina sine perturbatione percurrent.

PRIMVM, an hoc tempore, aliquis fuerit Hispaniæ Episcopus, qui EVTROPIVS vocitatus, *Paulum Orosium* in Africam dimitteret, & qua de causa? Cui dubio purpuratus *Cæsaris Baronij* calamus *Annal. Eccles. tom. 5. Ann. 414. n. 12.* faciens satis, scribit: *Hoc eodem anno contigit* Pauli Orosij *legatio ex* EVTROPIO, *&* PAVLO *in Hispania* Episcopis, *ad S. Augustinum in Africam. Huius autem decernendæ legationis* in ca[u]sa *fuere* hæreses, *quæ tunc temporis dirè* Hispanias *infestabant, nam præter Priscillianistarum errores, quos singulos idem* Orosius *in libello consultationis* Augustino *oblato, enumerat; nouas addit* hæreses *nuper inuentas, ex Origene, &* Victorino *prognatas, allatas vero in* Hispanias *à duobus* AVITIS, *Ierosolymis, at-*

quæ Roma profectis. En iam hoc tempore EVTROPIVM, Hispanum Episcopum habemus; illumque Sanctum vocitat S. Marc. Maximus, *Anno CCCC. LVIII.* tanquam iam morti addictum, ergo iam primum pro coniectationibus *Ieronymi, & Roderici*, tenemus intentum, quem etiam probant Morales, Mariana, & Padilla *Hist. Eccles. Hispan. tom. 1. Cent. 5. c. 9. fol.* 330.

SECVNDVM, esto quod EVTROPIVS Hispaniæ Episcopus fuerit, qui *Paulum* dimisit *Orosium*, vt ab Augustino didicerit, quæ aduersus hæreses opponenda compererit; quo fundamine illum *Nertobrigensem* fatebimur *Præsulem?* Huic dubio, nihil, quod non coniectura sit, offerre compellimur. Ast illa tam vehemens, vt fortè euidentiam iudicabis. Duos tantum hucusque Episcopos EVTROPIOS sanctitate conspicuos, agnoscit *Hispania*; Alterum *Nertobrigensem*, alterum *Valentinum*. Illum ab Anno CCCCXIV. ad CCCC XX. Istum ab Anno D. XC. vel circiter. Si ergo, qui *Paulum Orosium* dimisit Episcopus, à fortiori illius æuo viuebat, quo pacto, secundus EVTROPIVS Valentinæ Ecclesiæ Episcopus (*de quo Nos die VIII. Iunij agemus*) qui fere per annos C. XC. posterior fuit, *Paulum* poterat dimittere *Orosium*, nondum natus? Ergo credendum est (cùm aliud in contrarium non subsistat) EVTROPIVM, qui *Paulum Orosium* Africam ex legauit, fuisse & *Episcopum*, & *Nertobrigensem*, illo seculo viuentem, & alium in nomine supparem non habentem.

TERTIVM, dato, & concesso, quod EVTROPIVS Noster *Nertobrigensis* sit huius actionis, & legationis Auctor, & Impulsor; vt quid *Paulum Orosium* Presbyterum, aliis *Tarraconensem* aliis *Valentinum*, & plurimis *Braccarensem*, à Bætica tam distinctum, & separatum elegit? Cui dubio die XIV. Augusti, tom. 4. respondebimus; vbi non Tarraconensem, Valentinum, nec Braccarensem fuisse irrefragabilibus coniecturis probabimus. His sic exploratis ad S. Præsulis Acta deuenio.

ACTA S. EVTROPII EPISCOPI NERTOBRIGENSIS *Confessoris ex M. Maximo, Baronio, & aliis.*

EVTROPIVS genere Hispanus, origine Bæticus, literis clarus, & virtute conspicuus, primas vitæ periodos in fidei Catholicæ cognitione, in vitiorum damnabilium oppressione, & in veræ sapientiæ acquisitione transegit. Horum ergo illustrium facinorum, adhuc in iuuentute exactorum fama omnia sic illius seculi doctissimorum Virorum viscerum compleuit præcordia, vt inferioribus placidus, æqualibus formidabilis, & superioribus charus, omnibusque gratus haberetur & docilis. Istis, & aliis qualitatibus exornatus, tempore maturo ad Nertobrigensem Ecclesiam, tum Pastore destitutam, infulatus accessit; cuius gubernacula tanto Dei zelo, & proximorum salutis procurandæ feruore, tenuit, vt ablegatis impiorum operationibus, & ascitis Sanctorum hominum turbis, vndequaque nil nisi sanctum, nil nisi prouectum, aut perfectum, in eius diœcesis circulo conspectaretur. Tunc quippe temporis duo improbi homines, licet ordine Presbyteri, hæretum scabie polluti, quilibet nomine Auitus, alius Ierosolymis, alter Roma Hispanias ingressi; vnus Originem, alius Victorinum retulit; ex his duobus alter alteri cessit, Priscillianum tamen ambo damnarunt; sed vterque aut Origenis errores euomés, aut Victorini fallacias eructans, breui totas Hispanias, aut fœtore veneni lãguentes, aut mali sapore pharmaci infectas, infami conuersatione prostituit. Tot serpentium siquidem malorum agmina EVTROPIVS, dira persecutione Hispanias infestantia, cognoscens, amuletum contra

tra huiusmodi virulenta fascinationum contagia quæritans, vt malo dogmaticæ occurreret epidemiæ, Paulum Orosium Presbyterum, doctrina imbutum, scientia clarum, virtute conspicuum, modestia celebrem, Africam, vt de infelici Hispanicæ Ecclesiæ statu rationem redderet Augustino, & de voraci Pseudo-prædicatorum doctrina copiam faceret, dimittere, sedula festinatione decreuit. Igitur Orosio ascito, compositis, & ordinatis articulis, & capitibus hæresum, quas Auitus vterque, vnà cum Basilio, Græco, iamiam Hispanias itidem infestante, in simplicium cordibus hominum incautis defigebat, Paulum B. Augustino exlegauit, vt per viscera Christi, rogans, sic eius vestem diruptam, per veri dogmatis assueret efficaciam, vt iterum Hispania, damnatis, & expulsis tantæ prauitatis patronis, & huius peruersitatis erroribus, ad vnionem Ecclesiæ, ipso prouidente, rediret. Demum proficiscitur Orosius, optimè à Sanctissimo instructus Antistite, & Hypponam deuectus, Beatissimo Doctori, & sui Episcopi epistolam, & consultationis libellum, humili contulit obsequela. Omnia gratanter accepit Aurelius, & officio non deficiens, breuissimè quidem, planè, & dissertissimè, aduersus Priscilliani, atque Origenis, magna fiducia, disputauit errores, edito commentario, quod eidem dicauit Orosio. Inter alia instructionis præscripta; de Animæ origine EVTROPIVS quæstiunculam introduxit. Cui B. Augustinus non respondens, Paulum Ierosolymas ad S. Ieronymum remisit, vt ab eo, de hac re, quid esset tenendum eliceret. De his omnibus EVTROPIVM Episcopum certiorem fecit Orosius, qui à B. Ieronymo edoctus, tandem in Hispaniam Anno CCCC. XVIII. reuersus, sanctissimo Episcopo, quæ in sua peregrinatione didicerat, aperuit, aliquo S. Stephani reliquias obtulit, & totam illam Bæticæ plagam sedatam, ac erroribus liberam contuens, plurimas Deo, pro receptis beneficiis reddidit grates. Sanctus Episcopus Venerabili Presbytero gratias, pro suscepto itinere, eoquè feliciter expleto, multiplici alacritate conreferens, illum puritatis Catholicæ apud Hispanos auctorem, continuis vocibus, fatebatur. Postmodum ergo B. Sacerdos virtutibus clarus, miraculis celebris, & Pastorum exemplar, febre correptus, sacramentis vallatus, & fidei Catholicæ confessione munitus, die XVII. Februarij, Anno CCCC. XX. spiritum obtulit luminum Patri, qui cum Filio, & S. Spiritu viuit in secula. Amen.

Isthæc aut iam probata cognosces in prolegomeno, aut à Cardinali Cæsare Baronio probabis ex d. tom. 5. Ann. 414. vbi Pauli Orosij in Hispaniam regressum intueberis. Ex quo credere compellimur, adhuc S. EVTROPIVM in viuis fuisse, quia eius transitus à P. Ieronymo Roman non nisi post duos annos consignatur.

NERTOBRICA, quæ & CONCORDIA-IVLIA, Ciuitas fuit peruetusta, apud Plinium, Ptolomæum, Antoninum, Apianum, & alios, licet in aliquorum codicibus varia lectione consignetur. In Plinian. lib. 3. c. 1. VERTOBRIGA nominatur. Apud Antonini Itinerarium NEMETOBRIGA legitur, prout in correctò à Ieronymo de Zurita fol. 581. apparet. Tauti Viri laudes, si capiti ingenium, si corpori vires nostro superessent, aut si ille tantis non fuisset meritis à Natura illustribus superabundanti comprehensione donatus, prælibarem ex penu. At pro me, & pro omnibus duo Hispaniæ lumina hoc officij pensum accipere, in hac insudare palæstra constituere; Alius *Iacobus Falconius Valentinus* Montessianæ Militiæ Eques, suo æuo, Poëta venerabilis, & strenuus, qui vno distico, hocque retrogrado, omnia dixit, de *Ieronymo*, quæ potuit, ast non omnia quæ meruit, sic *lib.* 1. *Poëmat. Epigram.* 46.

Ingenium, & Candor ZVRITÆ *viuet opinor,*
Viuet dum mundo Carmen, & Hiſtoria.

Pro omnibus nunc diſſerit eruditus, & omni litteratura excultus Amicus Noſter *Doctor Ioannes Franciſcus Andreas Vztarroz:* Cuius literas ſi ſcire cupis. Zuritæ opera percurre. Zuritam ſi cognoſcere ſatagis; Ioannis Franciſci ſpiritum euolue. Sic in Franciſco Ieronymum, ſic Vztarroz in Zurita æquo libramine deprehendes. Vterque Aragonenſium Regia liberalitate Chronographus, quia vterque melioribus literis profunda eruditione perdoctus; de quibus Falconij Carmen aliquando inuertens, luſimus, ſic:

Ingenium, & Candor ZVRITÆ *viuet opinor*
Viuet, & VZTARROZ *Candor, & Ingenium.*
Carmen; & Hiſtoria culmen ſi viuit in illo:
Viuet, & in Noſtro Carmen, & Hiſtoria.

Sed ad NERTOBRIGAM noſtra reuertatur oratio. Illam hoc nomine conſignant Ptolom. *lib.* 2. *Geograph.* Tabul. 2. Europ. c. 4. vbi Νερτόβριγα *poſt* Κοντριβοῦτα reperitur, quam inter Recentiores VALERA ex Aria Montano appingit Petr. Montanus, qui Ptolomæi tabulas G. L. recenſuit. emunxit, & oblimauit, Francofurti Anno 1605. Item Appianus, & Aulus Halus meus verſ. 250. vbi fol. 44. in Not. diximus. Hodie dicitur VALERA in Territorio Oppidi FREIENAL: Cuius Ciuis fuit BENED. Arias Montanus Extremaduræ lumen, & orbis.

DVODECIMO
Kal. Martij.

DIES XVIII.

A *Toleti* S. HELLADII *ipſius vrbis Epiſcopi, qui ex Monacho Agalienſis Cœnobij ad Metropolitici Ordinis culmen euectus, tàm monaſticè in Pontificatu vixit, quàm religioſè in Monachatu luxit. S. Ildephonſum Archidiaconi titulo decorauit, poſt miris facinoribus clarus, virtutibus inſignis, plenus dierum, amiſſo mundialis Sarcinæ onere, requiem Confeſſor inclytus adinuenit æternam.*

B *Conimbricæ in Luſitania* S. THEOTONII *ex Canonicorum Regularium ordine, alumni, qui cùm Monaſterij* S. CRVCIS, *illius vrbis, conditor*

primus

primus cognoſceretur, & Prior; clarus miraculis, moribus illuſtris, operibus celebris, & Paſtoralis officij munere conſpicuus, hanc vitam exuens miſeram, placidam Confeſſor celebris ſuperinduit in cœlis.

NOTÆ.

A SANCTVS HELLADIVS Epiſcopus, & Confeſſor.] Illuſtriſſimus fuit Toletanæ ſedis Antiſtes, poſt Abbatiatus Agalienſis apicem, & Regni Gothorum in ſecularibus Pro-Regis munus. Eius inſignis memoria apud Noſtrarum rerum Scriptores, celebris inuenitur, apud Eccleſiaſticos celebrior. Audi Martyrolog. Roman. h. d. Toleti S. HELLADII *Epiſcopi, & Confeſſoris.* Cui Monaſticum addidit: *Qui exemplo vitæ, & ſcriptis clariſsimus eluxit.* Maurolycus illam ad diem XXXI. Auguſti reiicit, ſed perperam. Eius meminere Philip. Ferrar. in Topogr. ſacr. fol. 125. S. Illephonſ. de Vir Illuſtrib. c. 7. Iſidor. Pacenſ. Ær. 650. Roderic. Archiep. Tolet Hiſt. Hiſp. lib. 2. c. 17. Vaſſ. in Chron. Ann. 616. Truxil. in Theſaur. Concionat. 2. p. fol. 664. P. Marian. lib. 6. c. 4. Mariet. Hiſt. SS. Hiſp. lib. 5. c. 35. & lib. 22. fol. 43. Blaſ. Ortiz. Hiſt. S. E. Tolet. c. 13. Piſa Hiſt. Tolet. lib. 2. c. 19. Alcozer in ead. hiſt. lib. 1. c. 24. Layſa in Tabul. Eccleſ. Tolet. Præſul. D. Thom. Tamayo in Veritat. Dextr. in Catalog. Præſul. Tol. n. 37. fol. 123. D. D. Didac. de Caſtejon. Epiſcopus Turiaſonenſ. de Primat. Tolet. tom. 1. p. 2. §. 3. fol. 409. Ex Antiquis S. Marc. Maxim. in Chron. Ann. 597 vbi Roder. Car. lit. P. fol. 211. & Ann. 605. ℣. Caro lit. M. fol. 215. Luitpran. in Chron. n. 49. vbi P. Higuer. fol. 313. & in Aduerſ. n. 142. Iulian. Petri in Chron. n. 315. Ex Noſtrarum Breuiariis Eccleſiarum, videnda ſunt Toletana, Palentina, Hiſpalenſia, Compoſtellana Vetuſtiora. Noſtri Sancti Pontificis Acta ſeorſim nullus, nec integra ſcripſit. Illa nos breui periodo colligemus, ſic:

ACTA S. HELLADII ARCHIEPISCOPI Toletani Confeſſoris ex B. Illephonſo, & aliis Scriptoribus.

HELLADIVS apud Regiam Toletum vrbem, Carpetanorum caput, & Hiſpaniæ celebrem, Patre Helladio, ex nobiliſſima Gothorum proſapia, & Palatinorum officiis, & muneribus emerita, ortus dignoſcitur. Poſt primos iuuenilis ætatis flores, militare baltheum accingens, decurſis virilitatis tyrociniis, & ſuſceptis ſtrenui cataphracti laudabilibus ſtipendiis, aulicam eſt, in Gothorum Principum leuamen, ſpiritu licet renuente, vitam ingreſſus. Illic ſic obſequioſis Regum animos ſubiugauit officiis, vt protinus ad Rectoris Patrimoniorum, ſeu Reipublicæ Gubernatoris munus, quod maximum in Gothorum domo deſignabatur, Regia liberalitate, merito præeunte peruenit. Non ergo huius ſuprema exercitij implicatio illius ingenium eleuauit, vt ſolet; quinimo ſub ſeculari habitu, monachi votum pariter explebat, & opus. Nam ad Monaſterium Agalienſe, quod munere Dei, perenniſque & patentis ſanctitatis decore, conſtructum, & opinabile cunctis, & palam eſt totis, cùm ſæpe diſcurſantium negotiorum ductus, itinere

nere præueniret, remota clientum, seculique pompa, decoris adeò Monachorum peculiaritatibus inhærebat, vt turmis iunctus eorum, stipularum fasciculos ad clibanum deportaret. Cumque inter decorem insolentiamque seculi, solitudinis, & amaret, & sectaretur arcana; celeri fuga, relictis omnibus, quæ esse nouerat mundi, ad Sanctum Agaliense Cœnobium, quod frequentauerat voto, optati voti vsu, permansurus aduenit. Postmodum factus Monachis Pater, meritis, studiisque sanctis, & vitam Monachorum debitè rexit, & statum totius Monasterij, communis rei diuitiis cumulauit. Ex hoc fessis penè senio artubus, è viuis sublato Aurasio Toletanæ Sedis Episcopo, ad ipsius Pontificatus apicem euocatur. At quia vocatus, vi coactus adfuit, pariter & ignotus. Illic maiorum virtutum exempla, quam Monachus dedit, quia statum mundi, quem virtute contempsit, magna perhibetur rexisse discretione. Miserationes, eleemosynarumque copias, tam largiter egenis contulisse probatur, ac si de illius stomacho putasses inopum, & artus pendere, & viscera consoueri. Scribere renuit, quia quod scribendum fuit, quotidianæ operationis pagina demonstrauit. Ad suum aliquando memoratum Agaliense Cœnobium rediens, B. Ildephonsum, vltimo vitæ suæ tempore Leuitam fecit. At grauescente ætate, cùm XVIII. Annis sacrum regimen tenuisset, temporibus Sisebuti, Suinthilani, & exordiis Sisenandi Regum, Beatus habitus fuit, qui post beatior, gloriam cœlestis regni, bona plenus senectute, promeruit, die XVIII. Mensis Februarij, Anno Domini DC. XXXI. Cui B. Illephonsus hocce posuit Carmen Sepulchrale.

Præsulis HELLADII *tumba requiescit in ista*
Corpus; at illius spiritus astra tenet.
Toleti Rector fuit hic; dum degit in Aula:
Ex Monacho Rector Agaliensis erat.
Hinc Toletanam rapitur violenter ad vrbem,
Confectus senio, sed pietate vigens.
Corporis exuuias Martyr Leocadia cepit,
Ista domus Reges, Pontificesque capit.
Vnde die extrema surget rediuiuus ad auras,
Vt capiat meritis præmia digna suis.
Iamque Octoginta senior transegerat Annos,
Gloria Pontificum; fax animosa Dei.
Ildephonsus ego, quem fecerat ille Ministrum,
Persolui Sancto carmina pauca Seni.

Hæc sunt Acta; illis adendum duximus, quod de HELLADIO scribit Roder. Toletanus lib.2.c.7. nec dissentit Marian.lib.6.c.3.scilicet, Sisebutum Regem S. Præsulis precibus in suburbio Toletano extruxisse Templum mirificum, quod dicauit B. Leocadiæ V. & M. Toletanæ. Et addit D. Episcopus Turiasonens. tom. 1. fol. 410. HELLADIO impulsore præfatum Regem à Gothorum Regnis omnes expulsos fuisse Iudæos. Item addendum est, S. Pontificem sepultum fuisse in Æde S. Leocadiæ Prætoriensi, & Suburbana, vt refert S. Ildephonsus in Carmine, & Iulian. Petr. in Chron. n. 315.

NVNC

Nunc ad aliorum probationem venio; & Primum se offert de Patris nomine, & de Origine Toletana Audi Luitprand. in Aduers. n. 142. loquentem : *Fuit hic Sanctus* (Helladius) *natus* Toleti, *Patre* Helladio, *Palatino consanguineoque* Luciæ, *&* Leouigildi, *Viro Catholico.* Secundo quod fuerit Rector, & Gubernator Republicæ, palam apud Illephonsum. Sequitur Maxim. Ann. 597. hac periodo : Helladius Rector *rerum publicarum fit Monachus Agaliensis.* Iulian. Petr. n. 314. illum vocat : *Rectorem Patrimonij.* Vterque titulus, idem sonat, cui & adhærebat *Comes Ciuitatis Toletanæ :* de quibus videndus Petrus Patin. in Libello de Offic. Gothor. Qui, *Horum Comitum, Rectorumque* (inquit) *id Officium erat, Ciues vrbanos æquitate regere, & publicarum iussionum ordinationes constanter adimplere.* Cætera communia sunt.

B. S. THEOTONIVS Canonicus Regularis Confessor.] Apud Gallæcos, & Lusitanos mirabilis est veneratio huius Sanctissimi Viri operibus, immò non tantum illic, à quibus & originem trahere, & consortium habuisse circumfertur, sed etiam apud omnes illius regionis populos, & totius Hispaniæ accolas, qui illius sanctitudinem agnouere. Maurolyc in suo Martyrolog. h. d. isthæc appingit : *Eodem die* S. Theotonii *Confessoris.* Philipp. Ferrar. in Catal. SS. Gener. fol. 82. hæc : *Conimbricæ in Lusitania* S. Theotonij *Presbyteri Ordinis Canonicorum Regularium*, & in Topograph. SS. fol. 40. sic : *XVIII. Febr.* Theotonivs *Presbyter, Monasterij S. Crucis Auctor, ac Primus illius Prior. S. Bernardi Abbatis Synchronos, ad quem beneuolentiæ ergo baculum misit.* Gabriel Pennot. Hist. Canon. Regular. lib. 2. c. 32. §. 4. prosequitur : *Vnus fuit* S. Theotonivs, *Primus eiusdem Monasterij Prior Conuentualis.* Ex Nostris P. Vasconcell. in Descript. Lusitan. fol. 522. n. 2. Kalend. Eborense, & Augustinianum, à quibus Martyrolog. Lusitan. & Georg. Cardoso in Offic. SS. Portugall. in hymn. ad Nonam fol. 7. sic :

Et Theotonivs *Crucis alta Sanctæ*
Mœnia ponit.

Eduard. Nonn. in Descript. Portugall. c. 80. Brandao, Didac. à Rosario, D. Prudent. Sandoual Hist. Tudens. fol. 124. P. Mariet. Hist. SS. Hispan. lib. 6. c........... P. Truxill. in Thesaur. Concionat. tom. 2. fol.......... D. Roder. de Acuña Hist. Braccarens. 1. p. c. 16. fol. 68. Eius officium concelebrant Ecclesiæ Braccarensis, Vicensis, Eborensis, Canonicorum S. Crucis Conimbricensis, & aliæ. Acta in antiquo Legendario Eborensi conscripta, accepi ab Emanuele Faria de Sousa Equite Christifero, & totius Lusitanicæ Historiæ Primati, qui nuper mortalitatis onere exutus, æternam repromissionem spectat. Eadem ab illo Legendario exscribemus, vt sunt; quia plurimam redolent antiquitatem.

IN NATALI SANCTI THETONII Confessoris I. Prioris S. Crucis Colimbriensis, XII. Kal. Mart.

Theotõnivs de Prouincia Gallæciæ, Ciuitate Tudensi, vico Ganfei oriundus, honesti prosapia, Patre videlicet Oueco, & Eugenia Matre natus est. Ab illis Cresconius auunculus Episcopus Colimbriensis puerum extraxit, qui Tello Archidiacono nutriendum tradidit. Ibidem sub Episcopi, & Magistri disciplinis, ita profecit, vt omnem ecclesiasticum ordinem, ad vsum chori constitutum, memoriter plenariè teneret. Defuncto Cresconio auunculo, ad Ecclesiam Visensem transgressus, ibidem gradatim ad sacerdotium promotus est. Sacerdotis opere, & verbo, quotide placabiles hostias pro populo conficiens; onera deuotus explebat, & munera. Nullius laudibus extollebatur, nec curiositati, nec voluptati

luptati parens, aliena disquirebat officia; ambitionis vlcera sic despiciebat, vt nusquam talis contagij senserit ampullam; diuitiis, si quæ erant, nec tumebat, sicut nec paupertate deprimebatur. Ad diuina anhelans, mundanarum rerum nullo turbabatur affectu. Mulierum conuersationes ita compescuit, vt cum fœminis nusquam, remotis arbitris, loqueretur, immo nec solus illarum priuatas confessiones audiuit. Cùm itaque ab hominibus, ob sanctitatem vitæ, non solùm prouincialibus, sed etiam Principibus beneuole obseruaretur, omnium precibus, & pręcipuè Colimbriensis Episcopi iussu, cui eo tempore Visensis parebat Ecclesia, quæ postea in pristinam Episcopalem restituta est, ipsius Prioratum suscepit, quam ornamentis non tantum, & temporalibus possessionibus ampliauit, sed etiam Dei cultu, & moribus ditatam inspexit. Sed cùm istius muneris honor, à Sanctissimo Viro reputaretur, vt onus: bona fraude, nemine cognoscente, pensum dignitatis excussit. Nam Ierosolymam profectus Odorio Presbytero & Prioratus munera cessit, & ipsius gubernaculi onera commisit. Loca nostræ Redemptionis gratulabundus, & deuotus S. THEOTONIVS spiritus affectione, & animi afflictione percurrens, visitauit; Hispaniasque post longinqui temporis excursum, reuersus, & Ecclesiam suam pertingens, nullis precibus ab Odorio interpositis, adigi potuit, vt ad antiqui culmina rediret Prioratus. Sic à præfecturæ pondere liber, tam ardenter precibus, & meditationibus vacauit, vt solo corpore in terris, mente verò in cœlis habitaret. Eius constantia in his quæ ad Dei cultum spectabant, & ad populi subuentionem pertinebant, præcipuè in conseruandis Ecclesiæ ritibus, talis erat, vt cùm Sabbatho quodam pro celebranda Missa ad sacrarium suæ accederet Ecclesiæ, euenit, vt Tharasia Henrici Portugalliæ Comitis vxor Ecclesiam audiendi sacri causa festinanter accederet, rogaretque per nuntium S. Virum, vt quantocyus sacrificium perageret: *Dic* (inquit) *Tharasia, aliam esse in cœlo meliorem & nobiliorem, cui ego THEOTONIVS sacrificium paro peragendum, quæ nec mora constringitur, nec breuitate lætatur; itaque Tharasia licere, vel spectare, vel recedere.* Quibus Comitissa animaduersionibus religiosis stupefacta, haud gressum mouens S. Presbyteri Missam audiuit, & postmodum gratias de reprehensa festinatione peregit.

CVM ergo animi ferè totum, apud sacrorum locorum lapides, quibus spiritus inhærebat, teneret, ad illos reuertere visitandos, totis viribus inhiabat, & occasione arrepta, Hispania dimissa, nauem conscendens, iterum maris inconstantiam experiri, & peregrinationis incommoda frui, vt æstuantis amoris fructum perciperet, aggreditur. Ast non post multum à nauigationis inceptæ temporis exordio, tempestas valida exorta est, quam Deus præcibus S. THEOTONII sedauit, sic, vt nauis penè inter Malæa saxa naufraganter oppressa, nullo procellæ vestigio, cœlo, marique apparente, liberata procederet. Ierosolymam igitur secundò conscendens, iterum sacrata loca conspexit, & visitauit; & cùm ad S. Sepulcri Ecclesiam perueniret, qua tunc Canonicorum Regularium sanctissima persistebat congregatio, illis adhærere constituit, quod vt liberius perficeret, patriam est repedare compulsus, vt de Ecclesia, cuius erat Parochus, rationem redderet superiori, & de patrimoniolo, cuius erat dominus, pauperibus suorum bonorum creditoribus satisfactis, prouideret. Intentionis sanè istius deliberatione sufflatus THEOTONIVS Lusitaniam peruenit, ea tempestate, qua Tellus, qui eum nutrierat, S. CRVCIS Colimbriense

Cœnobium

Cœnobium ædificare decreuerat,& cognita B. THEOTONII per Tellum Sanctitate, illi totum animum patefecit,ea siquidem conditione, vt totius operis pensum,per Sancti Viri manus perficiendum, dimitteret. Renuit B. Sacerdos non pij muneris officium, sed apud Clericos Ierosolymitani Sepulchri retardatæ solutionis obstaculum;at cùm Deus pro totius Hispanici orbis collustratione THEOTONIVM, sicut petram arte mira conflaret, disposuit, vt nec Ierosolymam rediret, nec operationis commissum pensum deponeret. Protinus ad ministerij opus accinctus, tandē Cœnobij perfectionem inuisit, in quo Prior I. & totius religionis Pater renuntiatus, opimos de se virtutum odores respirauit. Ij ad Regum Alfonsi, & Malfadæ eius vxoris conspectum deuenere, qui non solum eius necessitatibus subuenirē, sed etiam noui Monasterij magnificentiæ coadiuuare amplissimis donationibus, & Regalibus constituêre donariis. In tantorum ergo beneficiorum commutationis subsidium, B. Vir continuas Domino pro Regum victoriis preces contrito corde fundebat,quarum attendens symbola Deus, illis triumphos Ourichensem, Leirensem, Scalabitanum, Vlyssipponensem, Mauro renitente, concessit, & alios. Piissimus ergó Alfonsus aliud apud Vlyssipponam ipsius instituti cœnobium construere cœpit, quod S. Vincentio Martyri dicauit, ad cuius operis dispositionem, & ædificij directionem B. THEOTONIVS, petente Rege, Honorium, ex S. CRVCIS Cœnobio, Regularem, cum aliquot pecuniis Vlyssipponam dimisit, qui à Sarracenis captus & ad Heluas adductus, ibidem in obscuro carceris ergastulo repositus est. Hoc autem infortunium vt ad S. THEOTONII peruenit auditum, protinus conuocatis fratribus ad Ecclesiam accedens, instante oratione, & profusis lachrymis à Domino Honorij libertatem mira humilitate petebat. Annuit Omnipotens Seruorum suorum precibus, quia continuo, nemine instante, licet Numine disponente, Ismahelitæ, qui Honorium captiuum perduxerant, cum aliis duodecim Christianis, & omnibus absque defalcatione pecuniis Alfonso Regi liberaliter obtulerunt. Postmodum cùm ante triennium ab eius gloriosa dormitione, existens in oratione THEOTONIVS Petrum vidisset Apostolum, ab eo plenariè eius obitum, amplexu dato, didicit; quo vt liberius Domino vacaret, renuntiato Prioratu, ab illius onere vacuus nouam, & Angelicam vitam peragere cœpit. Nam noctu,diuque contemplationi,& orationi studens, suauissimos à Domino per extaticæ operationis gratiam, fauores accepit. Quibus inescatus vix humanæ conuersationis stylos, colloquiis inebriatus cœlestibus, agnoscebat. Sanctitudinis eius fama iamiam non solum Hispaniæ terminos occupauit, sed etiam ad Cistercium vsque pertigit, qua motus B. Bernardus illi baculum in amicitiæ symbolum dono misit. Miracula patrauit innumera,quæ sub breui comprehendi pagina nequeunt. Denique imminente transitus hora, nam Feria VI. die XVIII. Februarij, cùm & annorum sarcina (erat iam Octogenarius) corporis compaginem dissoluere satageret,sic membra contriuit,vt penitus dimoueri, nec minimum sineret artuum rigida paralysis. Tunc B. Vir super nudam humum corpusculum vix tenui materia compactum, reponere iubet, & cilicio & cinere coopertum, ibidem per plures horas iacuit, quousque sanctissimum spiritum suo tradidit Creatori. Biduo sanctum Corpus absque Sepulturæ suffragio iacuit, quia plebium, Ciuium, Procerum, Regum copia, sic ad eius oscula pedum cucurrit, vt Cœnobij claustra, & officinæ vix

tot turbæ numerum caperent. Demum illud in Capituli subterranea cupula collocatum, innumera impartitur S. THOTONII interuentione prodigia Deus, qui in sanctis suis mirabilis cum Filio, & Spiritu-Sancto regnans in sæcula, illorum nomina seruat in æternum. Amen.

Huius Sanctissimi Viri ACTA integra beneficio Illustriss. Domini D. Ieronymi Mascareñas Lusitanæ nobilitatis decoris, & studentium tutelaris infatigabilis, ex Ordine Calatrauensi, cuius historiam meditatur, Equitis, in Ordinum Regio consessu acerrimi Moderatoris, Philippo IV. Regi Catholico cortinæ subministri, Prioris Guimaransis Ecclesiæ, & Leyriensis Episcopi electi, qui ex MS. Codice peruetusto Monasterij S. Crucis Conimbricensis, illa fideliter extraxit.

ACTA B. THEOTONII CONFESSORIS, & Monasterij S. Crucis Prioris I. Colimbriensis, ex MS. Codice Coëtaneo conscripta, desumpta.

PROLOGVS.

CVM in minimis etiam rebus, vt Philosophus ait, Dominus sit inuocandus, multo magis nobis exorandus est, in materia subli-miori Virorum, qui calcato diabolo, iam coronam securitatis acceperunt, de quorum numero D. THEOTONIVM esse quis dubitat? Hic autem nos modò relinquens, & ad cœlestem Ierusalem, quam totâ deuotione quærebat, & mirabatur in terris iam conscendens, desiderij sui iaculo, nos intolerabili dolore confecit: inde est, quòd quotuscumque nitor in verba prorumpere, toties implentur oculi lachrymis, hæret vox; sed diuina prohibet scriptura: Non itaque plangam morientem, quia cum Christo suscipiam resurgentem. Scio equidem illum cum Christo esse, læter ego, & gaudeam, quia raptus est, ne malitia mutaret mentem illius, quia placuerat Deo anima illius, sed absentiam eius ferre non possum, & affectus tanti Viri frangit meam mentem, nequeo enim dolorem dissimulare, quia quantò ille felicior tantò amplius ego in dolore, quòd tali careo bono. Recolam memoriam illius literis; veruntamen tanti Viri materiæ adeò me imparem iudico, vt consultius mihi sit, talem Virum mirari, quàm loqui. Grandes enim materię ingenia parua non sufferunt; & quanto maius, & excellentius fuerit, quod dicendum est, tantò magis obruitur, qui magnitudinem rerum verbis non potest explicare; & timeo ne fortassis illi impendam iniuriam, de quo non dignè loquerer tàm mirabilem vitam. Quid enim inter Sacerdotes Domino meo excellentius. Qui suis virtutibus, quasi quibusdam stellis, partes nostras Occiduas illustrauit. Quid vero inter clericos me ipso imbecillius? Qui nullius scientiæ irrigua fluenta consuxit; quem vix stillicidij pauperis attenuata gutta perfundit, nihil de proprio fonte respirans. Sed quamuis me idoneum ad ista despero,

pero, cum in largitorem munerum oculos mentis attolo, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infantium facit esse disertas, quique veritatem suam, cum voluerit, etiam per ora iumentorum narrat, ad recolendum illius memoriam, protinus robustior fio, scelus namque fore, & inuidiam iudico de tanto Patre omnino reticere, & singularem nostris temporibus Virum infructuoso silentio premere. Dono igitur gratiæ, per quam ille Sanctorum choris admixtus est, pauca de eius moribus scribere tentabo, transcurrendo scilicet, nam propriæ inertiæ conscius, & ingenij mei breuitatem mensurans, sanctissimos illius ACTVS, sermonibus meis, per hoc sapientioribus plenariè describendos relinquo. Hoc autem, Christo duce, ideo scribere, tametsi inculto sermono, dispono, vt & dolori modò satisfaciam, cuius solatio maxima, & principalis est suscepti operis causa; & erit consolatio quidem, vt opinor, non contemnenda, cùm lumen, quod inter nos fuit, præsentibus, & futuris hac lectione manifestum fiat. Mens occupata magnitudine doloris, fortassis non tenuit ordinem præfationis, de qua nunc tantum dixisse sufficiat.

VIR Venerabilis THEOTONIVS, Colimbriensis Monasterij SANCTÆ CRVCIS, Primus Pater fuit. Vt autem qualiter ad Regularem professionem, eiusdemque Monasterij procurationem, non sine multorum salute, eum diuinâ gratiâ, ad quod futurum erat, vocante, accesserit erudiendus, cognoscere possimus, prius necesse est, vnde, quo natus loco, quibusvè Doctoribus eruditus fuit literis; quo modo etiam in seculo conuersatus fuerit, paulisper attentius consideremus. *Origo B. Theotonij.*

FVIT itaque de Prouincia Gallæciæ, Ciuitate Tudensi, Vico Ganfey oriundus, honestis quidem, iustisque parentibus, patre scilicet Oueco, & Eugenia matre progenitus, quorum genealogiæ religiosissimam lineam, ille piis moribus extulit, probis actibus exornauit, adeò, vt non sine magno quodam S. Spiritus præsagio, græce THEOTONIVS, quod latinè DIVINVS resonat, vocaretur. Verè diuinus ille fuit, & sanctus, qui quocumque, ab ineunte ætate, conuersatus fuerit loco, semper Catholicæ fidei firmitate fundatus extitit; vitam quoque suam sanctissimis moribus, & virtutibus plenam habuit, qui diligentissimâ parentum curâ, religiosè nutritus, cùm ad ætatem disciplinæ congruam peruenit, spiritualibus literarum studiis traditus est; deinde interuallo temporis exacto, cùm iam inter pueritiam, adolescẽtiamquè medius esset, cum auunculo suo Colimbriensi Episcopo D. Cresconio, qui magister eius fuit, Colimbriam venitibiquè sub Tello Archidiacono eiusdem Ciuitatis, prudentissimo, & discreto viro, legendi similiter, & cantandi vsum ecclesiasticum, pro statu temporis, plenariè didicit. Postea memorato Episcopo defuncto, Viscensem petiit vrbem; Qui pro sua simplicitate, & Episcopi defuncti gratiâ recipitur in sede B. MARIÆ semper Virginis, quæ tunc temporis erat sub Colimbricæ diœcesi, vbi se quidem contulit.

LIBET nunc auxiliatrice superni Nominis gratiâ, paulisper demonstrare, qualem in suis ordinibus habuit solicitudinem, & in ipsa Ecclesia conuersationem. Liceat ergo mihi à Religiosis Viris audita narrare. In primis ordinatur Ostiarius, traduntur ei claues, Ecclesiæ, quam ille pio studio claudebat, & item horis competentibus apperiebat, & infideles zelo Christiano reiiciebat; Propheticas, & Apostolicas lectiones fideliter, & vtiliter recitabat; *De progressu in literis & ordinibus sacris.*

faciebat per catechumenos ſacramentum adſperſionis; faciebat exorciſmos ſuper ſpiritus immundos, & eos per Dei gratiam, & ſuum ordinem de corporibus obſeſſis eiiciebat, quia Spiritum Dei inſe habebat, & vita ab officio non diſcordabat; & ideo malignum de corpore alieno expellebat, quia iam per munditiam vitæ illum expulerat de corde ſuo. Lumen ad Euangelium deferebat, & opera lucis proximis oſtendebat, & talem ſe exhibebat in Oſtiariorum officio, qualis futurus erat in Sacerdotio, hincque ſemper erat ſollicitus. Deinde Subdiaconus ordinatus; quis valet explicare, quo modo in humilitate Deo ſeruiens, vaſa Corporis, & Sanguinis Chriſti, Diaconibus ad Altare deferebat, & iterum referebat corporales, pallas, & ſubſtratoria lauabat, & Presbyteris atque Leuitis pro lauandis ante Altare manibus aquam præbebat. Prætereaque deuotè, vt ferunt, in Diaconatu ſuo ad flectenda genua, ſiue ad orandum clarà voce, cunctos admonebat, ſacramenta Dei diſpenſabat, Euangelium prædicabat, & in omnibus Chriſti ſacramentis ſacerdotalibus aſſiſtebat; in Altari oblationes offerebat, & diſponebat menſam Domini. Talibus, vt diximus, exornatus moribus, per gradus ſingulos ad ſacerdotium venit, non iuxta quorundam præſumptionem, ſed ſecundum conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ, ab Apoſtolis, & Sanctis Patribus emanatam: Eccleſia quippe illum requiſiuit ſibi, non ipſe ſe impudenter ingeſſit. Presbyter igitur ordinatus, prudentià, & maturitate bonæ conuerſationis, magnis cœpit excreſcere profectibus, & honeſtioribus viuere moribus in populo Dei. Hic enim viuebat, vt bonum exemplum cunctis præberet. Exequebatur mirabiliter ſui ordinis officium, omnes cathechizando, baptizando, & eos Eccleſiæ incorporando. Delinquentes ad pœnitentiam vocabat; pro peccatis populi Deum exorabat, & præcepta Dei ad populum deferebat veritatem prædicando, & preces populi Deo offerendo, pro peccatis eorum intercedendo, placabiles Deo hoſtias in Altari conſiciendo, & ſemper cum veneratione diuina, in Eccleſia conuerſans competenter cœleſte complebat officium. Prætcrea ſpernebat luxus, & lenocinia pereuntis ſeculi: non laude extollebatur; non paupertate contrahebatur, per diem ſol non vrebat eum, neque luna per noctem. Laudabant alij in eo, quod nunquam ſtuduit curioſitati, nunquam ſeruiuit voluptati, nunquam inhiauit ambitioni; ego amplius prædicabo, quòd in omnibus ſuis actionibus, circunſpectus, & prouidus ſemper prudentiæ habitu pollebat. Haberet quippè, vt ait S. Gregorius, Sancti Viri hoc proprium, nam vt ſemper ab illicitis longè ſunt, à ſe plerumque etiam licita abſcindunt: ergo ne aliquam per fœminam incurreret culpam, nunquam cum eis, remoto teſte, colloquium, vel etiam priuatam confeſſionem habere volebat. Omnes tamen fœminas, vt ſorores diligebat, ſed eas vt diximus, quaſi hoſtes cauens, huiuſmodi familiaritates ab ſe abſciderat; quibus rebus non ſolùm Principes, cunctoſque Ciues, verumetiam Comprouinciales omnes, ita ſibi adiunxerat, vt eum miro affectu venerarentur, vt pote Patrem, & reuerendum Magiſtrum animarum vtriuſque ſexus. Omnium igitur ciuium precibus, & maximè D. Gundiſalui Colimbrienſis Epiſcopi iuſſione, ad quem, vt diximus, Viſeenſis pertinebat Eccleſia, deuictus, nimiumque, vt poſtea claruit, inuitus, ipſius Eccleſiæ Prioratum ſuſcepit, quam ſua prudenti diſcretione, temporalibus bonis, videlicet, libris, veſtibus ſacris, ſignis, crucibus, & calicibus,

teſtamentis quoque pluribus, ampliauit, & ad culmen honoris, quod inpræſentiarum poſſidet, mirabiliter euexit, clericos iuuando, & honorando ſublimauit, & quod his omnibus maius eſt, honeſtis vitæ moribus ditauit.

Contemptus mundanorum, & progreſſus Spirituales.

SED quia temporalis honor nullum ſibi conferebat oblectamentum, neque enim honorem intelligebat eſſe, ſed onus, quomodo inde Sacerdos Dei, ſe poſſet expedire ſaluberrimam fraudem quæſiuit; nam Ieroſolymam abiens, conſorti ſuo Honorio Presbytero, Prioratum in pace dimiſit; ſed inde rediens, eum amplius recipere noluit, quamuis precibus, & ipſius Honorij obſecrationibus plurimum rogaretur, ſed nec aliud ſeculi huius faſtigium deinceps habere voluit. Sæpiſſimè namque Henrrici Comitis, & vxoris eius nobiliſſimæ Reginæ Tharaſiæ precibus, & exorationibus exhortatus fuit, conſentiente Clero, & omni Populo, vt Paſtoralis officium curæ, hoc eſt, Epiſcopatum ſuſciperet, ſed nunquam aſſenſum præbere voluit. Vilia, & caduca, pariter & nociua mundana omnia reputabat, ideoquè temporales honores, quaſi peſtem fugiens, in quadam humilitatis arce ſe ſpectabilem conſeruabat. Mentis, & corporis virginitatem, & delictorum pœnitentiam cuſtodiens, prædicabat, ſiquidem nunquam ceſſabat in plebe verba veritatis fructu fidei redundantia ſeminare. Nunc omnes de pio Chriſtianæ religionis opere commonebat; nunc alios de confeſſione S. Trinitatis confirmabat, nunc reliquos de promiſſione Regni cœleſtis inuitabat. Fornicatores verò, & Adulteros, cæteroſque malefactores anathematis gladio feriebat. Qui autem ſtatim non ſe emendabant, aut ſi fortè ſe emendare aliquando nolebant, longiùs à conſpectu eius recedebant. Tanta enim erat auctoritas Sacerdotis, quòd etiam Principes terræ eum verebantur offendere; ſiquidem, fama refert, quadam die in Eccleſia Viſcenſi, eo prædicante, memoratam Reginam, & Comitem Fernandum, qui eo tempore contubernalis eius, non vir legitimus erat, rubore verecundiæ ſuffuſos de Eccleſia feſtinanter exiiſſe, nec tamen per hoc, ab eis vnquam notatus fuerit. Accedit præterea, vt cùm vna Sabbathorum, iam ſacerdotalibus veſtimentis indutus, ſalutares hoſtias in honorem Dei Genitricis ex more offerre voluiſſet, & Regina quæ præ foribus adſtabat, per nuntium miſiſſet, vt breuiter Miſſam peragere ſtuduiſſet, reſpondiſſe fertur; Aliam in cœlo Reginam eſſe longe meliorem, longequè nobiliorem, cui ille ſummâ cum veneratione, & ſpecioſè ſolemnia Miſſæ peragere diſpoſuiſſet: in poteſtate eius eſſe, vel Miſſam audire, vel penitus diſcedere. Quod cùm, Reginæ relatum fuiſſet, illa ſtatim reatum ſuæ culpæ cognoſcens, ſe miſeram, ſe peccatricem, D. vero THEOTONIVM verum, & iuſtum Presbyterum proclamabat & ſanctum. Quoad ſe poſt Miſſam, vocato eo, humiliato ſpiritu, ad eius genua prouoluitur, & ad exhortationem Sancti Sacerdotis erecta pœnitentiam lacrymabiliter popoſcit; orationem ab eo pro ſe humiliter fieri petiit, ac ne deinceps erga cultum diuinum tàm incautè otioſa verba proferret: ab eo admonita cum moderatione ſui totum exequi indubitanter promiſit. Nunquam enim Vir Sanctus diuinis officiis aliquid præponebat, quominus videlicet oratione, aut indecenter, ſeu feſtinantius ſolito aliquando ea celebraret. Verè totis viſceribus diligebat Chriſti regnum, qui terrenum non formidabat principatum; ſic igitur, vt ſuperius dixi, multos admonebat, ſicque omnes in regnum Dei inducere feſtinabat, ac ſi cunctos genuiſſet.

Eleemosyna, ac spiritualia exercitia.

SED nec ipse verbi Dei obliuiosus relator erat; subueniebatque pauperibus, visitabat languentes, prouocabat hospitio, leniebat blanditiis, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus studebat, & maiorem partem sui laboris, & totius quod habebat, indigentibus tribuebat, reliquam verò partem in vsus vestimentorum sibi moderatè retinebat, ipsa postmodum vestimenta, intuitu miserationis maximè viduis tribuebat; ¶In omnique feria VI. ex more suo in Ecclesia S. Michaelis Archangeli, quæ foras murum in cœmeterio eiusdem ciuitatis est, pro cunctis fidelibus defunctis Missam celebrabat, ad quam eo die, & pro reuerentia sacerdotis, & pro charorum suorum memoria, solemnes totius vrbis populorum conuentus confluebant: plurima & diuersa, vt illius Regionis moris est, deuote offerebant; de quibus omnibus D. THEOTONIVS nihil omnino sibi reseruans, post Missam, & generalem cœmeterij processionem; cunctis indigentibus omnia distribuebat, qui mos illi semper fuit. In bonis operibus exercendis, totis etiam viribus elaborabat, vt posset esse occultum, quod faciebat. Sic inter tales, sanctasque virtutes, castitatem in illo prædicare voluere, fortasse superfluus videar; cùm in eo exemplar castitatis semper fuerit. Quædam tantum vel pauca quæ castimoniam illius commendare videntur præterire non debeo. Quædam igitur mulier, quæ iuxta carnis putredinem speciosa videbatur, ab eo priuatam amicitiam expetiit, atque ad hoc satis accurate blandum sermonem confinxit: sed postquam famulus Dei per satellitem diaboli laqueum sibi deceptionis parari cognouit, inferuescente in eo spiritu, cum quanto nixu potuit in faciem illius miserrimæ mulieris saliuam proiecit. Multas ei humani generis inimicus propter speciem corporis sæpissime extendit insidias. Statura quippe eius, tàm bene formata erat, vt cum decenti quadam, & mirabili moderatione videretur esse deducta; corpore magnus, valdeque pulcherrimus erat, facie venustus, & alacrior vultu, honestatem magis, quam lasciuiam ostentans. Per idem tempus ab altera nihilominus muliere, quæ magnæ dignitatis fœmina erat, sub rationabili, vt credebatur, occasione, ad domum vocatus venit, vinctus obsequio clericorum. Illa verò tanquam bestia libidinis, seorsum eum quasi sub obtentu religionis in interius cubiculum euocatum, blanditiis libidinosis cœpit lenire, de ore eius pendere, obsequium exhibere, calceamenta dissoluere, & quasi pro feruore Dei temperando, pedes abluere: re verà autem ad rem illicitam eum volebat impellere. D. autem THEOTONIVS, quem nulla vnquam fœmina contigerat, imò cui nulla propiùs accesserat, miratus impudentis mulieris instantiam; cùm tandem quid ea fœmina quæreret intellexisset, in signo Crucis reuocatus, nudis iam pedibus, magno conamine foras se se præcipitem efferens, calceamentum reliquit, & domum illam execrando, vocatis clericis qui cum eo venerant, ad Ecclesiam se contulit. Aliquis Rethoricæ artis memor comparat istum cum castissimo Ioseph, & si mihi liceat dixisse, eo inferiorem non inuenire. Nam ille pallium, iste ex simili causâ per Dei gratiam euadens, calceamentum dereliquit. Ille tritico temporali impartito, pereuntem quondam Ægypti nationem seruauit; iste bonam verbi Dei, fideique mensuram, populis erogando, multos à fame spirituali liberauit. Ille filios carnis habuit, iste, vt fertur, ab vtero matris immaculatus extitit, vnde nulla vnquam culpæ suspicio, in eo de rebus huiusmodi reperiri potuit, & ita se gessit

Castitatis defensio.

in

in mundo, vt non iam de mundo, sed verè Regularis esse videretur. Quis autem posset explicare bonorum operum suorum magnitudinem, & quo modo in eadem ciuitate morum ornamentis pollens, peruixerit? Ego pro breuitate ingenij mei fateor ea euoluere non posse, in ipso conatu succumbens, ad præsens prætermittam; & ad secundam profectionem in Ierosolymam iam nunc manum conuertam. *Ierosolymã profectio.*

IGITVR succensus virtutibus, & desiderio sanctorum locorum, non domus, non propinquorum, non possessionum, non alicuius rei, quæ ad seculum pertineret memor, cum non modica peregrinorum turba, patriam egrediens, diu desideratam Ierosolymorum viam, denuo arripuit. Iam enim eandem deuotus Vir peregerat viam. Cùm autem post decem hebdomadas, ad portum S. Nicolai, Deo ducente, venisset, prospero ventorum cessante commeatu, sex ibidem continuis hebdomadibus moratus est, non tamen otiosus, sed, vt certissimè probatum fuit, tam ibi positus, quàm in tota sua peregrinatione, pauperibus beneficentiam exhibuit, atque exemplo suo pariter & verbo, ciues Ierosolymam euntes ad misericordiæ opera prouocauit. Omnes enim eum iustum & sanctum esse sciebant. Tandem itaque, aurâ flante secundâ, nauem conscendit. Posthæc autem Naucleri vela ventis commisere, Ierosolymam petentes; sed cùm post dies aliquos nauigassent, cuncti subitâ maris tempestate periclitari cœperunt: qualiter autem gestum sit memoriæ commendare cupis, vt ex hoc periculo agnoscantur quanta, & quàm grauia in terra, marique tantus vir pericula pro Christi nomine sustinuerit. Igitur carina per collum Malcæ nauigante, subito cœlum contenebratum est; & ecce nubes cum violentia ventorum, desuper obumbrauerunt, quibus verso funditus æquore, procellas, instar aquosi montis, dependentes exagitabant, & modò nauem vndarum motibus conturbatam, in profundum demergebant, modò de præcipiti profundo rursus ad superiores vertices extollebant. Iterumque apertis vndis, in ima deiiciebant, atque, quod dictu mirabile est, aquam de mari, tanquam manifestum canale, quod Nautæ sifum vocant, in sublime trahebant, sed & Nautæ iam antea, cognitâ tempestate, cùm primum nauis inter procellas fluctuum notari cœpisset, cum summa velocitate arbore abscisâ, & in vndis proiectâ, cœperunt vela deponere, antennasque ligare, cunctaque nauiculorum, & nauis armamenta, ne à vi maris absorberentur, componere, & vt nauis alleuiaretur, iacturam vasorum facere, nec tamen, vel modicam quietem habere poterant. Ibat enim mare & intumescebat super eos, timore mortis perterritos; sed & terribilibus terribiliora succedebant, nam præter ea, quæ metum mortis augebant, visa fuit à cunctis, in eodem maris periculo existentibus, monstruosa quædam, & valde terribilis bestia, adeò formidolosa, vt Nautæ nulli eam bestiæ comparare possent; cuius oculi (sicut nobis Sanctus referebat) apparebant quasi tædæ ignis accensæ; alij eam draconem, alij monstrum, alij dæmonem esse dicebant. Quid diu moror? Iamiam ablata erat spes omnis salutis, cùm in eorum morte feroces fluctus sæuirent, ac resolutis timore membris iam cuncti, aut ex ipsa præsentia mortis, aut ex visione bestiæ fuissent turbati, & morti parati omnes sibi pacem dedere, Omnipotentis auxilium cum lachrymis deprecantes, vt qui eorum corpora in tam pauenda morte tradiderat, eorum animas benignissimè susciperet, aut eis opem liberationis misericorditer

impenderet. D. autem THEOTONIVS in oratione quoque cum lachrymis prostratus, ac totus ad Deum conuersus, post Psalmos, & Litanias Dominatorem inuocauit hoc modo: Domine Iesu-Christe, Fili Dei viui, Fili S. MARIÆ, qui cum Patre,& Spiritu-Sancto, vnus es in summa Trinitate Deus, & verâ vnitate, succurre nobis in supremo periculo constitutis, gloriosum vt sepulchrum tuæ sanctæ Resurrectionis,pro quo venerando,& osculando de finibus mundi venimus, videre mereamur, & tuæ liberationi gratias agamus. Hortabatur etiam cunctos, & quibus verbis poterat consolando admonebat, vt alterutrum confitentes, sibi ex corde debita dimitterent, & totam (in Deum credentes, & orantes) spem suam ponerent; denuncians eis, quod si perseuerarent, in proximo clementiam Redemptoris affuturam: quod & factum est. Nam dùm hæc in mari agerentur Omnipotens Deus mirabiliter eis suam misericordiam exhibuit. Ecce enim ex insperato flatus auræ cœpit placidior fieri, & paulatim elisis aquarum molibus, redditur mare tranquillum; noua igitur lux cœpit oriri: mirantur omnes morti iam dediti, & cœli Deum exultantes benedixerunt, laudes eidem debitas referentes, & *Gloria in excelsis Deo*; nobiliter decantantes,quòd eos misericorditer dignatus est, de eo mortis articulo liberare. Liberatus itaque de pelago Maleæ cum omnibus, qui secum erant in naui, post trium hebdomadarum dies, ex quo in portu Barensis ciuitatis nauim ascendit, mare transiuit appulsus ad vrbem Ioppem, & longissimis maris amfractibus circuiuit per sepulchrum B. Georgij Martyris, quousque peruenit Nazareth, quæ nutriuit Dominum Saluatorem. Inde abiit per viam,quæ ducit in Thabor, quo Dominus transfiguratus est,in cuius verticem ascendens aspiciebat diligentissimè loca plurima, quæ Dominus, suo itinere sanctificauerat. Vnde descendens festinus perrexit Samariam,vidit Sepulchrum B. Ioannis Baptistæ; concitoque gradu, proficiscitur ad puteum, super quem Dominus residens, esuriensque & sitiens, Samaritanæ mulieris fide roboratus est: & adorato per singula loca mundi Redemptore, in collem celeberrimum, è quo diù desiderata conspicitur Ierosolyma, lætus ascendit. Hic flexis genibus, quantâ exultauerit lætitiâ, quantasque Deo gratias egerit, admixtæ gaudio lachrymæ declarant. Hilaris itaque sanctam Ciuitatem ingressus, deliberauit prius videre Crucem in Monte Caluariæ, vbi pretium mundi, Christus in statera Crucis appensus fuit, ante quam toto corde & corpore prostratus, quasi pendentem Dominum cerneret adorabat;recordabatur mortis suæ, maledictionis sententiam in se, & in omnem hominem prolatam per inobedientiam primi hominis, sed & clementiam propitiationis Filij Dei, qui loco eodem sputa, alapas, spineam coronam, flagella, crucem, clauos, fel, acetum, lanceam, mortemque pertulerat; Factaque oratione descendit paululum in Golgotha locum, vbi sicuti fama est,de latere Christi sanguis decurrens petram durissimam perrupit: deinde hinc breui spatio ad Sepulchrum Resurrectionis conuersus, & videns ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fidei lambebat: occurrebat sibi congrua de Domino Saluatore meditandi memoria:quo modo scilicet post tanta quæ pertulerat, in ipso sepulchro requieuerat, ac per illius descensum ad inferos, ineffabile, magnumque gaudium cogitabat miserorum, quos captiuos mortis imperio Christus ab inferis secum eduxerat. Inde iam ad medium mundi deductus, quo videlicet loco Ioseph ab

Oratio B. Theotonij.

Arimathia corpus Domini cùm de Cruce deponeret, antequam sepulchro locaretur; posuerat, attentius orabat, memorans illud Dauidicum: Deus autem Noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Tandem venit vbi Helena inuenit Crucem, cumque aliquando, prout deuotio dictasset per memorata Oratoria Vir sanctus orasset, postremò se in hospitium recepit, licèt cùm mens eius totâ die, & nocte, per ea quæ viderat, duceretur, in pace in ipsum dormiuit, & requieuit. Alterâ verò die, cum quanto studio, ac desiderio sancta Ierosolymorum loca orando cursum ierit, dicere quis poterit? Nam ingressus in templum Domini, & post orationem, per portam quæ dicitur Speciosa, egrediens, ascendit Sion, ad locum duntaxat Cœnæ, vbi pedes Discipulorum Dominus lauit, & pax vobis dixit, dubitantique Discipulo, latus palpandum præbuit; ibi etiam super centum mille credentium animas Spiritus Sanctus descendit: & conuersus per Viam-Sacram, quâ Dei-Genitricis corpus Apostoli detulere, intrauit; & Ecclesiam B. Petri de Gallicantu, & ad sepulchrum Iacobi fratris Domini, descenditque in Vallem Iosaphat, orauit ad sepulchrum B. Virginis MARIÆ, de quo ascendens transiuit ad Oratorium Gethsemani, vbi Dominus in radice Montis Oliueti orauit ad Patrem; inde progressus venit in locum de quo ait Lucas Euangelista: *Auulsus est autem ab eo quantum iactus lapidis*: rectóque itinere subiit in verticem eiusdem montis Oliueti, de quo Saluator cœlos ascendit: inde per vicum Belthphage, & locum in quo lasciuiens pullus asinæ, Domini frena suscepit, descendit in Bethaniam ad sepulchrum Lazari, & hospitium Sororis eius. Posthæc pergit Bethleem, intrans sacrum Virginis diuersorium, quo Christus natus est, stabulum vbi agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, tanquam prudens animal humiliter adorauit. Vidit & locum quo sæuiens Herodes pro Christo paruulos interfecit. Quid narrem cum quanta deuotione ad Iordanis aquas, totius humani generis labe maculatas, & à Christi baptismate mundatas, cucurrerit? Nec prætermisit locum Quarentenæ, vbi Saluator mundi tentatus à Sathana, totum militiæ nostræ tempus (quo nunquam tentari desistens) quadragenario suo voluit confirmare. Inde per amarissimum fontem, quem olim Elisæus suâ decorauit sapientiâ; Iericho pertransiens vidit iuxta viam Cæcorum loca; qui receptis luminibus vtriusque populi credentis in Dominum sacramenta promiserant. Longum esset, si vellem enarrare, quo ardore lustrauerit Chanaam, & Capharnaum, signorum Christi familiares; & dicere cum quanta admiratione viderit locum Tyberiadis, quem sub mercede nauticâ Dominus transfretando sanctificauit, & solitudinem in qua de quinque panibus, & duobus piscibus multa millia saturata sunt. Hoc tantùm dicam, quòd per singula loca, Christum se videre credebat. Lectoris fastidio consulens pauca commemoraui de sanctis locis, quæ illo tantum studio circuiuit. Diebus autem multis, ad sepulchrum Domini ex ardore fidei mansionem habuit, non in refectione quidem, sed in oratione, & Domini opere: Cuius sanctitatem ipsius sepulchri Canonici Regulares attendentes, in eius orationibus attentius se commendarunt, eumquè reciprocè in suis beneficiis receperunt. Communem etiam societatem viuendi voluntate ei dabant, si cum illis habitare vellet, & custodiam sepulchri, quod eum præ omni negotio desiderare cognouerant. Ille verò se hoc facere minime posse

dicebat,

dicebat, nisi prius ad Hispanias rediens, domui suæ disponeret. Igitur per totam Ierosolymam, iterum atque iterum se Omnipotenti Deo commendans, Canonicis quoque, & cunctis seruis Dei vale faciens, reuersus est Ioppem, vbi prius appulerat, vnde nimietatibus ventorum per Insulas Græciæ deuictus, multos in itinere labores passus, ad domum propriam in Hispaniam remeauit; futurum rursus, vt in proximo Ierusalem rediret, & ad gloriosum sepulchrum finem vitæ suæ deuotus expectaret. Veruntamen eo à Ciuibus suis in magna gloria recepto, ego quoque hic primam partem huius operis coarctabo.

Secunda Pars Descriptionis Vitæ S. Theotonij.

Religionis ingressio.

In Superiori parte huius operis de prædicti Venerabilis Viri exortu, & processu, qualiter in seculo conuersatus fuerit summatim præstrinxi; nunc deinceps, quomodo ad habitum Christi venerit, & in congregatione vixerit. Veruntamen totius boni datorem inuoco S. Spiritum, quo munus huiusmodi ita peragam, vt non offendam veritatem, nec eorum, quæ in eo vidi, vel audiui fraudare videar claritatem. Cum itaque mente infatigabili, rursus iam tertiò redire disponeret, ardebat enim Ierosolymam, & sancta loca videre, nutu diuino, à Religiosis Viris vrbis Colimbriæ præuentus est, quos scilicet diuina consilij prouidentia, iam in hoc ipsum aspirauerat, vt omni cum deuotione, seculum relinquentes, in suburbio eiusdem Ciuitatis, ad Aquilonis partem, ad seruiendum Deo cœnobium constituerent, quorum primus Tellus Archidiaconus fuit, Vir quidem magnæ discretionis, & prudentiæ, qui ad tàm vtile consilium, tamquè præclarum opus exemplo suo cæteros inuitauit; cuius etiam opibus, & consilio tota Cœnobij fabrica à fundamento surrexit: quiquè, vt superius dixi, Magister, & Præceptor D. THEOTONII extitit. Secundus autem Dominus Ioannes, qui eo tempore Magister Scholarum erat, qui postmodum Portugalliæ factus Episcopus, post mortem quoque Domini Pelagij, Braccarensis præficitur Episcopus. Tertius D. Honorius, vir magnæ auctoritatis, & Ecclesiæ S. Iacobi de Suburbio Colimbriæ Præpositus. Prior quoque S. Mariæ de Castello Montismaioris. D. Sesnandus, homo nimis reuerendus, & alij viri Religiosi, qui simul fuere omnes à principio vndecim. Ab his igitur D. THEOTONIVS præuentus duodenarium compleuit numerum. Hi fuerunt ab exordio huius Monasterij primarij viri. Attamen priusquam ad socialem viuendi vsum acquieuisset, diù pie reluctatus perhibetur, asserens, ex multo tempore fecisse votum, vltra mare abeundi, & finem ad sepulchrum Domini præstolari. Verum illi è contra, vtilius esse memorabant, in hac occidua mundi parte, vbi vix nomen Christi est restitutum, cum iuxta SS. Patrum regulam viuere, & ignaris hominibus formulam honestæ vitæ monstrare, quàm Ierosolymam ire, cui præsentiam suam Dominus exhibuit, & innumeris miraculis totam Regionem ab omni fidei ambiguitate sanauit. Quibus homo Dei deuictus rationibus tandem assensum præbuit, seque principem eorum, & consortem in omnibus effici promisit. Nec mora, ea quæ in seculo iustis modis adquisierat fideliter dispensauit: partem enim dispersit pauperibus, partem Viscensi Ecclesiæ contulit, partem quoque rebus futuri Monasterij secum adiunxit, vt inde pauperibus subministraret; vnde & ipse tanquam pauper

volun

voluntarius viueret, qui se in numero pauperum fratrum, paupertatis amore constituebat; pauperem enim Dominum, pauper spiritu sequebatur, qui ideo se exhæredabat in terra, vt hæres inueniretur in cœlo. Igitur sub Anno Incarnationis Filij Dei M. C.XXXII. in vnum conuenere, videlicet charissimi Infantes Alphonsi Henrici, & Reginæ Tharasiæ filij, sed processu temporis, & diuini Numinis largitate, præfatus totius Lusitaniæ penè, & ex parte Gallæciæ effectus est Rex illustris, cuius auctoritate, & Venerabilis Colimbriensis Episcopi, vniusque Ordinis consilio, in balneis Monasterium in honorem S. Crucis, & Beatæ Dei Genitricis MARIÆ construere cœperunt die IV. Kal. Iulij, in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli. VI. autem Kal. Martij sequentis in capite ieiunij, non tam duodecim, sed fermè vndecim armati Christi milites, Apostolorum proposito communiter viuere sub habitu, & Regula B. Augustini professi sunt. Congregatis itaque fratribus, consilium simul & vox vna fuit cum omni gratulatione totius congregationis curam D. THEOTONIO committere: cumque ille ad tanti regiminis pondus iterum, ac sæpius se proclamaret indignum, virtute tamen obedientiæ appositâ, inuitus, nolensque suscepit, cæteris sub ipso in eodem loco firmantibus stabilitatem; sub quo nouo Patre, nouum Monasterium magnis breui tempore larga Dei pietas gratiæ suæ muneribus illustrauit; bonis, & Religiosis viris nobilitauit, nec minus possessionibus, quàm virtutibus reddidit amplum. Fuit enim in diebus eius famâ celeberrimum, religione valde conspicuum, in quo D. THEOTONIVS ad culmen sanctitatis mirabiliter excreuit, de cuius sanctis actibus, ne tantus vir lateat, pauca de pluribus breuiter attingam; in quibus exponendis nihil addo, nihil in maius extollo more laudantium, vel vt ab hominibus gratiam promereri velim; sed gratias ago, quia nostris temporibus talem Patrem habere meruimus, imò & habemus: Deo enim viuunt omnia, & vt ait B. Ieronymus, quidquid in Deo transfertur, in familiæ numero computatur. Itaque ab exordio magnis vitæ meritis cæteros anteire cœpit, grauitate vitæ, singularitate abstinentiæ, & virtute continuæ orationis. Frequenter etenim Deum precibus exorabat, sine orationis cessatione, & si aliquando ab orationis contemplatione cessabat, nunquam de manibus eius sacra lectio deponebatur, maximè tamen Psalmodiæ operam dabat, siquidem quotidie præter canonicas horas, & diuinum officium, quod cum timore, & veneratione competenter complebat, totum Psalterium percurrebat: deinde cæteris bonorum operum exercitiis, aut vtilitatibus Monasterij vacabat. Nullis vnquam vitiorum illecebris, aut seculi voluptatibus incumbebat, sed semper illi secretum, mansuetudo, silentium, & pax fuit. Denique, præter consuetudinem sui temporis, in tanta esse humilitate didicerat, vt minimus omnium aperte videretur, & vltimus seruorum Dei: & tantus præterea Canonicæ institutionis eum feruor accenderat, vt ipsum ordinem, quasi toto orbe fugientem, persequi videretur; inde est quòd huius rei gratiâ miserit fratres ad Compostellam, & frequentius ad Monasterium S. Ruffi, vt regulam S. Augustini exactius ediscerent, quâ suos possit exactius in Domino dirigere. In congregatione autem Vir Dei sic viuebat, & ita temperatus, & modificatus erat, vt nec in habitu suo, nec in actu, aut etiam in ipso incessu reprehensibilis videretur, in tantum, vt nec quidem criminatorum quisquis oculis in eo posset

notare,

notare, quod ante, vel retro regulare non fuisset, adeò sui Ordinis executor factus erat. Multi multas in eo laudabant occupationes; alij humilitatem, quæ prima Christianorum virtus est; alij sanctitatem, innocentiam, grauitatem, religionem, & ardorem fidei, quæ omnia domicilium in eo sibi fecerant. Ego amplius laudabo in eo, quod cum fratribus suis charitatis vinculo, velut quadam germanitate, semper adstrictus erat. Non enim quasi proprios, sed vt Domini gregem tractare meminerat; omnibus charitatis officio seruiebat. Si quæ facienda erant, non præcipiebat, sed demonstrabat, cum omni humilitate, & reuerentia, inuicem eos obsequio, beneficio, & honore præueniebat; superiorem locum non exigebat, sine superbia gubernabat, nunquam temere reprehendebat, attamen, si quos delinquentes, aut secus quàm dignum erat agere, aut vanis confabulationibus vacantes reperisset, zelo rectitudinis secreto pariter arguebat. Si fortè aliquos inter se commouisse cognoscebat, iuxta Euangelium eos sermone lenissimo fœderabat. Si enim contra aliquem in moribus coërcendis necessitas disciplinæ cū dura verba dicere compellebat, statim ante solis occasum, se cum eo paternâ pietate pacificabat; sic cunctos vitæ suæ informabat exemplo. Sed & tanquam bonus exhortator in castris Domini non cessabat oleo exhortationis, & ædificationis, eos ad bene viuendum informare, vt qui iam seculi militiam dereliquerant, rectum Christi iter tenerent. Donum religionis sibi diuinitus collatum, nec vitiis, nec turpibus cogitationibus fœdabat; quin potius illud humilitate, sobrietate, cæterisque ornamentis sanctarum virtutum exornabat. Fratribus, vt cum omni deuotione, & veneratione diuinæ seruitutis opus peragerent, acuebat, quatenus non solum erga Deum, sed ab his qui foris sunt, bonum testimonium habentes, Domino suo ad cuius honorem congregati essent, in omnibus fideliter deseruirent, vnusquisque videlicet de officio suo ad laudem, & gloriam nominis Domini Dei, & vtilitatem proximi, vt iuxta Apostolum, singuli essent alter alterius membra, & sic verè Christi pauperes esse contenderent, vt veræ beatitudinis pauperes efficerentur, omnes omnibus Religionem exhiberent, pacem, & concordiam inuiolabiliter custodirent, & ita vsque in finem in sancto proposito permanerent, sæpe etiam conuertebat sermonem. Eia (inquiens) filioli affligendum est corpus, quod in seculo multis vacauit vanitatibus; & lingua cohibenda, quæ omni tempore, prona labitur ad peccatum, nisi diligenter custodiatur: Nam mors, & vita in manibus linguæ. Risum quoquè compensandum esse cum fletu, assidue monebat, vt rideamus (inquiens) in die nouissimo. Frequenter vt ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigarent suadebat, & ad hæc singula diuinæ auctoritatis subiiciebat exempla. Dicebat etiam, quod per odium amittitur vtilitas, & iucunditas illa, de qua ait B. Dauid: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum; & per illud expellitur Christus, qui est vera sapientia, quia hæc non introibit in maleuolam animam. Talibus igitur exhortationibus Pater spiritualis mentes subditorum assidue muniebat, & eos magis, ac magis in persoluendis diuinis laudibus, & in Ordine suo custodiendo promptiores, ac deuotiores efficiebat. Quæ quidem omnia non grandi eloquentiâ, sed simplici sermone proferebat, & vt ita dicam, sanctâ rusticitate, quæ interdum mandanâ philosophiâ efficacior est, & magis necessaria ad ædificationem fratrū.

Sapientis superioris typus.

Nec

Nec in spiritualibus solùm tam egregium conseruabat studium, sed in carnalibus quoque plurima solicitudinis, & prouidentiæ suæ documenta, subsidiaque terrena præstabat fratribus diligenter, & cum charitate, & opportuno tempore. Vt autem huius rei summam breuitate contingam, sic multimodâ solicitudine familiam Christi gerebat, vtramque annonam, videlicet spiritualem, & carnalem ita subministrabat, vt iam per omnia videretur Euangelicus ille seruus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Quid referam? quam pia consideratione senes, ac debiles, secundum virium imbecillitatem, supportare, diligere, atque honorare præcipiebat, & præcipiendo supportabat, & honorabat. Pueros verò, & adolescentes, qui in Congregatione nutriebantur, cum summa pietate fouebat, sine contumelia corripiebat, sine crudelitate castigabat, & ita eos ecclesiasticis constringebat disciplinis, vt eorum ætas nullum posset locum reperire lasciuiæ. Quid memorem clementiam eius, & sedulitatem in ægrotantes? Quos miris obsequiis, & ministeriis confoueri faciebat gratia visitationis, & dulcedine sui oris subleuabat; quibus peruigilem curam adhibebat, & quasi Christo seruiebat; quæcumque enim sustentationi diuersarum infirmitatum necessaria, eis omni obseruantiâ fideliter, diligenterque illis ministrare volebat, frequenterque fratribus dicere solebat: ô filioli huius mundi ægroti portandi sunt, quia de talibus superna retributio indubitanter adquiritur. Nec erat apud eum personarum acceptio, sed infirmitatum pia, & necessaria consideratio. Cumque aliis languentibus largè præberet omnia, si quando ipse ægrotasset sibi non indulgebat: non delicata, vel insolita ciborum genera concupiscebat, nec nimis accurate præparata, sed magna constantia delicias, & luxum ciborum aspernabat.

Solicitudo, & prouidentia eius in rebus humanis.

Qvalem etiam compassionis affectum erga miseros habuerit, hæc res sola indicium est. Cùm ergo Alphonsus nobilis Infans Portugalliæ versus remotiorem Hispaniæ partem, quæ Hispalis dicitur, ducto exercitu, penè totam Sarracenorum Prouinciam deprædatus fuisset, viri bellatores eius, inter infinitam prædam, quandam Christianorum gentem, quos vulgò Muzarabes vocant, inibi sub ditione Paganorum detentos, sed tamen vtcumque Christiani Numinis vsum obseruantes, pariter captiuarunt, atque iure bellantium subiugauerunt. Quo audito Vir Deo plenus valde condoluit, & qui nunquam ad exteriorem portam Monasterij de claustro exierat, feruescente zelo Dei, egressus obuiam Regi, & cuncto exercitui, dixit: ô Rex, & cuncti Barones qui S. Matris Ecclesiæ filij estis, cur fratres vestros vobis in seruos, & ancillas subiugatis? Peccastis etenim super hoc Domino Deo vestro. Cumque prout debuit compendiosè eos alloquutus fuisset, & quod nisi eos liberos dimisissent, magnus eis furor Domini iniret; Rex, & cuncti bellatores totum illud genus hominum dimisere, & coram eo liberi abire permiserunt. Igitur per studium illius liberatis à seruitute plusquam mille hominibus, exceptis vxoribus, & paruulis, quicumque de gente illa Colimbriæ esse voluerunt, locum habitandi circa Monasterium Sanctus dedit, eosque per annos plurimos de annona Monasterij pauit, vt pote imbecilles, & terram ignorantes.

Misericordia in captiuos.

Gratiam quoque curationis nihilominus in eo fuisse, ex hoc iam patenter agnoscimus, quod præter multa beneficia, & diuersorum morborum remedia, quæ ab illo experti sumus, cum quodam tempo

Relatio miraculorum in vita.

tempore præfatus Infans Portugalliæ immensis febribus æstuasset, & præ nimia febrium anxietate vehementer vrgeri cœpisset, magnisque non iam vocibus, sed stridoribus in extremo se constitutum esse clamaret, visitatione tandem Viri Dei vltimum remedium anxiè quæsiuit, à quo cùm diuinæ exhortationis oleo fuisset infusus, eiusque dextera clemente attactus, mira res! protinus ardore paulatim tepescente refrigerium salutis accepit; tantaque in eius præsentiâ virtus Dei viro diuinitus collata est, vt statim horâ eadem, cibum, quo multis diebus caruerat, incolumis acceperit.

Regina in partus angustia, liberata.

PRÆTEREA cùm tam ob inuictissimam eius strenuitatem, pariter, & illustrem nobilitatem, meritò Rex vocaretur, & vxor eius Machalda Regina, Amedei filia ob difficultatem partus, iam morti proxima periclitaretur, prout erat sapiens fœmina, fideique firmitate fundata, hoc solum penes se consilium, post Deum inuenit, quatenus si mereretur à Sancto consignari Viro, protinus ei Omnipotentis remedium subueniret. Vocatus igitur per nobiles viros ad eam venit, & cùm Crucis signo eam in Dei virtute consignasset, protinus ante pedes eius filium generauit, moxque de nati filij officio læta mater effecta, mirabiliter sanitati restituta est. Veruntamen graues aliquando persecutiones ab ea sustinuit, eo quòd illi ingressum claustri negauerit, seruato per omnia sui ordinis rigore. Nam cùm die quadam ad eum videndum Regina venisset, & claustrum interius videre voluisset, Prior tantum blandè resistit, dicens aliam intus esse Reginam, nec esse Ordinis, nec approbatæ consuetudinis fœminam habitaculum fratrum mundum fugientium ingredi, nisi fortè defunctam; nec Reginæ officium esse, quia non reputaretur illi ad gloriam hoc à Domino Deo. Proponebat ei Oziæ Regis exemplum, qui idcirco quod in templum Domini voluit intrare, statum leprâ percussus est, vsque ad diem obitus sui leprosus permanens: tanta denique mentem illius Ordinis æmulatio possidebat, vt vigore, & auctoritate Spiritus-Sancti Reginæ intrepidus obstiterit præsumenti: maluitque Vir Beatissimus illius succumbere odio, quàm talis aliquando claustri fieret abusio. In hoc igitur facto reliquit nobis tanquam hæreditariam professionem & formulam honestæ vitæ. Tantæ quoque sanctitudinis fuit, quod etiam maligni spiritus eum visibiliter aliquando timerent, rem quidem miram, sed tamen veram loquar: Monachus quidam de Anglia, nomine Samuel, adfuit quondam in nauali colluctatione exercitus Francorum, qui cum Rege Portugalensi Vlixbonensem vrbem Deo donante cepere: hic autem corporali molestiâ percussus ad hoc Colimbriense Monasterium Viri Dei, perductus est, qui ad extremum veniens videbat nigerrimos spiritus, in se crudeliter, & indesinenter spicula spargere; huc, illucque vertebatur, & sæpe toruis luminibus cadebat de lecto, illorum aspectum ferre non valens, & turbatis vocibus hoc sibi assistentibus referebat. Veniente verò Seruo Dei, cum non possent maligni spiritus illum videre, eius præsentiam in pauore, & tremore, quo turbabantur, refugiebant, moxque delitescentes, & per tenues auras euanescentes, nunquam præsente Priore comparebant: per quod patenter colligi datur, dæmones præsentiam eius expauisse.

Constãtia in obseruatione claustri.

Assistentiam in Monasterio fratribus persuadet.

SÆPE autem ex occasione ad perseuerantiam vocationis nostræ, & cathenam obedientiæ pio nos Patris hortabatur affectu: dicebat enim: Si Monachus iste, qui per qualemcumque sui Abbatis

batis licentiam veniebat, habebat enim secum commendatitias literas, de habitaculo suæ carnis sic euulsus est. Quid ergo fiet de illis, qui leuitati & mobilitati mentis manum dantes, per lites, & scandala diuiduntur, & per inobedientiam à Monasterio suo recedunt? Propterea verò cauete vobis, ô filioli, nec leue Domini iugum obtrectetis, circuit enim diabolus quærens quem deuoret, & eos, qui de cõgregatione sua fugiunt inobedientes miserabiliter cruciat, & extinguit. Simili quoque pœna quidam professus laïcus affligebatur in Monasterio, si quidem videbat iugiter, & sine intermissione vmbram cuiusdam nigerrimi Æthiopis, qui eum vehementer extento arcu fatigabat, hostemque suum è regione contra murum inordinatis vocibus indicabat, digito etiam ostendebat, quamuis eum Patres minimè videre potuissent. Cruciabatur miser plus pauore, quàm infirmitate. Quoties autem Sanctus ad eum veniebat, arcum protinus diabolus remittens, mox se abscondebat, nec in eius quidem præsentia iaculare eum audebat: quo cognito, Vir Dei, tanquam sciens pro qua causa tam horribiles irrueret pœnas, dixit ad eum: Confitere miser, confitere iniquitatem adulterij, qua lapsus es. Quæ res postea euidens, & perspicua facta est, sicut Prior dixerat.

Erat præterea quidam frater in Monasterio valde deuotus, quem humani generis inimicus, mox in initio conuersionis suæ vexare consueuerat. Accidit die quadam, cùm Pater extra chorum in Ecclesia, tantum debilitatis causâ sederet, & prædictum fratrem ab hoste suo vexari cognouisset, illuc accessit, & acceptâ fratris dexterâ, spiritui nequam comminando, dixit: Exi spiritus immunde in nomine Iesv Christi, & in virtute Spiritus-Sancti præcipio tibi, ne amplius seruum Dei conturbes. Confestim igitur exiens veteranus hostis, ex ea hora nunquam Dei famulum tentare ausus fuit. Sæpenumero vidimus nonnullos ægrotantes fratres, qui, eo quidem orante, & pro ipsis genua flectente sanitati restituti sunt. Vix autem cognoscere est, quantam solicitudinem gerebat eorum, etiam qui in itinere dirigebantur, vel quantum eius oratio apud Deum Omnipotentem valebat. Cum Honorius Presbyter, vnus de primis senioribus, de quo superiùs mentio habita est, Vlixbonam mitteretur, habens secum sexcentorum solidorum summam, ad construendam B. Vincentij Martyris Ecclesiam, quæ extra muros ipsius vrbis est, prout habebat in mandatis à Rege, in solitudine, quæ est inter Colimbriam, & Sanctarem, à Sarracenorum latrunculis captus ad ciuitatem Eluas est ductus. Igitur murmure nuntio, durus rumor cunctos Monasterij percussit fratres, sed & per vniuersam ciuitatem non modica erat tristitia. Sanctus autem cui maxime circumfusa erat anxietas, fratres cunctos alloquitur, vt per omnia soliciti essent consortis sui, & compatientes, iuxta Apostolum dicentem. Dum patitur nostrum membrum, compati debent cætera: & fideliter in orationibus peterent illum ab eo, qui ait Discipulis suis: Quidquid petieritis in oratione credentes, accipietis; scientes quoniam exaudiet Dominus preces eorum, si permanserint in oratione in conspectu Dei. Essent etiam memores Apostolorum Christi, qui in conclaui suo precibus sanctis orando Apostolorum Principem de vinculis Herodis eripere meruere, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Ad hanc igitur exhortationem cuncti fratres, publicâ, & priuatâ supplicatione deprecantes Deum; permanebant in conspectu Domini. Prior autem præfatus continuas orationes, & Deo

Obsessum liberat.

deuotas preces, quas nunc euoluere longum erit, ex toto corde subnixus exorabat, vt qui tam tristes erant de captiuitate senioris, de liberatione eiusdem consolari mererentur per misericordiam Redemptoris. At dùm mirum in modùm hæc in Monasterio agerentur, ecce ex improuiso Honorius senior die decimâ quintâ suæ captionis affuit sanus, & liber cum magna gloria, sine detrimento, aut diminutione rei familiaris. Quo modo autem Omnipotens per cuiusdam Pagani fraudem saluberrimam de captiuitate illum liberauerit, dicere prætermitto, ne libri magnitudo extendatur, maximè cum in ore totius vulgi peruulgatum sit. Vides ne ergo quanti meriti Vir iste fuerit, cuius tam pia solicitudo, & oratio apud Deum valuerit? Habebat autem & hanc consuetudinem, quòd non plures admitteret fratres in congregatione, quàm facultas Monasterij suppeteret. Sed eis quidem, quos recipiebat, animæ, & corporis solatia vigilanter exhibere curabat, peritissimi medici factum imitans, vt adhibitâ magnâ discretionis curâ, quid cuique congrueret, diligenter applicaret. Quod & in corrigendis moribus summopere perpendebat, vt scilicet iuxta quantitatem vulnerum, exhiberet fomenta curationum, clemens semper existens, & benignus.

Prudentia in recipiendis fratribus.

Illvd quoque silentio prætereundum non est, quod semper moris illi fuit, vt approbatæ consuetudinis visitationes, & frequentiam secularium hominum, qui pro celebritate nominis eius, ipsum videre cupiebant, humili generositate laudabat. Nam cùm manifesta, & tam celebris eius sanctitas esset, non solum inferioris ordinis viri, verum etiam Rex, Principes, & potentes ad eum confluebant, & qui eum videre merebantur, ad eius genua prouoluti, & eius manus suppliciter deosculantes, ab eo benedici subnixius expetebant. Attamen quamuis ille non diuites, non potentes appetebat, si tamen quando se illis pro tempore, & loco iungebat, eos sale sapientiæ condiebat: Si pauperes erant, illos sustentabat, si diuites ad benefaciendum commonebat, exhortans cunctos, vt rectam fidem tenerent, prauitates suas abiicerent, & semper Dominum timerent. Hæc & similia loquens ad eos, animas eorum reficiebat, & innouabat. Contulerat siquidem ei Dominus talem gratiam, vt quicumque personam eius vidissent, vel sermonem oris eius audiuissent, quasi Angelum Dei se vidisse gaudebant, eique condignam venerationem exhibebant. Proferebat semper pauca, & rationabilia verba, pariter & benigna: vnde semper apud omnes sermo eius gratiam inueniebat, iuxta illud Salomonis: Dulce verbum amicos multiplicat, & inimicos mitigat. Tanta præterea inerat ei tranquillitas animi, tantusque in eo inualuerat bonitatis affectus, & ita ab omni malitiæ suspicione erat defæcatus, vt merito de eo dici credatur: *Pax multa diligentibus legem Domini.* Igitur propter nimiam eius sanctitatem fiebat, vt Rex, Principes, & cunctus vtriusque sexus populus Colimbriense Monasterium summo honore, & reuerentiâ dignum ducerent, maximis muneribus illustrarent, bonis ditarent temporalibus, in tantum, vt super cunctas totius Hispaniæ huius Ordinis Congregationes, mirabiliter emineret. Ita Rex de rebus suis, ibi plurima tam mobilia, quàm immobilia dona contulit; super cunctas coronatorum personas eum diligebat, & honorabat: magis in eo, quàm in alio aliquo hominum confidebat, seque, & suam animam commendabat. Vir quoque B. Theotonivs eum præ cunctis hominibus, qui in eius regno erant, diligebat, & ideo paterno

Consuetudo in secularium visitatione.

Monita Regi exhibita.

terno affectu frequenter castigabat, & admonebat, vt eum, per quem Reges regnant, & in cuius potestate sunt omnia iura regnorum, timeret, & mandata eius obseruaret; quia propter hoc est omnis homo: Regnum sibi commissum secundum æquitatem disponeret, iustitiam inuiolatam conseruaret, nec Iudex eius secularis in Ecclesiasticam personam manum mitteret; aut Ecclesiastica negotia examinanda susciperet, nec sacra loca violare permitteret, vel etiam confugientibus ad illa, quamuis reis, & pro suis sceleribus condemnatis, inordinatè violentiam inferre tentaret; neminem vnquam iniuste condemnaret; sed oportere Regem habere iustitiam, virtutem, fidem, bonam operationem, & Sanctorum locorum reuerentiam; alioquin nihil differre a Principe latronum Regem dicebat; pro quorum temeraria præsumptione mirabatur ex suo simplici verbo, angariam esse faciendam. Cùm autem Rex quæreret, quam angariam? Ille ex sua interpretatione dicebat; esse gehennam, in qua potentes potenter sustinere tormenta, & malefactores cunctos in perpetuum ardere memorabat. Quantam solicitudinem Vir Dei pro Rege habebat, vel quantum Rex in eo confidebat semper, in illo vno miraculo de Sanctaren, considerari potest. Cùm enim Rex ciuitatem ipsam nouo genere pugnandi, aggredi voluisset, furtim videlicet, & quasi per latrocinium, nam aliis bellicis apparatibus nunquam potuit, nam erat propter locorum situm impossibile, & propter nimiam fertilitatem, populorumquè frequentiam, ad Virum Dei veniens, illi soli consilium detexit, animamque suam, tanquam de hoc mundo exiturus commendauit, diem etiam, quâ hoc facturum cogitabat, sub silentio indicauit, & vt eo die pro se cum fratribus communem orationem faceret obnixe rogauit, & discessit. Die igitur notato, congregatis cunctis in Capitulo fratribus rem Prior exposuit, Letanias nudis pedibus, publicàs quoque, & priuatas deprecationes rogans peregit. Ille verò præter magnitudinem precum, sic orabat: Domine, Domine, qui muros Iericho sine gladio, & arcu subrui fecisti; qui etiam ad precem Iosue contra Gabaon solem stare præcepisti, tuam deprecamur ineffabilem clementiam, vt Regi nostro, famulo tuo, sub vmbra cuius, te protegente, viuimus, victoriam propitius concedere digneris, de inimicissima Christiani populi ciuitate; quatenus excluso indè nefando Mahometis ritu laudetur ibi nomen tuum Domine Deus. Mox igitur ecce nuntius bonus, de nuntiis Domini, bonum portans nuntium, adfuit; qui vrbem esse captam lætus adnuntiauit. Nocte enim sequenti prænotati diei, quo hæc facta fuerunt in Monasterio, Rex vrbem mediâ nocte, mirabiliter cepit. Sic nimirum fecit, quando in campo Ourich quinque Reges Paganos, cum innumera eorum barbara multitudine profligauit, qui vt eum omnino perderent coadunati debellabant, sed auxilio sibi facto diuino, ac B. IACOBI patrocinio, cuius ea die solemnitas fuisse perhibetur, victor euasit. Sed & quando cum Nauali exercitu Francorum Vlixbonam cepit; & nihilominus cum Alcazar longo certamine vicit. Et quid per singula? Quoties aliquid Rex magnanimiter facturus erat, ad Virum Dei semper veniebat, & eius orationibus se, & suam animam, vt dictum est, attentius commendabat. Ipse verò tantum Regem diligebat, vt pro eo, magis quàm pro se solicitus esse videretur. Vnde cùm quodam tempore falsus rumor exisset, Regem videlicet, è mundo exiisse, vt nobis Sanctus referebat, dolor cordis tàm grauiter eum percussit, quatenus deinceps, semper

Vrbs Sanctaren oratione S. Viri capitur.

debilitato corpore viueret, & tamen in seruitio Dei, nullus ei iuuenum, sano corpore, poterat comparari. Diù moratus sum, vt ostenderem, quam sincero amore Regem dilexerit, & quàm magnam Rex in eo confidentiam habuerit, cui præfatus Dominus animam suam toties commendauit, quod nullatenus faceret, nisi eum Sanctum Virum crederet: sic cuncti Principes, & vtriusque ordinis fideles ei inclinantes, & venerationem exhibentes, faciebant. Vidi plurimos, & præcipuè de Regno Francorum, qui eius sanctitatem altius intelligebant, ad eius genua prouolui. Præterea cum omnes charitatis ardore sic complecteretur, ac si communis Pater esset totius populi, neminem, licet superbum, vnquam fastidio despiciebat. Iudæos solos, & hæreticos, pariter & paganos, in tantum fastidiebat, vt nec salutationem admitteret. In tanta etiam humilitatis arce se collocauerat, vt nec nomen quidem Abbatis aliquando habere voluerit, vnde vsque hodie hoc Monasterium sub nomine Prioratus consistit. Qualis in eo fuerit fidei deuotio, actuum, morumque exornatio, ac diuinorum cultuum executio, ac quomodo circa professionem suam, parem adhibens diligentiam, & firmam perseuerantiam; commissam sibi cum timore Domini rexit Congregationem per viginti annos, memorandum reor, & sic ad eius finem veniendum. Per vigesimum itaque & primum ab ingressu Monasterij annum, longam corporis cœpit contrahere valetudinem: vnde tanquam bonus Pastor animarum, totius gregis solicitudinem gerens, ipse nobis in communi Capitulo, iuxta Dei quidem, vt credimus, voluntatem, nobis Priorem elegit, Dominum scilicet Ioannem Theotonij, Virum discretum, prudentem, atque communi genere virtutum ornatum, meritis, & nomine sibi successorem, & filium, cui totius regimen Monasterij benigno voto commisit, cunctis in hoc ipsum fratribus applaudentibus, cum quo per decem, quos postea vixit annos, ita in cordis pace fuit, vt singulis quibusque diebus, imò singulis horis, & penè momentis, se inuicem præuenirent, & benedictione dulcedinis, & signaculo S. Crucis. Cæteros verò fratres omni die benedicebat, & absoluebat, & quasi alter Iob holocausta pro singulis offerebat; & ipse ex dono humilitatis, quotidie in singulorum orationibus se commendabat. Igitur à Pastoralis curæ solicitudine liber, & absolutus, soli deinceps contemplationi animum dedit; permanens semper in oratione, & lachrymarum compunctione pro miseriis huius mundi, & desiderio cœlestis Ierusalem. Hanc assiduè esse memorabat Angelis, & Archangelis plenam, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis ornatam. Ibi (dicebat) esse fideles, qui sunt viui lapides, centro dilectionis collecti; & replicat, ibi nullus miser inuenitur, nullus esurit, nullus sitit, quia ibi panis viuus omnes reficit, & fons æternus, & viuus omnium sitim extinguit, vnde sæpissime in eius amore raptus, exultans dicebat: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: Quamuis in vnius claustri clausus esset angustiis, iam tamen latitudine fruebatur paradisi: inde erat, quod iam esuriem non sentiebat, saturatus erat enim Domino Iesu Christo; sumebat tamen aliquid cum gratiarum actione, quamuis non vescendi desiderium, sed humana ad cibum traheret confessio, & hoc nunquam ante legitimam horam, & nobis reficientibus. Ex more suo ad limina Ecclesiæ gratiâ liberius orandi semper properabat, quem etiam in loco suo orantem, & semper gementem, tanquam verè solitarium sua solicitudo exhibebat.

Priorem sui loco eligit.

Cum

Cùm autem aliquis nostrum in conspectu eius apparebat, mox hilarato vultu dulcia cum eo miscebat colloquia, licet iam spiritus eius cum Deo vnitus esset. Semper in ore eius Christus erat, & exempla Sanctorum Patrum, semper pax; & dulcedo charitatis, sine intermissione dulcius susurrans: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Auditâ sanctitate eius Vir Dei primus Clareuallensium Abbas, à Burgundia fratres ad eum misit, & frequenter cum eo conuersatus est; ex quo tempore inter Clarauallense Monasterium, & nostrum S. Crucis, societas, & pactum fraternæ dilectionis sancitum est, associatum, videlicet & scriptum in omnibus beneficiis, & orationibus, ita vt ab vtroque ordine per singulos dies generale seruitium agatur ad inuicem cum summa deuotione.

Eius sanctitas nota B. Bernardo.

Mvlti multa de hoc Viro per visionem cognouerunt; nam quidam Monachus per triduum in extasim raptus, vidit se per visum in cœlos translatum. Ibi vidit quosdam, quos ipse bene nouerat, qui adhuc in carne positi erant, & nonnullos iam defunctos assistere ante tribunal Christi, Deum laudantes. Illis autem omnibus superior ei visus est adstare D. Theotonivs, & Deo propinquior incomparabili candore vestitus, qui & ipse B. Vir cùm adoraret Deum, maiorem præ cæteris gloriam à Deo sortitus erat. A quodam Religioso de Ordine Clareuallensium, visus est in arca quadam speciosissima in medio mari cum turbâ candidatorum Virorum, non modica cunctis præstans, cunctos modificans, quos tanquam bonus auriga ineffabiliter regebat, & arca circundata erat à ferocissimis maris fluctibus, & ne rumperetur alicubi, modis omnibus satagebat. Contigit autem Monachum postea in Colimbriense Monasterium venire, & D. Thotonivm quem per somnium in mare viderat, protinus agnouit. Sed vt infinita breuiter comprehendam, si quis qualiter ætatem suam in Monasterio transiuit, noscere desiderat, sciat illum semper in rebus diuinis, & sanctis meditationibus perseuerasse, vsque in diem dormitionis suæ, quæ tali modo consummata est.

Visiones de S. Viro.

Ante paucos dies, quibus viam Patrum ingrederetur, visio huiusmodi ei apparuit. Videbat se in turri quadâ sublimi collocatum, quæ à medio claustri super cuncta Monasterij fastigia celsius eminebat: manu quoque hastam gestare sibi videbatur sine cuspide, longissimam quidem, & candidam, è regione verò Vir venerandus corusci habitus ei apparebat, qui mandata Domini ad eum se habere testabatur; mox igitur eum nimium blanda voce consolans dicebat: Homo Dei laboras plurimum, & diù peregrinaris carnis sarcinâ prægrauatus; sed æquo animo esto; quia in proximo est, vt pro breui labore, æternâ beatitudine perfruaris. Iam enim in hoc seculo benè pugnasti, & cuncta quæ licuit sine ferro superasti; hoc enim hasta sine cuspide significat. Age ergo gratias bonorum omnium largitori, quia citò curaberis, & ad antiquam possessionem, diu peregrinatus, conscendes, citò etiam prænoscens, quòd Omnipotens Deus per te plurima bona fecit huic loco, & facturus est. Monstrabat autem ei præterea scalam in cœlum rectam, per quam eos, qui de Congregatione purgatiores exeunt, cœlum conscendere aiebat. Nonnullos verò adhuc purgandos in Monasterio similiter esse dicebat, minus de perfectione habentes. Cùm igitur hæc, & plurima commemoraret, & nomen suum quod Apostolus Petrus esset, diceret, cœlum adscendens disparuit. Vigilans itaque Vir Dei, & cognoscens obitum

Visio Serui Dei.

sibi certissimum venire, sacramentum vnctionis accepit, & quod penè per dies singulos faciebat, sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis fiducialiter se muniuit, nos iterum, atque iterum benedicens, & ne tanti temporis laborem perderemus admonuit: Hodie (inquit) vos filioli religiosum studium arripuisse arbitremini: Et vniuersis fratribus eum diligentibus consolabatur. Sed quid differo? & ad eius vltima facinora venire reformido, dolorem meum faciens longiorem? Cùm nos copiosius benediceret, repentè super humerum caput paululum inclinauit, dehinc in cinere, & cilicio, Christianâ traditione, superpositus, sanus & integer mortem lætus aspexit. Vidimus eum læto vultu, quasi in occursum se erigere, ita vt ex hilaritate vultus eius, Sanctorum Angelorum præsentiam affuisse non dubitauimus. Nihil pauor mutauit in facie, sed sic dignitas quædam, & grauitas ora compleuit, vt planè daretur intelligi; non emori, sed migrare, & quasi mutare amicos, non relinquere. In quantum verò miraculum tota ciuitas eum viuentem haberet, in eius obitu demonstrauit; nam omnes illi suas animas commendabant; omnes ei de gloria beatitudinis gaudebant; hæc vox vna in omnium ore sonabat; quod eius anima felix transferretur ad cœlum. Rex quoquè nimio affectus dolore, dixisse fertur: Prius anima eius erit in cœlo, quam corpus in sepulchro. Sane prætereundum non est, quòd cùm sancta illa anima carne soluta est, affuit quidam humani generis inimicus; sed quia in eius anima de suis actibus nihil inuenit, mox fremens in quendam de familia Monasterij festinus agitator irruit, eumque per dimidiam ferè horam, miserabiliter vexauit, dehinc confusus abscessit, dans cunctis indicium, quod beata anima THEOTONII ad cœlos liberè transcendit. Sed prius quàm Pater de seculo exiret, quidam stellarum globus visus est de cælo ad medium claustri descendisse, ita sidereo lumine coruscans, vt cunctos in admirationem conuerteret.

Obitus. B. Viri.

Diaboli perturbatio.

Globus coruscans de cælo.

SED ad vltimum veniam, iam enim libello finis dandus est. Omnibus igitur quæ ad apparatum defuncti necessaria visa sunt, rite peractis, manibus gementium fratrum, & dolentium in Ecclesiam, ex more, Corpus translatum est, vbi non vlulatus, & planctus vt inter sæculi homines fieri solet, auditus est, sed per duos continuos dies, choris psallentibus Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, dehinc in Capitulo, à Venerabili Viro Michaele Colimbriensi Episcopo, & S. Crucis Canonico honorifice sepultum est, circunstante coronâ fratrum, & debitum Religionis officium cum summâ diligentiâ exhibente. Dormiuit conscius vitæ bonæ, & præmij meritorum XII. Kal. Martij, Feria VI. ad primam diei horam, quâ Christus resurrexit. Sepultus est XI. Kal. earundem, Anno memorati D. Regis Alphonsi I. Portugalliæ, sub quo Christi vestem suscepit XXVI. & Regni sui XXXI. Vixit autem in sancto proposito annos XXXI. Omne verò vitæ suæ tempus impleuit, vt ipse referebat, inter Quadraginta & Quinquaginta, iuxta ordinem scriptum.

Sepultura famuli Dei.

Hactenus Acta; quæ licet mortis S. THEOTONII annum non consignent; attamen validis coniecturis D. Prudentius de Sandou. & D. Roder. de Acuña contendunt fuisse Anno M.C.LXII. Et concludit Braccarensis Præsul, sic: *Sub; Altaris cauo Capituli sanctum Corpus iacuit, donec Anno M. DC. XXX. illius Cœnobij Religiosi, illud ad aliud diues, & majestuosum, iaspide elaboratum transtulere sepulchrum*, dempto brachio, quod S. Ecclesiæ Vilensi, cuius primo fuerat Parochus, seu Prior, dono remisere Canonici. Ad cuius translationem reliquiæ, isthæc P. Emanuel Pimenta carmina scripsit.

Pastor

Pastor eram quondam populis Visentibus: ardet
Oßibus in nostris qui fuit ante calor.
Detractum flammæ nihil est; sed tempore creuit,
Efficit, & larga crescere dona manus.
Brachia perpetior de corpore vulsa referri,
Patiar, vt natis corpora secta meis.
Brachia cùm mitto complexibus apta ferendis;
Complexus natis tunc ego mitto meis.
Corpora nostra licet gelida tumulentur in vrna;
Non meus in gelido marmore friget amor
Spirat & ardentes miro iacit igne fauillas;
Quosque prius natos dulcis amauit, amat.
Ad natos reuocat, dilectaque pignora Patrem;
Nec procul à natis me sinit esse meis.
Diuido in partes; pars altera restat in vrna;
Altera pars populis it peregrina suis.
Pars minor abscedit; remanet pars maxima; maior
Quæ venit ex tumulo portio amoris erit.

Tantas D. THEOTONII amoris significationes ad Vrbem Visensem, eadem agnoscens Ciuitas, vt grates persolueret de tanto sibi commisso thesauro; in hoc lætabunda prosiliit deodecastycho:

Dicite felicem me secula, dicite gentes;
Cum beet exuuiis me Patris vrna suis.
Blandiùs indulget cælum mihi diues; ab astris
Et per reliquias aurea vena fluit.
Nunquam pauper ero, quam copia diues opimat;
Et cui thesaurus tam prope diues adest.
Nec perferre sitim potero, cui nectare dulci
Flumina dat patrius tam pretiosa cinis.
O quantum promitto mihi! qnam læta triumpho!
Quas mihi per cineres fundet Olympus opes!
Quàm propè relliquiæ mihi sunt, & brachia Diui;
Tàm prope munifici dextra Tonantis adest.

Transfretauit iterum, atque iterum Ierosolymos THEOTONIVS, vt Nostræ Redemptionis sacra monimenta conspiceret, ad eorum inuisenda prodigia, ideo animum applicuit, vt per periculorum passiones, ad CRVCIS quam portabat in corde, oculis perueniret intuitum. Audi P. Pimenta de ista peregrinatione canentem lib. 11. Poëmat. fol. 412.

Agni purpureo petimus iuga tincta cruore,
Et loca quæ sacram sustinuere CRVCEM.

Æquora

Æquora tranamus squallentibus horida monstris,
Dira vbi tempestas, dira vbi sæuit hyems.
Imminet immanis ferrum crudele latronis:
Imminet in mediis visque metusque viis.
Ad sacram iuuat ire CRVCEM, *Solymæquè penates,*
Nec latro me terret, nec violenta manus.
Non me tempestas, non me via terret euntem;
Est per difficiles CRVX *adeunda* CRVCES.

Affectu sic tanto CRVCI fuit THEOTONIVS affixus, vt illi semper abfuerit gloriari, nisi in CRVCE, ideo Cœnobium, quod apud Conimbricenses, impulsore Tello Magistro, & fautore Alphonso Rege, construendum suscepit, CRVCI Sanctissimæ dedicauit. Ausculta deuotum ipsius piissimi Patris Pimenta carmen d. lib. 11. fol. 413.

Dùm sacra tecta locas, fuluum Rex porrigit aurum;
Addis diuitias nec minus ipse tuas.
Ante triumphati (ratibus dùm cærula tranas)
Præbuit hospitium corquè, animusque CRVCI.
At nunc post longos terraque, marisque labores,
Templa CRVCI *ponis: nobile surgit opus.*
Non potuit melius pietas impendere gazas;
Reddita post cordis munera; fundit opes.

Cætera, quæ ad Actorum seriem spectant, communia sunt, nec aliqua indigent comprobatione muniri. Miror de Roderico Braccarensi, qui semper corde, & opere Lusitanis affectus, deque eorum gloria, ambitiosa exæstuatione superfluus, qua ratione, baculi donationem à Bernardo THEOTONIO factam omiserit? An non vidit? Absit. Omnes de S. Viro scribentes non reticent. An non credidit? Dubito: minora enim symbola, aliquando miracula somniauit, & credenda populo tradidit innocenti. Sed de hoc satis. Ad topographiam vrbis pergo.

CONIMBRICA, Ciuitas antiqua Hispaniæ Episcopalis ad fluuium *Munda*. De ea diximus die XVI. Ianuarij, vbi Plinij lib. 4. c. 21. locum expressimus. Nunc addo Antonini Itinerar. à Zurita correct. fol. 95. sic.

Sellium. M. P. XXXII.
CONIMBRICAM. M. P. XXXIV.
Eminium. M. P. X.

Qui quidem Zurita in Not. fol. 574. col. 2. COEMBRICA, & CINVMBRIGA ex variis legit exemplaribus. Ast pro Plinio stamus, qui CONIMBRICAM hanc vocitauit vrbem. Postmodum COLIMBRIA cœpit appellari vrbs noua ex ruinis antiquæ CONIMBRICÆ extructa, quæ hodie dicitur COIMBRA, de qua plures quos infra citabimus.

VNDE

VNDECIMO Kal. Martij.

DIES XIX.

A Romæ S. GABINI *qui ex genere Hiſpano, Presbyter à B. Caio fratre P. Max. ordinatus, poſt lucratus Chriſto Sanctorum Claudij, & Maximi fratruelium, Propedignæ gloris, Alexandri, & Cutiæ Nepotum animas, à Diocletiano Imperatore, multiplicibus dilaniatus cruciatibus, Martyr ad præmium euolauit ſtrenuus.*

B *Apud Legionenſes depoſitio* S. BEATI *Presbyteri, qui vnà cum B. Ætherio pòſt Oxomenſis Eccleſiæ Antiſtite, cùm ab Helipando Toletano, & Felice Vrgellenſi Epiſcopis Hiſpaniæ fœdam per illius orbis circulos hæreſim diſſeminari cognoſceret, quâ Dei Vnigenitum, adoptiuum ſcriptis, & concionibus prædicabant, aduerſus illos impia perſuaſione deceptos, libellum Catholica diſſertatione compactum conſcripſit. Poſtmodum doctrina celebris, & eruditione, librorum editione mirabilis, æternam requiem eſt aſſequutus Confeſſor. Cuius Corpus apud Valle-Cuuam honorifica techa incluſum, debita veneratione recolitur.*

NOTÆ.

A SANCTVS GABINVS Presbyter, & Martyr.] Eius elogia concinnarunt omnes penè qui de Sanctis libros conſcripſere, tam Grecè, quàm Latinè. Ex his primum locum obtinet Venerabil. Beda h. d. ſic Romæ S. GABINI Presbyteri, Patris Beatiſſimæ Suſannæ, qui à Diocletiano diù in cuſtodia vinculis afflictus, pretioſa morte Cœli gaudia comparauit. Eadem verba Vſuard. Ado, Notker. Wandelbert. Maurolyc. A quibus M. R. & Petr. Equilin. in Cat. SS. lib. 3. c. 136. Ex Italis Philipp. Ferr. in Cat. SS. Ital. fol.... Syluan. Rizz. in Act. SS. Mulier. tom. 1. fol. 157.

Ann.

Anton. Gallon. in Act. SS. Virgin. Romanar. fol. 145. Andr. Giglius in Persecut. Eccles. lib. 2. Idolatr. 10. fol. 158. & Mombrit. tom. 2. fol. 307. Anastas. Bibliothec. apud Cæsar. Beccil. in Vit. S. Caij PP. Ex Luitprand. Aduersar. n. 175. Vega, Æmylianus, Sanctorus, Villegas, Ribadeneyra, & Illescas, illi in Actis S. Susannæ, & iste tom. 1. Hist. Pontifical. ad Ann. 290. Eius Acta ex Exteris, & Nostris, sic disponere curauimus.

ACTA S. GABINI PRESBYTERI, & Martyris Hispaño-Romani, ex Actis S. Susannæ, & aliis Script.

GABINVS ex Caio Maximino Senatore, & Viro Consulari Romano, & Serena Hispana progenitus *Patribus*, tùm & naturæ, tum & fortunæ dotibus egregius, Omnibus humanæ, & diuinæ eruditionis doctrinis, & mysteriis imbutus, instante *B. Caio P. M.* fratre, coniuge mortua, ad Catholicæ fidei confessionem perueniens, in sacrorum reuolutione librorum, sic se exercuit, vt non solum eorum euoluebat volumina, sed etiam nonnullos ad fidelium eruditionem codices concinnauit. Ab hinc *Presbyter* effectus, fratri *Caio* in leuamen operis Ecclesiastici sese exhibebat sedulus in operatione Minister. Qui cùm ex coniugio filiam vnicam pulcherrimam haberet, illam in vtriusque mundanæ, & diuinæ artis eruditione nutriuit. Audiens hoc Diocletianus Imperator de Puella, quia & pulchritudine, & sapientia esset formosa, misit ad GABINVM Nepotem suum, *Claudium* ipsius GABINI consobrinum, & etiam Imperatoris Nepotem, vt peteret filiam nomine *Susannam* in coniugium Galerio Maximiano filio suo adoptiuo. Veniens igitur *Claudius* ad GABINVM, sic alloquitur: *Sic à parentum suaui agnitione te remotum video, vt nisi Augustorum Nostrorum mandata suadeant, vix tui possumus intuitum demereri. Quid melius eligere, vel dignius, quàm vt generositas nostra coniunctionis reparetur per Claritatem DD. NN. Augg.* Respondens S. Presbyter, dixit: *Nos humiles, vnde digni sumus cognati dici Maiorum? Quando pauperculi, etiam coniunctissimi domum agnouit diues?* Cui Claudius: *Nunquid tu filius non es* Caij Maximini *Nostri Augustissimi Diocletiani Imperatoris, ac etiam mei Patris, fratris? Illius inquam* Maximini *famatissimi Senatoris, & EXCOSS. patrui nostri? & tui, & Caij Episcopi Patris?* Respondit GABINVS: *Ita est. Tamen nos vltimi in annis temporum, non sumus digni hoc dici.* Ad quem Claudius: *Ad fructum nationis communis habito consilio sapienti hoc præcepit D. N. Princeps Diocletianus Augustus, vt filia tua, quam cognouimus eruditam in omni sapientia, in coniunctionem filio suo tradenda Maximiano Augusto copuletur, quia iustum est, vt ex radice firmâ, virgultula nata non separentur, quod tamen à vobis optandum semper speretur in gaudio.* At B. Presbyter respondit: *Inducias mihi da, vt animum Puellæ obligem.* His datis, vnusquisque recessit.

TVNC abiit S. GABINVS ad filiam suam, quam amplectens, dixit ei: *Desidero te ad S. Patrem Nostrum Caium Episcopum duci vt, quod in te contulit Spiritus-Sanctus non euacuetur.* Postmodum Caio fratri, omnia, quæ gesta fuerant, narrauit. Qui ad *Susannam* intrantes, omnia quæ *Claudius* eorum consobrinus, Diocletiani mandato, GABINO prædixerat, retulerunt. Ast B. Virgo disertissimis, & validissimis verbis Maximiani Augusti nuptias respuit. Cui GABINVS Pater: *Ergo filia constans esto in fide, quam tenes.* Tunc iterum à *Caio* Papa patruo monetur ad perseuerandum. Induciis ergo

ergo transactis, Claudius iterum ad domum reuertitur GABINI, qui cum fratre *Caio* sedebat, à quibus magno est obsequio receptus; *Claudius* autem iterum mandatum Principis propalauit, sed allatâ in omnium præsentia *Susanna*, non solum *Claudium* à petitione remouit, sed per illius instantiam ad fidem conuertit. Postmodum conuersis itidem *Propedigna* Claudij vxore, & *Alexandro*, & *Cutia* filiis, omnia facultatum vendidit *Claudius*, & pauperibus erogauit. Post aliquot temporis cùm *Claudius* requereretur à Diocletiano, vt de *Susanna* perquireret, dictum est ei, quòd ægritudinis morbo teneretur, ideò misit ad eum fratrem suum nomine *Maximum* Comitem rei priuatæ, vt visitaret eum, & loqueretur ei de *Susanna* Nepte sua. Compleuit *Maximus* Imperatoris mandatum, & fratrem *Claudium* perquirens; inuenit eum in cilicio orantem; at subitò *Maximum* tremor apprehendit, qui in se reuersus, omnia vt euenerant à *Claudio* didicit, sed successus relatione conuictus, ad domum GABINI pergere constituit, cum fratre *Claudio*: qui cùm eadem nocte venissent ad arcus portæ Salariæ, iuxta palatium Salustij, vbi manebat GABINVS Presbyter, ad eum per silentium intrantes, illis GABINVS occurrens intra domus pauimentum introducens eos, dixit: OREMVS, & dum prostrati iacerent in terra, prosequitur Presbyter: *Domine Deus, qui dispersa congregas, & congregata respicis, respice in opera manuum tuarum, & illumina omnes in te credentes, quia tu es lumen verum in secula seculorum.* Et responderunt omnes: AMEN. Quibus miratus *Maximus*, rogans cœpit dicere, vt præsentaretur ei *Susanna*. Ingressus S. Pater cubiculum vocauit eam. *Susanna* verò exiens de cubiculo, adorans Dominum, dixit Patri suo: *Da Domine nobis benedictionem.* Tunc GABINVS dixit: *Pax nobis donetur à D. N. Iesu Christo, qui viuit, & regnat cum Deo Patre Omnipotente in secula seculorum.* Et responderunt omnes. AMEN. Admirans *Maximus* Susannæ constantiam; humilitatem, & verecundiam, & noscens *Caij* Papæ, GABINI Presbyteri, & *Claudij* fratris, & aliorum Christianorum sibi sanguine coniunctorum vitæ sanctitudinem, illicò etiam ad fidem conuersus est, qui venditis quoque facultatibus suis, eas cœpit in pauperes erogari. Huius charitatis fama peruenit ad *Arsitiam* Adiutorem *Maximi* in Comitatu Rei priuatæ, qui omnia retulit Diocletiano; isteque ad vxorem *Serenam* materteram *Caij*, & GABINI, quæ cùm esset occultè Christiana, dedit gloriam Deo. Post Diocletianus iussit cuidam *Iulio* crudelissimo homini, vt ipse dirigeret milites, & tenerent GABINVM cum filia sua, *Claudium* cum vxore, & liberis, & *Maximum*; *Caium* verò Episcopum nec tangerent. *Iulius* Sanctum Presbyterum cum filia Susanna fecit in custodiæ vinculo mancipari. Ibidem per plures dies stetit, quoadusque ergastuli fœtore & catenarum pondere confectus B. GABINVS, spiritum Deo reddidit XI. Kal. Martij, Anno Domini CC.XCV. Cuius corpus B. Caius Pontifex eius frater honorifice tumulauit.

En Acta: nonnulla de Hispanica origine præsertim in relatione præscripta dubitabis; sed facilè ecphrasis veritatem attinges, si *Cæsaris Becilli* Genealogiam in *Not. ad Vit. S. Caij. n.3. fol.* 55. perlegeris. Iste ergo huius Sancti Pontificis genus, & nobilitatem scrutans, ait: *Dicendum videtur* Diocletianum *duos habuisse fratres. Ex his alterum,* (cuius nomen ignoratur) *genuisse* Claudium, *&* Maximum, *natu minorem.* Claudius *ex* Propedigna *vxore duos suscepit filios*, Alexandrum, *&* Cuthiam *seu* Cutiam, *qui omnes ob Christianam religionem iussu* Diocletiani necati fuere. Alterum (fratrem Diocletiani) qui fuit Pater *Caij Papæ* ac GABINI

patris *S. Susannæ Virginis*, qui *Maximinus* vocabatur, ac præmisso nomine ex Anastasij Bibliothecarij auctoritate *Caius Maximinus* dicendus erit. Fn ex *Cæsare Becello* cognationem GABINI cum Diocletiano Imperatore, cum *Caio Pontifice*, & cum *Claudio* ex *Maximo*; sed hæc consanguinitas, ex parte Patrum proueniebat. Nunc videndum est, ex qua origine *S. Susanna* filia GABINI *Neptis Serenæ* vxoris Diocletiani nuncupatur, vt inquiunt *Maurolyc.* die XVI. Augusti, agens de *S. Serena*, sic: *Romæ* S. Serenæ *vxoris Diocletiani Augusti, per S. Cyriacum, qui filiam eius* Arthemiam *à Dæmonio liberauerat, conuersæ & iuxta* NEPTIS *suæ* SVSANNÆ *corpus sepultæ.* Petr. Equilin. *in Catal. SS. lib. 7. c. 69.* prosequitur: *Videns quoque* (SERENA) *Susannam* NEPTEM *suam passam.* Luitprand. *in Aduers. d. n.* 175. clariùs: *Ex huius genere fuit, S. Serenus Martyr, &* S. SERENA *vxor Diocletiani Augusti, cuius* (SERENÆ) NEPTIS *fuit*, S. Susanna *V. & M, filia* S. GABINI *Martyris.* Ego dicerem, Philippum Imperatorem (qui primus Christianus ex Rom. Imper. creditur) & *Serenam* eius vxorem, duas habuisse filias, hasque *Serenas* nomine; aliam *Caio Maximino*, aliam *Max. Diocletiano Imperatori* nupsisse; ex prima, & Caio, *Caium Papam*, & *Gabinum Presbyterum*, patrem *Susannæ* processisse, ex secunda & Diocletiano *Arthemiam* emanasse. Sicque *Susanna* Neptis fuit Diocletiani ex Caij fratris, & Serenæ; ex Serenæ sororis progenie. Quod vt facilius intelligas per huius Arboris Genealogicæ demonstrationem, ad veritatis metam accedes.

Ab hinc

Ab hinc elicies & GABINI cognationem, & Nostrorum sanctorum cognitionem, ex quibus SERENA vxor Diocletiani, CAIVS Papa, GABINVS Presbyter, SVSANNA filia eius, & ARTHEMIA filia Diocletiani, & Serenæ, omnes Martyres, & Hispani omnes fuere. Quod vt non absque auctoritate scribatur, audi Aulum Halum meum in MS. Codice Carminum, vbi hoc Epigramma, hoc lemmate:

PRO SS. SERENIS HISPANIS.

Plurimis en vrbem ditauit vbere Romam
Samonicis gleba, sanctis Ibera domus.
Primitias QVINCTVS *Romæ dedit arte* SERENVS
Mirabili quondam, cùm fuit vrbis honos.
Is alium QVINCTVM *genuit; qui Medicus illum*
Caracalla fecit balneis occidere.
Is aliū QVINCTVM, *&* MARCVM *tenuitq;* SERENOS:
Alexandrinus Martyr vterque fuit.
Quilibet istorum genuit de coniuge natum:
Publius is Martyr, Lucius atque simul.
Omnibus ex istis processit clara Philippi
Augusti coniux Diua SERENA *pia.*
Ista duas genuit Natas ambasque SERENAS:
Hæc nupsit Caio, altera Vallerio.
Ex Caio dilapsi sunt duo lumina: CAIVS
Antistes Romæ; atque GABINVS ἁγιὸς
Iste GABINVS *item de coniuge pertulit almam*
SVSANNAM *pugilem, gloria Roma tibi.*
Absque Diocletiano coniuge, & alma SERENA
Obtulit egregiam palmis & ARTHEMIAM.
Hos Gallaca fruges nobis inarata ferebat.
Tellus, totque dedit mater Ibera Dios.

Hic notandum est, quod licet *B. Caius Pontifex*, apud omnes Scriptores, DALMATA, origine nuncupetur, non ex hoc nostra euacuatur sententia, quia tunc Patris originem assumunt, relicta Matris, quæ ferè nunquam respicitur. Maius dubium est de Caij Maximini fratris Diocletiani, & Patris SS. Caij Papæ, & GABINI nobilitate, & Senatorio munere; cùm constans antiquorum opinio sit, illorum Patrem ex seruili genere ortum, & Annullini libertum fuisse; quod si ita fuit, quo titulo in Actis Nostrorum Sanctorum, nobilissimo genere natos Anastasius Bibliothecarius, Boninus Mombritius, Laurentius Surius, & cæteri Ecclesiastici Scriptores indigetant? Cui difficultati idem Cæsar Bocellus respondens, ait: hoc non ad antiquandam Romanam nobilitatem referendum esse, *sed ad Caij Summum Pontificatum, Diocletiani imperium, vel Maximini adeptam Senatoriam dignitatem; vel fortasse ad antiquam familiæ nobilitatem inter Dalmatas ante seruitutem. Suspicatus sum aliquando* Diocletiani *genus ascitum fuisse in familiam* Valeriam Romanam, *cùm sese* Valerium *Diocletianus appellet.* Abhinc Auli Hali mei, agentis de Serena vxore Imperatoris Philippi, distychū percipies:

Ista duas genuit Natas, ambásque SERENAS:
Hæc nupsit CAIO: *altera* VALLERIO.

Hoc est vna *Caio Maximino*, Patre SS. Caij, & GABINI, altera *Vallerio* (duplici LL propter carmen) *Diocletiano*. Quæ nisi nobili genere natis Caio, & Diocletiano, non copularentur, filiæ nobilissimi Imperatoris. Quod & fatetur Martyrolog. Rom. die XVIII. Februar. cum de Claudio, Maximo, & cæteris consanguineis SS. Caij & GABINI ex parte Patris ageret, sic: *Qui cùm essent præclarissimi generis*. Quibus sic prælibatis, nihil quæ ad Actorum illustrationem pertineant, scribere habemus.

S. BEATVS Presbyter, & Confessor.] Tanti Presbyteri anamnesin, inter Sanctos Ordinis Benedictini recenset Hugo Menard. in Martyrologij Monastici Appendice lit. B. fol. 119. his verbis: S. BEATVS *Monachus De Valcabado*, Hispanus, *& hæreticorum acerrimus hostis, doctrina, & Sanctitate claruit*. De eo Iulian. Petr. *in Chron. n.* 401. Ambros. Moral. *lib.* 13. *c.* 26. *&* 27. P. Yepes *in Chron. Benedict tom.* 3. *Ann.* 784. *c.* 1. *fol.* 281. P. F. Athanas. de Lober. *Hist. Legion. c.* 33. *fol.* 321. D. D. Didac. de Castelon *in Primat. Tolet. tom.* 2. *fol.* 553. Francisc. Pisa *Hist. Tolet. lib.* 5. *c.* 5. P. Marian. *lib.* 7. *c.* 8. At nescio quo titulo *Menardus*, & *Yepes* Nostrum Presbyterum, *Monachum* faciant; cùm concors apud Scriptores sententia sit, illum solam *Presbyteri* commendationem tenuisse. Sed hæc vt frustranea dimitto, & ad Acta pergo; quæ ex antiquo legendario *Asturicensi M S.* sæpius à nobis laudato, mutuare, in votis fuit.

ACTA S. BEATI PRESBYTERI, & Confessoris Hispani, ex M S. Legendario Asturicensi.

DIE XI. KAL. MARTII. Agitur de S. BEATO *Presbytero, cuius Vita, talis est.*

TEMPORE Mauregati Asturicarum Regis, fuit in Toleto quidam Archiepiscopus nomine Helipandus, qui inter Agarenorum diras procellas Cixiliano successerat, decessori, ex eo quod eius fama doctrinæ, & sanctitudinis per totam spargebatur Hispaniam. Iste erat ex Muzarabibus Gothis oriundus, & nobilitate sanguinis clarus. Illum docuerat ab eius primis literarum rudimentis, quidam Felix, Gallus prosapia, Episcopus Vrgellitanus, post hæreticus Nestorianus, qui Christum fuisse filium Patris adoptiuum, qua parte homo est, contra fas, contra auspicia, contra omnes humanas, & diuinas literas, & religiones, perdocuit. Fœdam hanc doctrinam, per sacrilega epistolarum monita à Magistro suxerat Helipandus, qui præceptoris vestigia, temerariâ comprehensione consectans, aduersus omnes Hispaniæ Episcopos, & Presbyteros, eius sententiam despicientes, primò scriptis, post anathemate, vsus, est Hispaniam damnabili propositione fœdatus.

CVM igitur hæc agerentur; in Liuaniensibus montanis, quæ inter vtrasque eriguntur Asturicas, ex forti dulcedinem, ex syluis Dauidem extraxit Deus, vt fortia quæque confunderet, & velut alterum Isaiam loqui nescientem, calculo ignito labia; pertingens suscitauit in Hispania Prophetam, qui aduersus errantes Ecclesiæ proceres, stylo ferreo inueheretur strenuus. Constru-

xer

xerat. Nabuchodonosor statuam, apparentiâ firmam, magnitudine proceram, metallis diuitem, fama celebrem, & apparatu magnificam: Quis illius excellentiam collimauit? minuta petra è monte decurrens. Templi vasa Balthasaris inscitia profanauit, quis eius ambitionem, & mortem detexit? duo digiti, & breuis stylus. Ergo Deus, qui in Helipando Goliath, in eius errore populum, in ipsius vana gloria Nabuchum, & in illius ambitione Balthasarem conspexerat, ex abiectione plebis, & montanæ speluncæ Dauidem, & ex plebe ignota blæsum Isaiam, ex monte BEATVM, ex syluis eius digitum, qui huius Archiepiscopi errores contunderet, resurrexit.

ISTE qui BEATVS fuit & nomine, & opere, Hispanus fuit, qui ab illis oriundus asperrimis, montanis, originem ab Asturicanis antiquioribus traxit, erat ordine Presbyter, in sacris literis edoctus, & fidei Catholicæ zelo conspicuus: Hic cùm Helipandi erroneam professionem audiuit, protinus per totam illam regionem, & catholicum seminare dogma, & hæreticam euellere zizaniam cœpit, quibus obsistens Helipando profectibus, paulatim eius propalari commenta cognouit. Adfuit quoque Catholico operi B. Ætherius, qui post fuit Episcopus Vxamensis, & BEATI amicitia fretus, vterque aduersus Felicem, & Helipandum, literis, & sermonibus per populos discurrentes, Catholicam veritatem, virili, & sancta charitate docebant. Istorum etenim efficacia, plurimi qui Helipandi venenum ebiberant, virum hæreticum eructantes, ad gremium Matris Ecclesiæ sunt contritionis pœnitentia reuersi.

AVDIERAT Helipandus opera SS. Ætherij, & BEATI, & aduersus istum impense iratus, epistolam Fideli Abbati Asturicensi direxit; qua de SS. Presbyteri conqueritur, ex eo quod ipse adstans Toletanus Episcopus, ipsi, tanquam eius dignitatem, & ordinem contemnentes, nullam ab ipso, de adoptionis doctrina, cognitionem ediscere cogitarent. *Quis ergo* (prosequitur) *vnquam audiuit, quod homo Asturicanus, & montiuagus Toletanos corrigere, & docere præsumat? Nonne exemplum ab* Archarico *Episcopo, insumere poterat, qui audita vestri* BEATI *antiphrasi, ad Nostram occurrens sedem, quid tenendum humili percunctatione poposcit? sed sicut Dei gratia factum est, quod per Nos, Episcoporumque Hispaniæ concessum, de Magecianis Spalitanis, qui circa festi Paschatis diem aberrantes, confusam ordinis normam spargebant, obtineretur victoria; sic in Domino hæresim* Beatianam *de Asturicarum montanis extirpare confidimus. Non me latet* Ætherium, *prout iuuenem, deceptum fuisse à* BEATO, *homine syluestri, & vaniloquo; quem si tibi nostra placent, protinus ad te aduoca, quantumquè coram Deo, eiusque Ecclesiæ, & nobis errauerit, indica; & si in obstinatæ propositionis technis perstiterit, Nostra, & totius Ecclesiæ correctione * contunde.* *Confunde.

BEATO post aliquantulum, visitationis Adosindæ gratia, perueniente, Fidelis Abbas Helipandi epistolam demonstrauit eidem; qui prout Catholicum Virum, & fidei Defensorem decebat, ascito Ætherio, opus integrum duobus libris compactum, qui Helipandi errores solidis sacræ scripturæ locis, rationibusque validis confutabat, scripsit, Cuius cùm in manus Helipandi, & aliorum sequacium peruenit codex, illum infestissimis sunt dedecorum vlceribus, verbo, & paginis insequuti, interque αἱηφεράτεσ nomine macularunt. At Deus cui omnia viscerum arcana patescunt, BEATI innocentiæ spiritum à solio Maiestatis suæ

suæ contuens, & purum fidei zelum Presbyteri ab alto longe cognoscens, ab omnibus illum suorum inimicorum periculis liberauit. Nam Helipandus Toleto profectus Astures, & Gallæcos obiuit, iisque in locis multos praua opinione infecit pestifero oris afflatu. Felix Vaccæos in Hispania, septimanios in Gallia, aliosque in Germania inficere satagens, ab omnibus fuit constanti defensione depulsus: Sic apud Reginum Boioariæ ciuitatem primò in conuentu Episcoporum damnatus, post coram Adriano Pont. Max. simulato animo resipiscens; demum apud Francofurtum, vbi præsente Carolo Francorum Rege Concilium fuerat indictum, cui Româ Theophylactus, & Stephanus Episcopi, ex Hispania BEATVS, & Ætherius pro Catholicis missi, interfuere Legati, error cum auctoribus à congregatione Concilij damnatus est. Quod & Adrianus PP. fecit.

Hoc siquidem intellecto, Helipandus Toletanus à propositione resilire decernens, Episcoporum congregationem apud Toletum indixit, qua pœnitens confessionis libellum, vbi filium Dei vnigenitum, Patrique consubstantialem, non adoptiuum, sed naturalem, humili cordis contritione professus, obtulit. A patribus lachrymarum professione susceptus, reconciliationis beneficium accepit. Hic BEATVM, & Ætherium, deposita antiquæ disceptationis maleuolentia, benigne suscipiens, illos fidei Defensores, & Catholicæ veritatis patronos, non absque lachrymis, & singultibus, compellabat. Concilio denique soluto; & rebus fidei in Hispania benè compositis, sedatoque Felicianæ prauitatis iurgio, Sanctus Vir BEATVS Adosindæ Regis Silonis vxori, quæ propter Mauregati tyrannidem sacram erat vestem induta, continuus pro animæ suæ remedio extitit pedagogus, donec apud Vallemcauam secederet, orationibus, ieiuniis, & sacræ scripturæ studio insistens, super Apocalypsis mysteria librum miro ordine scriptitauit. Demum miraculis celebris, Domino, cui seruierat, spiritum placida dormitione commendauit XI. Kal. Martij, Anno Domini DCC. XCVIII. Eius corpus ibidem sepultum iacuit per tres annos, donec ad honoratiorem locum translatum, reseruato brachio, pro ægrotorum ad eius sarcophagum aduenientium iuuamine, techa marmorea inclusum, debito honoris munere custoditur: prout illud, & Sanctorum suorum ossa custodire promisit Deus, qui viuit, & regnat per infinita seculorum secula, Amen.

Isthæc Acta, ex quibus totam Helipandi Archiepiscopi Toletani historiam, illamque synceram elicies, quam fortè abhinc suxit P. Mariana, apud quem integras clausulas ab hoc legendario excriptas agnosco. Commenta meo videri sunt, quæ à Gallis de Helipandi peregrinatione Toleto Reginum, Francofurtum, & Romam circunferuntur, prout notauit P. Marian. *d. lib. 7. c. 8.* vbi de pœnitentia agens Archiepiscopi prosequitur: *Neque ex Hispania extulisse pedem, neque Reginum, Romam, aut Francofurtum adiisse, persuasum habeo.* Quid de Felice fuerit vide Saxonici Poëtæ Annalium apparatum, huius peregrinationem decantantis, poëtica & historica veritate, lib. 3. Ann. 792. Indict. XIV. dicentis.

Celsa Pyrenæi supra iuga condita Montis
Vrbs est Orgellis, Præsul cui nomine Felix.
Præfuit: Hic hæresin molitus condere prauam,
Dogmata tradebat fidei contraria sanctæ,

Affi

Affirmans, Christus Dominus quia corpore sumpto
Est homo dignatus fieri, non proprius ex hoc,
Sed quia adoptiuus filius Omnipotentis.
Responsumque Toletano dedit hoc Helipando
Pontifici, de re tanta consultus ab ipso.
Atque suum scriptis defendere dogma libellis,
Omni quo potuit studio curauit, & arte.
Hinc ad Catholici deductus Principis Aulam
(Idem Regino nam tum hyemauit in vrbe)
A multis ibi Præsulibus, Synodoquè frequenti
Est auditus, & errorem docuisse nephandum
Conuictus; posthac Adriano mittitur almo,
Sedis Apostolicæ fuit hoc qui tempore Præsul,
Quo præsente, Petri correctus in æde Beati,
Pontificum coram sancto celebrique Senatu
Damnauit Felix prius infeliciter à se
Ortam perfidiæ sectam; meruitque reuerti
Ad propriæ rursus retinendum Sedis honorem.

Omnia in huius rei euentu peracta, qui ediscere cupit, adeat Cæsar. Baron. Annal Eccles. tom.9. Ann. 792. & 794. vbi ad longum totius negotij discussionem enumerat.

De Synodo Toleti contracta ab Helipando, qua se cum decreto Concilij Francfordiensi, & Apostolicis doctrinis conformauit, videndi Luitprand. in Chron. Ann. 795. n. 259. & Iulian. Petr. in Chron. Ann. 796. n. 411. his verbis. *In principio huius anni* Helipandus *congregauit* Concilium *Toleti petitione Caroli Magni, & Archarici Braccarensis Episcopi doctissimi, Sanctissimique, & hortatu Gumesindi Archidiaconi sui, apud Secretarium S. Iustæ. Conuenerunt Episcopi Matanus Complutensis, Petrus Oretanus, Marcellus Valentinus, Ætherius Oxomiensis* (sic legendum ex MS.) *& alij: & coram illis, & Abbatibus, dixit Helipandus Toletanus Archiepiscopus, vir ætate venerabilis; Se stare determinationi S. E. R. circa negotium de Adoptione Christi.* Quod & procul dubio factitatum est, nam idem Archaricus Episcopus Braccarensis per epistolam gratias Helipando egit, pro damnata in Concilio Toletano praua deceptione, & fœda opinione suscepta, ab infelice Felice, sic:

EMINENTISSIMO, *vereque amabili Deo*
ELIPANDO *Archiepiscopo Toletano.*

ARCHARICVS EPISCOPVS
Braccarensis, S.

Mirifice me delectauerunt literæ Paternitatis Vestræ, quibus mihi significatis, Vos coram Patribus ad Concilium Toletanum congregatis, stetisse sententiæ S. M. E. R. & iussibus S. D. Apostolici Hadriani beneuolas, & faciles aures adhibuisse. Fecistis

cistis in hoc Reuerendiss. Pontifex, quod ætatis vestræ grauitatem, quod & fidem, & religionem in multis à iuuentutis vestræ annis probatam, & exploratam decebat. Lætificastis cœlum, exhilarastis animas vestrorum amicorum, & totam Hispaniam odore Sanctissimæ & laudatissimæ vestræ famæ longè, latéque replestis, Confudistis miserum Felicem, & eius asseclas opprobrio * vulnerastis sempiterno; & demum confirmastis opinionem antiquam, quam omnes Hispani Pontifices de maturitate iudicij vestri, de humilitate vestræ Sanctissimæ personæ conceperant. Faxit Deus, fortunet istam vestram Sanctitatem, & diu seruet Hispanis gentibus incolumen. Multa alia seorsim Gumesindus Archidiaconus * tuus vobis intimabit. Braccaræ VIII. die Mẽsis Augusti, Æra DCCC.XXXIV.

* *Replestis.*

* *Meus.*

Sic isthæc Epistola apud meum Codicem MS. quo verioris relationis nota cognoscitur. Prima de *Gumesindo*. Quis illum Archidiaconum Braccarensem dixit? videndi Luitprand. in Chron. Ann. 810. n. 269. & Anno 830. n. 283. Iulian. Petr. in Chron. n. 404. 411. 415. 417. & 425. vbi Archidiaconus Toletanus, aut Helipandi vocitatur. Nisi in editis *Meus* non ratione officij, dignitatis, aut ordinis, sed commendatione charitatis, beneuolentiæ, aut amoris accipiatur.

Item in æditis extat error in Æræ cõsignatione, quam ad DCCC.XXIII. consignant. Quod haud potuit scribi. Nam hæc Æra respondet ad Annum DCC. LXXXV. quo haudquaquam Feliciana hæresis Hispanos infecerat. Si hæc ita: quo pacto iam de emendatione Helipando gratias agere potuit Archaricus. Vera temporis ratio est in meo MS. vbi Æra DCCC.XXXIV. perlegitur, quia actionibus Conciliorum Francfordiensis, & Toletani respondet. Primum, Anno DCC. XCIV. qui fuit Æra DCCC.XXXII. coactum est, vt ex omnibus Scriptoribus apparet. Secundum, Anno DCC. XCVI. Æra DCCC. XXXIV. in anni exordio, vt inquit Iulian. d.n. 411. Eoque ipso, post abiuratam hæresim in Toletana Synodo Archaricus grates retulit Helipando.

Qvatenvs ad Legationem S. Beati, & Ætherij Hispanorum Catholicorum nomine apud Francfurtum, videndus P. Mariana d. lib. 7. c. 8. qui fere nostrorum Actorum clausulam excribit. De honorifico S. Presbyteri tumulo apud Vallem-Cauam, Brachijque reseruatione pro ægrotis, Sanctique *Viri* sanctitudine, legendus Ambros. Moral. d. lib. 13. c. 27. Yepes. d. tom. 3. Ann. 784. c. 1. fol. 281. qui vna voce fatentur, apud Oppidanos hodie corrupto nomine S. Bieco dici. Demum librum in Apocalypsin scripsisse, qui multis in locis MS. literis Gothicis inuenitur, contendunt.

Vallis-cava oppidum est ad radices montanæ Liuaniensis situm in diœcesi Legionensi, iuxta oppidum, quod Saldaña dicitur. Eius situs, (antiquis Vaccæorum populis, desumptis) sub vtriusque Asturicæ confinio cognoscitur, hodie dicitur Valcabado. De quo videndus Morales.

DECIMO

DECIMO
Kal. Martij.
DIES XX.

A *Aurelianis in Gallia festum* B. EVCHERII, *ipsius Ciuitatis Episcopi, qui inuidorum calumniis aulicis à Carolo Martello Francorum Principe à Sede deiectus, vexatus, exilioque mulctatus Hispaniam deuenit, & apud Sarcimum Cantabriæ vicum secedens, iuxta fontesque Iberi fluminis Oratorium construens S. Trudoni dicatum, vitæ sanctitate coruscans, miraculorum gloria præfulgens, aliisque virtutum facinoribus celebris tandem beato fine quieuit.*

B *Abulæ in Hispaniæ Vettonibus depositio* B. PAVLÆ *Virginis, quæ, cum illam amasius quidam cæco persequeretur amore, à Domino propter custodiam Virginitatis, quam ipsi cælesti tradiderat Sponso suppliciter flagitauit, quod illi barbam concederet, vt eius horrore, & ab amasij laqueis, & à mundi periculis liberata recederet. Annuit Deus votis supplicantis, quo* BARBATA *& effecta, & dicta, demum in pace vitam exegit.*

NOTÆ.

A SANCTVS EVCHERIVS Episcopus, & Confessor.] Non mediocre iurgium inter Nostros, & Germanos Scriptores se offert, circa loci, quo noster Sanctissimus Præsul exulauit adsignationem. Germani pro HASBANIA vociferantur: Nostri pro Hispania contendunt. Vtrorumque deuotio pro præmio inest; vt quid non ergo cuilibet Nationum sua pietate relinquemus? Ergo istius S. Episcopi meminere Martyrol. Bened. Wionis, & Hugonis Menardi, Galesinij, Constantij Felicis, & Gallicani Andr. Saussay. Pro omnibus M. Rom. h. d. sic: Eodem die S. EVCHERII Episcopi Aurelianensis, qui eò magis miraculis claruit, quò plu-

ribus inuidorum calumniis fuit oppressus. Eadem suis idiomatibus Martyrol: Castellanum P. Vazq. Lusitanum PP. Societ. Ies. & Hispanum P. Higuera MS. Ex Chronicis Sigebert. Gemblac. Ann. 713. Paul. Æmil. lib. 2. tom. 1. fol. 46. Luitprand. in Aduers. fol. 511. n. 283. apud Ramires, & n. 249. fol. 47. apud Tamayo. Eius Acta scripsere Sur. tom. 1. Lipoleus, Grassis, Haræus, & alij. Pos istos itidem Aubert. Myræus in Fast. Belg. fol. 105. Anonym. in Fast. Marian. fol. 106. Bachot in Fast. Christian. fol. 144. Carol. Suasseius lib. 5. Annal. Aurelian. Gerard. Moling. Louaniens. & Bartholom. Fissen Leodiensis: à quo, prout Nostris placet, Acta describemus.

ACTA SANCTI EVCHERII Episcopi Aurelianensis Confessoris ex Barthol. Fisen Schedis, & aliis.

EVCHERIVS ex Aurelia Franciæ ad Ligerim vrbe oriundus; Parentes genere, virtutibusque illustres accepit. Matri nocte quadam dormienti, visus adstare venerabilis senex (Angelus Dei creditus est) prædixit filium, quem vtero gereret, Episcopum vrbis Aureliæ futurum. Vt in lucem prodiit infans, sacris illum aquis tinxit Ansbertus Augustoduni Episcopus. Cum adolescens, in illud Pauli incidisset: *Præterit figura huius mundi*: item illud: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*: eam fluxarum rerum animo concepit contemptionem, vt iis mox abiectis, monasticem amplexurus, in Gemeticum se Monasterium abdiderit. Hic porrò tanta virium omnium contentione, sic in virtutis prosecutionem incubuit, vt omnium maximus vnus ille in cæterorum oculos incurrerit, qui in Suauarici locum substitueretur. Episcopus hic Aureliæ fuerat, & EVCHERII patruus, vitaque decesserat, sub Annum DCC.XXI. Franciæ Principatum iam tenebat *Carolus Martellus*: & Aurelianensium Ordinum rogatu, Suauerico Nepotem EVCHERIVM subrogauit. Permolestum illi fuit religiosæ solitudinis quietem relinquere, & ad illum Episcopatus splendorem, & curas abstrahi. Sed parendum fuit, nisi vim experiri mallet. Qua charitate, vigilantiaquè creditum sibi gregem rexerit, paucis prodidere Scriptores: Tu Lector, ex hoc vno disce. Indignam tributorum pendendorum seruitutem Ecclesiis imponebat Carolus Martellus, earum vectigalia distribuebat in suos milites, aliisque iniuriis sacrum ordinem vexabat. Non veritus Regiam in illo potestatem EVCHERIVS, quamquam pedum illi deberet acceptum, intrepidè peccantem coarguit, & ab iniustitia reuocare conatus est. Sanctam arguentis libertatem ferre non potuit Martellus; & qui nobilissimis celebrabatur victoriis, se non potuit vincere, infelix Princeps. Gothicam fortè regionem vastauerat, Sarracenici belli reliquias omnes dissipaturus, quando Aureliâ Parisios veniens, S. Antistitem EVCHERIVM à suis auulsum, sequi iussit, ac Coloniam misit exulatum. Exilium virtuti nullum esse potest, cui omne solum patria est. Domi fuit Coloniæ Sanctus Præsul; & eam in omnibus animi prætulit æquitatem, specimenque virtutum omnium, vt Sanctitatis nomen collegerit apud omnes celeberrimum. Audiit Martellus; & Sanctitatis nobile theatrum inuidit amplissimam Ciuitatem: maximo Iberiæ bono relegauit in Hispaniam, amicis ab pluribus, quos ibidem habebat, custodiendum.

1. Cor. c. 7.
3. Cor. c. 19.

IBIDEM apud Sarcimum vicum Cantabriæ, quo exilij tempus terebat B. Præsul, aut extruxit, aut inuenit Oratorium S. Trudoni dicatum,

ni dicatum, vbi cœnobium antiqua traditio postmodùm erectum credidit. Hic EVCHERIVS sanctissimam vitam texuit per quinque, & amplius annos, donec vitam infeliciter posuit Martellus XI. Kalend. Nouembris, & sub idem illud tempus, piis precationibus animum dabat Antistes; ad æternos inferorum carceres, ab Angelo deduci mente visus est, ibique spectare Carolum diris cruciatum tormentis. Cohorruit EVCHERIVS tam infausto spectaculo. Et cum ab Angelo ductore suo causam quæsiisset horrendæ illius condemnationis, accepit id responsi: Carolum animo, corporeque æternis addictum esse cruciatibus, cœlitum eorum sententia, quibus res sacras eripuisset, impiéque distribuisset in militem. Acerbissimis porrò illum suppliciis luere sua peccata; sed in primis illa, quibus ab Ecclesia facultates illas auerterat, quas olim pij mortales expiandorum suorum peccatorum gratia, Deo consecrauerant. Sibi restitutus Præsul Beatus Galliam adiuit, & apud Parisios Bonifacium accersiit, & Fulradum Archimandritam S. Dionysij sacrario præfectum, quibus ostentum illud aperuit. De cuius veritate si certiores esse vellent; adirent ad Caroli feroli sepulchrum; vanitatisque omnia damnarent, si reperissent eius corpus. Rem illi censuerunt explorandam. Profecti ad S. Dionysij, cum sepulchrum aperuissent, erupuit mox terribili specie draco; nullumque ibi cadauer, sed ipsum sepulchrum tetra fuligine, seu alicuius incendij atratum viderunt. Quibus sic perscrutatis, qui libet animo contritus ad propria discessit; EVCHERIVS ad Leodienses demigrans, ad S. Trudonis asceterium appulsus, monasticam vitam, è qua præter animi votum fuerat ad Episcopatum eductus, elegit, vt diuinis in sancto silentio, & quiete secura frueretur deliciis. Religiosissime ergo degebat in S. Trudonis cœnobio EVCHERIVS, & ardentibus à Deo precibus mortem expetebat, quando suo voto proximus X. Kal. Mart. Ann. DCC. XLII. è misero huius mortalitatis exilio ad cœlestem patriam euolauit. Sacrum eius corpus ad S. Trudonis situm innumeris Deus celebrauit miraculis.

Hoc ordine isthæc Acta disposui, vt & Hispanis meis, Belgisque Nostris pietatem, & religionem, quâ erga S. EVCHERIVM addicuntur, consecrarem; & quia historicæ veritati conueniunt. Nam de exilio apud Sarcimum Cantabriæ, non solum Luitprand. d. n. 283. his verbis: *SARCIMVM vicus est apud Cantabros in* Hispania, *propè fontes Iberi. Ibi iussu Caroli Martelli exulat* S. EVCHERIVS *Episcopus Aurelianensis; in vita eius corruptè legitur Hesbania*; scripsit, sed & Sigebertus Gemblacens. tom. 2. Scriptor. German. in Chron. Ann. 723 fol. 545. sic: *Rigobertus Episcopus Remensis à Carolo, suo in baptismate filio, ab Episcopatu deponitur, pro eo quod illi contra Raginfredum eunti, vrbem Remensem præ timore Raginfredi aperire noluit.* EVCHERIVS *quoque Aurelianensis Episcopus, pro simili causa Episcopatu priuatus, & apud* Sarcinium *vicum* HISPANIÆ *exulatus: in Cœnobio S. Trudonis in Sanctitate consummatus est.* Sensus Gemblacensis est, quod B. Præsul, primò apud Sarcinium vicum Hispaniæ exulauerit, post apud Cœnobium S. Trudonis in diœcesi Leodiensi vitam consummauerit. Quo vtriusque partis sententiæ faciemus satis.

CIRCA ea quæ diximus, quod S. Vir Oratorium S. Trudoni sacrum inuenerit, aut construxerit apud fontes Iberi in Cantabria, ansam nobis præbuit idem Luitprand. d. n. 283. apud Ramir. n. 251. apud Tamay. qui absque extructionis anni assignatione, scriptum reliquit, quòd *fuit in Cantabris Monasterium S. Trudonis Benedictini, sicut in Germania.* An illud extructum inuenerit, an de nouo construxerit EVCHERIVS, non aperit. Crederem conditum ab eo, in memoriam illius Germanici, adhuc celeberrimi.

DIXI,

Dixi, Amicis Cantabris commiſſum exilij munus à Carolo Martello, & optimè, quia *in Hiſpania habuit Carolus Martellus multos amicos, vt apud Cantabros, & Aſtures*, vt inquit Luitprand. d. n. 283. apud Ramires. & n. 252. apud Tamayo.

De Caroli Martelli damnatione fere omnes Scriptores Gallici quos congerit Barthol. Fiſen in Vita S. Eucher. aduerſus Baron. qui aliter iudicauit, ex eo quod Eucherium ad ſuperos euolaſſe, antequam Martellum ad inferos deſcendiſſe, contendat. Aſt Fiſen iam validè eius ſententiam deſtruxit. Pro quo in Encomio *S. Eucherio* exhibito à P. Ioanne Bapt. Maſculo in Cœlit. Encom. fol. 86. n. 62. hæc perlego:

SANCTVS EVCHERIVS
Epiſc. Aurelian.

Synop. *Oraculum accepit mater ab Angelo de futuro filij pontificatu. Narratur horribilis vltio diuinitus ſumpta de* Carolo Martello, *vt quidam ſcribunt, quod* Evcherio *viuens eſſet aduerſatus, eumque damnaſſet exiliò.*

ENCOMION LXII.

Venerata eſt mater filij Præſulis infulas,
Antequam nato circumdaret faſcias.
Cæleſtis ales miri candoris attulit nuntium.
Oraculo prædictus eſt editurus oracula.
In Aurelianenſis Ciuitatis decus
aureum mater alebat infantem.
Fluxit deinde aureo eloquentiæ fonte,
Sed vberiore manarunt oculi,
Cum Pontificias vittas accepit inuitus.
Fama eſt, Carolum Martellum, à quo exul eſt factus,
huic per viſum ſe obtuliſſe ſpoliatum purpura,
fractis regiis faſcibus reum,
commiſſum ſtygij tyranni ſæuitiæ,
per eius excruciatum lictores immaniter.
Quin etiam accepto diuinitus monito,
dicitur hic iuſsiſſe, Regium aperiri Sepulchrum.
(horrendum vel viſu, vel dictu)
Narrant ſquamoſum inde prodiiſſe draconem,
reperta cætera omnia fuligine, fauillaque oppleta.
Scilicet exulauit ab Orbe terrarum, etiam corpore,
qui exulem ab vrbe fecerat Præſulem:
quia ille rectum non habuit Sceptrum,

in

in tortuosum abijt anguem.
Iterum virga visa est, vt olim, in colubrum verti,
nisi quod non redijt in Sceptrum.

AVRELIA. Ciuitas est Episcopalis Galiæ Celticæ ad Ligerim fluuium ampla & nobilis, quæ Ciuium numero, ingenuitate, & opibus, situs amœnitate, soli magnitudine, mœnium, & arcis firmitate, agri vbertate, morum elegantia, ædium magnificentia fere omnes Galliæ vrbes superat. De ea Philipp. Ferrar. in Topograph. Sacr. fol. 17. Abrah. Ortell. in Thesaur. Geograph. verb. Aulerci. Abrah. Golnitz. in Vlisse Belg. Gall. fol. 222. & 382. qui ab Aurelio Imperatore, qui eam reædificauit, nomen sumpsisse fatetur. Hodie ORLEANS, Ducatus titulo olim, & hodie insignita secundo genitis Regum Galliæ sæpe sæpius datur, & nunc, cuius titulum præsefert Frater-Germanus Ludouici XIII. Christianissimi Galliarum Regis.

S. PAVLA cognomento BARBATA Virgo.] Istius S. Virginis memoria adhuc apud Abulenses perseuerat, prout eius effigies in peruetusta Ecclesia S. Laurentij conspicitur, & alia vbi eius corpus iacet, in Capella propria ipsius nomini dicata, licet postea indebitè aliam B. Agathæ fusilem supponerent. Illic tabulâ depictâ hoc Hispanum perlegitur antiquum Rithmimetrum:

Sed nos buena intercesora.
Y Abogada.
Seriora Sancta BARBABA.

Quæ verba latine sonant *Domina Sancta BARBATA* (apud Deum) *esto nobis aduocata, & imperatrix optima.* Alia eodem carmine Hispano prosequuntur, quæ ad Nostram non attinent anamnesin. De ea scripsere Iulian. Petr. in Carminib. fol. 157. Anton. Cianca, Hist. S. Secund. lib. 2. c. 8. fol. 115. col. 2. M. Ægid. Gonzal. Dauil. in Theatr. Eccles. Castell. tom. 2. fol. 212. & fol. 253. P. F. Ludouic. de Ariz. Hist. Abulens. 1. p. c. 1. §. 15. fol. 54. D. Sanct. Dauila de Venerat. Relig. lib. 3. c. 8. n. 3. fol. 291. Eius acta scripsit Hispano Sermone *Gonsaluus de Ayora* Ciuis Abulensis, vt referunt Cianca, & Ariz. Illa ad manus peruenere meas, dum illic Prouisoris, & Vicarij Generalis officio fungerer, quæ latina facta, sic describere curauimus.

ACTA S. PAVLÆ COGNOMENTO Barbatæ Virginis Abulensis, ex M.S. Codice Consalvi de Ayora.

PAVLA Virgo, in Oppidulo diœcesis Abulensis, quod nostro tempore *Cardeñosa* nuncupatur, ex parentibus agricolis nata est. Cum verò ætate, & venustate cresceret, aliquando vrbem deueniens, apud cœmeterium, quo sacrum S. Secundi Abulensis Episcopi, & Martyris corpus agnouerat humatum, vigiliis, & deprecationibus insistens, se, & sua Domino fideli obsequela commendabat. His, & aliis siquidem continuis supplicationibus intenta Virgo deuota, euenit, quòd quadam die illam votorum absolutionem adimplentem, generosus iuuenis lasciuis oculis intueretur, & Virginis pulchritudine laqueatus, virulento cesserit amori. Tanto ergo compulsus furore iuuenis, postmodum per agros, per vicos, per plateas rusticam perquirebat virgunculam, quam si forte offendere habuit in votis, illam blanditiis, muneribus, & promissionibus allicere concupiebat, vt ad sui funestum amoris præmium reduceret innocentem. Ast Virgo Sancta, quæ nullas, nisi quæ Deum saperent, oblectationes obibat, & à leno-

cinio Cupidinis libera versabatur, adolescentuli lachrymas non modò non abstergere, immò nec inspectare breui persuasione curauit: quinpotius ab eius conspectu diffugiens, singultibus aërem, & cœlum vocibus adimpleuit. Hisce amasius obstaculis peraccensus, & tantis dedignationibus inflammatus, lasciuiæquè stimulis intertortus, omnem viam, qua occasio ipsi imminere videretur, tenaci præcipitatione obsepere, vt deuenientem in eius manus iuuenculam, violenta temeritate comprimeret, sicque vernante integritatis, & pudicitiæ flore spoliatam dimitteret, discursauit. Ad calculos fœdæ mentis omnia euenerant, ni Deus auxilio Virgini esset ignoranti. Nam cùm quadam die, pia, & sancta puella ex originis vico, ad vrbem multo mane procederet, vt debitis stationibus quotidiana vota persolueret, accidit, quòd ille antiquus procus, aucupis habitu indutus, illam regionem, quam PAVLA, diuersis cogitationibus, collustraret; à quâ inspectus, furorem honesta fœmina timens, in Oratorium Beato Laurentio dicatum extra vrbis muros, protinus gressus festina direxit, & ad D.N. Iesu-Christi in CRVCIS pendentis pedes prouoluta, lachrymis obortis, ab eo in Virginitatis subsidium, vt illius pulchritudinem deformaret multiplicatis singultibus, & hacce intensiua oratione poposcit: *Domine IESV-CHRISTE, Pastor animarum Bone: qui ouem vnam, inter montium cacumina, quæ superbiæ, inter veprium spinas, quæ carnis pericula sunt, delitescentem, sedula inquisitione custodis, quiquè ne pereat, & perquirendo desudas, & adtrahendo fatigaris, in men ouis ad tui gregis caulam accedens, ne à canis antiqui morsibus, & lupi iuuenilis fallaciis obruat, oculos tuæ miserationis conuerte; & si fortè huius mundanæ pulchritudinis choragium, ansam serpenti præbuit præcito delinquendi, tu qui cuncta cognoscis, tantumque vales, quantum voles, à me istius ponderis onus dissolue, & mentis venustate seruata, corporis excellentiam abrade, vt & liberius ad tui obsequium totis actionum gradibus festina conuertar, & in alteram mutata formam, ad tuorum oscula pedum viscerata progrediar.* Annuit Deus precibus deplorantis, & illicò pulchrâ olim facies cœpit pilorum densitate repleri; sic, vt vix in ea mulieris aspectum tanta horribilitate dignosceres. Accessit ad eremitorium Venator iuuenis furibundus, & vultum cœlestis barbatum monstri conspiciens, ab eo de Virginis recessu sciscitare vocibus perturbatis occæpit. Illam neminem, nisi ipsam illic conspectasse respōdit. Quo amphibologicæ propulsationis oraculo, furore concitus adolescens, vento similis prosiliens, totius regionis ambitus, & latebras in Virginis rusticanæ disquisitione perscrutans, plurimorum dierum tempora consummauit. PAVLA verò agens Deo grates, apud Oratorium S. Secundi secedens, ibidem vitam mirabili morum elegantia, & virtutum coaceruatione, inculpatam exegit, tandem miraculis clara properauit ad Dominum. Eius corpus à fidelibus, iuxta techam S. Episcopi, & Martyris sepultum, per plura secula iacuit, vbi apud Abilenses honore debito cultum, eius festiuitas Die XX. Februarij olim à Conciuibus agebatur, qua ad eius aram, vbi totius historiæ effigies conspicitur, Populorum circumiacentium concursus, donariis, & muneribus, deuota traditione, conueniunt, vt tanta Virginis BARBATÆ intercessione, illis desiderata concedat Omnipotens Deus, qui cum Filio, & Spiritu Sancto regnat in secula seculorum.

Isthæc ex mera traditione Acta, à Gonsaluo compacta, sed absque successus tempore, immò & absque processus historici probatione. Latuit Abilenses seculum

culum, non latuit euentus, nec S. Virginis cultus, ideo ad nostra fere secula inconcussus, licet non adhuc celebri, & anniuersaria gratulatione feriatur. Quod traditioni subtraxit obliuio, supplebit Iuliani Petri recensio. Iste Consulem sine die, prout Gonsaluus Diem sine Consule suppeditauit. Sic temporis officium agnosces; aliquando occulta propalans, sæpius manifeste confundens. Audi Iulianum, qui altius rem enarrans, tempore Diocletiani illam vixisse profitetur.

DE SANCTA VIRGINA PAVLA, dicta BARBATA Abulensi in Hispania.

Seruat ouis caulam, quam dicunt nomine PAVLAM,
Nomine BARBATAM *compellat turba Beatam:*
Forma fuit talis, Catharina in Virgine qualis.
Cùm mala gentiles colerent Abulensia viles
Tecta, sub Hispano, qui Præses tunc, Daciano;
Hanc amat ardenter demens Eques impatienter,
Qui dum venerator properat, se se iugulatum
Secernit, bellæ male sanus amore Puellæ,
Ibat per campos Virgo peramabilis amplos;
Illam peruadit venator, sapienter euadit
Illa, sed absque mora rogat admirabilis ora
Illa sibi dari barbam, nimiumquè notari,
Sed Deus hoc fecit: miratus & ille recessit,
Quo pia Virgo fugit, quo tunc ceu Leo rugit.
Ipsa bene vixit, & in sua vita reuixit,

Nec nouum apud sacros, & profanos fastos hæc S. BARBATÆ inuentio, licet dissimili apud vtrosque inspectione. Sacri ob virginitatis pudicitiam seruandam, prout itidem accidisse S. Wilgeforti Virgini, & Martyri Hispanæ, C. Attilij Lusitanorum Reguli filiæ, quæ cùm à Christo Sponso suo deformari rogasset, ne ab amasio ad nuptias expeteretur, subito promissa illi barba subcreuisse, traditur, post Cruci affixa martyrium compleuit; vt notauit D. D. Laurent. Ramir. de Prado in Not. ad Iulian. in Aduers. n. 149. fol. 54. vbi tabulam ære incisam historiam exhibentem inseruit. De hac etiam P. Ieronym. Biderman. lib. 2. Epigr. 57. hoc lemmate fol. 195.

Vvilgefortis Virgo Barbæ miraculo Castitatem tuetur.

Bello nobilis ore Vvilgefortis
Laudatæ metuens Virago formæ,
Vt matura Viros iuberet omnes
Speratis procul abstinere tædis;
Constans petit opem beatiores
Quotquot nouerat incolas Olympi.

Formam abſcedere Cœlites iubete,
O formam, Superi, periculoſam.
Non Mauræ cutis abnuo colorem,
Non qualem patrio calore toſtus
Cognata gerit Ætiops in vmbra:
Non ſiquid magis atrum, & inuenuſtum
Tetrumque, illepidumque, ſordidumque.
Tellus abdidit vſpiam Nouerca:
Nullum reſpuo monſtrum, abire ſolum,
Hanc ſolam, ô ſuperi iubete formam.
Audiit vota pium pudica Numen,
Et monſtri ſimilem repente cogit,
Mento creſcere neſciente barbam.
Hic horror fuit inſolens: ſodalis
Notam agnoſcere noluit ſodalem;
Et mater ſobolem, & ſoror ſororem.
Et vultu voluit ſeueriori
Ignotam pater abdicare prolem.
Demum ſe quoque Virginem, vel ipſa
BARBATAM *potuit timere Virgo.*
Quis credat, ſuperi ô boni! pudica
Cùm cœpit propior Viro eſſe Virgo;
Cœpit tutior à Viro, eſſe Virgo.

De hac die XX. Iulij dicemus latè. Nunc ad profanos, vbi non pro caſtitate BARBATA Deitas fingebatur, ſed propter prolis multiplicationem. Venerem BARBATAM primus adorauit Cyprus, poſt illam Roma, quæ cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus, & magnam videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem, inter obſcœnæ Veneris ſimulacra repoſuit;aſt diuersâ à Cypris ratione. Illi veſte muliebri (ſi credimus Macrobio lib.3. Saturnal. c. 8.) cum ſceptro, ac ſtatura virili. Romani vero illam, vt ſuperiora corporis cingulo tenus, ſpeciem hominis præſeferret, inferiora verò fœminæ depingebant. Huius rei originem ſcribunt Suidas, Macrobius, & alij recentiores; quòd Romanis aliquando mulieribus peſtilens irrepſit punitus, quem Græci κνήφην vocant, quo morbo cùm pili deciderent omnes, pectinum non erat vſus. Quare mulieres tàm deformi, ac inuenuſtâ ægritudine primùm angerentur: hinc Veneri vota facientes, Deæ miſeratione Romanis pili iterum ſuccreuerunt; propterea quod mulieres hac peſte liberatæ, Veneri ſimulachrum cum pectine poſuere, eidemque ſimul barbam effinxere, vt Dea quæ fœminis, & Maſculis præerat, & maſcula, & fœminea inſtrumenta portaret. Sic.Lyl. Gyrard. Syntagm. 13. Vincent. Cartar. de Imag. Deor. fol. 350. qui effigiem errore præli interuerſam poſtmodum edidit fol. 359.

ABVLA Ciuitas Hiſpaniæ Citerioris antiqua, Epiſcopali munere condecorata, ex qua celebre Sanctorum agmen Hiſpanici, & Orbis circulos illuſtrauit. Hodie AVILA dicitur, & in Caſtellæ Veteris regno inter Segouiam & Salmanticam

manticam clarissimas vrbes sita est. Eius conditorem Herculem contendunt accolæ, & fatetur elegiæ fragmentum, quo hæc legimus carmina.

ABVLA si antiquo quòd ab HERCVLE iacta superbis,
Teque coronatum turribus ambit opus, &c.

Duplicem fuisse ABVLÆ nomine Vrbem consignitam, aliam in Batestanis, alteram in Vettonibus contendunt Iulian. Petr. *in Aduers. n.* 374. *& seq.* qui in Batestanæ consignatione haud prorsus pedem figit, R. P. Franc. de Bilches in *M S. Codice de SS Baëcensib. verb.* ABVLA, qui hodie vocitari BILCHES probabilibus argumentis fatetur. Pro CHINCHILLA stat Iulianus; Ego P. Bilches adhærco, qui ocularis termini testis existens, è ruderum antiquitatis abscondito, veritatis symbolum eruit. Nostram, Iulian. *in Aduers. n.* 513. *fol.* 120. vocat Interamnensem, *Quæ ædificata* (prosequitur n. 514.) *creditur ab* Hercule Osyride, *cui sacer fuit* Taurus, *dicta Græcè* Bosphoros, Latinè Vegentum *Carpetanorum Colonia. Temporibus Decij, Imperatoris nominata fuit* Abyla *Ciuitas.* Eius topographiam alibi repetemus prolixius, elogiaque assuemus vt par est, & nostræ necessitudinis expetit vinculum, & propter nostram TAMAYORVM originem, & quia illius vrbis, & Episcopatus Prouisoratus, & Vicarij Generalis munere fungens, tempore quo Illustrissimus ac Reuerendiss. Dom. ac Dom. meus D. Didacus de Arec Reynoso illius Sedis infulam induebat, ab anno M.DC.XXXVIII. ad M.DC.XL. ab Capituli; humanissimis, & illustribus a umnis, abs Consistorij honestissimis, & nobilissimis Decurionibus, & denique ab famigeratis Proceribus, & vniuersis Ciuibus summa in me collata merita profiteor, quæ hucusque tueri nec abnego. De eius antiquitate videndi post Iulianum, & antiquiores P. F. Ludouic. de Ariz. Hist. Abulens. lib. 1. c. 1. Cianca in vita S. Secundi lib. 1. c. 28. M. Ægid. Gonzalez Dauila tom. 2. Theatr. Eccles. Hispan. fol. 189. vbi tanquam istius vrbis ciuius, & oriundus celebrem de illius antiquitate, origine, progressibus, viris illustribus, & aliis ad eius ornatum pertinentibus tabulam depingit.

NONO
Kal. Martij.
DIES XXI.

A *Romæ natalis S.* IRENÆ *Virginis Deo dicatæ, & Sororis B. Damasi Pontificis Maximi, quæ cùm patribus, & fratre Hispanis vrbem pergeret, ibidem sancti fratris doctrina, & conuersatione nutrita, relictis periculosi seculi anfractibus, & deuictis mundialis afflictationis laboribus, Christi, cui castitatem deuouerat; insequi vestigia, reclusa, constituit: ideo sacro velamine amicta, inter solitudinis silentiosos*

secessus, amœnissimos æternæ beatitudinis campos adinuenit.

B *Tarraconæ in Hispania Citeriori Commemoratio* S. ASCANII, *ipsius vrbis Episcopi, qui cùm in dira, & sacrilega Leovigildi Gothorum Regis aduersus Catholicos, præcipuè sacerdotali munero decoratos, persecutionis procella, cum aliis plurimis Episcopis, à Sede deiectus. & in Sardiniæ Insulam deportatus abiret, ibidem pro fide vexatus, fame, & ærumniis confectus, per confessionis strenuæ complementum, Martyr inclytus æternam retributionem promeruit.*

NOTÆ.

A SANCTA IRENE.] Virgo. Nota istius Sanctissimæ Virginis apud aliquos ex Nostratibus memoria est, sicut & apud Baronium in Appendice ad tom. 12. fol. 1124. vbi hæc verba: *Porrò aureas illas lucubrationes de Virginitate* (Damasus) *ad Sanctam sororem* Virginem IRENEM *nomine scripsit.* Ex Nostris P.F. Ludouicus ab Angel. *in Viridar. Portugall. c.* 35. D. Roder. de Acuña *Hist. Bracc.* 1. *p. c.* 51. *fol.* 211. Georg. Cardos. *in Offic. SS Portugall fol.* 17. *col.* 1. Franciss. Quintano *Hist. Mandridens. lib.* 2. *c.* 3. Gruther. *in Appendice Inscript. fol. M.C.LXXII. n.* 10. Eius Acta in meo vetusto *Martyrologio Hispaniæ lit. H.* cuius Originale (vt sæpius dixi) à *R. P. F. Thoma de Herrera* accepi, vbi hæc de Nostra S. Virgine inueni.

ACTA S. IRENIS VIRGINIS Deuotæ ex MS. Alphabeto SS. Hispaniæ peruetusto, & aliis.

HIRENA SOROR DAMASI. PP. IX. Kal. Mart.

INCIPIVNT Domino adiuuante actiones B. HIRENÆ Virginis, & Sanctimonialis, Sororis Damasi PP. Hispani. Iste qui ex patre Antonio nobili Hispano prognatus Romam adiuerat, habuit germanam sororem, nomine HIRENAM, quæ ab aliquibus etiam HEIRA dicebatur, & cùm Romæ cum patribus & Damaso Virgo Beata commoraretur, sæpe sæpius in Vrbis cum pia matre Sanctorum Martyrum catecumbis pernoctabat in Oratione ad Dominum Iesum-Christum, à quo, vt sibi, & patribus, ac fratri concederet veniam peccatorum. & vitam æternam postulabat. Crescebat in ea cum ætate sanctitudo, cum hac in Deum, & egenos charitas, tanto cautionis inuolucro, vt licet quotidie aliquot famelios saturaret, nunquam patrum, aut fratris ista ad aures perueneric

uenerit miseratio. Cùm vero patre, & matre orbata in Damasi contubernio permaneret, mundi delicias fugiens, fratri promisit, se viuituram in castitate, & reclusione apud ipsum, donec Deus, cœlestisque Sponsus ipsius recordaretur ad gloriam. Damasus Sororis Virginis intentionem auscultans, non inuenustæ puellæ propositum & demirans, & laudans, illam in persecutione promissæ castitatis verbo, & opere perhortabat: cui non multo post, vt illam facilius retineret, libellum de Virginitate conscripsit. In hoc ergo quotidie legebat HIRENA, & maximos profectionis, & continuationis fructus in eius lectione cognoscebat. In istis quippe sanctis vitam gloriosam, & Angelicam transigebat operibus, cum frater Damasus ad apicem Pontificatus Romani electus, ipsius cathedram ascendit, non obstantibus Vrsicini, & sequacium molestiis, à quibus Deus, qui Damasi fratris electioni præfuerat, Ecclesiam breui tempore liberauit, non sine B. Virginis magnis dolorum conflictionibus, quia toto schismatis tempore, ipsa in ieiuniis, & orationibus persistens, ad beneuolum Sponsum precibus, vt illud tanto sanguine cruentatum à sua Ecclesia schisma depelleret, confugiebat. Quod obtentum est & orationibus Ecclesiæ, & istius Virginis HIRENÆ veri Pontificis sororis deprecationibus, humiliationibus, & ieiuniis. Quæ (iam pacificè Damasus frater gubernabat Ecclesiam vniuersalem) ad bisenum sui Pontificatus annum, & die bisdeno cum alio Februi, febre correpta, illæsam, & puram animam reddidit Redemptori. Cui Papa Damasus hoc sarcophago appendere carmen sepulcrale curauit:

HOC TVMVLO SACRATA DEO NVNC MEMBRA QVIESCVNT.
HIC SOROR EST DAMASI: NOMEN SI QVÆRIS IRENÆ.
VOVERAT HÆC SESE CHRISTO CVM VITA MANERET.
VIRGINIS VT MERITVM SANCTVS PVDOR IPSE PROBARET
BISENAS HIEMES, NEC DVM COMPLEVERAT ÆTAS,
EGREGIOS MORES VITÆ PRÆCESSERAT ÆTAS.
PROPOSITVM MENTIS PIETAS VENERANDA PVELLÆ
MAGNIFICOS FRVCTVS DEDERAT MELIORIBVS ANNIS.
TE GERMANA SOROR, NOSTRI NVNC TESTIS AMORIS,
CVM FVGERET MVNDVM DEDERAT MIHI PIGNVS HONESTVM.
QVEM SIBI CVM RAPERET MELIOR TVNC REGIA COELI
NON TIMVIT MORTEM COELOS QVOD LIBERA ADIRET.
SED DOLVI RATEOR CONSORTIA PERDERE VITÆ:
NVNC VENIENTE DEO, NOSTRI REMINISCERE VIRGO
ET TVA PER DOMINVM PRÆSTET MIHI FACVLA LVMEN.

Transitus annus, si Actis relatis standum est, incidit ad CCC. LXXIX. Nam Pontificatum obtinuit Damasus Anno CCC. LXVII. die XV. Septembris, vt ex Baronio, *Annal. Eccles. tom. 4. Ann. 367. n. 8.* At in Actis dicitur, quòd ad BISENVN Pontificatus fratris peruenit, quo è vita discessit, ergo additis XII. ab Anno augurationis *Damasi*, præcisè Annus obitus IRENÆ ad CCC. LXX.IX. accessit. Sic eadem dicenda sunt de die obitus, nam BISDENVM CVM ALIO FEBRVI in Actis, nil nisi diem XXI. Februarij significat. Erat enim hic Mensis *Februis* dicatus Manibus, hoc est inferis, vt diximus supra *in Prolegomenis ad hunc mensem.* Ideo idem erat dicere *Februus*, ac *Februarius*, & *Februa.* Audi Magnum Ausonium *de Mensib.*

Ad quem cæruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet Auem.
Dædala quam iactu pluuio circumuenit Iris,
Romuleo ritu FEBRVA *mensis habet.*

Acuratius *Francisc. Ranzonius* in epigrammate de Numero dierum cuiusque Mensis, apud *Eliam Reusner.* in *Diario Eccles. prope fin.* sic:

Junius, Aprilis, September, & adde Nouembrem,
Hi denos ter habent, dinumerantque dies.
Hinc omnes reliquos Menses ex ordine Iani
Vnum, & Triginta quemque tenere ferunt.
Sed FEBRVVS *tantum Viginti continet Octo:*
Ille bisextilis ni tamen annus erit.

De Cruento *Vrsicini* schismate plura apud Scriptores Ecclesiasticos, à quibus Baron. *d. tom. 4. Ann.* 367. *à n.* 14. *& seqq.* Sed istis omissis Ammiani Marcellini Ethnici Auctoris *in Hist. Rom. lib. 27. in Valentiniano, & Valente, tom. 2. fol.* 519. successum expecta: *Aduenit* (inquit) *successor eius Exquisitor Palatij* Viuentius, *integer, & prudens, Pannonius, cuius administratio quieta fuit, & placida, copiâ rerum omnium fluens. Et hunc quidem discordantis populi seditiones terruere cruentæ, quæ tale negotium excitauere:* Damasus, *&* Vrsicinus *supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem Sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabantur, adusque mortis, vulnerumque discrimina adiumentis vtriusque progressis. Quæ nec corrigere sufficiens* Viuentius, *nec mollire, vi magna coactus secessit in Suburbanum. At in contentione superauerat* Damasus, *parte, quæ ei fauebat, instante. Constatque in Basilica Sicinini, vbi ritus Christiani est conuenticulum, vno die centum, & triginta septem reperta cadauera peremptorum; efferamque diù plebem, ægrè postea delinitam.*

Si alia, & de PATRIÆ Nostræ Sanctissimæ Virginis, & fratris DAMASI origine propositum meum scire desideras ad diem XI. Decembris (si Deo placet) te missum facimus; vbi an Guimaranus, an Madridensis, & an fuerit Valentinus deprehendes, omissa procul dubio omni adulationis seruitute: quia duntaxat veritatem, non detractionem, fumosue vendimus.

B. S. ASCANIVS Episcopus, & Martyr.] Eius illustrissimam passionem apud *Sardiniam* exulis agnouit ferreum, & immane *Leouigildi* Regis Gothorum in *Hispania* seculum. Illò Sanctissimus Præsul pro fidei Catholicæ religione, ac propter oppositam obscœnis hæretici, & effrenati principis iussionibus constantiam; relegatus, cum aliis sanctissimis Pontificibus, vitam obiuit. Eius memoria temporum cursu obliterauit obliuio, sed recuperauit sedulitas successorum. Ast non sic abundans, vt totius vitæ acta deprompserit, satis illis visum fuit memoriam detegere, aliis, vt puluerem excuterent vetustati, dimittentes. Primus qui Nostri *S. Martyris* nomen de profundo antiquitatis extraxit silentio, noscitur *D. D. Ieronymus Doria* Archiepiscopus Tarraconensis, qui in *Synodalibus Constitutionibus* ab ipso confectis in principio, pulchro eius meminit elogio. Et licet in suis Archiepiscopologiis *D. Antonius Augustinus*, & *D. Ioannes Teres*, de illo altum silentium; solaquè contenti vnius huius nominis recordatione transierint, attamen notandum est, *duos* fuisse ASCANIOS Tarraconenses Episcopos, Alius Anno CCCC. LXIX. Alter Anno D. LXIV. Primus tempore Hilarij Papæ ad quem scripsit, & Theodorici Regis Gothorum. Secundus seculo S. Gregorij Magni, & Leouigildi Regis; de illo agunt *Archiepiscopologia* Tarraconensia *An-*

ton.

ton. Augustini, & *Ioannis Teres*, à quibus Ieronym. Pujad. *Hist. Cathalon. lib. 6. c. 24.* Pons Icart. *Hist. Tarracon. c. 41.* De isto scribit Archiepiscopologium *D. Ieronymi Doria*, & idem Pujad. *d. lib 6. c. 61. fol.* 305. De vtroque & Nos scribemus. De secundo *hoc die*. De primo IV. Decembris. *tom. 6.* Demum de Nostro P. Pag. in Bibliothec. Præmonstratens. lib. 1. fol. 140. Eius Acta

ACTA S. ASCANII SECVNDI, Episcopi Tarraconensis & Martyris ex MS.

GOTHORVM Imperiũ ab Athanarico Idololatra cœpit initium, qui aduersus fideles, crudelissimâ persecutione motâ, Gothos Christiano nomini addictos diuersis cruciatibus deturbauit. Abhinc euenit, vt plurimos, qui nolebant Idolis immolare, fecit vt per martyrij angustias ad palmas concurrerent sanctitatis: reliquos quia innumeri, & à tantorum cæde abstinere decreuerat, ad Romanos diffugere permisit. Sed cùm frustranea, sint Principum placita, quibus Deus Opt. Max. opem non præstat, factum est, quod Gudila Episcopus, disponente Numine, Gothos omnes ad Christi suaue iugum reduceret, illisque patrio idiomate Veteris, & Noui Testamẽti scripturas contradẽs, tenax Catholicã eos doctrinã edocuit. Sic ergo Christiani facti Ecclesias ritu Catholico erigere, Sacerdotes Euãgelicos habere, leges, fidẽ Orthodoxã defẽsantes condere, Gudila impulsore, cœpere. Hoc denique veræ religionis initio, ad Valentẽ Imperatorẽ Legatis cũ muneribus dimissis, illi suæ intentionis, & dispositionis formam obtulere: ab eoque Episcopos, & doctores, qui eos ad consequendam salutem coadiuuarent æternam, supplici propensione petebant. Erat autem Valens Imperator à fide Catholica deuius, & Arianæ hæresis peruersitate detentus; & licet de suscepta à Gothis Christiana religione gauderet, cùm illam, non secundum Arij imposturam ipsos eligere cognouisset, illico missis hæreticis Sacerdotibus, Gothos persuasione nefandâ sui erroris dogmati, iam Catholicos, aggregauit. Vnde præclara gens, quæ à Gudila Sanctissimo Apostolo legem ebiberat limpidissimã, à Valente pestifero Arianorũ antesignano virus veneno maculata lethali, vltimũ per aliquot secula præcipitium agnouit.

Hoc igitur hæresum dogmate imbuti Reges, Proceres, & plebs tota Gothorum, sic illud enixè seruarunt, vt neutiquam diuelli potuit ab illo, nisi sanguis pretiosus vnius Regis, & Martyris cuullus, quo ipsorum diamantina viscera demolita, veræ, & Catholicæ religionis apices effluxere. Ergo omnium Arianorum proteruior nascitur Leouigildus, qui Liuuæ in Gothorum Regnis Hispaniæ, & Galliæ, Procerum inauguratus suffragiis, succedens, Theodosiam filiam Seueriani Ducis Prouinciæ Carthaginensis, sororemque Fulgentij, Leandri, & Isidori Sanctorum Hispaniæ Doctorum, Præsulum, & tutelarium, nupsit: ex qua Hermenegildum, & Reccaredum Reges, illum strenuitate martyrij, istum, prauæ hæresis abiuratione, & fidei confessione Catholicos generauit. Fuit siquidem Leouigildus victoriis diues, legibus rectus, militia strenuus, diuitiis affluens, & honoris cupidus: ast Arianæ perfidiæ furore repletus, tantæ gloriam probitatis, in eo impij error dogmatis suffocauit. Nam in Catholicos persecutione commota, Leandrum Hispalensem, Mausonam Emeritensem Antistites, & alios complures exilio relegauit; Ecclesiarum redditus proscripsit; earum priuilegia abstulit; multos pestilentiæ, muneribus, & officiis, Catholicos, & Sacerdotes, vlcere infecit; aliaque multa in dispendium Orthodoxæ veritatis exercuit, quæ præ nimia horroris

ris significatione prudentum fidelem Virorum offendunt auditum. Hoc pro omnibus sufficiat, quòd proprium filium, quia Catholicum non parcens, post varia cruciatuum genera, & carcerum angustias, securi percussum impius parricida dignum Deo Martyrem consecrauit.

ASCANIVS ergo huius nominis *Secundus*, vrbis Tarraconensis, hoc periculoso Arianæ conflictationis seculo, sedem fidelium plausu, & omnium approbatione tenebat: Erat origine Gothus, ex nobili Hispaniæ prosapia procreatus, ab incunabulis studio deditus, ab adolescentia literis imbutus, à virilitate sacris, Ecclesiasticisque ritibus addictus, cum propriis blandus, cum exteris docilis, ad omnia bona procliuis, in religione vehemens, in fide immobilis, pietate largus, doctrinis strenuus, in parcendo humilis, in corrigendo seuerus, in defendendo iustus, in arguendo grauis, omnia omnibus, sibi duntaxat rigidus, & crudelis. Hisce quippe in vno homine facinorum cumulis conspectatis, euenit, vt vacante per Sergium Episcopum Tarraconensem cathedrâ Præsulatus, cótinuò in eius locum ASCANIVS suffectus fuerit; qui licet primò obsistere decreuisset, postmodum verò, conspecta Dei voluntate, regimini inter tot, & tanta malorum inuolucra manum imponere, tanquam ad aratrum, accepit. Tum igitur prima inter Leouigildum patrem, & Hermenegildum filium, Reges, conflictus linea ducebatur, quando B. ASCANIVS Episcopatus apices est ingressus; qui cum Hermenegildum Catholicæ veritati nomen dedisse cognosceret, vt erat pro religione ampliandâ, indefessâ pernicitate, procliuis, protinus Sacer tyro, pecunia, milite, & commeatu Catholico suppetias Principi absque retardatione demisit. Omnia Hermenegildus grata significatione suscepit: Omnia Leouigildus odiosa improbitate cognouit. Ille ASCANIVM, tanquam patrem, & commilitonem reuerebatur; Iste Episcopum tanquam inimicum, & aduersarium detestabatur. Ad arma quippè ventum: profligatur Hermenegildus, & Hispali obsessus, dolo capitur: qui quia nefandis noluit ritibus consentire, tormentis cruciatus, primo Hispali, abhinc Toleti, postmodum Valentiæ, ac demum Tarracone carceratus, & isthinc crudeli custodia coarctatus est: Sed à S. ASCANIO exhortationibus præsentialibus, & à SS. Euphemio Toletano Præsule, & Ioanne Bidarensi literis epistolaribus est excitatus, donec tandem securi percussus de téporali ad æternum translatus regnum Martyr gloriosus occubuit. Eius sanctissimum Corpus noctu ASCANIVS Catholicis stipatus substulit Sacerdotibus, & in Ecclesiam veterem S. Theclæ Virgini, & Martyri dicatam, delatum, honorifico est tumulatum honore. Post ad Sigenense cœnobium Ierosolymitanum, mutatum, à quo Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici iussu ad Escurialense Regale sacrarium, translatum, ibidem honorifica, & Regali theca quiescit.

Leouigildus verò de victoria, quia intestina, de cæde, quia religiosa exhilaratus, impium, in cæteros, quos Hermenegildi Martyris catholica necessitudo protraxerat auxiliares, siue Episcopos, siue Duces, animum conuertens, innumeros aut capite plexos, aut ablatis opibus spoliatos, aut proscriptos in exiliū missos Catholica Hispaniæ Ecclesia lachrymis deplorauit obortis. Quid S. ASCANIO, in quem acerba Leouigildus susceperat odia? Protinus est carceri mancipatus, & post diras calamitates in ergastulo susceptas, in Sardiniæ Insulam à sede depositus exulauit. Ibidem ærumnis confectus, & sancta paupertate contentus, breue vitæ curriculum mirabilis

mirabilis incolis, virtutum sarcina onustus, Deo amabilis, & omnibus gratus exegit. Tandem Confessor inter Martyres, & Martyr inter Confessores è militiæ Sanctæ laboribus prolixis, ad cœlestem triumphum euocatus excessit, die XXI. Februarij, Anno Domini D.LXXXVI. paulo ante quam Leouigildus febre correptus, pœnitens (vt dicitur) Episcopos absoluerit, & animam exhalasset.

Hæc Actorum ecphrasis, qua Gothorum idololatria primum, fides post Catholica à Gudila edocta recensetur, apud Roder. Xim. Archiep. Toler. lib. 2. c. 1. Qua Valentis subuersio profitetur eorum. S. Isidor in Chron. æra 515. Dext. Ann. 382. qui Gulphilam vocitat Episcopum, & alij plurimi. De Leouigildi Successione, & persecutione, S.M. Maxim. in Chron. Ann. 581. S. Gregor. Turon. lib. 5. c. 38. S. Isidor. in Chron. Gothor. æra 619. S. Ioann. Abb. Biclar. & alij.

De Hermenegildo à Patre obsesso primum ad Osset oppidum, S. M. Max. in Chron. 581. post Hispali, idem Ann. 583. Eius carceres Tarraconem vsque, idem in Chron. Ann. 585. Vbi ab ASCANIO Tarraconensi Episcopo clam excitatus, vt fidem seruet, inuenitur. Et licet ibidem pro ASCANIO Episcopo Tarraconensi EVPHEMIVS reponatur, exscriptoris, vel amanuensis error dignoscitur; nam eo tempore nullus Tarraconensis Episcopus illo nomine insignitus agnoscitur; ideo ibidem pro EVPHEMIO corrupte Tarraconensi Episcopo ASCANIVM repone. Cætera quæ desiderantur in ecphrasi, pete ex Ieronimo Pujades d. lib. 6. c. 61. Vnum hic notandum duxi, quod in Chron S.M. Maximi Ann. 590. dicitur EVPHEMIVM interfuisse abiurationi Gothorum in III. Concilio Toletano; quem Nos ASCANIVM nominamus, sed alicuius glossema est; nam ex Tarracone nullus Episcopus interfuit, ideo quia ASCANVS in exilio vitam egisse fatendum est.

OCTAVO
Kalend. Mart.
DIES XXII.

A *Apud Gallaciam Conuersio* S. LVPARIÆ *illius prouinciæ Primariæ, quæ cum in ipsius oppida* IACOBVS *Apostolus Zebedæi filius fidem dissemi- nare venisset, illum à regione depulsum despiciens, aures Euangelicæ voci tenaci proteruitate compescuit: Ast cùm postmodum sacrum eiusdem Apostoli Corpus Ierosolymâ Iriam Flauiam à Discipulis, vt sepulturæ daretur, cognouisset, appulsum post insignia miraculorum conspecta facinora, & fidei nomen, & lipsanis sacratis locum offerens, tandem glorioso fine quieuit.*

B *Acci in Bætica item Natalis* S. CLAVDIÆ LVPARIÆ *Senatricis, vxoris S. Agathopi, & B. Lu-*

pariâ

pariæ Iriensis filiæ, quæ cùm Septem SS. IACOBI, *&* PETRI *discipulorum, post Accitani pontis ruinam, miracula cognouisset; & à B. Torquato, vnus ex illis, qui apud Accim fidem prædicabat strenuus, Euangelicæ veritatis audiuisset encomia, ad Christum conuersa, & omnes accolas suo attraxit exemplo, & S. Ioanni Baptistæ extructa Basilica, illic delituit, Spiritus-sancti fauoribus recreata, donec miraculis clara migrauit ad Dominum.*

C *Conchæ Camporum in Hispania memoria* B. THECLÆ, *quæ ex Benedictino amœnissimo hortu flos candidus virginitate prorumpens, & sanctitatis, virtutumque odorem ad cœlum vsque distendens Virgo sacrata, demum miraculis celebris diuini Sponsi mente, & corpore limpidissima promeruit amplexus.*

NOTÆ.

A SANCTA LVPARIA Iriensis Regula, siue Primaria.] Duas fuisse huius nominis Diuas, tam ex Actis Translationis exuuiarum S. IACOBI Hispaniarum Apostoli, quàm ex euentu disrupti pontis Accitani, quando Torquatus, & sex socij illic appulere, liquet. De vtraque hac die agemus, quia cùm secundæ non inueniatur diei obitus, filiam cum Matre coniungere, & ipsa humanitatis ratio, & firma accidentis, & nominis sequela suadent. De Matre agunt quotquot de S. IACOBO, & ipsius corporis translatione sacrati scripserunt. Calixtus, Leo. PP. Bellouacensis, Morales, Mariana, Comestabilis Castellæ, Castillo, Castella, Lodar, Ojeda, Ximenez, Pellicer, & alij innumeri, quos congerit alphabeticè D. D. Antonius Calderon in libro & excellent. S. Iacobi. P. Biu. ad Dextr. in Chron. Ann. 43. n. 1. fol. 92. & 93. & Ann. 60. Com. 2. n. 3. fol. 121. Roder. Car. fol. 28. lit. S. quo loco Dexter vtrumque coniunxit, sic: *Viuebat* S. LVPARIA *Bætica filia* Gallæcensis *alterius* LVPARIÆ. Iulian. quoque Petri in Chron. n. 14. etiam duas Matrem & filiam, ambásque titulo Sanctitatis consignat. & in Aduers. n. 410. fol. 91. Eius Acta ex libro Calixti II. & alijs exscribemus, quia hucusque nullus integra compulsauit.

ACTA B. LVPARIÆ IRIENSIS Gallæciæ Regulæ, siue Primariæ ex Callisto PP. II. Iuliano, & aliis.

LVPARIA ex vetustissimis Principibus, ac Toparchis Gallæciæ originem trahens, cuius postmodum Romanis familiis, deuicta Hispania permixta, Gallæca cessit prosapia; ideóque ex *Lupus*, siue *Lupariis*,

Lupariis, nobilissimis gentilitiis nomen accepit. Hæc quæ multæ familiæ erat, & amplissimi fundi possessor, & domina, seu Regula, aut Primaria totius agnoscebatur regionis, apud *Iriam Flauiam* antiquissimam Gallæciæ vrbem situm suæ continuæ seruabat habitationis, vbi in Idolio suo multa simulacra dæmoniorum recondita habebat, quæ sæpissimè adorabat; eademque etiam in *Castro*, quod à suis maioribus extructum, *Luparium* dicebatur, & in aliis locis, vt sacrificia, & thura, dispositis temporibus, Gentilium offerret ritu, tenebat. Hoc seculi interstitio B. IACOBVS Apostolus Zebedæi filius, qui Hispaniam lustrabat, LVPARIÆ dominia pertingens, Euangelicæ doctrinæ radios, in illius incultæ gentis animos diffundere, decreuit; sed à LVPARIA depulsus, nequaquam videre, immò nec audire Apostolum breui permissione concessit. Tunc IACOBVS de pedibus excusso puluere, vt Magistri adimpleret doctrinam, relictis in illa regione duobus pedissequis, aliò perrexit, post Ierosolymam repedauit, vbi ab Herode decollatus est. Eius sacrum cùm Discipuli corpus noctu tollerent, inque Ioppem ductu diuino perferrent, tandem illud ad portum Gallæciæ Iriense comportant. Sancti quippe Viri comperto situ, LVPARIÆQVE indignationem metuentes, quid agerent, ignorabant, sed eius nobilitatem pensitantes, inter omnes conuenit, vt duo ad eius accederent conspectum, & ab ea locum sepulturæ Corpori expeterent Apostolico. Designati ergo multa Dei fiducia fisi, adeunt illam, dicentes: Qualiter Christus ipsi Apostoli sui corpus miserat, vt quem noluerat suscipere viuum, exciperet vel defunctum, vt in fundo, quem tenebat, facultas illis concederetur ossa tumulandi. Quos illa rigidæ mentis vesania, acerbissimè execrans, & execrando refutans, insani furoris typho repleta, ad *L. Vennenium Ebutianum*, qui tunc Tribunus erat Cohortis Gallicæ, in Gallæcia prouinciæ, quæ nunc *Francos* dicitur, considentem, in eodem populo, quod nomen à Cohortis titulo acceperat, qui erat Princeps, & postmodum Coloniæ Tarraconensis Patronus, illos talia petituros, properare ocyùs iubet. Qui nihil cunctati, vt mandatum eis, solicite perquirere Tribunum satagunt. Quo reperto proponunt illi de fide sancta sermonem, simulque orando, satis ingeminant preces, dari sibi locum Apostolici Corporis sepulturæ aptum. Ergo *Vennenius* truculentus gentilitatis errori deditus, Venerabilium Virorum auditis precibus, cognoscens eos Christicolas esse, prauo corde, malo ore, & peruersa actione comprehendit eos, nesciens miser imminere sibi velocius vindictam solius Regis Dei. In Carcerem ergo trusi, dum discumberet *Vennenius*, Angelus Dei eos exoluit, & liberos abire permisit. Sanctitatis autem ministri, fragilitate carnis adducti fugam capessunt, inscij mirandæ virtutis Dei, quæ in ipsis per ipsum, Apostolica interueniente, declaranda erat gratia. Denique Sancti illi Viri per viam, qua venerant, reuertentes deuenerunt ad pontem fluuij *Tamaris*, dictum *Sigerium* prope *Compostellam*. Iuxta quem erat fons amplissimus, arcuato opere, saxeo ambitu circumseptus, penes quem publica via discurrebat, quem (delitescere cupientes) introgressi, sed repente mutato consilio, vt pleniorem magnificentiæ gloriam, gloriosus in seruis suis demonstraret S. IACOBVS Apostolus, præsago spiritu inde egressi sunt. Vt verò cognouit pestifer Tribunus sub vmbra alarum protectionis Dei Sanctos clam effugisse, existimans iustos præscripto fonte absconsos, post eos, milites, qui eos occiderent destinauit, qui ingressi intra fontis arcus, ecce multiplice Dei virtute, deducit

consilia eorum in finem stultum, egregio orante IACOBO Apostolo, omne illud ædificium cryptæ huius, quod in tanta perstiterat seculorum soliditate, miro modo, subito corruit. Quod Tribunus audiens, & sibi, ac suis metuens, Discipulos Apostoli pacifice reuocauit, & ab eis vnà cum *Celerina* vxore, & populo fidem Christi suscepit, & quidquid petierant liberè concessit. Audiens hæc LVPARIA intensissimo corde doluit, & redeuntibus Sanctis, ac *Vennenij* consensum per literas aperientibus, ne dum verbis eorum, & Tribuni scriptis credula, sed adhuc impœnitens, conspiciens eos flentes, dixit illis: *In monte hoc proximo, qui* Illicinus *dicitur, armenta nostra pascuntur, euntes ergo illuc, quotquot cupitis tollite, & quò vobis cordi fuerit ducite, & in ipsis laborantes, operam impendite aptari domum vt dicitis Apostoli vestri.* Præsumpserat sibi enim plurimam partem supra dicti montis quasi in possessionem, immanissimus draco, qui omnes circa se positos pagos horrendo flatus sui anhelitu exinaniuerat, animantia deglutierat. Gradientes Sancti per ascensum montis, donec ad locum deuenissent, quo illa sanguinaria, & trucissima iacebat bellua, firmi nihil hæsitantes, munimine armati inuictissimi vexilli salutiferæ Crucis Apostolicæ defensoris sui protecti gratia, inuocata maiestate IESV CHRISTI, beatæ signum Crucis obtutibus opponunt aduersarij. At ille non ferens vim virtutis Dei, & IACOBI Apostoli gloriosi veluti fumus periit à facie terræ. Ex hinc factus est mons ille, ante funestus, mons Dei, mons Sanctus, mons sanctificationis, pinguedine inexhausti olei. Exinde cœptum prosequentes iter, tandem diu quæsita reperiunt animalia, quæ indomita cùm essent, sub manibus eorum sunt edimita, sicque libere quo voluerunt deduxerunt, & ad LVPARIAM à qua missi erant reuersi sunt. Quæ visis tot miraculorum signis, non iam LVPARIA dicenda, quippe OVIS Christi mox futura, atque gregi Ecclesiæ socianda; quæ antea reniti conabatur præsumptione valida, corde, & ore est compuncta. Terrebat eam velox militum in fonte submersio, & Tribuni celeritas confessionis: pauebat belluæ crudelis subitam confusionem, & tanti dæmonis delectionem; mirabatur taurorum suorum emollitam ocyùs acerrimam feritatem; sic cùm hæc omnia fassa sit à Deo fieri, ad dilecti sui IACOBI declarandam gratiæ celsitudinem: hinc domus illa, quæ antea erat spurcitiæ, & contaminationis, purgata aspersione hyssopi veræ mundationis, templum, facta est, sanctificationis, & in honorem Dei, ac Venerabilis IACOBI Apostoli solemniter est consecrata. Nam illico Trino fidei nomine regenerata, sua cum familia Christi nominis efficitur credula, sicque inspirante Deo, fidei dogmate imbuta, quæ prius fantastico errore delusa efflagitarat, humilis, & prona supererecta prosternit, ac frangit simulacra quæ sub eius erant dominatu; funditus diruit fana, quibus abruptis, atque minutatim in puluerem redactis, cauato in altum solo construitur sepulcrum miro opere lapideo, vbi Apostolicum reconditur Corpus artificiali ingenio, cuius quantitatis Ecclesia eodem superædificatur in loco, quæ Altari ornata diuo felicem deuoto pandit aditum populo. Hic ergo B. LVPARIA in continua Oratione persistens, pauperibus, & famelicis omnia sua distribuens, peregrinis hospitans, deuotos suscipiens, & indiuidua templi Apostolici ministra, vitam virtutibus clara transegit, donec à Domino euocata, æternam beatitudinis gloriam promeruit. Cuius Corpus in eadem Apostolica tumulatum Basilica, adhuc in Regum Capella in sarcophago marmoreo pulchrè elaborato honorificè

fice seruatur, licet sine aliqua insignium aut literarum nota; quia quæ pro obsequio Dei, & sui IACOBI Apostoli mirifici, mundanæ opulentiæ dominium reliquit, illud duntaxat quærebat, quo placaretur Omnipotens, cuius gloria in secula perseuerat æterna. Amen.

En Acta genuina, quæ ex diuersis Scriptorum pittatiis consuere vetusta permisit historiæ traditio. Illa minutatem probabimus, vt nullus dubitationi relinquatur locus.

CIRCA Nomen, licet aliqui LVPAM nominent, & in antiquis Compostellanæ Ecclesiæ tabulis, hoc vocabulo consignetur; at Flau. Dexter. & Iulianus, qui viciniores ad ea secula fuere, non LVPAM, vt communis vox, sed LVPARIAM vocitant, videndus ille in Chron. Ann. 60. vbi Biuar, & Caro vbi supr. & iste in Chron. n. 14. & in Aduers. n. 410. fol. 191.

QVATENVS ad eius Nobilitatem ex LVPARIORVM, siue LVPORVM appellatione, plura examinat D. Maur. Castella: Hist. S. Iacob. lib. 2. c. 7. antiqua Romanorum monimenta, vbi de familiis Luporum, Lupulorum, Lupianorum, & Lupariorum frequens mentio. Abhinc ab aliis Regina, ab aliis Regula, assidue Primaria, & vbique Domina vocitatur, in Antiquis, & Modernis.

QVOD venientibus Discipulis cum sacro Corpore Apostoli, illos dimitteret ad Regem, communis sententia est; sed quem *Regem* appellitant Acta, *Tribunum* esse intelligendum, & temporis expostulat ratio, & Iuliani Archipresbyteri auctoritas, apud quem isthæc verba comprehendo: *Misit* LVPARIA *Discipulos eius ad* L. Vennenium, *qui tunc erat Cohortis* Tribunus *primæ, Gallaciæ considentem, in Oppido, quòd à Cohorte nomen accepit, & dicitur nunc* Franca. *Is erat eius regionis* Princeps, & *post Patronus Coloniæ Tarraconensis.* Eadem repetit in Aduers. n. 410. fol. 91. Ex quo antiquam disceptationem sedabis, circa Actorum veritatem, qua carere proculdubio affirmabant, cùm tempore IACOBI in Hispania nequaquam fuisse Reges patebat.

NVNC dubium fortius in eo stat, an milites à Vennenio Tribuno, Principe seu Regulo aduersus Apostolicos Discipulos missi, dirupto ponte apud Tamarim, occubuisse: an in fonte qui iuxta viam miro artificio fabricatus exiterat, solutis antiquæ compaginis arcubus deperiisse? Pro ponte stant antiqua Breuiaria Hispaniæ, & Neotherici Scriptores. Pro fonte antiquus Codex MS. à Ioanne Bosco editus in Bibliotheca Floriacensi, in Translat. Corpor. S. Iacob. quem etiam edidit P. Scoth. in Biblioth. Hispan. fol.... Quam opinionem etiam est sequutus Aulus Halus meus in Epitaphij sepulchrali Carmine ad S. LVPARIAM Nostram, sic:

Conditur hoc tumulo, magnis LVPARIA *Diuis*
Consociata simul, purificata semel.
Credere non potuit, quia strictim dira Tyranni
Præmebat trucis fraus inimica fidem.
Credidit ast postquam videt incrementa salutis,
Prodigiis tribus, magna notanda Dei.
Vidit & in FONTIS *strue tot armata Tribuni.*
Militis atque acies marmore pressa glabro.
Vidit & infandos quanta leuitate Draconis
Compescens flatus, dæmonis arma ruunt.
Vidit & indomitos duplo cum pollice *Tauros* — Hoc est signo CRVCIS.
Protinus ad lorum præsto parare caput.

Vidit: & in Christo tantæ consortia legis
Demirans; corda obtulit almá Deo.
Conditur in tumulo demum propè Martyris ossa,
Quæ fuerat Diui magna Ministra fide.
Colitur Octauo Martis nunc sæpe Kalendas:
Et meritò; Nostrum condidit illa Patrem.

De hisce tribus miraculis à Discipulis S. IACOBI patratis, quæ causam LVPARIÆ Nostræ præbuere, vt ipsa conuerteretur ad fidem, nonnulla ex Isidoriano, & peruetustis Breuiariis Hispaniæ Carmina, & hymnos recenset P. Biuar. ad Dextr. fol. 89. & 90. quos libens omitto, ne meum videar, ex illius aceruo conflagrare cumulum.

DIEI, & cultus olim solemnitas patet ex Aulo Halo meo, in vltimo disthico. De ANNO apud omnes altum silentium, De SEPVLCHRO adhuc in Ecclesia Apostolica conseruato in Regum Capella, videndus D. Maur. d. lib. 2. c. 7. Cætera communia sunt, ad filiam pergo.

S. CLAVDIA LVPARIA Accitana Senatrix.] Eius memoriam hoc die inserere libuit, quia nullus ex Nostris, certo, & consignato die illius festiuitatis, aut natalis cultum aperuerit. Ast quia Matris ecphrasis superius compaginata comperitur, ne tantæ fœminæ anamnesis sub silentio deliteat, illam hoc loco assuere curaui. Eius nomen cum Sanctitatis titulo passim à S. Isidoro recolitur in Hymno, Orationibus, & benedictionibus Breuiarij Muzarabum, seu Gothici quarum copias Bernard. de Alderet in Antiquit. Hispan. lib. 1. c. 12. & seqq. P. Biuar ad Dextr. Ann. 43. fol. 93. & alij qui de Sanctis Septem Episcopis scripsere referunt. Hymnus Isidori, sic:

Hæc prima fidei est via plebium,
Jnter quos mulier SANCTA LVPARIA
Sanctos aggrediens, cernit, & obsecrat,
Sanctorum merita pectore collocans.

Et in vna ex Orationibus, ante Dominicam, illo etiam titulo consignatur in hæc verba: *Ecce dilectissimi fratres, mecum oculos in sublime attollite, hoc à Domino specialiter precaturi, vt qui gratia fidei Christianæ cor* BEATÆ LVPARIÆ *dignatus est illustrare repente, nos in hoc momento, ab omni criminum labe dignetur efficaciter expurgare, proclamantes ad te è terris atque dicentes:* Pater Noster. Flau. Dext. in Chron. Ann. 60. his verbis: *Viuebat* SANCTA LVPARIA *Bæthica filia Galiciensis alterius Lupariæ.* Iulian. in Aduers. n. 410. fol. 92. illo similiter titulo sanctitatis. hac periodo: *Hoc Oppidum dederat Luparia in Gallæcia filia* SANCTA LVPARIA *conuersa in Oppido Acci.* En Matronæ sanctitatem. Eius memoriam & conuersionem repetunt, quotquot de Actis SS. Torquati, & Sociorum, siue Scriptores, siue Breuiaria antiqua Hispaniæ, veraciter scripserunt. Eius Acta ex Hymno S. Isidori, Iuliano, & antiquo M S. Legendario Montis Sion conscribemus.

ACTA S. CLAVDIÆ LVPARIÆ Accitanæ Senatricis ex B. Isidoro, Iuliano, & aliis MSS.

CLAVDIA LVPARIA ex Iria Flauia vrbe Gallæciæ oriunda, matrem habuit S. Lupariam Iriensem, quæ IACOBI Apostoli viuentis

uentis vocibus obdurata, postmodum mortui cadaueri, ex propria domo, miraculis præeuntibus, & Numine disponente, Basilicam, & sarcophagum, mira elaboratum arte, iam ad fidem conuersa, prompta liberalitate construxit. CLAVDIA ergo LVPARIA filia nupsit Agathopo Gallicienfi, Augusti liberto, post ad Accim Bæthicæ vrbem Senatori, ac demum Antiochiæ Martyri, quæ cùm duo portus haberet in mari, apud Accim continuo, relicta matre, degebat. Istius ergo Senatricis tempore euenit, vt Iacobi Discipuli scilicet *Torquatus*, qui nobis prorogauit monilium ornamenta virtutum; *Tesiphons*, qui fons vitæ vberrimo doctrinæ gurgitis pabulo saturauit; *Iscius* qui nostrorum mundauit piacula scelerum; *Indalecius*, qui iudex bonorum operum spiritualium nobis alimenta distribuit; *Secundus*, qui futuri aduentus Christi gaudio electorum participes iunxit. *Euphrasius*, qui refluo Euangeliorum anniuersario Catholicæ dogmata fidei firmauit, & *Cæcilius* qui Angelorum nes cœtibus disposuit adsociare; Romà Hispaniam, iam à Petro Episcopi consignati, redeuntes, ad Ciuitatem Accitanam peruenissent, & cum propter laborem, quiescerent modicum, & causa victus emendi, aliquot eorum discipulos in vrbem misissent; mox paganorum multitudo, qui tunc forte Diis suis festum celebrabant, eos adusque flumen Fardium persecuta est: in quo pons miræ magnitudinis, & fortitudinis extructus, transeuntibus Sanctis, Dei nutu, cum omnium insequentium multitudine funditus corruit. Quem videntes euentum cæteri, pars maxima terrore vehementi, conteritur. Inter quos fuit LVPARIA Senatrix, rebus inclyta, & inflammatione Sancti-Spiritus adornata, & genere nobilissima; ipsorum Sanctorum opinionem vt reperit, ad eos suos nuntios misit, per quos illos summos Principes, vt suam eidem exhiberent præsentiam rogauit. Quos vbi primùm videre meruit, cuius interna pectoris iam superna dona ditauerant: Vnde Sanctissimi Senes essent, vel de quibus Regionibus aduenissent, audacter interrogat. Et cùm illo à Sanctis Apostolis missos ad prædicandum Dei regnum, & Christi Euangelium Hispaniæ denunciati fuissent.

LVPARIA docentibus illis dogmata continuo Sanctæ doctrinæ nouella credere adquisiuit. Et postulans donum sancti baptismatis, iubetur non prius petita excipere, quàm baptisterio, quò Sancti elegerint, fabricaret Basilicam. Quæ tali iussione percepta, tandiu operi iugem curam adhibuit, quousque omnem fabricam Basilicæ ad culmen deduceret, & cœpti Templi fastigia explicaret. Cumque iam perfectum opus existeret, & vniuersa, quæ Sancti ei iusserant compleuisset; fontem ex more constituunt, in quo Sanctæ deuotionis fœmina salutaris lauacri vnda perfunderetur. Cuius S. Mulieris cùm sanctum sequeretur exemplum cunctus populus, qui Idolorum vacuam superstitionem colebant, veternosi criminis templum relinquunt, & Sanctorum Senum doctrinam accensis mentibus adsequuntur. Ex tunc iam Idolorum polluta sedes relinquitur, & ibi S. Ioannis Baptistæ consecrantes Altare, Ecclesia Christi construitur, & crescente fide, Dei populus augmentatur. Posthæc B. LVPARIA eidem se Ecclesiæ mancipans, & Altari Christiana inseruiens flaminica, ad vsque longæuam senectutem pertingens, virtutibus & bonorum operum aggeribus cumulata, vltimum vitæ diem edocta, non absque mirabilium patratione facinorum in Domino quieuit.

Hactenus Acta. De Nomine Sanctissimæ fœminæ agit Iulian. in Aduer. *Mart. Hisp. Februar.* n. 410.

n.410. & in Chron. n. 14. Cuius verba supra dedimus, sed absque agnomine: en integrum ex eodem n. 14. duplici relatione. Prima sic: *Hoc Oppidum scilicet.* Noia *fuit* CLAVDIÆ LVPARIÆ, *uxoris* Agatopi, *&* *duo portus erant* CLAVDIÆ LVPARIÆ *fœminæ ad* Accim *Bæthicæ degentis, quæ postea ad prædicationem* Torquati *& sociorum conuersa est.* Secunda paulò inferius, sic: CLAVDIA LVPARIA *credidit post aliquot miracula.*

QVOAD reliqua in *Ecphrasi* contenta, adest hymni Isidoriani in Breuiario Gothico, siue Muzarabi frustum, quo omnia hæc dilucida narratione perleges, sic: agens de Septem Sanctis Episcopis.

Hi Euangelica lampade præditi
Lustrant Occiduæ partis arentia,
Quo sic Catholicis ignibus ardeant,
Vt cedant facibus furna nocentia.
Accis continuo fit proxima Viris
Bis senis studiis, quâ procul incident:
Mittunt asseclas esculenta quærere,
Quibus fessa dapibus membra reficerent.
Illic Discipuli Idola gentium
Vanis inspiciunt ritibus excoli:
Queis dùm in aggere fletibus immolant,
Terrentur potius ausibus impiis.
Mox insana fremens turba satellitum,
In his cùm fidei stigmata nosceret
Ad Pontem fluuij vsque per arida
Incursu celeri hos agit in fugam.
Sed præualido murice fortior
In partes subito pronus resoluitur,
Iustos ex manibus hostium eruens,
Hostes flumineo gurgite subruens.
Hæc prima fidei est via plebium,
Inter quos mulier S. LVPARIA
Sanctos adgrediens cernit, & obsecrat
Sanctorum monita pectore conlocans.
Tunc Christi famula attendens obsequio
Sanctorum statuit condere fabricam
Quo baptisterij vnda patesceret,
Et culpas omnium gratia tergeret.
Illic Sancta Dei Fœmina tingitur,
Et vita lauacro tincta renascitur,
Plebs hic continuo peruolat ad fidem,
Et fit Catholico dogmate multiplex.

Quo

Quo autem Anno obierit S. LVPARIA Accitana, penitus Nostri ignorant Scriptores, & exteri, Nam Beda, Ado, Equilinus qui Acta S. Senatricis, eiusque conuersionem scripsere inter res gestas SS. Torquati, & Sociorum die XV. Maij, de hac re totaliter conticescunt. Eius Vita ad Annum LX. pertigit ex Dextro.

NEC hic est prætermittenda alterius CLAVDIÆ LVPÆ, siue LVPARIÆ memoria, de qua P.F. Ludouicus ab Angelis in suo *Portugall. Viridar. n.* 1. *fol.* 1. mentionem agens isthæc verba litinitate donata profatur:

Inter alias nobilissimas familias, quas nostra profitetur Hispania, *post Christi Domini aduentum, illa illustrior agnoscitur* LVPORVM, *quam* C. Seruius LVPVS *qui antiquum* Brigantinum *arcem* Marti, *Augusti Cæsaris æuo, construxit, & dicauit, vt ex epigraphe illic conscripta liquet, nobilitauit.*

MARTI.
AVG. SACR.
C. SERVIVS. LVPVS.

Quem fuisse Principem, seu Regulum ex eo liquet, quod eius nomen in opere publico permittebatur scriptum, quando Romanorum lege cautum inuenimus, ne in publicis ædificiis alicuius nomen describi, exceptis Reipublicæ, *aut* Principis *extructoris fas esset. Cuius placitum ad vnguem seruauit* Aulus Flauiensis *illius operis* Architectus, *qui etiam eius posuit nomen in silice, sic:*

ARCHITECTVS
AV. FLAVIENSIS.
LVSITANVS. EX.
VOTO.

De hac igitur illustrissima familia TRES *fuere fœminæ per* Hispanias *celebres, ab eo seculo, quo cœpit Dei verbum* IACOBVS, *eiusque Discipuli seminare.* I. *fuit* CLAVDIA LVPA *de qua est mentio in Historia S. Apostoli, quæ in eius vita neutiquam fuit fidem amplexata, donec postmodum inspectis miraculis per sacra lipsana patratis, Christo nomen dedit.* II. *fuit* CLAVDIA LVPA Accitana, *cuius memoria inter SS. Torquati, & sociorum Acta, conspicitur; à quibus iam Episcopis consecratis, baptizata dignoscitur.* III. *hac nostra* CLAVDIA LVPA Lusitana *fuit, dignissima, vt inter illas adnumeretur, immò & quod primatum teneat, quæ nec illis recentior, nec ignobilior fuerit. Nam si antiquitatem spectemus antequam* Gallicienlis *fidem amplecteretur iam Nostra Christiana erat, & nondum* Torquatus *& socij* Bæticas *regiones Episcopi à Petro creati lustrauerant, &* Accitanam *converterant, & iam nostra nomen Christo dederat: quod patet quia tempore, quo* IACOBI *Discipuli Corpus Magistri Ioppe Hispaniam traxere, in Occeano è regione Portugalliæ, ad oram oppidi de Bouzas, vbi nunc est vicus, cui nomen Matozinhos, transeuntes, quædam fœmina, origine* Calensis, *matrimonium cum Regulo* Pallantino *contrahebat, & licet vtriusque coniugis nomina obliterata in historiis comperimus, attamen in lapideis codicibus peruetustis, illa conscripsit sedulitas. Nam ibidem memoria perseuerat* C. Carpi Pallantiani, *& eius vxoris* CLAVDIÆ LVPÆ Calensis: *qui* C. Carpus *fuit Augusti Libertus ex vrbe* Pallantia *Interamnensis prouinciæ, adiutor* Claudij Athenodori *Præfecti annonæ. Eiusque coniux* CLAVDIA LVPARIA, *seu* LVPA *fuit ortunda ex vrbe* Calensi, *quæ hodie* Porto *di-*

citur; amboque in die, quo apud Bouzas *nuptias solemni peragebant apparatu, miraculo subsequente fidem Christi susceperunt vnanimes, vt infra describemus, post quam horum coniugum* Epitaphij *notulas subiiciamus, quod iste nobilissimus* Lusitanus *in suo posuit sepulchro, quod sibi, uxori, & aliis erigere curauit; cuius inscriptio adhuc in Theatro Antiquar. Inscript.* fol. 98. *inuenitur, quæ talis est.*

C. CARPVS. AVG. LIB.
PALLANTIANVS.
ADIVTOR. CLAVDII.
ATHENODORI.
PRÆFECTI. ANNONÆ.
FECIT. SIBI. ET.
CLAVDIÆ LVPÆ.
CALENSI.
CONIVGI. PIISSIMÆ.
T. CLAVD. QVIRINO.
ANTONIO. ET LIBER.
CLAVDIO ROMANO.
VERNÆ. ET LIB.
LIBERTAB. Q. POSTERISQVE.
EORVM.

En ex hac epigraphe deducimus coniectationem, quâ fatemur C. Carpum, Pallantianum, *&* Clavdiam Lvpam Calensem *fuisse, quos* Iacobi *Discipuli in itinere maris Occeani ad fidem traxere, tempore, quo nuptiis indulgentes, festiuis choreis inuenerunt imbutos. Huius euentus historiam exprimit peruetustum* Legendarium *Regalis Cænobij* Alcobacensis, *excriptum ex antiquissimis originalibus per D.* Ferdinandum de Aguiar *Monasterij Abbatem, anno Domini* M.CCCC. XLIII. *in cuius ecphrasi hac recitantur verba: Cum primùm Discipuli S. IACOBI ad Ioppem nauem sunt cum lipsanis ingressi Magistri, placidus sufflauit ventus, quo scapha per maris vndas decurrens placido itinere, breui ad Occeanum deueniens, regionem Portugalliæ lustrauit, iuxtaque oppidum, cui vocabulum* Bouzas; *euenit, quod in illa prouincia erat homo quidam diues, qui filiam suam adolescenti viro, alterius hominis diuitis filio Pallantiano tradiderat vxorem. Quorum nuptiæ apud* Bouzas *peragebantur. Inter solemnia nuptiarum in maris littore Sponsus, & cognati Troianos ludos phalerati obibant, ast equus Sponsi effrenis in mare discurrens, inter pelagi vndas sistens, se, & procerem inter aqua globos immergit; quo vsque iuxta nauis decurrentis marginem accessit, vbi ab vndis eructatus, ipse eques, & vestimenta omnia veneris, seu conchilibus pleni super vndas sunt visi. Omnia demirans adolescens, vbilibet oculos direxit, & visa naui, quid prodigij esset corde confuso, spectabat. Ista olim antiquus in Breuiario Ouetensi cecinit hymnus.*

Cunctis mare cernentibus,
Natus Regis submergitur:
Sed à profundis ducitur
Totus plenus conchilibus.

Ergo procer illico quod ante nauem sistit, à Discipulis Apostoli cœpit sciscitari, qui essent, quorsum tenderent, & quo fato se conchilibus plenum è mari prodiret,

prodiret, quæque illa significarent. Omnia hæc notantes Discipuli ad orationem confugiunt, qua expleta, vox è cælo detonans, dixit: Dominus Noster Iesu-Christus hoc miraculo demonstrare permittit tibi, & omnibus in posterum peregrinis, qui sepulchrum S. IACOBI visitare contigerit, isto signo iter agentibus, quod extunc, vsque ad seculi finem, ipsi in Dei gratiam admittendi sint, & in die iudicij, quos istud signaculum honorauerit, tanquam sub protectione Apostoli consignitos, Deus debita remuneratione ditabit. Quo Oraculo stupefactus adolescens Christi fidem accipere à Discipulis flagitauit, qua imbutus, & sacro baptismate lotus ad litus protinus deuenit incolumis. Isthæc omnia sponsæ, & cognatis enarrat, quos in fide instructos, postmodum fecit esse Christianos. Hactenus Alcobacense Legendarium; quo docemur; hanc fæminam primam apud Ethnicos Christi fidem suscepisse apud Portugallenses *: de qua vnum notandum est, quòd ideo in inscriptione vocitatur* PIISSIMA, *ob eximiam, qua ad Dei cultum tenebatur, deuotionem, pietatemque; exhinc credibile est, in Domino requieuisse, & amplam reliquisse posteritatem.*

Omnia hæc retulit D. Maur. Castella in *Histor. Compostell. lib. 2. c. 2.* licet apud eum de nominibus Reguli & vxoris altum silentium. Eadem suo carmine Marori Licentiat. Molin. *in Antiquit. Gallæcia. carm. penult.* qui in glosula, omnia à P. *Ludouico*, conscripta reticet. Amicus Noster D. Michael de Euze Ximenez de Aduent *S. Iacob. 2. p. tract. 3. c. 1. fol. 230.* eadem se legisse fatetur in Codice MS. peruetusto de Vitis Sanctorum, quem in Bibliotheca Seraphica S. Ioannis Regum Toletana inuisit; & fatetur hic ad viuum repræsentari effigies illa, quæ adhuc visitur in Capella Monasterij eiusdem Ordinis Seraphici Aracœlani Romæ, quam Capellam extruxit *Laurentius Petromnia sancti*, alias dictus *Mancin de Lutiis*, tempore Eugenij Papæ IV. Anno M.CCCC. XLI. in cuius Ara maiori, quæ S. IACOBO Nostro dicata est, inter alias miraculorum tabulas conspicitur, Nauis absque velo, aut remige; in puppi Corpus Apostoli pulchra, & decora facie, circumcirca Septem Discipuli, & supra maris vndas eques totus conchilibus seminatus, Discipulis alloquens, & brachio vnicum amplexans, sic:

Quæ omnia *Ouetensem* hymnum elucidant, & *Alcobatiæ* multum deferunt *Legendario*, cuius ecphrasis eo ipso seculo, quo Capella Aracælana extructa dignoscitur, conscripta est.

Abhinc Scriptores Nostri ducunt originem antiqui moris, quo peregrini omnes qui Compostellam deueniunt, vtuntur, portandi in galeris, & sagis huiusmodi conchilia, vt notarunt superius relati præcipuè Erze *d. c. 1. n. 10. & sequent.* qui *n.* 17. asserit prohibuisse Summos Pontifices Alexandrum III. die XII. Ianuarij anni M.C. LXV. Gregorium IX. die VII. Martij M.CC. XXVII. & Clementem V. Kalendis Februarij, M.CCC. VIII. ne ab aliquo isthæc conficerentur conchæ, nisi de licentia S. E. Compostellanæ, cui de his peregrinis prouidere in solidum facultas esto.

Post

Post hæc scripta, incidi in Breuiarium antiquum M S. Monasterij S. Cucuphatis, quod vocant *de Valles* in Cathalonia, cuius codicem ab erudito *D. Francisco Andrea* Aragonum Chronographo, & Amico accepi, in quo totius prælibatæ historiæ ecphrasim adinueni in die Translationis S. IACOBI Nostri, duobus hymnis contentam, alterum *ad Vesperas*, alterum *ad Laudes*, quos vt Eruditis satisfaciam, & Nostris Scriptoribus, ab imposturæ scrupulo absoluam, istinc excribere proposui; illa qua inueniuntur prosodia, vt illam quam redolent antiquitatem, præseferant.

IN TRANSLATIONE
S. IACOBI APOSTOLI,
Ad Vesperas.

HYMNVS.

OCcisso *tunc Apostolo,*
Corpus tollunt diuinitus,
Noctis silentis tempore,
Sancti septem Discipuli.
Tunc præmicantis luminis
Face cælesti protinus
Instructi, Ioppem properant:
In Naui pignus inferunt.
Ascendunt vix in littore,
Cùm flauit Sanctus Angelus
Velum currentis cymbulæ,
Maris calcans volumina.
Breui Callensem tempore
Portum pertingit barcula,
Quo Regum recens sobolis
Festum pro nuptu peragit.
Vix scapham vidit Regulus,
Equo quando dilabitur,
Dimissis retrò cæteris
Vndas maris conuerberans.
Cunctis mare cernentibus,
Natus Regis submergitur:
Sed à profundis ducitur
Totus plenus conchilibus.

AD

AD LAVDES,

HYMNVS.

SIC *Rex ad barcæ marginem*
Peruenit ſuper globulos,
Equo inſidens, aquatiles
Conchis perfuſus lucidis.
Tunc prehendens Diſcipulum,
Cauſas aduentus diſcutit;
Quò pergant cum cadauere,
Et cuius ſit perſciſcitat.
Demùm quo pacto conchulis
Sic conſperſus euaſerit,
Deuotis petit lachrymis,
Pandatur vt myſterium.
Statim proni Diſcipuli,
Orantes Chriſto ſupplicant,
Vt tanti euentus ſymbolum
Illis demonſtret patulè.
Auditur vox tunc illico:
IACOBO *ſancto poſtmodum*
Futurum ſignum poſteris
Hoc peregrinis placidum.
Tunc ergo Rex conuertitur:
Saluus ad littus peruenit:
Chriſtum cognatis prædicat;
Quos per baptiſmum liberat.

Hæc quæ circa huius rei traditionem extendere potuimus, ſubiecimus; vnum hic addentes, quod, vt ex Scriptorum Genealogiarum placito liquet, ex hiſce C. Carpi, & CL. LVPARIÆ ſtirpibus originem traxerit domus PIMENTELLORVM nobiliſſima in Hiſpania, ſed quia hæc extra Nos, doctis in hac arte relinquimus, videndi Ludouic. ab Angel. D. Maur. Caſtella, & Licent. Molina in locis ſupra adductis.

IRIA FLAVIA vrbs olim Epiſcopalis antiquiſſima in Prouincia Hiſpaniæ Citeriori, quâ Gallæcorum regio protenditur ad Compoſtellam IV. Leucas Hiſpanicas diſtans, vbi primùm Corpus IACOBI Occidentis Apoſtoli peruenit. Hodie EL PADRON, ſed meo videri corruptè, cùm fortè EL PATRON hæc vrbs dicenda erat, deſumpta æthymologia à Patrono IACOBO totius Hiſpaniæ; nam ex eo quod illic Sacrum tetigit Corpus, PATRONI nomen accepit, ſed cùm T. in D. facile conuertant Hiſpani, vt in Pater, *Padre*, Confrater, *Confrade*, & his ſimilibus vocabulis, quid mirum, ſi PATRON, in PADRON facile conuertiſſent, maximè apud Gallæcos, quorum idioma, aut corrumpit, aut ſyncopat Hiſpanicas ſæpe ſæpius voces. De hac vrbe, alibi, dicemus.

ACCI

Acci, itidem antiquissima Hispaniæ Vlterioris Ciuitas Episcopalis, cuius terminos ad fidem reduxit S. Torquatus. De hac vrbe mentio est apud Ptolom. lib. 2. Geograph. Tab. 2. Europ. c. 6. sic: *Sub iis, & penes Oretanos sunt* Bastitani, *in quibus orbes mediterranea Orcelis, Vergiliæ* Acci. quæ & Colonia fuit Accitana dicta Plinio lib. 3. c. 1. Hodie Gvadix in Regno Granale, de qua alibi.

S. Tecla Virgo Sanctimonialis.] Plures hoc nomine consignitas ex Scriptoribus Deo deuotas Virgines agnosco. Philipp. Ferrar. in General. Catal. SS. die XXVII. Septembris in Germania vnam appingit. Wion, & Menardus aliam Idibus Octobris, Martyrolog. Monastic. Andr. Saussay in Martyrol. Gallic. die XXIII. alteram. Ast Nostra ab illis diuersa est, tum loci, tum diei diuersitate. De Hispana Luitprandus in Chron. Ann. 930. n. 335. hæc verba: Tecla *Virgo Benedictina floret sanctitate Conchæ Camporum.* Iulian. Petr. in Chron. Ann. 920. n. 466. isthæc: *Florebat hoc tempore* S. Tecla *Monialis Benedictina in Oppido Vacceorum Conchæ Camporum.* Maurolycus hoc die Nostram apponit, sic: Ipso die Teclæ Virginis. Cui conuenit Martyrolog. Hispan. MS. apud me P. Hieronymi Roman. de la Higuera, vbi hoc die ista patrio sermone verba consarcinat: *En Cuenca.* S. Tecla *Monja de San Bonito que florecio en Santidad, y milagros por los años de Nonecientos y veinte.* Latine sic: *VIII. Kalend. Martij. Conchæ* S. Tecla *Monialis Benedictina, quæ floruit Sanctitate, & miraculis ad annum DCCCC. XX.* Eius Acta nullus scripsit, nec D. Thom. Tamayo de Vargas, aut D. D. Laurent. Ramir. qui Commentaria ad Luitprandum scripserat, aliquid de huius Virginis sanctitate dixere, ille eius meminerint, ille fol. 223. iste fol..... In meo MS. Auli Hali adest Carmen Sepulchrale, hoc lemmate:

PRO B. TECLA CONCHENSI
ex Ordine Sancti Benedicti Sanctimoniali
Epicedium.

Concha tibi est patriæ Virgo sanctißima Tecla
Æternum semper munus, arena, locus.
Sic Benedictino complectens Ordine normam,
Proficis, vt nuper Virtus vbique viget.
Sanguine digna tuis; Sancto charitate Magistro
Digna; sed & mundo digna placente Deo.
Ille sed & nostras dispersit protinus auras:
Quo subito Virgo vernula dona capit.

Concha Camporvm, hoc Oppidum esse Cvenca, quod hodie Ciuitas Episcopalis est, & de qua diximus die XXVIII. Ianuarij, credidere D. Thom. Tamayo in Not. ad Luitpr. d. n. 223. & P. Higuera in D. Martyrol. Hispan. MS. & hoc auctoritate Ægidij Zamorens. in MS. Codice de Antiquis Hispan. vrbib. c. 8. & Petr. Cabilon. in Topograph. SS. verbi Concana. Videndi P. Bsiu. & Rod. Caro ad Dextr. & Rizzo in Hist. Conchens. lib. 1. c. 1. Quod dubito. Nam quorsum hæc Concha ad Vacceos spectabit? Hæc crederem Cvenca prope Villalon. de qua D. Prudent. de Sandou. in Vit. Alphonsi VII. fol. 163.

SEPTIMO

SEPTIMO
Kal. Martij.
DIES XXIII.

A *Apud Asturicam Hispaniæ natalis* S. MARTHÆ, *Virginis, & Martyris, quæ cùm propter fidei Catholicæ obseruantiam à Paterni Proconsulis Hispaniæ satellitibus comprehenderetur, nec ab ea dimoueri valuerint blanditiæ, & filij Proconsulis in sponsum promißio; aut verbera, equuleum, & alia Præsidis cruciamenta, demum iugulata, & in sterquilinium coniecta Martyr laureata sponsi delicias adinuenit æterni.*

B *Sexi-Firmi in Bæthica* S. L. SERENI *Monachi, filij Q. Sereni Samonensis Gallaci, qui cum in domo Diocletiani Imperatoris aliquando aulicus versaretur, vitam periculosam relinquens, & empto hortulo ibidem contemplationi vacasset, à fœmina quadam aulica persecutus, primò Maximiano imperante in Hispaniam relegatur, post ad martyrij coronam intrepidus Agonista peruenit.*

C *Hispali celebris est memoria* S. FLORENTII *qui tempore Gothorum Catholicam inter Arianorum labem, & hæreticorum rabiem, est fidem constanti confeßione professus, & demum illustrium facinorum sarcina cumulatus, inclytus in Domino Confessor, omnium acclamatione quieuit.*

D *Toleti indeficiēs* B. MONTANI *ipsius vrbis Episcopi anamnesis perseuerat, qui singularis in fidei eruditione, & pluralis exemplo sanctimoniæ extitit post datam diœce, sicui praerat suauitatem odoris, tum virtutum, tum doctrinæ, ex vita per-*

fecta, licet temporali, ad perfectionem, illamque æternam, Domino disponente, cucurrit.

E *Apud Treuiros in Germania depositio, & inuentio sacrorum pignorum* S. CELSI *Episcopi primmùm Toletani, post Treuirensis, quæ Ottone II. Imperatore, & Egberto istius Antistite perfecta est vrbis. Cuius corpus honorabiliter collocatum, anniuersaria extunc festiuitate recolitur.*

F *Item apud Austricam depositio* S. ORDONII *ipsius vrbis Episcopi, qui vnà cum B. Aluito Episcopo Legionensi, & aliis Oratoribus, iussu Ferdinandi cognomento Magni, Regis Legionis, pro extrahendis ab Hispali reliquiis SS. Iustæ, & Ruffinæ VV. & Martyrum, illuc adiuit, & inuento miraculosè Corpore B. Isidori, & mortuo Aluito, ipsorum Legionem sacra lipsana perduxit, postmodum officio vacans pastorali, virtutibus plenus, tandem æternam remunerationem promeruit.*

NOTÆ.

A SANCTA MARTHA Virgo, & Martyr.] Nulli dubium est hanc sanctissimam pugilem Asturicæ martyrio coronatam: celebris in illa adest diœcesi memoria, frequens in Ecclesiis vocabulum, in fœminis agnomen, & in populis inuocatio. P. Truxillo in Thesaur. Concionat. tom. 2. fol. 666. isthæc de ea concipit verba: *Celebrat Ecclesia* Astorgensis *festum* B. MARTHÆ, *& legitur in eius officio, quòd tempore persecutionis factæ per* Decium *Imperatorem Romanum capta fuit* MARTHA *à Proconsule quodam, qui vocabatur* Paternus. Omnia coniunxit Martyrolog. Roman. h. d. his verbis: *In Ciuitatate Asturicensi* S. MARTHÆ *Virginis, & Martyris sub* Decio *Imperatore, &* Paterno *Proconsule.* Cui adhærent Martyrolog. Castellanum, P. Vazq. & Lusitanum Patr. Soc. Ies. & Hispanum P. Higuera M S. necnon Philip. Ferrar. in Topograph. sacr. fol. 15. De ea Breuiar. Asturicens. & alia Hispaniæ. P. Mariet. Histor. SS. Hispan. lib. 4. c. 20. & lib. 22. verb. Astorga fol. 8. Padilla Hist. Eccles. Hispan. Cent. 3. c. 6. fol. 105. D. Sanct. Dauila de Venerat. Reliq. lib. 1. c. 8. M. Ægid. Gonzal. in Theatro Eccles. Hispan. in Asturica lib. 1. c. 5. D. Petr. de Ayngo Ezpeleta in Antiq. Eccles. Asturicens. n. 72. fol. 44. D. Syluan. Razzi in Act. SS. Fœminar. tom. 1. h. d. fol. 170. col. 2. Eius Acta ex peruetusto M S. Legendario quæ in Bibliotheca Illustriss. ac Reuerendiss. Domini ac Domini mei D. Didaci de Arce Reynoso Episcopi Placentini, Philippo IV. Hispaniarum Regi Catholico à Consiliis, & in eius dominiis Supremi, & Generalis fidei Aristarchi desumpsimus; in quo titulus: *Incipiunt Historiæ, quæ non inueniuntur in Breuiario.* vbi fol. 24. agens de Sancta MARTHA Asturicensi rei gestas conscribit:

ACTA

ACTA S. MARTHÆ VIRGINIS, & Martyris Asturicensis ex Antiquo MS. Legendario.

In Hispania, Ciuitate Asturum Augusta, quæ Astorgiensis dignoscitur vrbs, passio S. Marthæ Virginis & Martyris; cuius gesta passionis, etsi inter obliuionis nebulas extiterint, adhuc, tamen illustrissimum eius martyrium, inter coronas Martyrum Ecclesia Dei venerabiliter honorat. Ergo eo tempore, quo Decius contra fas, nefasque Philippos Imperatores alium Romæ, alterum Veronæ interficere iussit, & postmodum ad Imperij Romanorum gubernaculum adscendit Tyrannus, eoquo mortuus est anno, sub Proconsule Hispaniæ Paterno tanta persecutio Christianorum fuerat, vt infra duos menses innumerabilia millia martyrio coronarentur. Vnde inter tot tormentorum genera licet Christianorum aliqui deficerent, sed vt in plurimum maior pars ad passionis metam laureata deuenit. In ista igitur persecutionis procella ardens agnoscebatur Hispania, & cùm Asturicam peruenisset Paternus, edictis, horrida præconum voce, propositis, Christianos inuestigare permisit Satellitibus. Mos erat illis, diabolicâ molitus fraude, vt Christiani dignoscerentur statim, quod Diis sacrificia indicerentur publica, quibus omnis populus adstare sub capitis pœna cogebatur. Si quiuis ergo ab isto deficiebat conuentu, vt Christianus tenebatur, & ad Iudicium ergastula ducebatur, donec aut Idolis offerre thura, aut se Christianum fateri compelleretur. Omnia hæc Asturicæ peregit Paternus, & cognito, quod Matha Virgo Asturicensis ex nobilibus parentibus orta, & diuitiis opulenta, Deorum sacrificiis publicis adfuisset, suspicione ducti satellites, euentum Proconsuli retulerunt. Qui Sanctam Virginem ad tribunal sisti præcipiens. *Qua præsumptione* (inquit iratus) *audes Deos nostros, nobilis cum sis, clandestino subterfugio despicere? Dic ergo, quæ sis tu, aut quo nomine vocaris?* Cui Virgo: Martha *vocor; ex nobili* Asturicorum *prosapia orta*, Christo *& nomen, & animam dedi; eius sum, qui me de nihilo fecit, & ad plura me elegit.* Hæc inter se deglutiens verba Paternus, animum Virginis per blandimenta dictionum ad sui pertrahere voluntatem decreuit, ideo subdolo risu, vt Diis litaret, Principibus obediret, & à Christianorum figmentis diuerteret lænocinio verborum amfractu Virginem persuadebat. At constantissima Virgo in proposito persistens, impij Præsidis blanditias, valido spiritu recusauit. Excanduit Paternus, & bili oppressus, pedibus, & manibus humum, & aërem verberabat. Tunc ad supplicia ventum. Eam in equuleum suspendi, & membratim Corpus eius tenerum vngulis laniari, impositis insuper ad latera facibus, donec patentibus visceribus, eaque sale fricata, occubuisset, præcepit. Omnia prout iussum factum. Sed quid prodest humana potentia, quando diuina reclamitat miseratio? E supplicio firmior egreditur Martha, ab equuleo deponitur inuincibilis Virgo, & eadem nocte Dominus cum ingenti lumine apparens eidem, ipsam dulciter confortauit. Cuius melliflua visione, & adlocutione, sic animata est, vt pro nihilo duceret cruciatus. Videns Proconsul quod verbis eam, nec verberibus superare non posset, post aliquot dies, mutata vice, coram se iterùm sisti Virginem iubet. Denuò à Christi consortio dimouere, & ad Idolorum cultum pertrahere Mar-

THAM callida peroratione cupiebat, & ad tantam peruenit persuasionis instantiam, vt Virgini eius filium, in Sponsum se coniuncturum, promitteret. Sed sacrata fœmina, quæ Sponsi in solitudine diuini vestigia quæritabat, & eius vocis sibilos adprehenderat, Proconsulis ignorantiam incusauit, & filij coniugium recusauit, seque Christi Sponsam profitetur, à cuius dimoueri charitate, & dilectione, nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius valere poterat, fassa est. Iratus nimis Paternus intra se exclamans, dixit: Deficiens moriar, quia ab hac muliercula me superatum cerno. Tunc ne Virginis victoria prodiret in publicum, B. MARTHAM secretò ferali gladio percussam, in quendam immundissimum locum sepeliri præcepit. Quo facto, à nobilissima, & Christiana matrona corpus ex oleto extractum, illud honorificæ sepulturæ tradidit confidenter: præstante Domino Nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula. Amen.

Hæc sunt Acta, quæ in profundo Scriptorum silentio conseruauit posteritas. Illis duntaxant addendus erit passionis dies, qui XXIII. Februarij ab omnibus designatur. Item Annus, qui CCLIV. ex ipsissimis Actis deprehenditur, ex eo quod in eis dicitur: Quod Decius arripuit imperium, & *eo, quo mortuus est anno*, sub Paterno passa noscitur S. MARTHA. Moritur quippe Decius in Mense Aprilis, Anno CC. LIV. ergo B. Virgo martyrium compleuit eo ipso anno, mense Februario. Et conuincitur. Quia Philippi Imperatores occisi sunt inchoato anno CC LIII. vt constat ex Inscriptione apud Veronam inuenta, quam Cardin. Cæsar Baron. refert. tom.2. Ann. 253. n.2. in hunc modum:

ANNO. CHRISTI. CC. LIII. IMP. DIVVS.
PHILIPPVS. SENIOR. VERONÆ. ET ROMÆ.
IVNIOR. A SATELLITIB. INTERFICIVNTVR.

Post istorum occisionem, ad Imperij fastigium Romani peruenit Decius, & hoc, inchoato anno CC. LIII. cuius medium, in auguratione, & notitiæ dimissione ad prouincias consumpsisse communis actionum euentus persuadet; ergo mense Februarij Anni CC. LIII. martyrium nostræ Virginis euenire non potuit.

His non obstant D. Francisci de Padilla *d. c. 6.* verba, quibus datur intelligi, Nostram Martyrem iugulatam fuisse Februario currente post Fabiani Pontificis martyrium, quibus etiam conuenit sententia Pauli Orosij Nostri *lib. 7. c. 21.* vbi fatetur: Quod Decius *continuo cùm inuasisset imperium, ob quod se etiam Philippos interfecisse docuit, ad persequendos, interficiendósque Christianos, Septimus post Neronem feralia sparsit edicta, plurimósque Sanctorum ad coronas Christi de suis cruciatibus misit.* Quia facilis est responsio, quia dato, prout damus, quod *Decius* in ipsissimo anni, & imperij exordio, septimam persecutionem excitauerit, hæc non potuit tanta breuitate *Hispanias* occupare, vt die XXIII. Februarij, illius anni, MARTHAM Virginem Asturicensem, Martyrem effecisset. Ratio est, quia Fabianus Pontifex coronatur XX. die Ianuarij, postmodum decreta edicta in Christianos sunt, vt inquit S. Cyprian. *Epist.* 8. S. Gregor. *Act. S. Gregorij Thaumaturgi*, Euseb. *lib. 6. c.* 34. Si hæc ita: quo inquam modo *Hispanias* peruenire potuerunt edicta tàm breui temporum interstitio, vt illa recipere, *Asturicam* accedere, sacrificia edicere, Virginem quærere, quæsitam tenere, ad tribunal sistere, obiurgare, cruciare, in ergastulum perducere, per tempora occludere, iterum reducere, & demum occidere, Paternus potuisset, fere viginti diebus, post ad *Hispanias* productam conuentionem Absit, quia nec temporis necessitudo, nec actionum commoda dispensatio suadet. Quinimò si Baronio credimus

dimus *in Annal. Ecclef. tom. 2. Ann. 254. n.* 29. neutiquam *Hiſpanias* perſecutio ſerpere cœpit *Deciana*, niſi poſt annum ab inauguratione Tyranni. Ex quo liquet S. Virginem Anno CC.LIV. martyrio agonem conſummaſſe.

ADDENDVM item Actis venit, quod Virginis, & Martyris ſacra pignora adhuc debito adſeruantur honore in Eccleſia ſui nominis, quæ de TERA dicitur, ipſius Aſturicenſis diœceſis, olim Benedictinorum Cœnobium, nunc Abbatia, inter Dignitatum titulos Cathedralis Eccleſiæ, vt refert Ezpeleta *d. n.* 72. Qui *M. Ægidium Gonzalez* inuertiſſe locum depoſitionis pignorum ſacrorum contendit, cum pro S. MARTHA DE TERA, dixerit reliquias adſeruari in Monaſterio S. Stephani de RIBA DE SIL, & optimo fundamine *Ezpeleta* de tanti Chronographi deceptione conqueritur, cum adhuc adſit Regis *Alphonſi VII.* de hac apud TERAM adſeruatione diploma, quo hoc luce clarius pateſcit, & ibidem exuuias honorifice collocatas Rex ipſe profatur. Pro coronide duplicatum achroſtycon Carmen, pulueris vetuſtate compoſitum, ſubſcribere libuit.

Martyrem amare refert Acturica Martha- M,
Aſt amat: & propriam cognoſcunt temporis æu- A.
Romanas noſter nec penitus inuidet ardo- R.
Tot pia prodigiis continuis alma coruſca- T.
Hic iacet, hic noſtras fauet ærumnas ſimul; atque a H.
Alma tibi hic quanta educis nunc viſcera Marth A.

Multa ſunt in Aſturiis, Gallæcia, Caſtellâ Veteri, & Legione oppida S. MARTHÆ nomine conſignata, quorum nomenclaturam deſcribere prolixum. De Aſturicæ antiquitate infra.

B. S. L. SERENVS, Monachus, & Martyr.] Circa paſſionis arenam, in varias diſcinditur ſententias Scriptorum Eccleſiaſticorum caterua. Vt varietatem adnotes, illorum referre verba, præciſum, Raban. in ſuo Martyrolog. hoc die: *In* Pannoniis *natiuitas Sanctorum* SIRENI, *Antigoni, Rotuli, & Libi.* B. Notker. *Apud* Smyrnam S. SYNFRII (corrige SYRENII) *Monachi, qui tempore Maximiani Imperatoris, cum vnius ex domeſticis eius vxorem. hora incongrua, in horto quem ipſe ſibi excolebat, deambulantem, acrius increpando repuliſſet, iubente Maximiano tentus, & Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, capite caſus eſt.* Maurolyc. per aliam viam reuerſus eſt in regionem ſuam, dicens: *Apud* Firmum *Italiæ Ciuitatis in Picenis* B. SIRENI *Monachi, qui iubente Maximiano Imperatore, tentus, cùm ſe Chriſtianum eſſe fateretur, capite caſus eſt.* Petr. Cabilonenſ. *in Topograph. SS. verb.* Firmium. Maurolyci amplectatur errorem. Ab iſtis, etſi Italus diſcedit Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. fol.* 88. qui apud *Arnernos* S. SERENI *Martyris* agonem reiecit. Toto corde illius eſt ſententiam amplexatus Amicus Noſter Andr. Sauſſay *in Martyrolog. Gallic. tom.* 1. *fol.* 121. qui iſthæc ſcribit: *Claro-Monte in Aruernis* S. SYRENI *Martyris, qui propter egregiam in Chriſti nomine confitendo conſtantiam, dira perpeſſus, exacto illuſtri agone, palmam ſempiterna gloria accepit.* Pro *Sirmio* ſtat Galeſinius: Pro *Firmio* Conſtantius Felicius. Quis non tantæ miretur varietatis? Quis pedem figet in tantæ diuerſitatis lectione? Adhuc aliam apud Noſtros agnoſces. Luitprandus olim Toletanus Diaconus, poſt Cremonenſis Epiſcopus in Aduerſ. num. 179. hoc ſcriptum reliquit: *Horum filÿ* L. SERENVS *Monachus familiaris Diocletiano, & P. Serenus Martyr, in Africa hic: Ille verò in* HISPANIA, SEXTI-FIRMI *in Bætica, paſſus ſub Diocletiano, Anno CCXC.* At ſine veritatis præiudicio, crediderim agonem apud Sexi-firmum Hiſpaniæ conſummaſſe Noſtrum Martyrem. Moueor primò, nam apud *Firmum* in Picenis nulla adeſt iſtius Martyris memoria, quia *Philippus Ferrarius* qui Catalogum Sanctorum concinnauit Italiæ, haudquaquam eius meminit agonis nec in ſua Noua Topographia SS. ergo non *Firmi* in Picenis, ſed alibi ſcribendum martyrium eſt.

Svperest, vt locum hoc vocabulo insignitum, quæramus. *B. Notkerus*, qui fuit *Luitprando* coæuus, ex emendatione Canisij, palestram, non apud *Smyrnam*, vt corrupte in editis, sed apud *Firmum*, sine adiectione prouinciæ, martyrij fuisse conscribit; at inter *Sexi-firmum* Luitprandi, & *Firmum* Notkeri, nulla (explosa voce *Sexi*) differẽtia est; ergo, quod Maurolycus, & Cõstantius Felicius, Cabilonensisque Oppidum in *Picenis* credidere, non Martyris arena fatenda est, cùm antiqui Martyrologi illam sine nota expressere prouinciæ; & recentiores vrbem illam haud palestræ locum agnoscunt. Deceptos hosce credimus Scriptores tauthologia nominum. Vrbem in Orbe quærebant *Firmum*, illamque in Picenis inuenientes, ne aliò aliam illo vocabulo consignitam perquirere defatigarentur, Picenam ad manum habentes, ipsam, prout agonis stadium Monacho Martyri indigetarunt.

Ast vt à concepto errore soluantur, vrbem apud Hispanos *Firmum*, nomine, & *Sirmum*, & *Sexifirmum* appellatam inueniri demonstremus. Iulian. Petr. in Chron. n. 19. loquens de Aduentu S. Petri in Hispanias, prosequitur: Firmi, *vel* Sexti Firmi *Epenetum Episcopum reliquit*. Primo dixerat Flau. Dext. in Chron. Ann. 50. de eodem Petri agens Aduentu: *Petrus (inquit) vt Christi Vicarius Hispanias adiit, Imagines Antiochia delatas affert Epenetum SEXI FIRMI in Bætica reliquit Episcopum*. Quam Firmum, aut Sexifirmum dixere Nostri, Sirmium vocitauit Metaphrastes in Vita S. Petri, illum in hac actione notemus: *Venit (Petrus)* Sirmium *Hispaniæ ciuitatem, quo loco, cùm Epenetum Episcopum constituisset, deuenit Carthaginem Ciuitatem Africæ*. Quis non videt verborum consonantiam, si in textu Metaphrastis *S* litera nominis vrbis, in *F* conuertas? Attende harum literarum germanam cognationem; ex quo facilis fuit in scriptura transitus, & facilior, ignoratis vrbibus Hispaniæ, amanuensis, aut excriptoris persuasio. Non obstat Rabani ad *Pannonias*, placitum, quia ibidem non de Nostro agit Sereno, sed de *Senoroto*, qui cum Antigono, Rutilo, & Libio passus est, vt indicant ipsi Notkerus, Galesinius, & Constantius Felicius. Maius est dubium circa sententiam Ferrarij, & Saussay, qui apud *Aruernos* passum Monachum scripsere. Ast cùm haud antiquorum monumenta recenseant, fides stet apud illos. Nam doctis, quibus nulla delitescit auctoritas, perperam arridet figmentum, absque vetusta commendatione politum. Eius memoriam repetunt, post relatos, Aulus Halus meus in Codice MS. Carminum, in epigrammate pro Serenis, cuius copiam dedimus XI. Kal. Martij, item R. P................ dela Gandara in Antiquit. Galæc. lib.........c......... Cuius eximiæ in historiæ dotes cuiusuis Critici Censoris supercilium sedabunt. Acta penitus deperiere, illa ex more compaginare, Antiquorum auctoritate, & Nostrorum examinatione compellor.

ACTA S. SERENI MONACHI, & Martyris Hispani apud Sexifirmum Bæticæ ex Var. Scriptor.

L. Serenvs ex Samone vrbe Gallecíæ originem traxit. Nam Q. Serenus, qui cum Zena Romam pro inuisendo Iustino Philosopho perrexerat, Q. Serenum Medicum progenuit, qui postmodum à Caracalla in balneo propter fidem occisus, duos filios Q. & M. Serenos accepit, quos dira persecutionis apud Alexandriam inuenit procella, vbi martyrio coronati, palmam agonibus acceperunt æternam. Ab vno istorum Noster L. Serenvs procedens, politioribus literis Romæ strenuus operam dedit tyro, donec Diocletiano Imperatori charus, inter palatinorum aulica admissus delitia, Principis gratiam tenuit domesticus, & sodalis. At inspecta vitæ periculosæ, & fraudibus plenæ infelicitate, necnon Imperatorum in Christianos sæuitia; & à palatij occupatione diffugere, & à

Principis

Principis indignatione discedere, hortuli à se excolendi causa,& secessus occasione, mercato, vt ibidem, orationi, & exercitiis vitæ actiuæ, & contemplatiuæ vacaret, tacita persuasione decreuit. Cùm ergo sint blanditiæ Principum fallaces, & eorum recordatio vix ad absentes extendatur diutius, euenit, vt SERENVS, qui iam in hortulo, quasi Monachus, delitescebat ignotus,& inter amœna silentij secedebat oblitus,intempestæ horæ tempore,quandam fœminam vnius ex aulicis Maximiani vidisset vxorem,quæ in fœminilibus intenta cupediis, totum amœni situs ambitum indiscreto clamore complebat, ipsam ex hortulo acrius increpando, depelleret; illa, cùm à natura sint fœminæ, & multò magis potentiores ad vindictam procliues, talibus est apud coniugem lachrymis, & figmentis conquesta, vt SERENVM, quasi despectum, aut à nullo notum, Maximiani decreto,ab vrbe exularet ambitio. Hispaniam igitur vt patriam SERENVS amabat, ideo ad illam redire constituens, nauem conscendens, ad portum Sextifirmi in Bætica deuenit. Ibidem iam Imperatorum edicta patebant; ibidem feroces iudicum strepitus iam aduersus Christi membra sonabant; nullus erat in prouinciæ ambitu vicus, in quo horror satellitum, aut sibilus cruciatuum deficeret raucus. Hic SERENVS à militibus comprehenditur; hic se esse Christi ascetam amore æstuante fatetur, & qui fœminea Româ insidiarum assentatione depellitur, vbi continuæ verberum in fideles expectabantur strages, ad portum angustum, Augustum capitis abscissione portum felicitatis æternæ inclytus Agonista deuenit. VII. Kal. Martij Anno Domini CC. XC.

Isthæc Acta. Eorum probationem, quatenus ad genealogicam descriptionem pete superius abs notis S. Q. Sereni Senioris die XVI. huius Mensis. & in die S. Gabini supra XI. Kalend. Martij. Vnum hic addendum duxi, quòd iste S. Monachus, dato quod apud *Sextifirmum* neutiquam martyrij accepisset coronam; non ex hoc, quâ Samonicus est, ab Hispana deficit prosapia; ideo si non agone, origine Noster erit.

SEXIFIRMVM, aut SEXTIFIRMVM vtroque enim legitur modo: Ciuitas olim fuit Episcopalis in Bætica, S. Petri Apostolorum Principis præsentia celebris. Eius meminit Plin. lib. 3. c. 1. his verbis: Dein Menoba cum fluuio SEXIFIRMVM, cognomine Iulium, Salambina, Aldera. Ptolom. lib. 2. tabul. 1. Europ. c. 4. SEX duntaxat vocitat. Pompon. Mela Noster lib. 2. c. 6. HEXI cum adspiratione consignat,vt notabit Hermolaus Barbar. & Non. Pintian. in Castigat. fol. 61. Illam EXI absque adspiratione baptizat Strabo lib. 3. Geograph. De eius fundatione & antiquitatibus conatur scribere Lic. Thomas Aquinas S. Officij Commissarius, qui adhuc in palæstra procinctus, puluerem quatiens in arena desudat. Hodie creditur MOTRIL. De quo Zurita lib. 8. c. 10. Florian. lib. 1. c. 2. lib. 2. c. 7. & 28. Poza in Antiq. Hispan. Vrb. p. 2. fol. 31. P. Biu. & Rod. Car. ad Dextr. ille fol. 101. n. 3. & fol. 196. n. 5. Iste fol. 22. lit..... Reliqua suis locis appingemus.

S. FLORENTIVS Confessor.] Duos huius nominis Diuos hodie *Hispalensis* veneratur *Ecclesia*. Alium martyrio celebrem, ad Annum C. XVI. ex *Dextro*, cuius memoriam Vniuersalis concelebrat Ecclesia ad diem XXVII. Octobris. Alium Catholica confessione famosum, ad Annum CCCC. LXXXV. cuius hoc die in Albo Sanctorum, isto titulo, repetitur & nomen. Antiqua Hispalensis Ecclesiæ Breuiaria, & mediæ Scriptores ætatis, vtrumque confundunt, quia & si nomina cognouerunt distinctè, nominum analogiâ perducti, indistinctè eorum Acta indiscreta confusione texuerunt. Duos ad hoc tibi testes subiicio: primus, ex ipsissimis Breuiarij Hispalensis clausulis, producendus. Hic die XXVII. Octobr. *fol.* 166. *&* 167. ex edito Anno 1525. istam compaginat depositionem,

ſitionem, ad literam: FLORENTIVS *Martyr* Hiſpaniæ *apud* Caſtrum *nomine* Thyle, *ſub* Daciano *Præſide paſſus, martyrio coronatus eſt*, VI. *Kal. Nouembris. Hæc in Martyrologio Romano.* Cuius Reliquiæ *Sanctæ noſtris temporibus in Eccleſia Metropoli* Hiſpalenſi, *apud ſacrarium inter ſanctas alias Reliquias, magno in pretio, & veneratione, ac fidelium deuotione in capſula viſuntur. Quæ tali epigrammate, intra vrnam ſimul incluſo, deſignantur*: Requieuit in pace FLORENTIVS Vir Sanctus die VII. Kal. Martias, vixit annis LIII. & depoſitus eſt die III. Idus Martias. Era D. XXII. Anno Domini CCCC. LXXXV. *Regnante eodem D. N. Ieſu-Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Vides inter vtrumque FLORENTIVM Acta confuſa? Ergo Secundus accedat teſtis illius ætatis. Iſte adſit Marin. Sicul. qui *lib.* 5. *Rer. Hiſpan.* in hæc verba prorumpit: FLORENTIVS *Hiſpanus, & genere nobilis ſub* Daciano *Præſide paſſus eſt. Cuius* Reliquiæ *Sanctæ noſtris temporibus in Eccleſia* Hiſpalenſi *in ſacrario repertæ ſunt, quæ talibus verſiculis in vrna ſimul incluſis deſignantur.* Hic Epitaphium refert. Quidquid ergo Breuiarij, & Siculi ecphraſis perſuadeat tenendum eſt, Epitaphium, & lipſana in Sacrario reperta non *Martyris*, ſed *Confeſſoris* eſſe; quia quæ ſupputatio Arithmetica nectere valebit tempus Daciani, cum Regno Alarici II. Ille ad Annum CCC. Hiſpanias fero mucrone vexauit. Iſte ad Annum CCCC. LXXXV. etſi Arianus errore; at tamen Catholicis fauens, Epiſcoporum conuentus, honeſta liberalitate, permiſit. Aſt quando hæc non ſufficeret rationis inſtantia, tanti nebulas S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 612. ſic diſcindat erroris. *Floret memoria per Hiſpanias vtriuſque* FLORENTII *Hiſpalenſis. Prioris qui dictus eſt* Ruſticus (*ad quem ſcripſit Plinius Secundus*) Martyris, *ſub Traiano paſſi. Alterius* Confeſſoris, *ſub Zenone Epiſcopo Hiſpalenſi.* Abhinc elicies, & confuſionem inter Scriptores Superioris æui, & diuerſitatem inter hoſce Diuos, quod & agnouit *D. D. Fernandus Valdeſius* Archiepiſcopus Hiſpalenſis, qui cùm Anno 1563. Nouum diœceſi expoſuiſſet Breuiarium, tantam antiquorum collimauit incuriam, & vnicuique Sanctiſſimo Viro, quod ſuum erat, iuſta menſura conceſſit. De Confeſſore hæc in Martyrol. Rom. *Hiſpali* S. FLORENTII *Confeſſoris.* A quo Martyrolog. Caſtellanum P. Vazq. Luſitanum PP. Societ. Ieſ. & Hiſpanum MS. P. Higuera, Philipp. Ferrar. in Gener. Catal. SS. fol. 88. & in Topograph. Sacr. fol. 61. Ex Noſtr. P. Truxillo in Theſaur. Concionat. tom. 2. fol. 616. Moral. lib. 10. c. 28. Padilla tom. 1. Cent. 5. c. 35. Mariet. Hiſt. SS. lib. 6. c. 3. Marian. lib. 5. c. 5. Roder. Car. Hiſt. Hiſpal. lib. 2. c. 11. D. Paul. de Spinoſa ead. Hiſt. lib. 2. c. 15. P. Biuar ad Dextr. in Chron. Ann. 110. n. 4. fol. 215. P. Quintana Dueñas Hiſt. SS. Hiſpalenſ. 1. p. fol. 110. D. Martin de Anaya eius Cenſor in Apolog. 5. p. fol. 24. Eius Acta à nemine ſcripta cognoſco, ideo P. Quintana-Dueñas inſectabor veſtigia.

ACTA SANCTI FLORENTII Hiſpalenſis Confeſſoris ex Var. Scriptor.

FLORENTIVS ex nobili Gothorum origine apud Hiſpalim Bæticæ opulentam vrbem naſcitur; qui Catholica religione perdoctus, virtutum ſarcina onuſtus, ſpiritum glorioſis facinoribus erudiuit. Quæ autem fuerint in adoleſcentia actiones, penitus occuluit temporum infatigabilis reuolutio. Illud duntaxat ſcitur, quod in omnium virtutum ſplendoribus, prout hominem decebat Catholicum, nobilem & generoſo claritudinis ingenio ingenuum floruerit, ipſus manifeſtat ſanctitudinis apparatus. Eius Sanctiſſimæ in Domino mortis, cuius in conſpectu Dei pretioſa memoria, quæ vitæ laudabilis actubus correſpondet, adhuc inſcriptio vetuſtioribus in capſula literis exarata conſeruat anamneſin, quæ cum ipſo ſacrato Corpore inter Reliquias ſacrarij S. Eccleſiæ Metropoliticæ Hiſpalenſis inuenta, iſta recenſet.

REQVIEVIT. IN. PACE.
FLORENTIVS. VIR. SANCTVS.
VII. KALEND. MART.
VIXIT. ANN. LIII. ET. DEPOSITVS. EST.
DIE. III. IDVS. MARTII.
ERA. DXXIII. AN. DOMIN. CCCC. LXXXV.

Tanta sacrorum pignorum inuentione Ecclesia Hispalensis conlæta, protinus festum glorioso detulit Confessori, quod Duplex secundæ vocitatur Classis, in cuius anniuersario die Ecclesia illa Metropolitica, statuta supplicatione procedens, sacras exuuias in Sacerdotum humeris superpositas, celebri populo exhibet apparatu. Quibus reconditis, in posterum honorificè condita, fidelibus lipsana in Ara sacrarij offert laudabiliter veneranda.

Isthæc Acta, quæ ex Nostris colligere Scriptoribus potuimus: cætera Deus scit, cui nulla valent obscurari facinora. De S. FLORENTIO ignoti apud me Actoris adest Epigramma, quod lubens subiicio

Conditur in capsa SANCTVS FLORENTIVS *ista,*
Qui primò Martyr tunc reputatus abit.
Noster Confessor prabet humana Magistro
Munera: sic Christus pertulit illa polo.

Verbum in Inscriptione REQVIEVIT IN PACE denotat placidam dormitionem, quæ de solis Confessoribus recitatur, non de Martyribus, qui per passiones, angustias, & supplicia ad præmia deueniunt æterna; & licet in illis mors placida, & grata propter summam in Deo charitatem sit, attamen à consuetudine abest ecclesiastica, illos in pace quieuisse proferre.

HISPALIS De illa diximus diebus II. IV. & XX. Ianuarij, vbi tres de eius nominis æthymologia, opiniones retulimus: hic tantum numisma, quod in manus nuper peruenit meas, istius vrbis celebris antiquitatem exhibens, delineabo.

In prima facie stat Hercules qui Hispalim condidit, à dextris, à sinistris, Iulius Cæsar, qui vrbem Iuliam Romulam restaurauit, inter vtrumque S. Rex Ferdinandus, qui illam è Maurorum faucibus eripuit. In reuerso visuntur arma Regis Sancti, quibus Legionis, & Oueti insignia, in Leone & Vrso coronatis inspectantur. Hic lemma REGIS HISPALIS INSIGNIA. Illic subscriptio REX HISPALIS. Cuius numismatis, nullus quem viderim, meminit.

D. S. MONTANVS Episcopus, & Confessor.] Licet huius Sanctissimi Præsulis apud aliquem ex Martyrographis (dempto Hispano P. Higuera MS. hoc die) nulla reperiatur anamnesis, at apud multos eius sanctitudo Chronographos celebratur. Primas ferat S. Illephons. in Proœmio de Viris Illust. qui *Beatissimum* illum vocat, & in c.3. S.M. Maxim. in Chron. Ann 531. fol. 184. & ante a Ann. 523. fol. 182. lit. O. in hæc verba: B. MONTANVS *succedit Celso Sanctissimo Viro.* Eodem titulo eius meminit Luitprand. in Aduers. n. 249. sic: *Creditur* S. MONTANVM,

NVM. &c. & n.258. isthæc: S. MONTANVS *scripsit ad Turibium.* Similiter Iulian. Archipresbyt. Tolet. in Chron. n.265. istis verbis: *Succedit MONTANVS Archidiaconus Toletanus doctus, & SANCTVS.* Et n. 272. hæc: S. MONTANVS *sub Amalarico habet Concilium Toleti.* Itidem isto ipso cognomine SANCTI illum compellauit tota Toletana Synodus sub Gundemaro Ann. 618. apud Loays. fol. 158. §. Cuius quidem, his verbis: *Sed iam dudùm existere Antiquorum Patrum Synodali sententia declaratur; ea duntaxat Concilij forma, quæ apud* SANCTVM MONTANVM *Episcopum in eadem vrbe legitur habita.* Hic item Loaysa in Not. & in Concil. Tolet. 2. fol. 85. & in Subscript. fol. 91. Demum illo eodem titulo nominat Baron. in Annal. tom. 7. Ann. 531. n. 13. in Margine Roman. *De* SANCTO MONTANO *Episcopo Toletano.* Post hos Ambros. Moral. lib. 11. c. 48. Padilla. tom. 2. Cent. 6. c. 12. & P. Mariet. lib. 5. SS. Hispan. c. 10. P. Marian. lib. 5. c. 7. Pisa Hist. Tolet. lib. 2. c. 17. Vass. in Chronic. Ann. 530. D. Thom. Tamayo in Veritat. Dextr. in Catal. Episcop. Tolet. n. 28. D. D. Didac. de Castejon in Primat. Tolet. tom. 1. p. 1. c. 8. fol. 124. D. Francisc. de Sandoual Hist. S. Antonin. Palentin. § 4. fol. 19. I. Yepes in Chron. Benedict. Cent. 1. c. 3. Eius Acta singulariter descripta damus.

ACTA S. MONTANI EPISCOPI Toletani Confessoris, ex S. Illephonso, & aliis Scriptoribus Hispan.

MONTANVS nobilis Ciuis Toletanus, ex Palatinis Regiæ domus Gothorum, illustri prosapia alumnus, Catholico ipse, & tota familia ordini censebatur. Primitus in secularibus armorum facinoribus instructus, myriadum copias dux rexit militum, feruescente ætate peruslidus, sed ad matrimonij iugum omnimodum ferocis spiritus submittens instantiam, aulicus per tempora, quieti; & otio vrbicus adquieuit. Ast Aulicorum varietatis diffugiens inedias, & Curialium veritatis insidias temnens, & timens, contracta cum Catholica vxore (vt tunc moris erat) de separatione thori pactione, sic vt domi tanquam fratres germani commorarentur insimul, ille ad Clericalis studium habitus, animum accommodans, feruentissimo spiritu, breui rudimenta didicit. Coadunatus postmodum, ex hoc, inter S. E. Toletanæ chori asseclas, demum omnium gradus Ordinum Ecclesiasticorum, suis efflagitantibus meritis absque retardatione percepit. Crescebat, ad manum, continuò eius virtutis splendor, & sic omnium commilitonum in bonis operibus actus exciuit, & animos, vt protinus ad Archidiaconatus illius insignis Ecclesiæ dignitatem, Celso instante Sanctissimo Præsule, accitus, muneris onera, præ excelso miscuit honore. Erat verò tunc Theodoricus Ostro-Gothorum in Italia Rex, Amalarici Nepotis Gothorum in Hispania Principis Auus, qui ætate inspecta Amalarici tenera, tutorio nomine, omnes Hispaniarum prouincias regebat. Sed crescente in Principe sensu, Auus, vt imperij habenas Nepoti absque subleuatione pertraderet, Hispanias deuenire constituit, & Toletum demigrans, inter Palatinos, & Ciues, circa Regis ingressum, & alia ad vrbanitatis formulam spectantia (prout vanæ hominum mentes) fera, & quasi ciuilis est exorta contentio. B. ergo MONTANVS, ea quâ præditus humanitate, sic populi tumultus blanda peroratione sedauit, & Procerum iurgia pura exhortatione molliuit, vt recepto Rege, omnia ad Populi, & Aulicorum palatum, seruato vniuersorum reduceret statu. Istis si quidem, & aliis actionum insignium facinoribus Sanctissimus

Archi

Archidiaconus orbem ferè totum admiratione replebat, cum S. Cellus Toletanus Episcopus ad Treuiros Germaniæ, quorum vernulus erat, proficiscitur; quo è viuis sublato, omnium suffragiis, & Regis plausu, in Patriarchalem Cathedram vrbis Regiæ, cuius fuerat Leuita, MONTANVS ascendit, licet ipso renitente, Prælatus. Illicò regimen honoris retemperans, omnia condigno disposuit iure, ita. vt nihil absque ordine efficeretur. Præcesserant quippe, aut bellorum disturbio, aut Regis tutellæ confusione nonnulla, quæ correctionem, & morum reformationem absque detentione petebant, & ideo ne serperet corruptela, Toleto Concilium indixit, cui septem duntaxat Pontifices interfuere, qui licet numero pauci, virtute, atque doctrina percelebres, cum Zorobabele suo, in medio quamuis hostium positi, templum reædificare sunt constantia animorum aggressi. Quinque in hac Synodo ad disciplinam ecclesiasticam augendam, & mores fidelium reformandos Catholicus consessus canones decretauit; quibus Ecclesia Hispana in ordinem redacta, in posterum morum suaues respirauit odores. Per hæc tempora apud Palenrinos Presbyteri nonnulli in fœdam sunt deceptionem elapsi; nam credentes se posse, ordinis priuilegio, chrisma consecrare sacratum, illa, Episcopis repulsis, sacrilega temeritate faciebant. Sed & ad alios transeuntes excessus, pro Ecclesiarum consecratione alienæ sortis Episcopos adferebant. Quibus vt malis obsisteret MONTANVS Palentinis sequentem epistolam direxit eisdem:

Dominis dilectissimis Fratribus, Filiisque Territorij Palentini, MONTANVS Episcopus Æt. Sal.

CVNCTARVM Ecclesiarum, Domini piissimi, Præsules, per Ezechielem Prophetam terribilis illa commonitorij dictio, sub Speculatoris nomine, concutit, dicens: *Fili hominis Speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me: si dicente me ad impium: Impie morte morieris, non annuntiaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat; ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem enim eius, de manu tua requiram.* Quæ huius lectionis ordo, de admonentis, admonitique animis exquirendum ostendit. Hac ergo voce permotus, huius officij necessitudinem me suscepisse non nesciens, studere curaui, ne cuiusdam perditi animam de manu mea Christus inquirat: præsertim cùm Toletanæ vrbi Metropolitani priuilegium vetus consuetudo tradiderit; & eo magis non solum Parochiarum, sed vt Vrbium cura huius vrbis solicitet Sacerdotem. Ergo vt Apostolus dicit. *Quid horum vultis: In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Noua namque præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum, nostrorũ pulsauit auditus, si tamen noua tantùm, & non detestabilis dici possit, quæ ab initio fidei Catholicæ nunquam præter nunc subrepsisse probatur, vt quod per manus summi Pontificis Trinæ diuinitatis inuocatio sanctificare consueuit; Presbyter ignarus disciplinæ conficere sibi chrisma præsumeret. Hoc si ignauiæ est, tam demens Sacerdos esse non debuit: si præsumptionis est, hunc schismaticum esse. quis nesciat: qui inauditam rem, & religionis contrariam, senescente iam mundo, talis temerator iudicat? Reuoluatis manibus vestris, ô Presbyteri, sacratissimum Numeri Librum, in quo vestri Officij in septuaginta

C.3.& 33

1. Cor. 4.

C.11.

Senio

Seniorum personis auspicatus est honor, & inuenietis quorum negotiorum vobis prærogatiua concessa est. Auditores suos Dominus nostri laboris secundo dignitatis gradu esse voluit, non temeratores sacrarum quarundam rerum permisit. Sic Nadad, & Abiù ignem afferentes alienum, id est, sui officij non debitum, diuinus ignis absumpsit. Sic Core, Dathan, atque Abiron; Moseo Dei Dei gratia diuinis eloquiis perfruenti, inuidentibus, ac dicentibus: Non soli tibi loquutus est Dominus, quia omnis congregatio sancta est, nouis chismaticis interitus, nouæ prædicationis aduenit: vt ieiuno ore insatiabiliter terra sorberet, quos indignatio diuina damnasset. Quid memorem Oziam, qui non contentus Regalibus facibus, ne fungeretur & Sacerdotis officio, contra ius, fasque, potestatis velatus cothurno, oblationem expiationis solis Sacerdotibus debitam, offerre pararet, sic vltione cœlesti lepra perfunditur, vt munere Sacerdotis, & Regis careret, exclususque ad obitum permaneret. Ozam pariter, quantum ad ipsum erat, deuoto officio, iumentis calcitrantibus, ne arca Dei laberetur, sustinere parantem, diuinitus persecutio illata, consumpsit. Ostendere scilicet volens, quia nullis omnino causis, nec sub occasione humilitatis præsumentibus, diuina officia,& sacramenta cœlestia, ab eo cui non incumbit, officium contingi aliquatenus debet. Caueant ergo, caueant ij, qui sibi putant esse licitum, quod aliis non ignorant esse illicitum, ne similis eos horum, quos memorauimus pœna percellat. An forsitan Sanctorum Patrum regulas, & constitutiones synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur Parœchenses Presbyteri non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per Rectores sacrariorum annuis vicibus, chrisma à præsidente sibi Episcopo petant? Credo quòd qui petere iusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt. Prouiderit ergo, charitas vestra, ne post huius humilitatis nostræ interdictum, donec & consuetus vobis à Domino præparatur Antistes, quisquã vetita iterare præsumat, & incipiat grauiorem ecclesiasticæ districtionis sustinere censuram: Vtatur quisque honoris sui concesso priuilegio, quod proprium sit ordinis Presbyterij; non quod summi Pontificacatus est, improbus minister adsumat. Quisquis post hanc admonitionem in huiusmodi rebus aliquatenus fuerit deprehensus, sub anathematis insolubili vinculo se nouerit esse damnandum. Cui in hoc ipso non parum humanitatis conceditur. quòd nunc eum transire patimur impunitum. Sanè si Dominus voluerit, cùm tempus Paschalis festiuitatis aduenerit, si vobis ad petendum impossibile est, datis literis vestris indicare debetis; & Nos sacri huius liquoris vltro poterimus transmittere gratiam, dum non præsumatur cita.

Leu.10. *Num.16.* *2.Reg.6.*

Pari ratione cognouimus, quòd ad consecrationem Basilicarum, alienæ sortis à vobis Episcopi inuitentur, & licet sint vnius fidei copula nobiscum in Christo connexi, tamen, nec prouinciæ priuilegiis, nec rerum Domini noscuntur vtilitatibus conuenire: quia iam ad ipsum huiusmodi fama perlata est. Ideoque salubri ordinatione consulimus,vt si quando talis necessitas incubuerit, literis Nos informare debeatis, & aut per Nos, aut per eum, qui Nobis ex fratribus, & Coëpiscopis Nostris visus fuerit, & consecratio Ecclesiarum, Deo auspice, poterit celebrari. Præterea perditissimam Priscillianistarum sectam, tàm actis, quàm nomine, à vobis præcipue nouimus honorari. Rogo, quæ est ista dementia, in cuius amore superfluè labi, quem in opere non velis imitari. Nam vt

pauca

pauca de eius spurcitiis in notitiam vestram deducam, exceptis his, quæ in diuinitate profanus erupit, & ore sacrilego blasphemauit, omnium vitiorum in eodem congeries; veluti in sordium sentina, confluxit, vt sectatricum pudorem impudefactus adulter eriperet, & vt ad sceleris nefarij effectum facilius perueniret, maleficij vsum gesta etiam eidem adsignant. Quid, tandem in hoc, Religioni congruum fidelis cuiusquam anima veneratur, qui non solùm à Sanctis Sacerdotibus refutatus est, verum etiam Mundani Principes iustitia legum suarum, eum pro memorati sceleris qualitate damnarunt? Hunc talem fuisse plenius discet, qui Beatissimi, ac Religiosissimi Viri Theoribij Episcopi ad S. PP. Vrbis Romæ Leonem, libros editos legit, in quibus hanc sordidam hæresim explanauit, aperuit, & occultam tenebris suis, perfidiæquè nube velatam in propatulo misit. Ex ipsis etenim libris, qualiter cauere, quid respondere contra sacrilegos possit pius lector, inuenitur. Vnde quæso, vt perfidiam cum auctore damnantes, atque anathematizantes, rectæ fidei regulam teneatis, & de omnibus superscriptis cautiores exhibere vos procuretis, quo facilius, nec mihi de taciturnitate possit esse damnatio, & vobis de obedientia fructum maximum coram Saluatore Deo Nostro prouidere possitis. Pax Domini cum omnibus vobis.

Ast quia Palentinorum naturam Sanctus Antistes à multis seculis agnouerat efferacem, & acrius in sua opinione, etiam hæretica persistentem, cuius emollire duritiem haud quaquam comitatis poterat persuasio; disposuit, vt relata Epistola ad manus remitteretur Turibij, illius vrbis accolæ, qui eximiè Catholicus, totas Presbyteris, & Populo Præsulis mentis orationes ediceret. Quod vt consequeretur felicius, illi isthæc suæ paginæ argumenta direxit.

Domino, eximioquè Viro, præcipuoque Christicolæ, Domino, & Filio Theoribio.

MONTANVS Episcopus Salutem.

Alvmnvm te fidei Catholicæ, & Sanctæ religionis amicum, etiam in actibus mundialibus conuersantem valde, & nouimus, & probauimus. Cùm autem adhuc floreres in seculo, ita claritatis tuæ vita perpatuit, vt secundum sententiam Domini, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari non negares, & Deo, quæ sua sunt, deuota mente persolueres. *Matth. 22.* Iure etenim te diuini cultus in hac præsertim prouincia nominabo. Putas ne quanta tibi apud Deum maneat, merces, cuius solertiâ, atque instinctu, & idololatriæ error decessit, & Priscillianistarum detestabilis, & pudibunda secta contabuit? Si tandem adhuc, & in nomine honorare desistant, cuius per tuam admonitionem collapsa esse opera non ignorant. Nam de terrenorum Dominorum fide, quid loquar? Cui ita tuum impendisti laborem, vt feroces cohabitantium tibi animos ad salubrem regulam & normam regularis disciplinæ conduceres. Præstauit diuina prouidentia quia id, quod summo labore conatus es, precibus, & oratione perficeres. Quæ tamen ex Palentino conuentu ad Nos peruenerint Celsitudini vestræ indicare curaui: quò facilius per vestram increpationem nefanda præsumptio in posterum conquiescat. Quidam (vt ad Nos perlatum est) Presbyteri

byteri auſu temerario, res ſacras non tàm conſecrare, quàm violare præſumunt, & cunctis ab initio fidei Catholicæ ſeculis inuſitatum, ſummis ſui ordinis hominibus, niſi tantum Pontificibus debitum, ius conſecrationis chriſmæ, neſcio quo typo, an dementiæ dicam, indubitanter adſumunt: Quod quàm ſacrilegum ſit, piiſſimam conſcientiam tuam latere non credo: & ideò ſpero, vt pro eneruanda hac ipſa ſuperfluitate, Sacerdotis ſeueriſſimi auctoritate vtaris, & tantæ rei temeratores diſtrictiori increpatione coërceas. Qui, ſi poſt datam admonitionem nefas iterare præſumpſerint, contumacia eorum, ſententia conuenienti damnabitur.

SIMILI ratione cognouimus, eo quod neceſſitudine conſecrandarum Baſilicarum, fratres Noſtri alienæ ſortis Epiſcopi in locis iſtis inuitati conueniant, & licet ſit in toto Orbe Sponſæ Chriſti thalamus vnus, eiuſque Antiſtites vnâ in eodem fibulâ charitatis, & fidei vnione connexi, quod tamen priuigelium deceſſori noſtro, necnon Dominis, & fratribus noſtris Carpetaniæ, vel Celtiberiæ Epiſcopis veſter Coëpiſcopus fecit, in exēplaribus charitati veſtræ direximus, vt ſcire poſſitis improba petitio qualem potuiſſet habere effectum. Et certe Municipia, id eſt, Segobia, Britablo, & Cauca, eidem non quidem rationabiliter, ſed pro nominis dignitate conceſſimus, ne collata benedictio, perſona vagante, vileſceret. Quod ipſi tantum modo, dum aduiuit, præſtitum fuiſſe cognoſcite. Hoc ergo prouidere volumus, vt conſuetudinem antiquam nulla ratione prætermittere debeatis. Quòd ſi hæc noſtra admonitio in vobis nihil profecerit, neceſſe nobis erit Domini noſtri exinde auribus intimare, pariter, & filio noſtro Ergani ſuggerere, vt huiuſmodi auſum præcepta culminis eius, vel diſtrictio Iudicis, non ſine veſtrorum detrimento, ſeueriſſimè vindicent. Tanta enim tribuente Deo eius eſt pietas, vt nihil de hoc, quod ius antiquum cuſtodiſſe probatur, immutari permittat. Diuina vos cuſtodiat Trinitas, Amen.

ISTIS vt creditur Theorbij induſtria ſopitis erroribus, in ſui muneris exercitationibus vigil MONTANVS ſpeculator exiſtens, vitam licet oneribus plenam, attamen conſcientiâ quietam, & fructuum cumulis placidam, remoto cenſore, texebat. Sed cùm nulla ſit hominum linea, quam antiquus ſerpens, Deo permittente, non laceret, & Numine diſponente, non deleat, aut propter tentati meritum, & coronam, aut propter horrorem perfidi perſequentis, euenit, vt MONTANI innocentia, coniugis conſortio mouente, dolis impiorum impacta decreſceret. Per omnium cœpit abſonus peruulgari rumor auditus, quòd S. Vir diſfractis vxori promiſſis pactionibus, carnis fragilitate deuictus, aut voluptaria pruritus excitatione ſuccenſus, ſororium coniugi thorum fœda reiteratione violaret; quo plebis vulgus, ad malum pronus, in peius famam accipiens, Pontificem diſtortis oculis, conſpiciebat. Cuius rei ſibilum MONTANVS licet tarda ſpeculatione dignoſceret, vt à ſe coniugalis conuerſationis infamiam propulſaret, & proſtratæ turpiter pudicitiæ honorem debitum reſarciret, tandiu aſſumptos veſte candentes tenuit carbones, donec Domino conſecrans oblationem, totius per ſemetipſum Miſſæ celebritatem compleret. Quo ſacrificio expleto, prunarum ignis cum decore veſtis adeò in concordiam venit, vt neque illa vim extingueret ignis, neque iſte veſtis deleret ſtatum: quinimmo, prunæ ignem, & veſtis inuenta eſt conſeruaſſe decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, qui

qui suæ multiplicis ad eius seruos prodigiosa demonstratione clementiæ permisit in hoc puræ conscientiæ examine, quòd per simplicem naturam ignis, & detestabilis accusantis conuinceretur fallacia, & inculpabilis agnosceretur innocentia Beatissimi Sacerdotis. Tandem virtute spiritus nitens, & eloquij opportunitate decorus, gloriosus habitus fuit: qui postquam nouem annis Sedis primæ Cathedram obtineret, sanctitate mirabilis, & doctrina insignis ad illam beatificæ visionis sedem Confessor inclytus remeauit Augustam. VII. Kalend. Martij, Anno Domini D.XXXIV. Ad eius tumulum Carmen inscripsit hoc sepulchrale Iulianus eius successor, quo breuiter, & venuste eius acta recenset:

Marmore pura iacent isto sub Præsulis ossa
MONTANI, *cuius dogma renascit ouans.*
Plurima sic prudens horrentia delet in Orbe,
Hæresis vt mastix vrbe vocetur epos.
Si thoris innocuus vixit, tu examina lege
Ignis, vbi æterni sunt monimenta Dei.
Prosilit ergo liber prunis crepitantibus almus;
Quibus nec vestis, nec pyra veste cadit.
Moritur. Ad superos translatus creditur hæros:
Septima quo Martis mense Kalenda viget.

Isthæc Carmina ab Aulo Halo meo mutuaui, qui inter alia, hæc à Iuliano conscripta MONTANO excripsisse fatetur. Illa procul dubio vidisse crediderim apud P. Hieronymum Roman de la Higuera in suo MS. Martyrologio Hispano, vbi in hunc diem reiicit eius festiuitatem; nisi iusto errore deceptum à D. Thoma Tamayo d. n. 28. fol. 121. col. 2. fatearis, vbi S. Præsulis Nostri Translationem ille hoc die consignat, ad cuius probationem Dextri (lege Maximi) Ann. 525. verba recenset. Sed hallucinatus est absque dubio gentilis meus: Nam ibidem Maximus non de Montani, sed de Celsi Translatione commeminit. Eius inspecta verba: B. MONTANVS *succedit* Celso *Sanctissimo Viro, qui patriam suam* Treuirensem *repetens, ibique prædicans, vitæ sanctimonia, ac miraculorum frequentia fulget: Eius* Translatio *celebratur* XXIII. *Februarij*. Iam vides Tamayi errorem. Quis vnquam MONTANVM Treuirensem agnouit? Quis apud illam vrbem eius Translationem somniauit? De Celso sic, vt infra patebit. Sed vt ad rem nostra se conuertat oratio, P. Higuera, aut lecto epigrammate sepulchrali, aut alia de causa, quæ ignoratur, ad veram festiuitatis diem accessit, sic Latinè *Toleti memoria* S. MONTANI *ipsius Ecclesiæ Archiepiscopi, de quo* S. Illephonsus *luculentum concinnauit elogium, eius dies festus ex antiquis monumentis colitur die* XXIII. *Februarij, quieuit in pace ERA* D. LXXII. *Anno Domini* D.XXXIV. Circa annum nulla dubitatio est.

VNA aduersus P. Ioannem Mariana lib. 5. c. 7. nec vulgaris mihi se offert disputanda. Iste doctissimus Chronographus agens de purgatione MONTANI pro redimẽda opinione eius prostratæ pudicitiæ, duo asserit; & quòd examen per ignis attactum *lege iubente* suscepit; & quòd ab ista deinceps actione sumpserit exordium, hæc purgationis apud Gothos formula vulgaris. Eius verba ausculta: *Ex hoc principio* mos *ille in Hispania manasse videtur Gothorum* legibus *non vno loco receptus, ab diuinis abhorrens, furta, adulteria, aliaque crimina purgandi, candentis ferri attactu, aut feruentis aquæ haustu.* Et loquens de purgatione MONTANI dixerat; MONTANVM *prostrata turpiter pudicitia lege postulatum, innocentia indicio prunas sinu continuisse, dum sacris more Christiano operam daret.* Si ergo *iubente lege* S. Præsul

ad examen deuenit, necessario fatendum est, morem illum non ex illa processisse origine, cum iam esset scripta lex formam purgationis proponens. Si non erat lex, quo pacto hæc *legis* iussione perfecit? Lex nulla fuit apud Gothos de ignis candentis attactu vnquam, ergo S. Antistiti perperam tribuitur, quod nec lege ciuili scripta iubebatur; & licet esset, tanquam diuino iuri abhorrens, ille neutiquam reprobam adimpleret. Non erat mos: quia vt ipse Mariana fatetur, ab illo accepit exordium. Fateor de huiusmodi purgatione vulgari legem apud Gothos fuisse latam, sed hæc per fere vnum seculum post MONTANI discessum, hoc est tempore Witizani Regis, in excidij Hispanici vesperis, vt patet ex. l. 3. tit. lib. 6. Leg. Gothor. sed nec hæc in antiquo more accipit fundamentum, sed simpliciter obscuri iuris eruendam veritatem. Ex quo liquet B. Præsulem non legis, aut moris necessitudine, sed Dei instinctu ad hæc venisse carbonum candentium examina, vt Deus & Antistitis propalaret candorem, & accusantis detegeret falsitatem.

CIRCA Præsulis Nostri prudentiam in placatione tumultuum in ingressu Theodorici Ostrogothorum per Italiam Regis: testis est Luitprand. in Aduers. n. 249. his verbis: *Creditur S. MONTANVM, cum esset Archidiaconus Toletanus, in aduentu, & receptione Theodorici, Regis Ostrogothorum, non parum valuisse, vt esset pacifice receptus, vt tutor Amalarici Regis Nepotis sui.*

QVATENVS ad consuetudinem separationis thori inter coniuges, quando Vir ad Ordines ascendere cupiebat vxorumque sororio nomine retentionem: innumera sunt exempla. Paulini Episcopi Nolani Acta, Apri Monachi, & Tullensis Pontificis res gestas perscrutare. Illius apud Surium, Rosuueidum, & Nos infra die XXII. Iunij. Istius apud S. Paulinum epist. 31. Suassayum, & Martyrolog. Roman. die XV. Septembris. Erat tunc istis Sanctis Viris vxores non iam duces ad mollitudinem, vel auaritiam, sed ad continentiam, & fortitudinem reduces in ossa virorum suorum. Quas exinde charitas Christi tanto illis firmioribus, quanto castioribus nexibus copularet: vt essent iidem coniuges, qui fuerant, sed non ita coniuges vti fuerant: essent ipsi, nec ipsi; nempe qui sicut Christum, ita semetipsos iam secundum carnem non nossent. Erat denique vna quæuis mariti conserua in labores corporeos (inquit Paulin. d. epist. 31.) ex affectu spirituali, vt coniugis libertatis pretium faceret seruitutem suam, de nutu illius pendebat, & in eius statu sistens, in ipsius ambulabat vestigiis, *in* marita anima animabatur, & sic in eius vita deficiebat, vt in vita ipsius reficeretur. Non illa in secularibus negotiis mundo, sed Christo seruiens, propter quem mundum patiebatur, ne coniux pateretur. Vere iuxta diuinum opus, & verbum facta in adiutorium illi, & ad ipsum habens conuersationem suam de Viri viuebat afflatu. Curabat illa seculi curas, ne ille curaret: possidebat mundana, ne ipse possideretur à mundo, sed à Christo. Non illam a proposito coniugis discors abiungebat voluntas, sed quod magis mirum est concors fides, opere, diuidebat voluntate coniunctam. Nam sine animi captiuitate rem captiuitatis, in liberate spiritus administrans, firmabat manus suas in opera virtutis: brachia sua extendebat ad vtilia, accincta fortiter lumbos suos, & escas pigritiæ non edens, facta erat coniugi, tanquam nauis, quæ mercatur à longinquo: necessaria diuisione reddens per se Cæsari, quæ erant Cæsaris, vt quæ Dei fuerant, per Virum ministraret Deo. En illorum temporum honesta coniugia. Isthæc permisit MONTANVS Noster in Synodo II. Toletana Canon. 1. Non quæ impostor sacrilegus tribuit Clericis, & Sacerdotibus Hispanis, quos ex illo decreto sumpta occasione) coniugio carnali dixerat implicatos, vt notauit P. Ioann. Marian. d. lib. 5. c. 7.

TOLETVM, Vrbs Regia olim, nunc Imperialis, de ea diximus die I. & XXIII. Ianuarij, vbi de eius antiquitate duas retulimus opiniones. Nunc quod Coloniæ titulo consignaretur, vide ex Goltzio Hist. Aug. fol. LI. n. 19. antiquum numisma.

Turrita corona effigies inspicitur decorata, aut quia Caput Carpetaniæ vt diximus, aut quia ipsa vrbs turrium densitate compacta, & mœnium fortitudine
G. cincta supra montis pyram magnitudinis suæ specimen condemonstrat.

TRANSLATIO S. CELSI Episcopi Toletani, & Treuirensis.] Eius natalis die XXX. Maij consignatur, ibidem eius Acta curabimus recensere puriora. Nunc ad *Inuentionem*, & *Translationem* sacrorum pignorum calamum conuertamus. Philipp. Ferrar. in General. Catal. SS. fol...... ista recenset: *Treuiris, Inuentio* S. CELSI *Episcopi*. Eadem in Topograph. sacr. fol. 128. Conueniunt Molan. ad Vsuard. Galesin. & Maurolyc. Acta, & Inuentionem sub vna coniunxit periodo Suassayus tom. 1. Martyrol. Gallic. fol...... hisce verbis: *Treueris depositio, & Inuentio* S. CELSI *Episcopi, & Confessoris, qui* Quintus *nobilis ordine huius sedis* Antistes, *eam Ecclesiam inter ipsos persecutionum turbines mirifice direxit; vitaque & moribus cum Christi disciplina consonis, tum studio, tum exemplo populi sui mentes ad patriæ cœlestis amorem accendit. Denique optime munito ouili, doctrinis, & disciplinis æternam ad requiem profectus est. Quibus autem polleat apud Deum meritis, post obitum magnis virtutum diuinarum significationibus, quæ ad eius patrocinium peractæ sunt, innotuit.* Ioann. Trithem. in Chron. Hirsaug. Ann. 995. fol. 43. luculentius: *His quoque temporibus claruit apud* Treuiros *nostros* Theodoricus *Monachus Cœnobij S. Mathiæ Apostoli, Ordinis nostri, qui cum esset Vir studiosus atque doctissimus scripsit de* Inuentione S. CELSI *librum vnum, quæ per Egbertum Archiepiscopum*, VII. Kalend. Martij *in præfato Monasterio facta est.* Chron. Magn. Belgic. Ann. 970. distinctius: *Venerabilis* Egbertus *Traiectensis Episcopus, filius Theodorici II. Hollandiæ Comitis nobilitate, & virtute insignis, cœpit anno* DCCCC. LXX. *Pontificatus Ioannis XIII. Anno IV. præfuit annis* XXIII. *Corpus* S. CELSI *Confessoris in cœmeterio S. Eucharij, ipse pro celebrando ibidem diuino Officio*, inuenit, *& ad Monasterium pertulit.* Etiam huius Translationis meminit S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 525. in impressis *fol.* 181. qui agens de S. CELSO subscribit: *Qui patriam suam* Treuerensem *repetens, ibique prædicans, vitæ sanctimonia, ac miraculorum frequentia fulget. Eius Translatio celebratur XXIII. die Februarij.* Sed notandum est hanc vltimam clausulam additam esse textui *Maximi*; forte deceptionis in Codice Roderici Cari nota. Nam in cæteris MS. quos viderim; Verba: *Eius Translatio celebratur XXIII. die Februarij*, non in textu, sed in margine reperiuntur. Et optima ratione; quia hæc *Inuentionis*, siue mauis *Translationis*, vt ex superioribus appinximus, memoria, ad Annum Domini confecta est DCCCCLXXVIII. decursis fere CCC. annis à morte *S. Maximi*; sicque minime potuit de *Translatione* discutere, cuius adhuc actio sub silentio iacebat. Acta ergo hæc sunt.

HISTORIA
De INVENTIONE *Reliquiarum* S. CELSI *Confessoris.* *Auctore Theodorico Monacho in Cœnobio S. Mathiæ Hirsaugensi qui vixit* ANNO DOMINI *M. I.*

OTTONE Secundo, Maximi Ottonis Augusti filio Romani Imperij sceptra tenente, Anno Salutis DCCCC. LXXVIII. Treuirorum Ecclesiæ præfuit Egbertus Archiepiscopus, clarus quidem genere, sed virtutum splendore longe clarior. Hic Monasteriorum paupertates dolens, vt restaurarentur eleemosynas plurimas illis elargiebatur. Sæpe enim valde doluit, non sine lachrymis, & aliis suspiriis testans dolorem suum in quo Beatissimus Præsul Eucherius cum Sanctissimis Sociis suis quiescit, tàm multis annis, ex nimium abiecta, & vili materia constructum cerneretur. Atque ea causa meditabatur structuram nouæ Basilicæ, quæ tàm insignibus Patronis, pro humana existimatione digna foret; vetus illud sacellum redditum depositorium, non sine obliqua reprehensione appellans. Cumque in ea cogitatione crebro versaretur; contigit, eum aliquando Ottoni Imperatori, quem diximus, familiariter præceteris Ecclesiarum Antistibus adesse, eique inter alia, quæ ad Ecclesiasticam vtilitatem pertinerent, colloquia, hanc suam aperire voluntatem. Imperator vero, vtpotè cumprimis Catholicus, votis illius impensè congratulans, omnem opem, & ad noui operis impensam, censualia dona promisit. Hac Cæsaris pollicitatione animatus Episcopus mox accersit fossores, & cœmentarios permultos, qui cùm aliquot dies fuissent in opere, præter omnium opinionem in B. CELSI sarcophagum impegerunt; diuina id proculdubio, agente prouidentia. Erat is sarcophagus ex miri candoris petra, quam vulgus *Cretam* vocat, impositaque ei visebatur tabula, cui hoc erat inscriptum Epitaphium:

Sollicitus quicunque cupis cognoscere tumbam,
Præclarus iacet hic nomine, vel meritis
CELSVS, *quem Dominus vero insigniuit honore:*
Non segnis patriæ, semper vbique vigens.
Qui genus, atque ortum claro de stemmate traxit,
Affectuque pio conditur hoc tumulo.

Operarius autem, qui primus in hunc impegit sarcophagum, rusticus fuit plane rudis, & crudus, vt solent plerique tales. Cumque ad rem inopinatam cunctantius cum agere oporteret, ille rustica temeritate tabulam bidente perfregit, ita vt vix à dictis viris titulus expedite legi posset. Obiurgatus verò ab aliis, quòd scripturæ parcere noluisset, ita fertur respondisse. Ecquid, nam commeruit Petra hæc quam perfregi, non pluris apud me est, quam humus, quæ calcatur à pedibus meis, nec nullum inter hæc, meo iudicio, discrimen est. Sed non cessit impunè homini temerario, quòd magaritam in summi Regis diademate reponendam, tàm negligenter attrectare ausus fuit. Tertio autem die subitanea morte

extinctus

extinctus est, & suo exemplo docuit mortales, B. CELSVM cum Apostolo, fidelibus esse odorem vitæ, in vitam; infidelibus autem, & obstinatis odorem mortis, in mortem. Et multis sanè ille hominis repentinus interitus, non vulgarem metum incussit. Postquam verò tam lætus reperti sarcophagi nuntius ad aures Episcopi Egberti perlatus est; ille mirificè laudauit Deum, & absque mora eo properauit, quibusdam è clero eum comitantibus, visoque Epitaphio, certior factus est, in diebus suis vrbem Treuericam diuinitus respectam. Nec tamen ausus est, multa adhibita deliberatione, sarcophagum illum suo mouere loco, sed cùm sigillo suo illum communiisset, Monachos illic constituit, qui sine intermissione, ob merita tanti viri collaudarent Dominum, donec ipse cum aliis Episcopis, communicato consilio, quid in re tanta faciendum esset, statueret. Tunc inuocata Synodo apud Ingelhein Regale Palatium, fuit resolutum, vt processionaliter sacra pignora extraherentur, & loco honorifico collocarentur, vt fuit factum; in quo miraculo, & alia insigniora euenerunt, præstante Domino Iesu-Christo qui cum Patre, & Spiritu-Sancto regnat Deus in secula sempiterna.

Isthæc miracula longa oratione contexuit Theodoricus, quorum catalogum; quia prolixum, hic subiicere recusaui. Sed deuotis ad Surium tom. 2. hoc die remittere visum fuit. Hæc celebritas *Translationis* Apostolica est auctoritate in tota diœcesi solemnis, vt refert Bartholom. Fissen. in Florib. SS. Leodiens. hoc die.

TREVERIS, siue TREVIRI, aut TRIBORI hisce passim nominibus vocitatur, Ciuitas antiqua Archiepiscopalis in inferioris Germaniæ circulo ad Mosellam. Septemptrionales populos vocat Ptolom. lib. 2. Tab. 3. Europ. c. 9. Hodie TRIER dicitur à Germanis, TREVIS à Gallis, ab Italis TREVERI, & à Nostris, ipsa eadem Latina pronuntiatione. Galliæ Belgicæ populos fuisse olim antiqua monimenta demonstrant, de quo videndus Ortelius, Stephanus, & Geographi.

F. S. ORDONIVS Episcopus Confessor.] Huius Sanctissimi Præsulis memoriam recolit Ecclesia Asturicensis, tanquam ipsius dignissimus Antistes. Itidem Ordo Benedictinorum, prout eius beatissimus Alumnus. De primo antiquæ Tabulæ Asturicenses. De secundo Martyrolog. Monasticum h. d. his verbis: Apud Asturicas S. ORDONII Episcopi, vbi Hugo Menard. lib. 2. Obseruat. fol. 494. istis: S. ORDONIVS fuit Monachus Benedictinus Sahaguntinensis in Hispania, & Episcopus Asturicensis. Luc. Tudens. in Chron. Era 1075. D. Prudent. de Sandou. in Fundat. Monast. in Sabagunt. §. 37. fol. 86. Anton de Yepes Chron. Bened. tom. 6. Cent. 6. Ann. 1063. c. 1. fol. 199. & 200. Athanas. de Lobera Histor. Legionens. 2. p. c. 29. fol. 290. M. Ægid. Gonzal. in Theatr. Asturic. lib. 2. c. 9. Amicus Noster D. Petr. de Ayngo & Ezpeleta Hist. Ecclesiast. Asturic. n. 70. Eius Acta nullus Latina fecit: ea en tibi damus.

ACTA S. ORDONII EPISCOPI Asturicensis Confessoris, ex Variis Script.

ORDONIVS ex nobilibus apud Castellam, & Legionem est ortus parentibus, ab incunabulis fuit literis eruditus. Qui cum ad discretionis annos deuenisset, despecta militia, cui tunc proceres valido nomen, vt in plurimum dabãt spiritu à cœlesti commonitus, Monachum induere præmissa deliberatione constituit. At cùm per hæc tempora Cœnobium SS. Facundi, & Primitiui Martyrum Hispanorum, Ordinis Benedictini omnium Hispaniâ celeberrimum haberetur; ibidem cucullam, omni animi humilitate suscepit: vbi

variis virtutum floribus onustus, plurimos futuræ sanctitatis spirauit odores. Iam & ætate, & ordine prouectus, Sampyro Monacho illius Regij Asceterij charissimus fuit, qui in S. Ecclesiæ Asturicensis Cathedram euectus, cum cœtus, & monasteria tàm Virorum, quam Mulierum, temporum vitio, indiscreta strage corrupta conspiceret, vt zelo religionis, norma fidei, & vitæ exemplo corriperentur, ex Sahaguntinensi Cœnobio duo eduxit monasticæ religionis lumina Placidum, & ORDONIVM, Asturicamque aduexit, vt illa qua erant pietate præstantes, omnium diœcesis Cœnobiorum regularia instituta, rescissis commentis, & corruptelis diabolica fraude introductis, ad pristinum excitarent statum. Omnia perfecere seduli Commissarij, quibus expletis, illic S. Monachus ORDONIVS omnibus amabilis, nemini nocibilis vitam Angelicam humana veste indutus agebat, quousque Petrus Episcopus Asturicensis Sampyro successor ad superos euocatus, cathedram detulit successori. Nulla adfuit in hoc eligendo, aut mora, aut tergiuersatio, nam ad eius fastigium, omnium suffragiis ORDONIVS, virtutum suarum opinione suadente, ex Monacho protinus sublimatus est Præsul. In istius oneris munere, sic suam direxit diœcesim, vt Antistitum, doctrina, & sanctitudine, inter omnes Hispaniæ vocaretur exemplar, quod in causa fuit, vt à Fernando Rege eligeretur ad opus, sic grauitate compactum, & tanta ponderis dignitate conspicuum, vt esset à solis sanctissimis Pontificibus exequendum. Nam cùm per idem tempus ipse Fernandus cognomento Magnus Legionis Rex, dirupto Sarracenorum miliate, Emeritum vsque insequeretur paganos, & vrbe obsessa, frustra Mauri expectarent auxilium, euenit, vt Benabet Hispalensium Regi, totius illius agminis duci, à Fernando concederentur induciæ, hac, inter alias, conditione pacta, quòd sacras exuuias SS. Iustæ, & Ruffinæ, Virginum, & Martyrum Hispalensium Legatis Christianis sine retardatione contraderet. Annuit Benabet, & copiis libere Hispalim dimissis, Fernandoque humiliter salutato, ad propria inglorius repedaret, & victus. Inter alios (vt moris erat) Episcopus SS. Aluitus Legionensis, & ORDONIVS Asturicensis Christiana castra comitabantur intrepidi. Quorum vt rex agnouerat sanctitatem, illos ad sancta pignora extrahenda, adiecto Comite Munio Muñiz alacri propensione delegit, qui Emerita Hispalim aduenientes, credentiales Regis Christiani, Agareno epistolas commonstrarunt, Illos Benabet humane recipiens, sed (ignoratione loci sanctissimi thesauri) inter ima cordis condolens, qualis esset exitus futurus formidabat ignorans. Per aliquem temporis cursum in comessationibus, conuiuiis, & aliis, quæ ad oblectationem alliciebant, Nuntios ceremoniosa fraude depauit: sed Christiani Oratores, qui nullam in hisce voluptariis retardationibus quietem inuenire valebant, à Rege locum sarcophagi Martyrum continua importunatione petebant. Ast Benabet iure compulsus Præsulibus, & Comiti totam mœstus causam detentionis aperuit. Qui vt Regis animum agnouerunt, protinus indicto triduano ieiunio familiaribus, & Catholicis, ipsi neutiquam ab oratione cessabant. Cùm ecce repente inter silentiosam mediæ noctis quietem minutus fragoris delabitur sonus, qui totum Aluiti Præsulis in oratione degentis occupat habitaculum. Nouitatem speculatur Antistes, & inter croceos gloriæ flammantis radios, baculo innixum Pastorali Pontificem facie decorum, ore pellucidum, & canicie vernantem carneis oculis inspectauit.

Isidorus

Isidorus istius sum urbis Antistes, Deo placuit, ut Corpus meum Legionem *illustret, illud reportare necesse est. In huius rei signum, gloriosam tibi manè dormitionem prædico.* Quo dicto penitus ab Aluiti præsentia simili maiestate discessit. Tunc in se reuersus Aluitus, accersitis sociis, ostentum extendens, & ad mortis se instantis terminum accingens, pura confessione expiatus, & sacra synaxi munitus, suam in ciliciis, & cinere prouolutus horam alacer expectabat. Inter hæc S. ORDONIVS, ne tempus insumeret, ad locum assignatum, à quo sua S. Isidorus sacra lipsana eruenda præceperat, Christianis comitantibus, festinauit; illa inuenit, lachrymis extraxit, & hymnis in gratiarum actione Deo decantatis, in capsa ad hoc exposita reuerenti obsequela locauit. Post modum domum, celeri cursu, sanctis onustus glebis, vt eas Sancto demonstraret Aluito, repedauit; sed frustra gessus diligentia festinat humana, si prouidentia ex aduerso suspendit actiones, tacita dispositione, diuina. Ergo tempore, quo inter rudera lapidum *Ordonius* Doctoris Hispanici pignora quærebat, Aluitus rudem corporis fabricam despiciens, æterna ingreditur habitacula, & cuius viuens in corpore non est ossa veneratus, Antistitis, mortis anfractu viuus ad gloriam, spiritum glorioso meruit spiritu contueri. Hæc cùm agnouit ORDONIVS gratias Deo retulit efficaces, & lachrymis amaris euentum Omnipotentis magnitudinis facinorum, his lætitiæ propter suscepta lipsana, illis doloris propter amissum socium, cœpit mœstus, & alacris celebrare. Hac igitur solemni ploratus expiatione completa, sanctum quoque Aluiti corpus, nulla nec formidine pollutum, immo nec aliquo fœtore corruptum, alia in theca recondens, vtriusque Legionem pignora reportauit. Ad vrbem accessere reliquiæ, sed exorta inter Ecclesiasticos contentione de loco quo reponendæ erant vtriusque, in animalium, quæ illas importabant, successum, quieta compositione reliquerunt arbitrium. Deo duce quoduis gressus ad suam direxit Basilicam, vbi Sanctorum lipsana honorificè condita culta veneratione quiescunt. ORDONIVS Fernando Regi omnia euentus peracta referens, Regiis honoribus, & donariis dimissus, in suam lætus properauit Ecclesiam, vbi magnis eleemosynarum functionibus insignitus, virtutum manipulis plenus, bonorum operum odoribus admirabilis, & vitæ exemplis ornatus, ad Dominum Confessor gloria, & honore coronatus accessit, VII. Kalend. Martij, Anno Domini M. LXV. Cuius corpus in ipsa S. Mariæ Asturicensis Ecclesia fuit honorifice tumulatum; in cuius laudem hoc in lauda sarcophagi inspicitur exaratum elogium:

Tolle precor lachrymas, cessent suspiria lector,
Non iacet in tumulo, res lachrymanda diu.
Hic raptus recubat felici sorte Sacerdos,
Quem lætum cœlis intulit alma fides.
ORDONIVS *cui nomen erat, sed Episcopus alta*
Doctrina pollens, virginitate nitens.
Corde pius, vultu placidus, & mente benignus;
Prudenter simplex, simpliciter sapiens.
Omnibus in studiis tantum celebratus, vt illi

Cederet

Cederet eloquio Roma diserta suo.
Non aliquem verbo, non facto læsit iniquo,
Cum bonitate pius, cum pietate bonus.
Non qui multiplices auri congressit aceruos,
Sed dando miseris, largus vbique fuit,
Vt breuiter dicam, tenuit sic corpore mundum,
Vt corde, atque animo cerneret ille Deum.

IN EPISCOPATV DEGENS VITAM FERE ANN. III. ET DIES XVIII. OBIIT. I. FERIA. HORA TERTIA ERA. MC. III. DIE VII. KALEND. MARTII. ANIMA EIVS REQVIEVIT IN PACE.

Ab aliquibus non inferioris notæ Chronographis Hispaniæ, nescio, qua ducti auctoritate, somniatum est, quod Fernandus Magnus compulit S. ORDONIVM, vt reluctantem Sede relicta, Legionem deueniret, ex qua Hispalem ablegauit. Sed quà ab isto Lector commento caueas, audi verba Fernandi ipsius ad ORDONIVM in quadam donatione, directa: *Propterea quod tu Pater* SANCTISSIME ORDONI *Præsul, vbi dignum exhibuisti obsequium; dum te de* expeditione Ciuitatis Emeritæ *duximus ad* Hispalim, *vocata nuper Siuiliæ, cum Episcopo* Aluito, *vbi ipse migrauit ad Dominum; Tu autem fecisti nobis inde, annuente Domino, deportari Sanctissimum, & gloriosum Corpus B. Doctoris Nostri* Isidori, *Archiepiscopi, Confessoris Christi, qui nunc per manus tuas, aliorumque Præsulum fecimus recondere in Ciuitate* Legione, *in Ecclesia* S. Ioannis, *vbi per te habetur Nostri decus, & gloria doctrinæ, totiusque Hispaniæ Doctor, &c. Facta charta X. Kal. Januar. Era M. C. I.* De quo auctographo videndus D. D. Prudent. Sandoual. d. §. 36. fol. 86.

ASTVRICA, Ciuitas peruetusta Hispaniæ Citerioris, Colonia Romanorum cognomine Augusta, Sedes Episcopalis à nascentis Ecclesiæ exordio, Regum sceptrum post Hispanum excidium, & Progenitorum Principum, Catholici & Hispaniarum, Nouique Orbis Monarchæ, titulus Principis. Omnia hæc suis in locis describemus: nunc de eius antiquitate Ioannem Gerundensem ausculta: ASTVRICA (inquit lib. 3. Paralipom. c. 3 fin.) *insuper vrbs & Prouincia*, Lybicam *habens originem.* ASTVRI *enim secundum CT. Ptolom.* Lybici *sunt, incoluntque, quæ à* Carthagine *respicit Orientem, Ægyptumque ad oram magni fluminis, quod* Symphus *dicitur, quod ab altissimis Arabiæ montibus, per ipsos* Astures, *aliasque* Lybicas *gentes defluit in Mediterraneum, secundum Claud. Ptolom. Hæc gens cum Carthaginensibus in* Hispaniam *peregrinata, vrbem condidit, eamque cum Prouincia à suo nomine denominauit, diciturque* ASTVRICA *vrbs, & Prouincia.* Hæc sententia nemini arridet.

G. B. ELISABETHA Virgo.] Hæc fuit Soror Germana S. Ludouici Francorum Regis, filia Ludouici VIII. & Blanchæ Sanctissimæ feminæ Hispanæ, quæ Tertiæ Alphonsi Regis Castellę cognomento Boni, seu Nobilis, & Eleonoræ eius vxoris, filia extitit, vt probauimus in dissertatione de hoc, patrio sermone, conscripta, qua per annos vitæ Regis Alphonsi, ex priuilegiis, donationibus, & monumentis illius seculi, publicam hanc veritatem contexui. Istam igitur dissertationem Iacobo Chifletio Belgico (qui additiones ad Hispanicas vindicias meditabatur) Domino D. Laurentio Ramirez de Prado sæpius hic laudato traddidi dimittendam, vt meo nomine illa veritatis, structura, vt par erat, in illo opere notaretur. Ast cum Ego illa fecerim, tulit alter honores. Ad rem reuertor. B. Ergo ELISABETHA, ex Matre Hispana, hoc die debitum naturæ soluit, vt ex P. Arturo à Monasterio in Martyrologio Franciscano die XXXI. Augusti lit. E. fol. 401. elicitur. Sed eius festiuitas ad illum diem translata est: *tùm* (inquit doctissimus

ctissimus Pater *) ratione quadragesimæ, quæ sæpe eo tempore adueniens, impediret illius Octauam: tum ob commodiorem opportunitatem de ea, mense Augusti festum agendi, vnà cum fratris sui S. Ludouici Regis solemnitate.* Ideóque in illum diem Acta reiicimus. Cuius memoriam hic apponere curauimus, ne incuriæ vitio notaremur.

SEXTO
Kal. Martij.
DIES XXIV.

A *Apud Oretum Hispaniæ celebris memoria* B. COECILII SEDVLII *ipsius Vrbis Episcopi, qui origine Scotus Hispanias lustrans ad illius sedem accitus, mirifice doctrina fidei, carmine, & prosa floruit, postmodum ad propria remeans claris facinoribus memorabilis, & gloria miraculorum illustris, ad æternam Confessor inclytus, coronis plurimis redimitus, quieta dormitione peruenit.*

B *Vimarani in antiqua Gallœcia Hispaniæ, quod hodie Portugalliæ paret,* S. TOQVATI FELICIS *Ciuis Toletani, & S. Ecclesiæ illius Vrbis Archipresbyteri, qui ob eius merita primò Iriensis, post Portucalensis demum Braccarensis effectus Episcopus, pro fidei defensione, sub Muza Agarenorum duce, cum XXVII. Sociis Ciuibus Braccarensibus, prope Vimaranum occisus, vbi eius venerantur exuuiæ, martyrio æternam felicitatem promeruit.*

C *Cæsareæ Cappadociæ natalis* S. SERGII, *Monachi, & Martyris, cuius sacra pignora Hispaniam adlata, apud Betulonem Laletaniæ in Cathalonia honorifice condita, delitescunt.*

NOTÆ

NOTÆ.

A B EATVS COECILIVS SEDVLIVS Episcopus, & Confessor.] Variè dies natalis S. Præsulis istius ab Scriptoribus consignatur. Camerar. in Martyrol. Britan. ad diem XX. huius Mensis, qui addit, apud alios eius festum poni die XIII. P. F. Ioann. Colgan. tom. 1. de SS. Hiberniæ fol. 316. die XII. consignat. Vnusquisque prout apud suos agnouit anamnesim, diem commemorationis expressit. Nos qui hoc die in Martyrolog. Hispano M S. P. Higuera notatam inuenimus, in hunc diem eius acta reiicimus. De eius *Sanctitate* innumera sunt apud ipsum *Colganum* illustria testimonia. De eo scripsere Turcius Ruffus Asterius Consul, & Patricius Romanus hoc carmine.

Sume, sacer meritis, veracia dicta Poëta,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam iustus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse iubeto,
Cuius ope & cura edita sunt populis.
Quem quamuis summi celebrent per secula fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Liberius, aut Liberatus Scholasticus, & Bellisarius Poëtæ antiqui, quorum carmina acrosthica infra dabimus. S. Gelasius Papa. Cassiodor. de Diuin. Lect. 27. Venant Fortunat. lib. 8. Poëmat. 1. & lib. 1. de Vit. S. Martin. S. Patricius in Commentar. ad Sedul. teste Balæo Cent. 14. & Hammero fol. 46. S. Isidorus in Catalog. Scriptor. c. 7. vbi Myreus. S. Ildephons. serm. 5. de Assumpt. Beda lib. 5. Hist. Eccles. c. 19 Remig. Antisidorens. Episcop. in Epistol. Pauli, teste Hammero fol. 47. Asserus. Meneuens. pag. 1. teste Colgano. S. Etheluualdus, Sigebert Gemblacens. Eadmerus Trithemius, Bellarminus, Richardus Brougthon. Hist. Eccles. Britan. lib. 4 c. 17. & alij plurimi quos enumerat Colganus. Eius Acta scripsit Anton. Nebrisensis Noster typis excussa Compluti Ann. 1535. Alia P. Colganus ex variis compacta recentiori stylo Scriptoribus texuit, quæ tanquam omnia complectentia, libens excribo.]

ACTA B. COECILII SEDVLII Antistis Oretani in Hispania ex R. P. F. Ioanne Colgano.

C. COECILIVS SEDVLIVS in Scotia veteri, quam hodie communiter Hiberniam appellamus, natus traditur; ibique ab ineunte ætate, sub S. Hildeberti Scotorum Archiepiscopi magisterio educatus, & in diuinis, & humanis disciplinis egregie instructus. Adolescentior factus altiorum scientiarum amore accensus, relictâ Insulâ patriâ, in qua tunc Dominica messis, tenerâ solum crescebat in herbâ, ad Britanniam se contulit, inde in Galliam, postea in Italiam, vbi & Poëticæ, & Philosophiæ operam dedit. Deinde in Achaiam profectus, aliquot ibi libros composuit. In HISPANIAM postea concessit, vbi aliquandiu Toleto sacris

conci

concionibus, & verbi Dei prædicationi vacasse legitur. Quid moror, præcipuas Orbis partes, desiderio se in literarũ, ac pietatis studiis perficiendi, peragrauit. Nam (vt ait Sixtus Senensis) *velut alter* Apollonius Tyanæus *fugientem sapientiam toto terrarum orbe perquirens, Britaniam*, HISPANIAM, *Galliam, Italiam, Graciam, & Asiam miro discendi ardore perlustrauit*: vt nimirum tanquam sedula, & argumentosa apis ex omni florum genere, vbilibet terrarum enascentium, eos exhauriret succos, quibus purè distillatis sui pectoris aluearium variis omnigenæ scientiæ fauis, melleoque sapientiæ pariter, & eloquentiæ liquore repleret; & propter piam, veréque cœlicam Viri sedulitatem, quæ cœlum tantummodo respiciebat, quod COELII SEDVLII nomen exprimebat, ab eius opere non esset alienum.

FECIT sanè SEDVLIVS in hisce spatiosis itineribus tantos in omni disciplinarum genere progressus, vt inter Viros illius, quo floruit, seculi quinti, eloquentia, & scientia illustres, haud infimum habuerit locum. Fuit enim Orator facundus, Poëta elegans, Philosophus subtilis, profundus Theologus, vt in pectore non sine miraculo esset intueri diuersarum facultatum dispares disciplinas, quasi in paritate coniunctas, ita nimirum, vt nec subtilitas philosophica, rationis euidentiam ponderi auctoritatum sacræ Scripturæ, & Patrum in aliquo præferret, nec Theologica scientia ex suis reuelatis certa principiis naturalis rationis respueret famulatum; nec oratoriæ facundiæ libera, & soluta facultas, constrictam, ligatamque metri excluderet mensuram; nec denique subiectæ asperitas materiæ, in qua, & nomina, & mysteria aliàs Poëtis, & Rhetoribus ignota passim occurrunt, sermonis soluti vel ligati impedirent elegantiam, aut nitorem. Hinc apud veteres, sanctosque Scriptores SEDVLIVS miris insignitur elogiis. Asterio eius æquali, quod singulare est: *Poëta sine figmenti vitio*; Fortunato, *Dulcis, & radianti conspicuus stylo*; Dextro, *Dei dono in Poëtica, & Oratoria arte praclarus*; S. Isidoro, *Scriptor, qui signa, & virtutes Veteris testamenti potissimum resonat, & Christi sacramenta, & miracula intonat*; S. Ildephonso, SEDVLIVS, *Poëta Euangelicus, Orator, facundus Scriptor Catholicus*, appellatur. Nonnullis Scriptoribus, *diuinis & humanis doctrinis illustris*; Ab aliis, *Vir in diuinis scripturis exercitatus, & in secularibus literis eruditissimus, carmine excellens, & prosa, & mirabili doctrina clarus*, proclametur. Alij his, Alij aliis doctrinam eius miris commendant elogiis: quorum omnium primum, & dignitate Censoris præcipuum est, quo S. Gelasius Papa, & Patres Romani Concilij titulo eum *Venerabilis* SEDVLII exornant, eiusque *Paschale opus insigni laude proferendum* pronuntiant.

EST sanè Opus illud, quod Auctor CARMEN PASCHALE vocat, quodque heroico, & eleganti metro agit de Veteris, ac Noui Testamenti mirabilibus, planè diuinum, summaque dexteritate, ac rara felicitate compositum: in quo nimirum cum magna sermonis elegantia, historica fides integerrimè seruatur, altissimáque fidei nostræ mysteria, ita profundè, clarè, piè pertractantur, vt claritas non impediat profunditatem, neque profunditas quoquam ab angusta Orthodoxæ veritatis semita aberret, sensusque clari iuxta ac profundi eleganter expressi accendant affectum, summamque spirent, ac instillent pietatem. Horum in scriptis eius extant passim præclara argumenta; ex quibus liquet SEDVLII magna in Deum pietas, & in perscrutandis altissimis fidei mysteriis ingenium perspicax, graue iudicium, solidaque do-

ctrina. Neque multo minoribus argumentis elucet eius in Virginem Dei Matrem, alterum Chriſtianæ deuotionis ſcopum, & obiectum, deuotiſſima pietas, piaque deuotio; quam in ſuis paſſim operibus ſpirat IMMACVLATÆ illius CONCEPTIONIS, intactæ Virginitatis, & ſupremæ excellentiæ manifeſtus aſſertor. Nec SEDVLII in Deum pietati, & Sanctis commentationibus ſuum etiam in terris defuit præmium. Sicut enim ipſa fuit (vt ait Aſterius) *gratia Chriſti per quam iuſtus ait talia SEDVLIVS*, ita quoque doctrinæ à ſe infuſæ teſtimonium, & approbatio Chriſti acceſſit, dum non ſolum prædictum SEDVLII opus curauit inter canonica, & illibatæ doctrinæ ſcripta, per ſuum in terris Vicarium, & Romani Concilij Patres recenſeri; ſed & aliud ſublimis doctrinæ, & pietatis opuſculum ab eodem de Chriſti myſteriis, & miraculis compoſitum, in tanto fecit pretio, & æſtimatione ab vniuerſa Eccleſia haberi, vt in partes admiſſum, in præcipuis ſuis ſolemnitatibus, in feſtis nempè Natiuitatis, & Epiphaniæ ſolemniter in diuino Officio decantentur vbiquè: quaſi non poſſet Sponſa Chriſti, Vniuerſalis Eccleſia, aptiore pæane in tantis ſolemnitatibus ſui cœleſtis Sponſi, quam SEDVLIANI ingenij fœtu intonare.

SED nec Virgo Dei Mater in ſuos ſemper propenſa cultores, minori præmio, & remuneratione ſui clientis remunerauit deuotionem; quæ ab Vniuerſa voluit Eccleſia, in ſacratiſſimo Miſſæ ſacrificio continuo ſalutari, & ſuæ ordinariæ Miſſæ introitum illis SEDVLII verſibus inchoari.

Salue Sancta Parens enixa puerpera Regem.

Neque hoc ſolum, ſed & aliis etiam argumentis Deipara Virgo oſtendit quam ſibi placeret caſta, & caſtigata SEDVLII doctrina, & erga ſe ſingularis deuotio. Nam illo panegyrico carmine, quod in eius, ac Sanctiſſimi filij ſui laudem SEDVLIVS compoſuit, ita legitur delectata, vt illud ipſa cœleſtibus Nymphis inter diuinas laudes canendū propoſuerit. Nam vidit Dunſtannus vice quadam corporeis oculis in Eccleſia S. Auguſtini in Capella B. MARIÆ, vbi modo in crypta, ſub feretro B. Auguſtini imago eiuſdem Virginis locatur, Matrem Domini Saluatoris, virginali corona decoratam, mellifluaſque eius voces audirē meruit, quibus ſocias Virgines ad collaudandum Regem ſeculorum hortabatur, concinens illud carmen ſapientis, ac Senatoris SEDVLII.

Cantemus Domino ſociæ, cantemus honorem:
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.

Cumque ab aliis Virginibus hoc fuiſſet acceptum; aliæ qui ſequuntur verſus pronuntiabant:

Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus:
Sic homo cum tumuit primus ad ima ruit.
Vnius ob meritum cuncti periere minores:
Cuncti ſaluantur, vnius ob meritum.
Sola fuit mulier patuit qua ianua letho:
Ex qua vita redit, ſola fuit mulier.

Atque

Atque in hunc modum totius carminis bini, ac bini versus percurrebantur, illis semper repetitis, qui primi à Matre Domini dicebantur: Cantemus Domino. His remunerationibus diuinæ bonitatis vbertas piam SEDVLII sedulitatem dignata est in terris præmiare. Sed ipse deuotus Christi seruus ad aliud sublimius præmium anhelabat, id vnum votis omnibus exoptans, vt dignus fieret, qui supernæ illius Ierusalem ciuibus adnumerari mereretur, & inter eos vltimum locum possidere non propriorum ratione meritorum, sed salutiferæ CRVCIS, sub cuius vexillo militem agebat, intuitu concedendum. Dicebat, sic: *Lib. 1. Carm. Paschal.*

Interea dum ritè viam sermone leuamus,
Spesque, fidesque meũ comitantur in ardua gressum;
Blandius ad summam tandem peruenimus arcem:
En signo sacrata CRVCIS *vexilla coruscant;*
En Regis pia castra micant, tuba clamat herilis;
Militibus sua porta patet, qui militat intret;
Ianua vos æterna vocat, quæ ianua Christus,
Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ;
Arma quibus Domini tota virtute geruntur;
Et fixum est in fronte decus, decus armaque porto;
Militiæquè tuæ bone Rex, pars vltima resto.
Hic proprias sedes, huius mihi mœnibus vrbis
Exiguam concede domum, tuus incola Sanctis
Vt merear habitare locis, alboque beati
Ordinis extremus conscribi in secula Ciuis.
Grandia posco quidem, sed tu dare grandia nosti;
Quem magis offendit quisquis sperando tepescit.

Obtinuit dubio procul Vir pius, quod ita instanter petiit, inter cœli ciues locum, sed planè non infimum: Eiusque nomen à diuersis Sanctorum est albo insertum; inde ab Astero IVSTVS, à S. Alcuino BEATVS, à Gropero & aliis SANCTVS, & ab Ecclesia VENERABILIS appellatur. Nec sanè ignita eius eloquia, sublimes sensus, & probatissima dogmata, ab alio possent pectore, quàm verè Sancto, & S. Spiritus domicilio prodire.

HVIVS ergo cœlestis eius doctrinæ, indefessæ pietatis, cæterarumque virtutum, quibus in Dei Ecclesia effulsit, suffragantibus meritis, ex Presbytero ad Episcopalem dignitatem euectus animarum regimen suscepit. Nam eum *Oretanum* in Hispania Episcopum fuisse, & verbum Dei Toletanis aliquando prædicasse, scribit Dexter. Eum permultos libros scripsisse, & composuisse diuersi tradunt, quorum aliqui XXXVI. Alij XL. Alij plures ei libros attribuunt. Tandem doctrinis excultus, gloriosis facinoribus clarus, compositione librorum illustris, infula Episcopatus candida percelebris, summam illam, quam in æterna perquirebat vrbe, domum Sanctorum albo descriptus, placida dormitione promeruit.

En Acta ex *Colgano*: Qui de patria diserte *in Append. c. 1 fol. 320.* differit. Ast

perperam Nostrum *Flauium Dextrum*, & iniuriè lacessitur; istius non intellecta periodo. Non ergo noster Vir Clarissimus Scotis suum SEDVLIVM origine rapuit. ORETANVM duntaxat Antistitem consignauit, quod aliud est. Sicque Dextro honore restituto in Actis appositiue veritatem est fassus; & in ipso c. 2. Appendicis, in se reuersus, prosequitur: *Adde si concedatur illud opus esse* Dextri, *nihil contra nos efficere, cùm in eo non dicatur* SEDVLIVS *in* Hispania *natus, sed ibi* Episcopus *fuisse. Ex Viris autem nostræ gentis innumeri leguntur inter exteros facti Episcopi.* Si ergo *P. Colgane*, vt tu fateris, innumeri ex tua gente Viri fatentur. SEDVLIVM Episcopum fuisse apud exteros, quam tibi, aut tuis *Dexter* intulit iniuriam, demonstratione Sedis? Aliam demonstrare tenebaris, vt *Pseudo-Dextrum* Nostrum *Verum-Dextrum* sic temerè vocitares; sed cùm aliam non indigetes, vt quid de nostræ consignatione obnubilatus obmurmuras? Et SEDVLIVS verus fuit Episcopus ORETANVS ex Dextro, & huius Chronicon veritate nititur manifesta. Audialium testem hoc carmine Acrosthico.

S *criptor amœnus erat, qui*	A *ntistes carmina Christ*	O
E *t dedit æterno grauis*	N *on paucula Docto*	R
D *ulcia quæ nobis insunt.*	T *u qui discere Ver*	E
V *erbis amas nomen: Siste.*	I *ste est Sedulius: fer*	T
L *umina, qui cœlo*	S *anctus quoq; Carmine magn*	A.
I *nlustrat Vigil en*	T *otas Hispani Flame*	N
V *rbes amœna tuas: & Oreti hic*	E *piscopus act*	V
S *istis; donec epos*	S *cotos repedauit alumno*	S

En principio, medio, & fine, nomen, dignitas, & sedes; illic SEDVLIVS, post ANTISTES, demùm ORETANVS, Auctorem si quæris, Aulum Halum meum in Carminibus M S. apud me, fuisse non dubito, cuius codex M S. Gothicis literis exaratus seruatur.

ANTISTITEM item illum agnouit Liberius Poëta, vel iuxta M S. Bibliothecæ Visserianæ, Liberatus Scholasticus, vt ipse P. Colganus in Appendic. c. 1. scribit, his carminibus, etiam Acrosthicis.

S *edulis Domini per alta noualia pergen* S
E *n loca conspexit multo radiantia flor* E
D *iscurrit per prata libens, quo gramine Daui* D
V *idit diuino modulantem carmina cant* V
L *audato psallente viro refluit Cathera me* L
I *lle vbi grandissono captus dulcedine plectr* I
V *titur, & celeri graditur per lilia pass* V
S *acratosque iterum late prospexit amœno* S
A *eterna Christi fluuios quos abluit vnd* A
N *ec passus torpere diu Doctoris acume* N
T *unc sua Dauidico delectu plectra poposcit* T
I *rrita polluti contempsit gaudia mund* I
S *igna Crucis fronti ponit, breuiterq; truimpho* S
T *angit Christe tuos, numerosaque prælia liba* T
E *rgo his dum vario decorat sua rura color* E
S *tabunt hi gracili ducti testudine versu* S.

Aliud

Aliud etiam Acrostichum ex Bellisario Poëta huic simile subiungit idem Cloganus, sic:

S edulius Christi miracula versibus eden S
E micat, inuitans parua ad solemnia mensa E
D ignum conuiuam: non hunc qui carperet illu D
V ix quod nobiliũ proferret triplici aula parat V
L auum quodque ponit sub aurea testa tribuna L
I n quo gemmiseri, totque aurea vasa canistr I
V iuida pro modico portant sibi gaudia vict V
S ed quod olus vilis produxit pauperis hortu S
A c post delicias properant, qui sumere magn A
N ituntur paruum miserorum spernere grame N
T antũ quod nihil est, dũ nil cum vẽtre tumesci T
I nsidias membrisque mouens animaque lucent I
S i tamen his dapibus vesci dignantur egeni S
T emnat diuitias animus, paucisque quiesca T
E xemplo assumpto Domini, qui millia quinqu E
S emotis cunctis, modicis satiauit ab esci S

En apud istos SEDVLIVM Antistitis titulo consignitum, ab ipsis, & sequentibus infulæ cathedra penitus ignorata; illuxit Dexter, & quam Scothi nesciebant sedem illustri testimonio commendauit. Illum audi: *Fatidio Pontifici Toletano succedit Iscius Monachus Palestinus, qui* SEDVLIVM *amicum suum, &* ORETANVM *Episcopum prædicationis gratia* Toleti *detinet. Qui dono Dei, in poëtica, Oratoriaque præclarus multos libros componit.* Nonne tu Colgane, & tui ab Hispana origine gloriamini producti, ergo vt quid de SEDVLII Hispana sede auerruncaris? Nostrum, S. Virum fecere *Munsterus* in Descriptione Hispaniæ licet hæreticus, & Damianus à Goes, Antonius Nebrisensis, & alij Catholici, & iure Nostrum, tàm ab origine, quam ab Episcopatu, quid ergo adrumas aduersus Dextrum. Quod fuerit Episcopus. Post relatos videndi Sigebert. de Scriptor. Eccles. S. Alcuin. & alij ab ipso Colgano citati d. Append. c. 3. fol. 322.

DE Tempore quo floruerit late disputat idem Colganus c. 4. qui ad annum CCCC. L. reiicit eius S. Viri transitum. De Operibus ab ipso compositis ex Richardo Brougthon ad XL. extendit, hoc ordine:

De Diuinis mirabilibus	Lib.	5.	Carmine.
Ad Theodosium August.	Lib.	1.	Carmine.
De Diuinis mirabilibus.	Lib.	5.	Prosa.
De Miraculis Christi.	Lib.	1.	Carmine.
In Epist. Pauli Collectan.	Lib.	14.	Prosa.
Collationes Vtriusque Testam.	Lib.	1.	Carmine.
Epistolarum ad diuers.	Lib.	1.	Prosa.
Collectanea in Matth.	Lib.	1.	Prosa.
Oratio ad Christum.	Lib.	1.	Carmine.
De signis, & Virtutibus.	Lib.	1.	Prosa.
De gestis, & miraculis Christi.	Lib.	4.	Carmine.
Comment. in Eutychen.	Lib.	1.	Prosa.

Item eidem tribuuntur alia opuscula, quæ Varæus de Scriptor. Hibern. c. 1. & 4. & Vsserus pag. 780. aliis annumeranda conscribunt.

ORETVM Vrbs vt diximus Episcopalis non procul à CALATRAVA, cuius Episcoporum Catalogum attexuimus supra die II. Ianuarij, & III. Februarij, & infra dicemus die XXII. Maij.

H. S. TORQVATVS FELIX Episcopus, & Martyr.] Memoria huius Sanctissimi Præsulis, & Martyris penitus deperiret, ni Chron. Iuliani Petri Archipresbyteri Toletani illam è faucibus eriperet obliuionis. Nam antea Nostrorum ignoratio Scriptorum *S. Torquatum* Accitanum Episcopum, & B. IACOBI Discipulum, cum isto Toletano TORQVATO FELICE confundebat. Ex cuius permixtionis origine, orta est contentio inter Cellæ Nouæ in Gallæcia, & Torquatense Vamarense in Portugallia cœnobia, circa verum S TORQVATI sepulturæ locum. Quodlibet ergo in veritate Monasterium ambulabat, & licet irrefragabilibus vteretur, & niteretur testimoniis, grauem, etsi piam in dies controuersiam erigebat deuotio. Sed, Deo auspice, nebulas ignorationis abstersit Iuliani Nostri sententia, qua vnumquodque suum agnouit TORQVATVM, Cœnobium, Cellæ-Nouæ Accitanum, Vimarensis, FELICEM. Audi Iul. Aduers. n. 319. his verbis: *Non procul* Vimaro *in tractu* Braccarensi *visi Sepulchrum Sanctissimi* TORQVATI *cognomento* FELICIS, *Episcopi Braccarensis, & Martyris, qui interfuit XVI. Concilio Toletano. Fuit patria Toletanus, & eius vrbis Archipresbyter; inde Episcopus Iriensis, inde Portuensis, & Braccarensis. Occisus fuit fidei causa à perfidis Sarracenis sub Muza Anno DCC. XXIV. Sexto Kalend. Martij, vt legi in Martyrologiis. Occisus est autem cum aliis XXVII Ciuibus Braccarensibus. Eius gratia vocatum est Oppidum, prope Complutum, idest Guadalfaxaran, vicus* S. TORQVATI *& in fine Toletani Episcopatus*, S. FELICIS: *& nunc* SAHELICES: *& prope Ciuitatensem Coloniam*, S. FELIX GALLÆCORVM, *Celebris est tanti Viri memoria.* Non inficiatur P. Vasconcel. in Description. Lusitan. tit. Insigniora Sanctorum delubra, n. 29. istis: Vimaranum habet Sancti TORQVATI Corpus, illius qui è tribus Hispanis, nouissimus est. Situm est in Cœnobio Regularium Canonicorum, quod à TORQVATO Torquatum vulgo dicitur. Sed ne adsit aliquis lyncæus inspectator, qui hæc Antonij verba in sensum reprobum accipiat, ignorans qui sint isti tres Hispani TORQVATI, de quorum numero, Nouissimi corpus Vimarani adseruari fatetur, sciendum est, Tres adhuc Hispanos Præsules recolere Hispanam Ecclesiam: alium Discipulum S. IACOBI, cuius corpus apud Cellam-Nouam: alium de quo Dexter apud D. Maur. Castella. Hist. S. Iacob. lib. 2. c. 11. fol. 161. col. 2. qui fuisse patria Romanum fatentur: Tertium nostrum Torquatum Felicem. De quibus Amicus Noster omni Lusitana historia eruditus Emanuel Faria de Sousa, hoc aliquando epigrammate lusit:

Celebrat à multis Hispania seculis Almos
TORQVATOS *passim Tres simul orbis heros.*
Accitanus erat, primus, qui semina Verbi
Protulit ex Septem, Betica rura rigans.
Alter Roma tuos adauxit nomine Diuos:
Est, cui cuna Tyber, tumba sed omnis Iber.
Tertius est FELIX, *qui nomina magna Toleto*
Detulit. At Noster Braccarus vnde fuit?
Insulis ergo Nostrum agnosces Lyse Magistrum:
Martyris & Nostrum clamyde nosces herum.

Ex quibus à tauthologiæ deceptione liberaberis. Eius memoriam recoluit D. Roder. de Acuña in Dipthica Braccarens. Præsul. n. 56. fol. 211. hoc elogio:

S. FELIX

S. Felix Torqvatvs Martyr illustris, passus Anno DCC.XXIV. Sexto Kal. Martij. Ipse in Histor. Portucallens. 1. p. c. 11. & in addit. 2. p. fol. 434. & in Histor. Braccar. tom. 1. p. 1. c. 10. fol. 415. Gaspar Stat. in Antiq. Lusit. c. 38. & 39. Gabriel Pennot. Histor. Canon. Regul. lib. 2. c. 32. §. 3 n. 26. fol. 355. Georg. Cardos. in Offic. SS. Portugall. hymn. 1.

Ense Torqvatvs *cadit, & Basilius;*
Ast Sisenandus, celebrisque Victor
Sacra baptismi proprio fluenta
Sanguine sumens.

Acta eius à nullo ex Antiquis scripta cognoui; ideo illa, qua potuit breuitate, sed qua sapuit eruditione, me impulsore, consarcinauit idem Emanuel Faria Lusitanus, Ordine Christi apud ipsos emeritus, & maiora merens, si ingenio fuisset fortuna salubris. Ea appingimus.

ACTA S. TORQVATI FELICIS Episcopi Iriensis, Portucallensis, & Braccarensis, Martyris, ab Eman. Faria.

Torqvatvs Felix in vrbe Toletanorum Regia, ex nobilibus Gothicis parentibus, de antiqua Torquatorum familia, natus, à prima pueritia in ipsius vrbis æde Virginis Matris, qui â iam ube-res sub disciplina Magistri adhoc à nascentis illius Ecclesiæ exordiis, deputati, literis operam dabant, & Ecclesiasticæ disciplinæ, primæuos virtutum, & eruditionis haustus exsuxit. In quibus, & ingenij felicitate, & insigni diligentia subnixus, celebres fecit etiam Deo annuente progressus. Annis iam ergo maturus, vt illa vicissitudo temporum expetebat, per gradus à iure dispositos, omnes adusque Presbyteratum ordines pura humilitate recepit. Quorum munere, domito, & calcato cum suis vanitatibus, & cupiditatibus mundo, totum se diuino mancipare obsequio decreuit, & abhinc reliquis speculum virtutis, & sanctitatis exemplum præiuit, donec Canonicum, & Cathedralis Ecclesiæ Archipresbyterum egit. Onere ergo dignitatum crescebat facinorum opinio, cuius, & eloquentiæ odor per omnium non tantum conciuium, sed exterorum circulos diffundebatur, & ora; ex quo facile est docti, & Sancti nomen assequutus in Orbe. Erat tunc temporis Iriensis Ecclesiæ in Gallæcia Pontifex Hidulfus Felix, quo è viuis sublato, præcognita Torqvati fama, in demortui Episcopi Cathedram, Presbyterum Toletanum Clerus, & Populus Iriensis diuina commotione suffecit. Cuius honoris pensum, relatis Deo gratibus, vt eius inseruiret Ecclesiæ, intrepida humilitate suscepit; sicque annuente numine, innumeros profectionis fructus continua exhortatione portauit. Sed cùm Froaricus Portucallensis Ecclesiæ Episcopus infirmitate oppressus ad gaudium properasset æternum, expletis Sancto Pontifici officiis, Clerus, & Populus ipsius vrbis ad nouam Præsulis electionem deueniens, vna voce, Torqvatvs Iriensis, est Portucallẽsis Sedis acclamatus Antistes. Quam vt Iriensibus S. Vir translationem indixit, illico per vrbem clamor vndique famelicus resonabat, sed S. Episcopi lachrymosa charitate sedatus, & inter illius actores bonis omnibus distributis, in nouam Cathedram inauguratus ascendit; quam omnium plausibus rexisse,

nullo conquerente, probatur. O summa humanæ naturæ felicitas! Illic neminem querulum inuenire, vbi Officij munus querimonias passim, iustitia ministrante, cognoscit. Sed cùm hic Vir Dei in ipsa susciperet Deum executione assessorem; quid tum, si omnes pacificos, & nullos suspectos experiretur conciues?

In variis occupationibus igitur distentus diœcesis curam suadentibus, vigil Pontifex insudabat, quando apud Toletum Synodum indictam totius Hispaniæ Præsulum conuocatoriis literis esse percepit, propter detectam Siseberti Episcopi Toletani perfidiam, quâ Regem Egicam, regno priuare, Palatinis aliquibus mortem incutere, totiquè genti, & patriæ conturbium inferre proditor Pontifex cogitabat. Interfuit sanè Concilio TORQVATVS, vbi Egica excellentissimus Princeps sanctæ intentionis munimine fretus, religione plenissimus, & elucubrationis summæ titulo inclytus, Patrum sese intulit cœtui, ac gloriosi capitis verticem cernuo voto reclinans, illorum sese Domino precatibus commendari percensuit, propriis manibus tomum illis deferens reserandum, in quo suæ deuotionis vota, & deliberationis piæ desideria sistebant, stylo grauissime exarata; inter quæ haud Siseberti facinus nominatim modesta maiestatis integritate detexit, sed generali recordatione proposuit; quia plerique perfidorũ cothurno superbiæ dediti, non ex Deo, regale fastigium, sed solo iactantiæ tumore appetere dignoscuntur, quod in illos Patrum districtio, & legum animaduertat seueritas persuadet. Omnia à Patribus, rite, & fideliter ruminata, & Sisebertum à Sedis culmine deiecerunt, & in posterum per eorum decreti diffinitionem, alia aduersus huiusmodi rebelles statuere flagella, quibus, & effrenati suspenderetur audacia, & condignis afficeretur pœnis temeritas delinquentis. In locum Siseberti ante Concilij confirmationem, Felix Hispalensis, & in istius Faustinus Braccarensis Episcopi sunt suffecti: Faustino FELIX TORQVATVS Noster successor in eadem Synodo extitit designatus, ideo illic Braccarensis, & Portucallensis confirmat Episcopus, quia donec alius Portucallensis fuit designatus Antistes, vtrique præfuit Ecclesiæ. Soluto denique Concilio nouam ingreditur TORQVATVS Ecclesiam, vbi populos sibi commissos, Euangelici verbi pabulo, virtutum exemplo, & eloquentiæ charismatibus depascebat. Sed heus fragilitatis mundanæ vicissitudo! Heu regalium pompa libaminum: Quàm certe Regum casus fortuna rotat: Rodericus culmen sceptri conscenderat Gothici, nec ille sortem, nec sors illum cœpit, ideò Rex sorte destitutus interiit, & sors Rege exanimato ad alios dilapsa est. Historia communis est. Ad Acta pergo TORQVATI. Qui cùm totius excidium Hispaniæ Roderico cadente didicit, intrepidus suos in arma Christiana vocat, precationibus Catholicis animat, exhortationibus, fidelibus ad martyrij palmam inducit, quousque audita Muzæ Sarracenorum ducis per Braccarensium limites infestatione; nam victoria elatus Arabs, totos fœda populos depopulabatur strage, illi TORQVATVS in occursum prosiliens ad Citaniam viculum XXVII. Conciuibus, & Clericis comitatus, vbi Barbarum Agarenum inueniens, illius satellitum, & militum sæuitias, fidei zelo dictante, perstrinxit. Cuius verbis in furorem actus Tyrannus, vt erat in Christianos terribilis, protinus militibus, vt in Sancti Pontificis, & Sociorum inermem cœtum irruerent mucrone feriente præcepit. Vix dictum, factum, & tandiu infidus ensis in martyrum percussit turmas, quousque illorum spiritus ad illas Cœlorum mansiones gloria

ria coronati peruenerunt æternas, die XXIV. Februarij, Anno Domini DCCXXIV. Eorum corpora ibidem à fidelibus tumulata, per aliquot secula, absque honore humano iacuerunt, donec postmodum, S. TORQVATI lipsana iuxta Citaniam vicum, nòn procul à Vimarano, à cœlestibus demonstrata lucibus, & religiose extracta, in Eremitoriolo, suo nomini dicato, per alia fuere recondita secula. Ast postmodum Monasterium Canonicorum Regularium illic extructum est, in cuius Maiorem Aram sacra pignora translata honorifice quiescunt, vbi circumiacentium populorum feruentibus deprecationibus, & tripudiis, nomine, & voto veneratur & colitur: ad cuius Tumulum hoc dicastichon ex deuotione pependi.

Membra sepulta iacent TORQVATI *Præsulis almi*
Hoc in sarcophago, qui quoque Martyr adest.
Cuna Toletum Diuo, sed tenet æmula Corpus
Braccara Prælati, cui fauet, ornat, amat.

Alia Deus nouit, qui Sanctis suis stipatus in cœlis per secula viuit & viuet æterna.

Isthæc Acta; quæ fere omnia ex Iuliano Nostro, & Concilio XVI. Toletano vbi D. Gars. de Loaysa in Not. ad subscriptiones fol. 724. desumpsit Emanuel. Procul dubio à vera deuiauit consignatione D. Roder. de Acuña, in locis supra relatis, vbi S. TORQVATVM FELICEM confundere nititur cum *Fortunato*, & *Felice*, de quibus hoc die in Martyrologio Romano, coniectans illinc irrepsisse mendum, quia loco TORQVATI FELICIS, ibidem, & perperam FORTVNATI, & FELICIS, duorum nomina conscripsere. Nam salua eius Viri pace Isti Fortunatus, & Felix duo Martyres fuere, quorum memoria apud Capparam Vettoniæ vetustam vrbem nihilominus conseruatur, vt videre est apud Biuar. ad Dextr. fol. 387. n. 5. & apud me in Vit. S. Epitat. c. 1. & 2. n. 17. fol. 104. & infra dicemus, die XXVI. huius Mensis.

VIMARANVM Oppidum est antiquæ Gallæciæ inter Minij, & Durij flumina situm, Braccarensis diœcesis nobile. Hodie GVIMARANS. Eius encomia lato calamo scripserunt Acuña hist. Braccar. 2. p. c. 6. Gaspar Stat. Antiquit. Lusit. c. 17. Eduard. Nun. in Descript. Portugall. c. 4. & 5. Medin. de Vrbib. Antiq. Hispan. lib. 2. c. 62. & 65. & alij, quos congerit Roder. Mend. in Population. Hispan. tit. de Portugall. c. 121. fol. 179. Primitus ARADVCAM dictum contendunt Florian. de Ocampo Hist. Hispan. lib. 3. c. 37. Poza in Nomenclat. Vrb. Hispan. Abrah. Ortel. in Geograph. verb. Araduca. A quibus non abest Claud. Ptolom. lib. 2. Geograph. Tab. 2. Europ. c. 6. vbi inter vrbes Gallæci Braccari, mediam inter Minium, & Dorium consignat ARADVCAM. Alibi alia dicemus.

S. SERGIVS Monachus, & Martyr.] Eius memoriam recolit Beda isto die, hoc elogio: Apud Cæsaream Cappadociæ natalis B. SERGII Martyris cuius Acta præclara habentur. Eadem Vsuardus, Ado, Notkerus, Maurolycus, Constantius Felicius, Galesinius, & Martyrolog. Romanum. Petr. de Natal. in Catalog. SS. lib. 11. c. fin. n. 76. Ferrar. in Topograph. SS. fol. 28. Petr. Cabilonens. in Topograph. sacr. verb. Betulo. Omnes eius Acta haberi præclara fatentur, sed nullus illa recenset, forte quia temporum labilitate periere, & in Scriptorum Actorum Sanctorum manus nullibi deuenire potuerunt: aut quia Codices antiquos nequaquam adepti sunt, aut quia incuria, & defatigatione ponderis obruti, penitus Acta inuestigare noluerunt. Ego qui in hisce quia difficilioribus inuestigandis Actis, totam mei operis indaginem accommodo, Acta ex peruetusto Codice MS. Gothico, apud Cœnobium Toletanum Montis-Sion Cister

Cisterciensis Ordinis adseruato, excripta recepi, opitulante D. D. Martino de Zelaya Ocariz, tunc apud Toletanos Inquisitore, nunc apud Salmanticenses Scholastico dignissimo, quæ sic se habent.

ACTA S. SERGII MONACHI & Martyris apud Cæsaream Cappadociæ passi, ex MS. Legendario Montis-Sion Ordinis Cisterciensis, Toletani.

Anno Vigesimo Imperij Diocletiani, & Maximiani, & Consulatus eorum II. per vniuersum orbem aduersus Christianos impietatis eorum Edicta transmissa sunt: quæ per diuersarum prouinciarum Iudices destinata, sub grandi metu capitisque sui periculo susceperunt, Vt si qui cultui, Christianæ religionis seruientes reperirentur, diuersis pœnis, & cruciatibus interirent. Quibus nefandissimis iussionibus emanantibus dum in Orientalibus maxime partibus persecutionis attrocitas immineret, per omnes vtriusque Asiæ prouincias, quicumque Christiani reperti sunt variis tormentis, gladioque sunt necati. Eo igitur tempore, nutu diuino, ac prouidentia factum est, vt in Nicomedia Maximianus, & Mediolani Diocletianus priuatam vitam appetentes de Imperio discessissent. Quam ob rem Dominus Sanctis Ecclesiis, vel Christianæ religionis cultoribus requiem modicam præstitit. Igitur quidam Sapricius nomine Melita genitus ab Imperio Romano, tàm Armeniæ, quàm Cappadociæ Præsidiatus actionem promeruit. Quam in vtrisque partibus vno tempore ministrauit. Cúmque Præses idem Sapricius iter dirigens in Armeniam per Cappadociam transitum faceret in Cæsaream aduenit, vbi dum Christianos stricte requireret, & repertos à suis ministris sibi præsentari præciperet, non defuerunt duo viri Christiano nomini inimici, ac profanis Idolis seruientes, qui plurimos Christianos esse in eadem Ciuitate dicerent. Quos sibi idem Præses Sapricius ab Officio iussit adduci. Dorotheam Virginem, Barlaam, & alios dira Præsidis feritas breui tempore consumpsit. Postea sceleratissimus Præses idolorum sacrificiis deditus nefandorum Principum Diocletiani, & Maximiani per totam Cappadociam iussione cunctis innotuit. Suis etiam præceptis constituens, vt si in quocunque loco Christiani reperti fuissent, vsque ad necem diuersis, excogitatisque suppliciis torquerentur. Quod dum in Cæsarea Metropolitana Ciuitate Cappadociæ cognitum fieret, & Paganorum Principum iussiones, vel Edicta sacrilega sæuissimi Præsidis publice legerentur, & ea cuncti obseruare fortiter vrgerentur, tunc quidam paruo numero Christiani reperti sunt; qui tamen iussionibus eisdem nec territi sunt, nec assentire propositis suppliciis voluerunt. Crescebat autem per dies singulos turba fidelium, & multiplicabantur apud Deum coronæ Iustorum.

Contigit autem in diebus illis, nefandissimo Ioui, quem profanorum Idolorum Gentiles putabant esse Principem, annua sacrificia fieri in Capitolio, quod basilicæ Præsidis vicinum erat, ad quod sceleratorum turbæ cum immundis hostiis concurrebant. Alij autem per viam sacram, secundum eorum morem sacrilegum cum albis, & laureatis tauris, & magna exultatione, vt dæmoniis ipsis sacrificarent ad ipsum Capitolium festinabant, quandam

dam execrandam festiuitatem simulacri vanissimi celebrantes. Hæc illis gerentibus, Monachus quidam SERGIVS nomine, Christianæ fidei à suis parentibus eruditus, & Christi Domini fidelis seruus iam effectus, qui primo per secularia ministeria mundanis Principibus deseruierat; sed sacrilegi seculi turbines timens, & humanæ gloriæ auras contemnens, relictis omnibus, & pauperibus distribuens, in vastum sese receperat montis tugurium, vbi nudus, Christum nudum requirebat, & ieiuniis, oratione, & ciliciis deditus, aspera veste coopertus sic Christum lucrifacere curabat. Hic Dei nutu in vrbem accedens, inter turbas sacrilegorum intermissus, vanum sacrificiorum apparatum expectabat, & illa hora quâ Sacerdos ille sacrilegus Idolorum suos complices verbis quibusdam magicis exorabat, SERGIVS in corde suo Deum deprecari cœpit, vt mirabilium suorum infidelibus populis ostenderet magnitudinem, ita vt scelerati sacerdotis actionem faceret tanquam nihilum euanescere. Ita ergo factum, quatenus Idolorum minister infaustus nullum deinceps ab Idolis responsum accipere potuit, propter quod iratus sacrificia deferens, diuersas mendacij technas effingere cœpit, quibus Deorum suorum, propter Christiani nominis permissionem iram exardescere propalabat. His fidei zelo succensus SERGIVS in medio omnium existēs, voce magna clamauit: *Ecquid sacrilege sacrifice Deorum tuorum iram mentiris, quando Dominus meus Iesu-Christus, qui linguas Sapientium facit disertas, propter nominis sui gloriam, aliquando dæmonum obmutescit loquelas. Is est scelerate, qui propter mei serui sui orationem, & propter ipsius clementiæ dignationem, ora mendacia huius dæmonis reserauit. Iste est, superstitiose, qui me indignum elegit ministrum, & vt tua, & totius huius populi manifestarem inuidiæ errorem. & vt meæ omnibus religionis veritatem intrepide patefacerem* Obstupuit illico sacrificus, & in SERGIVM manus iniiciens, omnes quos ad sacrificandum populos congregauerat, conuocauit, qui S. Monachum comprehenderunt, & malè distractum coram Præside detulerunt. Qui omnia à flaminibus acta pernoscens, ad SERGIVM reuersus, dixit: *Quis tu, qui Deos Nostros, dæmones dicis; & Augustos Nostros dæmonum cultores affirmas?* Cui SERGIVS: *Ego sum seruus Domini mei Iesu Christi; cuius virtute, & Idola tua tanquam nihilum ante me, & simulacra Augustorum mentita ora licet habentia, non loquentur.* Præses respondit: *Omnes Christiani istis magicis artibus gloriamini, sed nunquam à morte vos liberat Deus vester.* Respondit Martyr: *Statutum est hominibus semel mori. Væ vobis, qui hac temporali vita priuati, æternam, si Christo Deo meo non creditis, mortem accipietis. Nos temporalem, propter decretum, habemus; sed postea vita nobis remanet gloriosa.* Subrisit Sapricius, & postmodum dixit: *Procul dubio iudicio priuatus, insanis. Propter Deos omnes si non sacrificaueris, non elongabo à te capitalem sententiam subire, sed mox te faciam gladio vita priuari, vt illam à te mentitam gloriosam experiaris.* Cui respondens SERGIVS, dixit: *Ego gratias ago Domino meo Iesu Christo qui me peccatorem de multis sordibus, & potestate dæmonum liberare dignatus est, vt amplius non errem; & ideo quæcunque volueris in me supplicia inferre, paratus sum, quia Idolis non sacrificabo.* Tunc protulit in eum sententiam dicens: SERGIVM Diis inobedientem, Dominosque Augustos Nostros blasphemantem, gladio percuti decreuimus, atque omnes facultates eius publicis titulis præsignari. Quibus prolatis satellites SERGIVM arripiunt, & amputato capite, corpus inibi reliquerunt, quod nocte Christiani colligentes, in domo honestæ

matronæ

matronæ sepelierunt. Passus est autem VI. Kalendas Martias.

Postmodum currente tempore S. Monachi lipsana in Hispaniam delata sunt, & apud Oppidum Betulonem sepulta honorifice quieuerunt, licet hodie situs sepulchri penitus ignoretur.

En Acta tàm decantata. In quibus notandum est, Annum vigesimum Imperij Diocletiani, quo martyrium pertulit SERGIVS, si ad Christi annos reducimus: euenisse fatendum est, ad quartum seculum, hoc est, ad Annum CCC. IV. quo Principes se imperio abdicarunt, vt notauit Baron. Annal. Eccles. tom. 2. Ann. 304. n. 1. & patet ex ipsis Barlaam, & Dorotheæ agonibus, quos pertulisse eadem Sapritij Præsidis persecutione liquet, ex ipsorum Actis, apud Scriptores, qui vnanimiter ad Annum CCC. IV. eadem reiiciunt. Nec est cur Chronographis nauseam pariat, ratio Consulatuum in Actis apposita, quia facile ex scriptorum incuria, iste potuit error euenire.

CIRCA Translationem sacrorum pignorum, audi Iulianum Petri in Chron. n. 88. fol. 27. dicentem: BETVLONE *in Laletania, allatum est Corpus* S. SERGII *Monachi pro fide passi in Cæsarea Cappadociæ. Cuius dies XXIV. Mensis Februarij celebris habetur. Sunt qui putent hunc* SERGIVM *filium fuisse S. Philippi Martyris Qui* (SERGIVS) *post administrationem egregiorum Magistratuum, factus Monachus, martyrium post patrem, sororemquè pertulit, & cum eisdem Romæ sepultus, cum eis æternam palmam possidet. Bene dicunt, passum fratrem esse Eugeniæ. Quidam vero Auctores falluntur, passum Romæ dicentes: sed re vera passus est martyrium illustre Cæsareæ Cappadociæ.* Quæ periodus, quatenus ad nostri Martyris Translationem, euidens est: cætera altiorem requirunt indaginem, licet ecphrasi Iuliani faueant Acta, dicentia: *Monachus quidam* SERGIVS *nomine, Christianæ fidei à suis parentibus* (ecce Philippus pater) *eruditus, & Christi Domini fidelis seruus iam effectus, qui primò per secularia ministeria* (in egregiorum Magistratuum administrationem) *mundanis Principibus deseruierat.* Scriptores Cathaloniæ vt Viladam. c. 60. P. Anton. Vicent. Domenec Histor. SS. lib. 1. c. fin. fol. 124. Ieronym. Pujad. Hist. Cathal. lib. 4. c. 89. fol. 223. de istis non edocti credidere SERGIVM apud Betulonem martyrio fuisse coronatum, post S. Anastasium, militem Ilerdensem, sed ab errore discedent, & Actorum serie, & Iuliani relatione.

CÆSAREA CAPPADOCIÆ, Ciuitas fuit Archiepiscopalis, ad Montis Argæi radices, apud Melæ amnis ortum. Olim MAZACA dicta creditur, sed Henrico Stephano opinante, à Tyberio CÆSAREA vocitata. Hodie CASARIA dictam credit Plilippus Ferrar. in Topograph. sacr. fol. 27. col. 2. De BETVLONE diximus supra die XXIII. Ianuarij.

***

QVINTO

QVINTO
Kal. Martij.
DIES XXV.

A *In Montibus Aquilanis apud Pontem-Ferratum Hispaniæ in Monasterio B. Petri, depositio* S. VALERII *Abbatis Benedictini, qui post* S. Fructuosum, *illud Rupianum, in quo vixerat Eremitoriolum reparauit, vbi post regulam monachis datam, plenus dierum, & bonorum operum Confessor mirabilis ad æternam felicitatem peruenit.*

B *Apud Vxamam Hispaniæ natalis* B. ÆTHERII *ipsius vrbis Episcopi, qui vnà cum* S. Beato *Presbytero Liuaniensi, aduersus Elipandum Archiepiscopum Toletanum in hæresi Feliciana volutantem, libellum conscripsit, quo fidei Catholicæ confessionem exprimit, & validis argumentis, sacræ Scripturæquè locis Archiepiscopi symbolum coarguit, donec ab errore ad Orthodoxam fidem, conciliis indictis, & Pontificiis iussionibus impetratis, restitutum extraxit. Postmodum B. Vir suis ouibus sacro dogmate pabulans, virtutibus, & miraculis clarus, ad gloriam Confessor properauit æternam.*

NOTÆ.

A SANCTVS VALERIVS Abbas, & Confessor.] De isto Sanctissimo Abbate, qui in Monte positus Ciuitas erat sanctitatis, aliqui ex Nostris, & exteris scripsere, licet temporum ingluuies; lucem supra candelabrum Ecclesiæ positam extinguere conaretur. Eius memoriam lapides, scripturæ, Chronographi, & Martyrologia, è faucibus obliuionis extraxerunt inuiti. Ad elogia pergo. Hugo Menard. in Martyrologij Benedictini Appendic. Hoc: S. VALERIVS Abbas Cœnobij S. Petri de Monte in Hispania, successor S. Fructuosi. P. Ant. de Yepes in Chron. Benedict. tom. 2. Cent. 2. Ann. 646. c. 3. fol. 182.

istud: Postea successerunt (S. Fructuoso) inclyti, & sanctissimi Viri, qui illos nobilitarunt Montes, ex his S. VALERIVS, qui hoc instaurauit Cœnobium. Eadem Aubert. Myreus in Chron. Benedict. D.D. Prudent. de Sandoual in fundat. S. Petri de Montibus, in princip. isthæc: Post S. Fructuosum successit Abbas S. VALERIVS, qui reparauit, & auxit hoc Cœnobium, iuxta Eram septingentesimam. En memoria ex scriptoribus; ausculta illam ex inscriptione, quam adhuc marmoreus continet lapis, in pariete peruetusto cœnobij, vbi hæc leguntur verba:

INSIGNE MERITIS. B. FRVCTVOSVS. POSTQVAM,
COMPLVTENSE. CONDIDIT. COENOBIVM. NOMINE.
S. PETRI. BREVI. OPERE. IN HOC. LOCO. F. ORATORIVM.
POST QVEM. NON. IMPAR. MERITIS.
S. VALERIVS.
OPERE. ECCLESIÆ. DILATAVIT.

Eius Acta conscripsit idem D. D. Prudent. de Sandoual ex ipsius S. Abbatis operibus, & aliis Auctographis, quæ omnia in Carracedensi Cisterciensium adseruantur Cœnobio, in hunc epilogum.

ACTA S. VALERII ABBATIS Benedictini, & Confessoris, ex Operibus D. D. Prudent. de Sandoual.

VALERIVS ex Asturicensi territorio dicitur oriundus, qui in ipsius iuuentutis exordio, mundi illecebras perquisiuit, ad cuius vana percurrens ludibria, seculi non semel agnouit errores. Ast cùm Deus illum, in candelabrum domus suæ lucidum perpoliret, ipsius suffragante clementia, B. VALERIVM à seculi huius spurcitiis, ad Religionis candidatos extraxit Montes, vbi ciuitas virtutibus munita, nullatenus populationis, omnibus patens, & lucens, timeret ruinam, quin potius sedulus Agricola opus ministerij compleret. Ab hic desiderio quietis, silentium Monasticum peramabat, sed cùm carnis malleus spiritus stimulos hebetaret, in Varias S. Vir distractus partes, quà se verteret nesciebat. Donec deuictis mundi viribus, animus, disponente Numine, liber, & victor euasit. His autem auxiliis cælestibus munitus, Complutense Benedictinorum Monasterium elegit, vt ibidem sanctissimis S, Patriarchæ associatus asseclis, vitam ageret, fructuosa operatione Monasticam. Mundo igitur valedicens immundo, tantum suis cogitationibus adsociatus Complutum peruenit, vbi pœnitentiali confessione leuatus, & sacra communione munitus, humiliter cucullam ab Asceterij Abbate poposcit, qua in vitæ regula se seruiturum ad vsque animæ promittit deliquum. Sunt igitur Dei viæ inescrutabiles. Quis ergo eius consilia cognoscet, quis comprehendet iudicia eius? Renuit vocationi Abbas, ex quo *Valerius* è Monasterio depulsus, alacer Asturicam repedauit, & iuxta Castrum Petrense, in loco solitario, vbi Eremitoriolum, suis cogitationibus aptum, inueniens vacuum, secessit. Hic verus Religiosus, strenuus pœnitens, & feruidus Anachoreta vitam asperam transigebat. Eius conuersationis modestæ pacem, & proloquij Oppidani experientes stilum, Ecclesiam illam continuis frequenabant accessibus, & eleemosynis ditabant opimis, quæ omnia in VALERII gratiam fecisse dignoscitur, quia ante eius ad-

aduentum,

uentum, vix illa etiam animantibus loca patuerunt. Totius illius territorij circulus cuidam Presbytero Flaiano nomine parebat, qui sciens quanta Montanorum deuotio ipsi Eremitario Valeriano obtulerat dona, licet primitus paruipendens, postmodum cupiditate compulsus, & auaritia laqueatus, illud, quòd despexerat, æstimauit. Ideo in posterum S. VALERIVM, inuidiæ morsibus, Floianus laceratus, insectabatur assiduè: donec S. Eremita Clerici assiduis constrictus rigoribus Ecclesiam modestus dereliquit indemnem, sibi persuadens, quod illâ fugâ. & Clerici malignitas sedaretur, & diaboli, cuius illa instigatio erat, extirparetur peruicacia. Igitur in profundiorem solitudinem perrexit; sed nec illic Floianus VALERIO pepercit, quia libros, quos ipse excripserat Eremita, secumque suos detulerat, proprios Ecclesiæ esse importuna contentione firmabat. Sedata hac persecutionis procella, cùm Deus Valerij spiritum exercere destinasset, alias latronum permisit angustias, quibus per tempora grauatus, non minimam eius quieti molestiam inferebant. Montanorum quippe curia, quæ S. VALERII beneficia sermonibus, & doctrinis perceperat, nequaquam eius absentiam, nec minimam tolerabat, & ideo ad S. Viri omnes prouoluti pedes, vt prope idem Petrense Castrum, in hæreditate, quæ Ebronantis dicebatur, remearet, supplicibus efflagitationibus expetebant. Tanto Montanorum Eremita conuictus amore, licet inuitus, ad illam deuenit hæreditatem, quâ protinus Oratorium extruentes agricolæ, illic sanctum reliquerunt Abbatem. Isthinc per aliquot temporis interuallum, animi quiete, & spiritus silentio, in orationis, & contemplationis exercitiis vitam incipiebat affuere, quando antiquus ille serpens, qui sanctis propensus inimicus, in eorum defatigationibus gloriatur, induxit Reccimirum, illius hæreditatis, qua erat sacellum, dominum, vt ab illo depelleret Eremitam, sumpta occasione construendi perpulchram Ecclesiam, qua ipse, & sui diuinis interesse officiis valerent temporibus statutis. Omnia hæc Reccimirus perfecit, & constructa Ecclesia perampla, loco VALERII quendam Presbyterum nomine Iustum, sed moribus iniustum sufficere destinauit. Hic denuò sanctum Anachoretam, qui amore Oppidanorum conuictus, ilius Montis cacumina nec deserere cogitabat, persequens, ad vltimum inopiæ, & necessitudinis reduxit statum, sic vt iam nec locum haberet in diuersorio. Tantis hominem Dei laceratum ærumnis, ergo contuens Simplicius Ebronantensis Diaconus, illius misertus angoribus, VALERIVM noctu in proprium excipiebat cubiculum, quem placidis verbis, in hisce solabatur angustiis, spondens se cum Iusto conciliaturum vtriusque animos ad concordiam. Omnia perfecit ex corde Simplicius, & ideo cum Iusto conuentum est, vt in vnum VALERIVS, & Simplicius quotidie inseruirent Ecclesiæ; hoc pacto, quod vterque, vt par erat, subditus remaneret Presbytero. Ista sic quippe publicata concordia, VALERIVS ad operis sui ministerium accinctus, sic Ecclesiæ ornatum politica curiositate limabat, vt agrestium turbatis accolarum obtutibus, cœlestis minister reputaretur, & Angelus. Sed heu cordium sententia dispar! Quæ Montanis è cœlo dimissa videbantur, & benè: Eadem Iustus conuertebat in rabiem, & ideo aduersus seruum Dei verbere, & verbis propediem erectus, illum prælatura bilescente contriuit. Ad omnia Valerius patientiam applicabat, & humeros, & ob suorum scelerum pœnam, isthæc euenisse cognoscens, tanquam à Deo prouenientia, omnia

humili resignatione portabat. Hoc igitur tempore Reccimirus vitam finiuit, cuius bona Regio mulctata fisco, Principis iussu Ecclesia illa Ebronantensis solo æquata conspicitur, ex quo Ministri aliò diuertere sunt compulsi. Vigesimus Quartus iam erat annus, cùm hæc agerentur, ex quo VALERIVS relicto seculo, silentium eremi, hisce inquietudinibus fatigatus, amplectebatur, ideo & tugurij spoliatus, & corporis ingrauescentia inutilis, quò se verteret ignorabat. Hisce etenim præpeditus angustiis, humi spiritus reuolutione distentus iacebat, quando à Domino solidatus, locum habitationis perpetuum inuenit: nam Deo demonstrante, in Castrum Rupianum, in Montibus Aquilanis, dirigens gressus, in Oratorium, quod SS. Petro, & Martino construxerat Fructuosus aduenit, vacuum inuenit, & in illo se, & sua recipere statuit. Gratiis ergo Deo actis, protinus illud, feruore deuotionis accensus, expurgare, & omnes, quos in altum excrescere agnouit frutices mutilare constituit. Quo facto, in illius opaci, absconditi loci angusta, immo illi augusta domuncula, non sine assiduis dæmonum terroribus, & hominum molestiis, totum vitæ suæ tramitem, Deo charus, Angelis conspicuus, & omnibus gratus exegit. Tanti ergo Viri sanctitatis opinio omnes Gallæciæ, Asturicæ, immò & totius Hispaniæ terminos adimpleuit, ex quo Isidorus Asturicensis Præsul, doctrinæ, & sanctitudinis Anachoretæ inescatus odoribus, S. Virum nuntiis & literis, vt ad Concilium Toletanum secum descenderet, efflagitabat, quo & doctrinæ neruos, virtutis flosculos, & prudentiæ radios publice demonstraret. Huius sanè inanis gloriæ dementiam humilitate deuincebat VALERIVS, & licet nihil omnia prodessent, nam Episcopus viriliter propositi tenax S. Viri assistentiam desiderabat, attamen Domino disponente, successit, vt Episcopo è viuis sublato, VALERIVS à pertinacibus Isidori persuasionibus liber remaneret in cella. Ibidem aduersus sui seculi Monachos experrectus nonnulla conscripsit, inter quæ, „ isthæc, vt doctissimi Patris efficaciam agnoscat, subiicere libuit:

S. Valer. Aduers. Monach. ex M-S.

„ Olim primo exordio ædificationis Ecclesiæ, dum tantus inardesceret candor desiderij Regni cœlorum, atque timor Domini corda perterreret populorum, non solum erat per cœnobialium crebras, atque iuges congregationes innumerus, atque infinitus exercitus Monachorum, verum etiam diuersa heremi deserta copiosius *congregabantur* perfectorum, ergastulis Anachoretarum. Et cum in ista vltimæ extremitatis Occiduæ partis confinia, rara videlicet, & exigua pullularent sacræ Religionis crepundia, à paucis electis, & perfectis Viris in desertis locis rara, ope Domini: constructa sunt Monasteria: ex quibus multas animas Redemptor expiatas fæce peccaminum suscepit in Regna cœlestia. Et quia discedente, & ad finem extremante mundi tempore, refrigescit charitas, adcrescit sæuissima iniquitas, & inexplebilis, voraxque exardescit mundana cupiditas, atque infestior inuidens inualescit dæmonum atrocitas, in sacratissimis locis paucissimi tandem reperiuntur electi Viri, qui de toto corde conuertantur ad Dominum. Et ne ipsa Monasteria desolata, desertaque remaneant, tolluntur ex familiis sibi pertinentibus, subulci, de diuersis gregibus serui, atquè de possessionibus paruuli, qui pro officio supplendo inuiti tondentur, & per Monasteria nutriuntur, falsóque nomine Monachi nuncupantur. Qui dum nec pridem foris in actiua vita, mundanis studiis, siue seruitiis, vel operibus excocti, eruditique patescunt, nec postea in Monasteriis citra electionem Domini

non

„ non vltroneè, sed inuiti sanctæ religioni sociati, concipiunt in
„ corde timoris Domini compunctionem, aut desideria Regni cœ-
„ lestis; non obedientiæ, humilitate, aut sinceræ charitatis dile-
„ ctione fundantur, sed crescunt typho superbiæ turgidi, fastu elatio-
„ nis inflati, cupiditati philargyriæque fomiti insatiabiliter morsi,
„ voracitati gastrimargiæ, & temulentiæ inexplebiliter dediti, atque
„ atrocissimæ inuidiæ flamma succensi, vt si viderent aliquos toto
„ corde conuertentes, & Domino fideliter seruientes, bonaquè
„ opera, & Deo placita exercentes; cum de ipsis Monasteriis ori-
„ ginales serui existant, iuris sui ea debita, & sibi pertinentia de-
„ fendere contendentes, insurgant superbientes inuidiæ atra obscu-
„ ritate cæcati, & aduersus opus assumunt iustum sæuissimæ crude-
„ litatis odium, atque diuersis publicis, & clandestinis insidiis im-
„ pedire nitentes. Considerate obsecro, quantum hos punitura sunt
„ mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Et quis ei poterit sub-
„ uenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem? Aut vnde sibi
„ parabit salutem, qui de salute bonorum contrahit malè vtendo
„ perniciem? Cùm autem in arcem superbiæ atrociter sublimantur,
„ interitum primæ perditionis incurrunt. Scriptum est enim. *Quo-*
„ *niam quem dirus superbiæ infecerit spiritus, similem eum efficit diabo-*
„ *lo: & quem similem fecerit vitio, simili eum sine fine cruciandum tra-*
„ *det exitio.* Insuper hypocrisi falsæ religionis ita captantur, vt
„ in conspectantium obtutibus secularium protendant falsum sa-
„ cræ religionis habitum: vt etiam ac si desperantes de bono me-
„ rito, vel vacuum adipiscantur sanctitatis vocabulum. Atque in
„ supradictorum auditum, multiplicant diuersas, crebrasque se-
„ ries officiorum, & in sublimi arte attollunt canentes melodia
„ vocum, atque crebris genuflexionibus protrahentes copiam ora-
„ tionum, & quotidianis diurni, atque nocturni temporibus tor-
„ porem desidiosum, otiumque implicant somnolentum, vt scribi-
„ tur: *Habentes religionis signum, non religionis meritum*: Hippocentau-
„ ro similes, nec equi, nec hominis facta discretio, aduersus Dei
„ seruos fidelissimos dolosa, & iniqua machinantur odia, atque im-
„ piissimæ atrocitatis persecutionem incutiunt: & quos nouerint esse
„ latrones, homicidas, maleficos, adulteros, atque cætera diabo-
„ licæ infanda crudelitatis opera exercentes, eos summi amoris af-
„ fectione, ex totoque corde charitatis connexione amplectuntur.
„ Hinc proculdubio aperta ratio manifestat, quia, despecto Deo,
„ diabolo obediunt, & serui fideles existunt, cuius satellites amant,
„ complectuntur, & diligunt: & Domino, cuius fidissimos seruos
„ persequuntur, & odiunt, inimici, refugæ, odibiles, & exteri fiunt: qui
„ dixit: *Quod fecistis vni ex his minimis meis, mihi fecistis.* Iterum scriptum
„ est: *Ille Dominū odit, & contemnit, qui non solum non timet Deum: sed gratis*
„ *odit timentes Deum.* Rectores verò eorum, etsi se existimét se grauiter
„ ante Deum esse culpabiles, sed quia erga gregem sibi creditum ne-
„ gligentes, & mala non prohibentes, existunt; non solùm propter
„ propria delicta, sed pro subditorum flagitiis dupliciter condem-
„ nabuntur. Hinc Dauid deprecans, orat: *Ab occultis meis munda me:*
„ *& ab alienis parce seruo tuo.* Quicunque ex senioribus causam delin-
„ quentis adornat, maiorem ei insolentiæ fomitem generat: ita vt
„ cor eius magis, magisquè indurari faciat; & contumaciam delin-
„ quentis differendo non discutit, nec humiliari eum sinit, nec dis-
„ simulanter, quæ permittit de satisfactione, & venia cogitare, sed
„ idem denuo iterare, quoniam scriptura nempe testatur: *Quod*

Φιλαργυρία. Γαστριμαργία.

Matth. 25.

Psal. 18.

omne peccatum, quod remiſſus diſciplinatúſque admiſerit frater, ad negligentem protinus reuertatur ſeniorem; & propter ſe, & pro illo duplam redditurus eſt rationem. Recte namque cenſetur, vt cum quo participat errorem, æternam retributionis cum eo ſortiatur vltionem, quia:

Ipſe iubere nefas, ipſe perhibetur amare,
Qui prohibere valet, nec prohibere volet.

Horum, & ſimilium præuaricatricem clandeſtinæ ſimulationis perniciem ſimul cum publica mundanæ delinquentiæ facinorum contagione debet fideliter, iuxta ſibi creditum ſupernæ veritatis diuini imperij vicem, & glorioſum terrenæ poteſtatis principium ſeueritas iuſtiſſimæ cenſuræ, & zizaniorum, & tribulorum de agro cordium delinquentium peſſimam ſuffocationem, falcifera emendationis ſuccisione, radicitus extirpare; atque vomere iuſtitiæ, & raſtro veritatis excolere: vt nobilem fructum fidei, & ſanctitatis Creatori ſuo valeat procreare. Hæc exigua verba de execranda hypocriſis nequitia dixiſſe ſufficiat. Nam de grauioribus flagitiis delictorum, diſſerere non eſt meum. Illius ſemper ſententiæ recordabor: *Poſui ori meo cuſtodiam, dum conſiſtit peccator aduerſum me. Vt non loquatur os meum opera hominum.* Ille iuſtus Iudex, qui eſt mentium teſtis, & occultorum cognitor, ipſe eſt, & erit bonis bonorum in ſempiterna gloria retributor, & malorum ſecundum merita ſingulorum veraciſſimus vltor.

En ex S. Valerii fragmento ſui ſeculi vana Monachorum cruciamina, ſtulta hypocriſis peccamina. Aliud etiam hic inſerere Epiſtolæ fragmentum libuit, quod perperam S. Iſidoro Hiſpalenſi tribuitur. Nam in Codice meo MS. vbi hæc recitatur Epiſtola literis Gothicis, exarata, hoc inuenitur titulo: *Tractatus S. Iſidori Hiſpalenſis de Inſtitutione nouæ vitæ*; & in margine eiſdem literis, iſte: *Alij hanc Epiſtolam tribuunt* S. Valerio *Abbati Virgitenſi, quam ad Iuſtum Presbyterum ſcriptam autumant, quod eſt verius*, ideo illam ſubiicio:

Dilecte Fili, dilige lachrymas: noli differre eas. Tantum promptus adeſto lamentis, quanto fuiſti pronus ad culpam. Qualis tua fuerit ad peccatum intentio, talis ad pœnitendum ſit deuotio. Sicut in profundum receſſeras, ita reuertere. Nulla res te de peccato ſecurum faciat. Nulla te ſecuritas, vel deceptio blandiat. Inceſſanter in corde tuo ſpes, & formido conſiſtat, pariter ſpes, & metus, timor, & fiducia. Sic te ſpes indulgentiæ erigat, vt metus gehennæ ſemper affligat, & timor ſemper emendet. Timor Domini expellit peccatum, & perimit vitium. Vbi timor non eſt, ibi diſſolutio vitæ. Valere te magis animo, quàm corpore opto. Aduerſitas corporis, remedium eſt animæ. Si proſperitas erexerit non extollaris: ſi calumnia contigerit, puſillanimus non extes; probari te in proſperitate cognoſce, non extolli, & bona, & mala prout tibi eueniant mente libera ſuſtine. Si potes iram vitare, vel ſuſtine, vel tempera. Diſce mala tolerare, magis quàm facere. Detrahentium errores diſſimulando calca, contumelias detrahentium patientia ſupera: propera verbo aſpero patientiæ ſcutum: Quamuis quiſque irrideat, quamuis quiſque exaſperet, quamuis inſultet, quamuis iniuriam faciat, quamuis afficiat contumeliis: tu tace, tu diſſimula, tu non loquaris, tu exerce ſilentium; iniuriæ

non

non respondeas, conuitium non retorqueas; disce à Christo modestiam, disce tolerantiam; iniuriam passus pro nobis, reliquit exemplum nobis: nam palmis percussus, flagellis cæsus, sputis derisus, clauis confixus, spinis coronatus, cruce damnatus, semper tacuit. Magna virtus est, si non lædas, à quo læsus est; & magna gloria cui potuisti nocere, parcas. Maledicenti benedictionem appone. Irascentem patientia declinare satage. Mala aliorum bono tuo supera: non enim habebis indulgentiá, nisi dederis, etsi ille non supplicat, etsi ille dimitti non postulat, tu relaxa ex corde, tu dimitte ex animo, vt Pater tuus qui in cœlis est dimittat tibi, sicut tu dimittis debitoribus tuis, hoc est, tibi persequētibus, tibi maledicentibus, & tibi calumniantibus. Alienæ nequitiæ non serues dolorem: Inuidia pestifero ardore bona composita deuorat, inuidia animum velut tinea comedit, pectus vrit, mentem afficit, cor hominis, quasi pestis depascit: *Occurrat* enim contra zelum bonitas, aduersus inuidiam charitas præparetur. Retine semper vinculum constantiæ. In omnibus actionibus tuis imitare bonos, æmulare sanctos, habeto ante oculos exempla sacerdotum; sint tibi documenta Patrum, disciplinæ incitamenta; nec fauor te sedúcat, nec vituperantia frangat: qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. Quid enim prodest dùm malus es, bonus dicaris? Discerne te iudicio tuo, non alieno: qualis haberi vis, talis esto. Professionem tuam non in habitu; sed in incessu demonstra. Sit in ingressu tuo simplicitas, in modo puritas, in gestu grauitas, & in incessu honestas appareat, nihilquè leuitatis. Gressus tui alterius oculos non offendant, nec des aliis locum de te detrahendi. Fuge improbos homines, & iniquos, maximè eos qui ad vitia proni sunt. Socios bonos tibi coniunge; quia si fueris socius bonæ conuersationis, eris & virtutis. Respue sermones impudicos: sermo enim vanus vanæ conscientiæ indicium est. Mens hominis lingua panditur; & qualis sermo ostenditur, animus comprobatur: loquere non quodlibet, sed quod oportet. De malo alterius os tuum non coinquines: iudicia tua, non aliena attende. Quod ad te non pertinet, noli inquirere, nec quod inter se dicunt homines nunquam scire desideres. Quibus, adimpletisque legis verbis, vitam æternam adsequeris.

Præter relata scripsit item alia Opuscula, scilicet: Vitam S. Fructuosi, quam suo loco dabimus. Aliam Epistolam Monachis Complutensibus, qua Vita B. Eucheriæ Sanctimonialis describitur. Historiam S. Abbatis Dodonæi. Historiam, Reuelationes, & Miracula SS. Maximi, & Bonelli Monachorum. Item aliam cuiusdam famuli anonymi S. Fructuosi. Quæ omnia in Bibliothecis S. Ecclesiæ Ouetensis, & Cœnobij Cistercienſium Carracedensis MS. seruantur. Hisce denique vitæ perfectissimæ facinoribus, doctrinæ apostolicæ fructibus coruscans ad ætatis terminum deueniens, pœnitentiæ confessione expiatus, & communione cœlesti munitus spiritum obtulit Creatori, V. Kal. Martij Anno Domini DC.XCV. Cuius corpus honorifice sepultum, hac Leonina inscriptione subsignatum traditur inuentum fuisse sarcophagum.

In hoc cœmeterij iacet loco insigne VALERI
Corpus humo datum: sed anima ad astra volatum
Adsumpsit Sancta. Nam sufficit gloria tanta

Noſtro hoc Rupiano Cœnobio Petri-Montano.
Implebit ſepulcri cauas Venerabilis Abbas,
ERA *Septingentena, tribus additis ad tricenna;*
Menſe Februario, die quominus in Kalendario
Si bene perpendas, numeratur Quinto Kalendas
Sequentis Menſis, Anno Octauo Egicanenſis.

Ex huius Epitaphij proſa, & diem, & menſem, & annum comperies, licet vt illius fuit temporis vſus, ferè ænigmatica concatenatione adumbratum. Dies XXV. Februarij eſt. Nam verba: *V. Kal. Sequentis menſis,* cum primò de Februario loqueretur, intelligenda ſunt de *Martio*, qui Februario ſubſequitur. ERA eſt DCC. XXXIII. Quæ congruit cum Anno Domini DC. XC.V. Cuius computationis ratio conuenit cum VIII. Anno Regis Egicæ, aut Egicanis Gothorum; qui gubernacula Regni arripuit Anno Domini DC. LXXXVII. hoc eſt Era DCC. XXV. Cui ſi octo addantur anni, erit eius Regni Annus octauus, Era DCC. XXXIII. qua S. VALERIVS ad ſuperos euolauit, & rectè cum epitaphio conuenit. Non obſtat, quod in XV. Concilio Toletano (quod congregatum fuit Era DCC. XXVI.) dicitur, nempe illius Eræ tempore, Primus Egicæ Regis annus eſſe, nam illic non annus completus, ſed emergens numerandus eſt.

QVATENVS ad Epiſcopum Aſturicenſem Iſidorum, illius eſt mentio in Concilio Braccarenſi III. quod coadunatum fuit Era DCC.XIII. ex quibus omnia abſoluta ſunt.

COENOBIVM S. PETRI MONTIVM. Celebre olim in Montibus Aquilanis, & hodie celebrius ENE VIERZO. Tunc Benedictinis parens; nunc Bernardinis obediens. Illo ſeculo nigris, iſto albis Ciſtercienſibus Monachis, virtutum, & vitæ angelicæ palæſtra. Adiacet ad Oppidum Gallæciæ cui nomen *Ponferrada.* Illud primitus S. Fructuoſus extruxit poſtmodum S. VALERIVS, eo deſtructo, dilatauit, demum S. Gennadius reſtaurauit, vt ex epigraphe liquet quam die XXV. Maij, dabimus. Huius Cœnobij antiquitates ſcripſere D. Prudent. & P. Yepes.

S. ÆTHERIVS Epiſcopus, & Confeſſor.] Celebris eius memoria propter celebrem correctionem, quâ populis Hiſpaniæ errore Helipandi Archiepiſcopi Toletani penè labefactatis, & ipſi Antiſtiti in Feliciana Magiſtri hæreſi volutanti ſuccurrens, ad fidei illos Catholicæ confeſſionem adduxit. De eo Iulian. Petr. in Chron. n. 401. licet corrupte HEBERIVS nominetur, & n. 406. fol. 98. vbi optimè nomen ſcribitur. Ambroſ. Moral. lib. 13. c. 16. & 27. P. Yepes in Chron. Benedict. tom. 3. Ann. 784. c. 1. fol. 281. P. F. Athanaſ. de Lober. Hiſt. Lugdun. c. 33. fol. 321. Franc. Piſa Hiſt. Tolet. lib. 5. c. 5. P. Mariano lib. 7. c. 8. D. Didac. de Caſtejon Epiſcop. Turiaſ. de Primat. Tolet. tom. 2. fol. 553. Eius Acta ex eorum hiſtoriis, & aliis MS. ſic compilabimus.

ACTA S. ÆTHERII EPISCOPI Vxamenſis Confeſſoris ex Scriptoribus & MS. Codice Toletano.

ÆTHERIVS origine fuit Hiſpanus, ex Aſturicenſium nobilium incolarum progenie ortus: ab adoleſcentia literis imbutus, doctrina clarus, & virtutum ſarcina illuſtris: vixit temporibus Mauregati Tyranni, qui fœde fœdus cum Sarracenis de virginibus centum nobilibus, totidemque ignobilibus Agareno tranſmittendis pepigiſſe probatur. Commilitonem ſub ferula Sanctum habuit Beatum, poſt Presbyterum Liuanienſem; vbi ambo diſciplinis pares,

res, sanctitate, & religione itidem noscebantur æquales. Ille ad Presbyterij munus perueniens, illo contentus, officij sedulus onera exequebatur minister. Iste merito compellente, licet inuitus ad Vxamensis Ecclesiæ cathedram est eleuatus Antistes. Vterque suo muneri incumbens Ecclesiæ suæ catholica grana seminabat in agro, nam extirpatis errorum vepribus, puram glebam fidelium relinquebat in cordibus. Sed eo tempore superueniens tentator zizaniam, & tribulos, inter seminis puri messem, dispersit; nam Helipandus ex Gothica prosapia ortus, Toleto oriundus, per virtutum, & sanctimoniæ gradus ad Toletanam sedem ascendit Archiepiscopus. Is in adolescentia præceptorem habuit quendam Felicem, origine Gallum, literis eruditum, & bonis omnibus facinoribus imbutum, qui postmodum ad Vrgelitanam Ecclesiam accessit Antistes. Huius igitur suggestione Helipandus erroneam, de Adoptione Christi, quatenus homo est, propositionem admisit, quam est sic enixè amplexatus, vt quidquid aduersus illam Catholici adorirentur Pontifices, & Presbyteri, illud hæreticum, sacrilegum, & nefandum, pertinaci resolutione vocaret. Hisce verò temerariis propositionibus, sese viriliter opposuere Beatus Presbyter, & ÆTHERIVS Episcopus, qui per illa Asturum montana (vbi iam pestilentis veneni virus serpebat) radicitus auulsis zizaniæ tribulis catholicam veritatem prædicare cœperunt; indignam, fœdam, & horribilem Toletani Præsulis doctrinam, verbis, & operibus demonstrantes, penitus ex rudibus, & agrestibus innocentium incolarum cordibus, illam propositionem hæreticam extinxerunt, & ad pristinam animos fidelium confessionem totis viribus, reduxerunt. Omnia hæc SS. ÆTHERII, & Beati, ad Helipandi peruenerunt auditum, qui eorum contradictionem agnoscens, & quantis animorum curis, totam Asturicam, ab eius doctrinæ impostura, redemerant, intelligens, illos potius, per alicuius ministerium coarguere, quam per semetipsum, ne contemptui Metropolitica exponeretur auctoritas, corrigere decretauit. Hoc sanè vanitatis commento fretus, Felici cuidam Abbati, apud Astures delitescenti, epistolam minis, & conuiciis refertam scripsit, qua Abbatem monebat eundem, vt protinus ÆTHERIVM, ac Beatum, amicabiliter cohortaretur, vt ab incœpta defensione desisterent, sin minus, anathematis gladio, eos esse feriendos, ingenua notificatione monstraret. Omnia isthæc per Fidelem Sanctis fuerunt ÆTHERIO, & Beato ad tempus, Præsulis monitione perlata, qui Helipandi literis ruminatis, istam responsionis seriem pertinaci Archiepiscopo direxerunt:

EMINENTISSIMO NOBIS, & Deo Amabili Elipando Toletanæ Sedis Archiepiscopo.

ÆTHERIVS, ET BEATVS in Domino Salutem.

LEGIMVS literas prudentiæ tuæ anno præsenti, & non nobis, sed *Fideli* Abbati, mense Octubrio, in Era DCCC. XXIII. clam sub sigillo directas, quas ex relatu aduenisse audiuimus, sed eas vsque VI. Kalend. Decembris minimè vidimus. Cùmque Nos ad fratrem

Vxor Regis Silonis.

trem *Fidelem*, non literarum illarum compulsio, sed recens Religiosæ Dominæ *Adosindæ* perduceret deuotio, audiuimus ipsum libellum, aduersus Nos, & fidem nostram, pro cuncta Asturia publicè diuulgatum. Et cùm fides nostra vna esset indissoluta, cœpit inter scopulos fluctuare nauicula, & duæ factæ erant. Postea cum tranquillitate, non bipertita, sed tantum videretur vna; tunc conloquentes ad inuicem diximus: Dormit Iesus in naui, & hinc inde fluctibus quatimur, & tempestatum molestias sustinemus, quia incomportabilis suscitatus est ventus, nulla salus in nobis esse videtur, nisi Iesus excitetur, & corde, & voce clamandum est, vt ei dicamus: Domine salua Nos: perimus. Tunc surrexit Iesus, qui in nostra dormiebat naue, qui cum Petro eramus. Tunc imperauit vento, & mari, & facta est tranquillitas magna.

Nunc tua, an nostra fides, vera, an falsa sit, grandis contentio est, & hoc non in minuta plebe, sed inter Episcopos est. VNA pars Episcoporum dicit, quod Iesus-Christus adoptiuus est humanitate, & nequaquam adoptiuus diuinitate. ALTERA pars dicit: Nisi ex vtraque natura vnicus est Dei Patris filius proprius, non adoptiuus: in tantum proprius, vt ipse sit Dei filius, Deus verus, & ipse adoretur, & colatur, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. HÆC pars nos sumus, id est ÆTHERIVS, & BEATVS cum cæteris ita credentibus. Credimus certè non solum in Deum Patrem, Omnipotentem, sed in Iesum-Christum, filium eius vnicum, Deum, & Dominum Nostrum, qui natus est de Spiritu-Sancto, ex MARIA Virgine, passus sub Pontio Pilato. Ecce vtriusque fides patent: sed Nos pro hac fide, quam indicamus, non solùm exilium, sed etiam mori parati sumus. Tempestat mare, & fluctuat, sed nauicula non mergitur, quia fides non dubitatur. Descendunt hæreticorum pluuiæ; flant persequentium venti, adueniunt flumina, id est, minæ, & terrores hæreticorum; sed domus à fundamento non dissoluitur, quæ diu super firmissimam petram, quadratis lapidibus artificis manu construitur: & licet Angelus de cœlo veniat, qui nobis vestram fidem peregrinam inserere disponat, anathema à Nobis maranata reputabitur.

PRIMVS ego ÆTHERIVS Oxomensis Sedis indignus nuncupatus Episcopus, qui ab Archiepiscopo Toletano nuncupor esse hæreticus, profero fidem meam cunctis audientibus. Quam fidem à SS. Patribus accepi, credidi, & omni Ecclesiæ recitandam prædicaui, & sicut cum omni Ecclesia Catholica corde retineo, ore patulo dico: CREDIMVS in vnum Deum Patrem Omnipotentem; factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium conditorem. Et in vnum Dominum IESVM, filium Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia secula. Lumen ex lumine. Deum verum, ex Deo vero. Natum non factum homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ. Per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter Nos & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu-Sancto, & MARIA Virgine homo factus. Passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos; sedet ad dexteram Patris. Iterum venturus est in gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis. Credimus & in Spiritum-Sanctum, Dominum, & viuificatorem, ex Patre, & filio procedentem; cum Patre, & filio adorandum, & glorificandum. Qui loquutus est per Prophetas. In vnam Catholicam, atque Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurre-

Symbolum fidei Nicænæ.

ctionem

ctionem mortuorum. Vitam futuri seculi Amen. Istud Symbolum dei Nicænæ: audiatur Elipandianæ fidei Symbolus, vt vtriusque fides vera dignoscatur.

Symbolum fidei Elipandianæ.

Ego Elipandus Toletanæ Sedis Archiepiscopus cum omnibus mihi consentientibus: Credo Trinitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in vna Deitatis essentia, atque natura; hoc est, Deum, & Principium, & Spiritum Sanctum, in vna natura Deitatis Trinitatem personarum. Quia sicut homo derelinquendo patrem, & matrem, & adhærendo vxori, cùm sint duæ personæ iam non sunt duæ, sed vna vocatur caro: & sicut multorum animæ in dilectione Dei, vnicum est cor, & vna efficitur anima; ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus Opifex vnicus totius conditæ creaturæ, vnius glomeratio claritatis, vnius ambitus dilectionis, coæterna substantia. Ipse quoque Pater per semetipsum descendit ad turrem, quam ædificabant filij Adam, & dixit Filio, & Spiritui Sancto: Venite descendamus, & confundamus ibi linguas eorum. Per semetipsum quoque veniens de iudicio Sodomorum, Loth eripuit: Per semetipsum etiam in Montem Sina descendens, Moysi legem dedit. Nam si intelligere vultis personas, quo modo sit vnus Deus Trinitas, cognoscite comparatione. Lapidem, & ignem, qui in eo est, & frigore in lapide manente, vnam esse substantiam. Attendite huius lapidis comparationem, in diuisa personarum Trinitate, etsi præualetis considerate de ineffabili diuinitate: & videte vnius Deitatis inuisibilem Trinitatem. Et sicut alia est persona frigoris, manentis in lapide, atque alia ignis manentis in parente, & tamen procedens non desinit esse cum generante; ita Filij persona alia est, & non desinit in vna substantia Deitatis esse cum Patre. Et sicut lapis præcedit ignem illum in se manentem in visione; ita Pater præcedit Filium, non tempore, sed origine. Ipse quoque Dei filius, cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, Deitatem inuisibilem exinaniens apparuit subiectæ creaturæ speciem cum Patre, & Spiritu Sancto Abrahæ in ipso feruore diei. Quia sicut absentia lucis, tenebræ sunt, & absentia tenebræ, lux esse creditur, tertium inter vtrosque non subsistit: sic in vno Verbo Dei, id est vnico Filio eius fortitudinem, honorem, & gloriam esse credimus. Et sicut spiritus, pars animæ est, per quam imagines rerum corporalium imprimuntur: sicut mens pars eiusdem animæ est, per quam omnis ratio, intelligentiaque percipitur: sicut memoria, quæ meditata memoratur; sic in Verbo Dei pro suis officiis diuersa meruerunt vocabula, quæ nequaquam diuiduntur in substantiam. Quem sacra Scriptura attestatur pro salute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, seruum, captiuum, peregrinum, leprosum, despectum, & quod est deterius, non solùm ab Angelis, sed etiam ab hominibus minoratum; vermen esse dictum ex persona, Scriptura eius dicente: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Cuius gloriam secundum diuinitatem stupent cœlestia, & magnitudinem contremiscunt terrena. Et qui dicit: Gloriam meam alteri non dabo. Homo interior in vna, eademque Dei, & hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus; quia non per illum, qui natus est de Virgine, visibilia, & inuisibilia condidit, sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura. Et per istum Dei simul, & Hominis Filium adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum

uum diuinitate, mundum redemit. Qui est Deus inter Deos; qui vtrum comedisset, an bibisset, ei cognitum manet, qui nonnulla actionis suæ mysteria nesciri voluit. Quia sic confirmes sunt omnes Sancti huic Filio Dei secundum gratiam, profecto & cum adoptiuo adoptiui; & cum aduocato aduocati; & cum Christo Christi; & cum paruulo paruuli, & cum seruo serui. Credo etiam inter ipsa Sancti Spiritus charismata gratiarum Spiritum Sanctum esse adoptiuum, in quo clamamus: Abba Pater. In quo spiritu non nego hominem Christum esse adoptiuum. Credimus enim, quia in resurrectione similes ei erimus, non diuinitate, sed carnis humanitate, videlicet carnis assumptione, quam accepit de Virgine.

Ecce duos Symbolos, nimis inter se contrarios, & valde sibi dissimiles; ex his qualis verus est? Ecclesiam Christi tractate: Et secundum quod Ioannes Apostolus in sua nos Epistola instigauit, dicens: *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quia multi Pseudo prophetæ exierunt in hunc mundum. Et ex hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est illius Anti-Christus, quem audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Quid est *Soluere Iesum,* nisi seorsum Deum, & seorsum hominem prædicare? Ipse sine dubio *soluit Iesum,* qui prædicat populos, dicens: *Nunquid per illum, qui natus est de Virgine, per ipsum inuisibilia, & visibilia condidit; an per illum, qui non est adoptione, sed genere, nec gratia, sed natura; cuncta creauit? Et ideo absque dubio per illum, quem sibi coæqualem, & sine adoptione genuit, cuncta creauit. Et per istum Dei simul, & hominis filium verbum carne factum adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, mundum redemit.* Videte spiritum, qui *soluit Iesum.* Aperite oculos. Aperta materia est. Spiritus erroris hoc dictauit. Illius Antichristi spiritus in hoc inspirauit. Secernite mente, quo discordant Symboli, quo discordant Epistolæ? Legite Epistolam Ioannis. Hoc non dicit, quod tu dicis. Sed quid dicit? Antichristus est, qui *Iesum soluit.* Spiritus erroris est, qui negauit Iesum in carne venisse. Apostolus clamat aperte, & dicit: Nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus manet in eo, & ipse in Deo. Et adhuc dubitamus credere? Et adhuc dubitamus confiteri? Apostolus dicit: Qui negat, quod IESVS non est filius Dei, negat eum in carne venisse, & ipse est Antichristus. Elipandus dicit: Qui non fuerit confessus Iesum-Christum adoptiuum humanitate, vt nequaquam adoptiuum diuinitate, & hæreticus est, & exterminetur. Auferte malum de terra vestra. Non me interrogant, sed docere quærunt, quia serui sunt Antichisti. Epistolam Domini Arcarici Episcopi, fraternitati tuæ, ideo Charissime Fidelis direxi, vt cognoscas, quanta in Christi seruis regnet humilitas: quanta in Antichristi discipulis regnet superbia. Cum Dominus Arcaricus mihi non docentis imperio, sed interrogantis voto, ea scribere voluit, sicut illum vere humilitas docuit. Isti verò modò, & contraria dicendo, modò & quasi ignorantem me, quid rectum sit, noluerunt interrogare; sed docere. Vnde, Deus nouit, quia licet proteruè scripsissent: nam si vera dixissent, gratus obedire debui, reminiscendo, quod scriptum est: si iuniori reuelatum fuerit, senior taceat. Et iterum: Proximus Deo est, qui scit ratione tacere. Nam nunquam est auditum, vt Liuanienses Toletanos docuissent. Notum est plebi vniuersæ hanc sedem sanctis doctrinis ab ipso exordio fidei claruisse.

Ioan. 4. 1. 2. & 3.

Elip. in Symbol.

Epistola ad Fidem.

fuisse: & nunquam schismaticum aliquid emanasse; & nunc vna ouis morbida doctos Nobis appetit esse. Et tamen nolui ea ad aures cæterorum fratrum Nostrorum perducere, ante quam illic, vbi exortum est huiuscemodi malum, sit radicitus amputatum. Quia ignominia erit mihi, si in traditione Toletana, hoc malum fuerit auditum: Vt quod Ego, & cæteri Fratres mei in Ispalitanis tantopere diiudicauimus, & Deo auxiliante, tàm in festis Paschalium, quàm in cæteris erroribus Migetianorum hæresim emendauimus: Nunc illi è contrario inueniunt vnde Nos arguant. Et tamen si tepide fuerit actum, & non fuerit à vobis emendatum, tunc illud ad notionem reducam fratrum, & erit vobis ignominiosum, si ab illis in vobis reprehensum fuerit. Adulescentiam sanè Fratris Nostri ÆTHERII, lacte adhuc alitam, & nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, Vestra Paternitas erudiat, quia non cum magistros optimos, sed cum ignaros, & schismaticos videlicet Felicem, & Beatum antiphrasios, æquales in virtute, & pares in errore habuit conlatiouem.................. pari errore condemnati sunt. Ille credidit de Matre adoptiuum, & non de Patre ante secula progenitum, neque incarnatum. Recte credet de Patre genitum, & non de Matre temporaliter adoptiuum. Cui similem existimabo illum, nisi Fausto Manichæo? Faustus condemnauit Patriarchas, & Prophetas: iste condemnat Doctores, & modernos. Obsecro, vt calore fidei accensi, tanto sitis intentione præcalidi, vt errorem prædictum de medio vestri auferatis, vt sicut per seruos suos Dominus de finibus Bæticæ eradicauit hæresim Megatianam; ita per vos de finibus Asturiensium funditus euellat hæresim Beatianam. Sed quia audiui, quod præcursor Antichristi in medio vestri apparuit, qui illum iam natum adnuntiat, quæro, vt perquiras ab eo, vbi, aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mendax Prophetarum, qui in eo loquitur, & nos solicitos reddas.

HÆC Epistola tua est: hæc verba tua sunt: hæc fides tua est: hæc doctrina tua est: hæc sapientia tua est: & ad ipsa nos inclinare iubes; & quia non inclinamus, clamas, quia hæretici sumus, & præcursores Antichristi; & ipse spiritus mendax, qui in ore Achab Prophetarum ingressus est; ipse loquitur in nobis: & dicis Fideli tuo: Perquire, vbi est natus, & nos solicitos redde. Hæc iniuria non Nostra, sed ipsius, quem adoramus: & tamen si recte credimus Filium Dei, sicut verè, rectè, sine dubitatione credimus, illius iniuria est, cùm nostra est, quia caput, & corpus vna persona est: neque enim cum premitur, caput glorificatur. Denique iam caput ad cœlos ascenderat, quando Saulus Apostolos Christi trucidabat; & dictum est ei: Saule, Saule, quid me persequeris? Nõ dixit: Quid persequeris seruos meos? sed, quid me persequeris?

ECCE tuam fidem de Christo, & hanc non recepimus, quia nec talem fidem habemus, nec talem doctrinam ab Apostolis accepimus, nec in lege, & Euangelio tale vnquam legimus, sed neque in libris Doctorum, aut manualibus: sed tantum in tuis dogmatibus; & ob hoc à te Antichristi discipuli nomen habemus. Ecce vnde surrexit inter Nos scandalum. Cætera multa dixisti, quæ supra in symbolo tuo comprehendimus, sed modò discutienda non sunt, quia nec valemus; sed si Deus voluerit, & vixerimus, discutienda, & abiicienda sunt ab Ecclesia, ne, quod absit, per illa Christianum nomen careamus, & iam non Christiani, sed Elipandiani nomen habebimus. Cuius fidem, qui sequutus fuerit, eius vocabulum sumit, sicut Ariani, ab Ario, Sabelliani, à Sa-

bellio, & cæteri ex nomine auctorum suorum. Et ideo vnus Christus Nobis sufficit Filius Virginis, qui nomen habet IESVS. Illos tuos, quos dicis: *istum*, & *illum*, necesse non habemus, quia nec nomina illorum à te scripta cognoscimus. *Istum*, & *Illum* dixisti, IESVM verò nominare non potuisti, quia nec eum in corde habuisti. Quod si habuisses, cum Paulo Apostolo dicere potueras: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Et alio loco dicit, quod: Nemo potest dicere Dominus IESVS, nisi in Spiritu-Sancto. Siquidem in suis Epistolis non est ausus tecum dicere è *Deitate exinanita*: & Nos adoptiui, & ille adoptiuus, & Nos Christi, & ille Christus, & Nos paruuli, & ille paruulus, & cætera spurcitia, quæ tu Iesu-Christo Domino Nostro, ausus es dicere, Seruum cum seruis. Sed sua Epistola ad Romanos sic habet. Paulus seruus Iesu-Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Hæc si legis, vt quid cum *Isto*, & *Illo* nondum notis, erras? Si Nobis non credis, crede Ecclesiæ; crede Apostolis, à quibus hæc, quæ dicimus accepimus: Vale.

POST hanc conscriptam Epistolam, vt ex professo vterque Sanctus Elipandi erroribus satisfaceret, Apologeticum tribus libris distinctum profunda doctrinæ Apostolicæ comprehensione texuerunt, quem per Hispanias euulgantes, efficacia veritatis conuicti, innumeri Elipandianam deceptionem eiicientes, catholicum sunt dogma tenaciter amplexati. Hisce, & similibus oppositionibus, Elipandi pertinacia, Felicis Vrgelitani malitiâ, suffulta, crescebat: ideo vterque, cognita contradictione, furibundus orbis circulos infestare curarunt. Sic Elipandus vrbe Regia profectus, Astures, & Gallæcos lustrans, venenum sui erroris in plurium corda fidelium, auctoritate magis, quam verbis euomuit. Felix Vacceos in Hispania, septimanios in Gallia, aliosque in Germania cùm euertere satageret, depulsus, illum cum errore damnatum agnoscimus. Postmodum Concilium ad Reginum Boioariæ vrbem contrahitur, vbi Feliciana iterum damnatur hæresis. Romæ Adrianus Pontifex, ascito Felice, & errorem condemnat, & Felicem pœnitentem absoluit. Ast iste advomitum reuersus, auctoritate Pontificia, & Caroli Magni Francorum Regis dispositione alia contrahitur apud Francofurtum Synodus, qua radicitus, de hoc extirpando errore actum est, adstantibus ipso Rege; Theophylacto, & Stephano Episcopis à S.R.E. Legatis præsidentibus; ÆTHERIO, & Beato ex Hispaniæ Ecclesiis Nuntiis interuenientibus, & plurimis Episcopis, vbi in totum damnatus error euasit. Cuius decreta canonica Adrianus Pont. Maxim. & sigillo suæ probationis muniuit, & omnibus Orbis Ecclesiis dimittenda præcepit.

AGNOVERAT iam Elipandus Toletanus Antistes, quæ in Francofurtensi Concilio decreta processerant, & Patrum sententiis parens, à propositâ deceptione resilire constituens, Episcoporum Concilium Toleto indixit: vbi congregatis Fratribus, inter quos ÆTHERIO, & BEATO ascitis, libellum Catholicæ confessionis obtulit, quo Vnigenitum Dei Filium non adoptiuum humanitate, vt prædixerat, sed naturalem, coæternum, & coæqualem fuisse professus est. Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum diuinitatem; minor Patre secundum humanitatem.

tem. Qui licet Deus, sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Qua pœnitentiæ, & confessionis oblatione lætatus cœtus, protinus illum; ad reconciliationis beneficium accepit: ex quo deinceps inter Elipandum, ÆTHERIUM, & BEATVM insignis amicitiæ necessitudo, coram Deo, & hominibus, exorta est. Hisce sic sedatis schismatis seditionibus, quæ vniuersalem Hispaniæ, & Orbis Ecclesiam afflixerant, ÆTHERIVS ad propriam reuersus, protinus animas, quas Feliciani erroris deuinxerat laqueus, exoluere curauit, omnes ad Catholicæ Ecclesiæ gremium, tanta humanitate reduxit, vt antiquæ deceptionis vix in diœcesi inueniretur indicium. Demum bonis operibus plenus, & magnificis facinoribus clarus ad Dominum properauit, V. Kalend. Martij, Anno Domini DCCC. Ad cuius tumulum hoc fuisse Epitaphium dicitur cælatum:

Hac tumba ÆTHERII *requiescit nobile corpus;*
Is honor Ecclesiæ, is decus Orbis erat.
Cuius licet humus premat hac Præsulis ossa;
Spiritus æthereas incolit ipse domos.
Moritur en Quincto Martis nunc ipse Kalendas;
Vxama corpus habet, & sua festa colit.

En Acta: in quorum ecphrasi illud notandum venit, circa auctographi Epistolæ comprobationem, quod ex ipsissimo Codice Gothico Toletano excripsit infatigabile D. D. Martini Ximena Iurado Eminentissimi, ac Reuerendissimi D. ac Domini mei Balthasaris S.R.E. Cardinalis Sandoual, Archiepiscopi Toletani, Secretarij studium, & in perquirendis Ecclesiasticis Antiquitatibus inenarrabile desiderium. Non me latet Petrum Steuartium Ingelistadij Apologeticum edidisse; sed longè hæc Epistola, ab illo diuersa est.

QVATENVS ad Epitaphij Auctorem nondum diuino, illud inter sepulchralia Carmina Codicis mei, quem Aulo meo tribuere possumus, inuenitur. Illinc dies cultus, Corporis sepulchrum, & Infula Præsulatus agnoscitur. Cætera, communia cum S. BEATO sunt: illuc recurre, & omnia probabis. Hic addendus venit Ausbert Myræus in Biblioth. Ecclesi.c.224. fol.223

VXAMA, Ciuitas Episcopalis Hispaniæ de qua supra diximus die VI. huius Mensis, & infra die XI. Aprilis dicemus. Eius antiquitatem demonstrant Nostri Scriptores, quorum Catalogum require apud Roderic. Mendez in Populat. Hispan. tit. de Castella c.16. fol. 20. sed efficacius celebris illa Inscriptio apud Secobiam, in vrbis muro, à regione S. Crucis, vbi statua conspicitur Equestris hac epigraphe:

G. POMPELO. MVCRONI.
VXAMENSI.
AN. XC.
SODALES. FAC. CVR.

Quam referunt Ambros. Moral. in Antiquit. Hispan.c.13.fol.12.& Ian.Gruther. in Antiq. Inscript.fol.900.n.12.

QVARTO Kalend. Mart.

DIES XXVI.

A *Vxama-Barcæ in Autrugonibus* SS. FORTVNATI, *&* FELICIS *cum XXVII. Sociis, qui in persecutione Gallieni Imperatoris varie pro fide torti demum ad martyrij lauream Agonistæ deuenerunt intrepidi. Duo primi apud Caparam vrbem delati, ibidem cultum promeruerunt egregium, donec vrbe euersa* S. FORTVNATI *caput apud Placentiam translatum in huius Cathedralis Ecclesiæ sacrario honorifice conditur.*

B *In Territorio Arcilacensi in Bætica* S. VICTORIS *Eremitæ, qui ab vtero matris suæ dæmoniis formidabilis, solitariæ vitæ silentia in illis Montibus Marianis inueniens, cœlestibus fauoribus fruens, operum sic texuit bonorum vitæ stamina, vt ad æternam gloriosus Confessor coronis redimitus accesserit. Eius sacra pignora postmodum in Galliam aduecta, adhuc apud Aremarense Cœnobium, cultu debito venerantur.*

C *Apud Hispaniæ Ecclesias, olim; nunc apud Madridenses festiuitas annuatur in Cœnobio Cistercienfium, qua Christi D. N. in Ægyptum recolitur profugium, cuius mystica recordatione & augetur deuotio, & ipsius placabili commemoratione, B. V. Matris* MARIAE *(cuius miraculosum festiuitate simulacrum exponitur) exilium multiplici iubilatione renouatur.*

NOTÆ

NOTÆ.

A SANCTVS FORTVNATVS, & FELIX Martyres cum Sociis.] Horum nomina apud plures ex Nostratibus inueniuntur Martyribus; ast in sociis diuersa conspectione præcognita, & in agonum locis,& temporibus, dissimili situatione monstrata. Et licet apud Dextrum eorum catalogus designetur, quia sine die multa, ideo ea diebus adiungere,& dies nominibus consignare,non leue humeris nostris pensum imposuimus. Ergo de Nostris ratione Sociorum, isthæc Molan. in Addit. ad Vsuard. Item FORTVNATI, & FELICIS cum alijs Viginti Septem. Eadem Notker. Maurolycus, & Petr. de Natal. in Catal. SS. lib. 11. c. fin. n. 77. Martyrolog. Rom. hoc die omnes,vbi Baronius illos ex antiquis MSS. restitutos esse commemorat. Locum agonis expressit Fl. Dexter Noster in Chron. Ann. 268. vbi P. Biuar. n. 3. fol. 294. Rod. Caro fol. 92. lit. E. hisce verbis: Vxamæ-Barcæ in Autrugonibus Hispaniæ populis S. FORTVNATVS insignis Christi Martyr cum XXVIII. Sociis. Ideo XXVIII. dixit, quia FELICEM suppressit. Cæteri XXVII. nominant, quia ambos exprimunt. De eis Martyrologium Castellanum P. Vazq. Lusitanum PP. Soc. Iesu. Hispanum MS. P. Higuera, & recentiores.

Eorum Acta à nullo conscripta reperimus, illa breuiter dabimus, vestigia sequendo cæterorum, qui per illa tempora gladio constantes ceruices obtulerunt.

ACTA SS. FORTVNATI, FELICIS, & XXVII. Sociorum Martyrum, qui passi sunt apud Vxamam-Barcam Hispaniæ.

ETSI priscarum antiquitas passionum, quibus fuerunt Beatissimi Martyres Hispani FORTVNATVS, FELIX, & Socij consecrati, gestorum fidei velamen obliteratæ obliuionis inducat, tamen quia viuax insigne meritorum, ipso suo silentio proclamandum latere nec potest, in auctorum vicem laus celebrata succedat. Quia etsi mens nostra cœlestis gloriæ suæ dignitatem non impleat; contra inuidam tamen illorum temporum taciturnitatem animum munus vocibus solemnibus expleat. Quod quidem de comprobata innumeris exemplis eorum dignatione præsumptum est; & officia obsequentis incipere,quod laudantis merita æquare non possent. Exequendus est igitur ordo rumoris, & laudis admiranda narratio, vt quod in habitu sermo non explet, in veritate subministret coniectatio. Hispanos fuisse milites FORTVNATVM, & FELICEM, sociosque eius fama est. Qui cum apud Vxamam-Barcam antiquissimam in Autrigonibus Hispaniæ ciuitatem, secularibus primum stipendiis militassent,innumeros insignium strenua virtute facinorum, manipulos collegerunt. Per hæc tempora igitur cœpit Gallieni Imperatoris insanire dementia, & quos Christianos inueniebat satellitum immanis atrocitas, aut diis sacrificare compellebat, aut per agonis palæstram, tormentis adiicere & subiicere destinabat. Occidentalem plagam edicta Imperatoris occuparunt sacrilega, quorum executionem ministri perficere decernentes ad vnguem, quoscumque nouerant Christo exhibere

deitatem, protinus ad carcerum impura sæui reducebant ergastula, vbi aut fœtore damnabant, aut per cruciatuum ferociam, vita priuatos in oleta fœdè dimittebant immunda. Vxamam demum hæc rigoris aduentauit scintilla, qua detecti FORTVNATVS, & Socij, ad carceris sunt custodiam inhumana apprehensione damnati, vbi in fide constantes per verberum plagas, per tormentorum angustias, ad coronam martyrio strenui pugiles deuenerunt IV. Kalend. Martij, Anno Domini CC.LXVIII. Corpora verò SS. FORTVNATI, & FELICIS Caparam in Vettonibus translata, ibidem honorifice sepulta, olim cultu debito venerata quieuere, donec, vrbe euersa, ad Placentinæ sedis cathedram Caput S. FORTVNATI delatum, in sacrario honorifice adseruatur eiusdem.

Isthæc Acta. A veritate deuiauit D. Roder. de Acuña Hist. Braccar. 1. p. c.100. fol. 415. & in Hist. Portucallens. 1. p. c. 11. ℣. in Addit. fol. 434. vbi asseruit, FOTVNATVM, & FELICEM, quos Martyrologia hoc die cum XXVII Sociis consignant, perperam illis esse nominibus consignatos, & in FORTVNATI nomine irrepsisse mendum, cùm TORQVATVM FELICEM vnius tantum Martyris nomen, & cognomen scribendum contendat. Nam salua tanti Præsulis pace, lectio antiquorum Martyrologiorum amplectenda est. I. Quia *Torquatus Felix*, Vimarensis Martyr, vt diximus VI. Kal. Martij, longe istis posterior est. II. Quia ex Dextro cum FORTVNATO fuere XXIX. Martyres, quod non conuenit rationi Acuñæ, quia si *Torquatus Felix* vna persona est, non erunt Martyres nisi XXVIII. quo numerus in isto Auctore claudicat. Ideo non est cur ab antiqua lectione recedamus, & præcipue, quando *Torquati Felicis* martyrium tanta ratione fulcitur, tantis auctoritatibus comprobatur, vt superius diximus.

QVATENVS ad cultum apud Caparam Vettonum vrbem, ingenue illum fatetur Flau. Dext. in Chron. Ann. 360. his verbis: *Capara in Vettonibus SS. Martyres* FELIX, FORTVNATVSQVE *coluntur.* & dixi *in Histor. S. Epitatij c. 2. n.17. fol.* 104. vbi licet aliam fui opinionem sequutus, hæc verior mihi visa est, ratione adiunctorum Martyrum. Item in eadem *Hist. c. 6 fol.* 408. probauimus *Caput*, quod in sacrario *S. E. Placentinæ*, de cuius diœcesi *Capara* est, asseruatur, titulo S. FORTVNATI cum aliis eiusdem Reliquiis, huius Sanctissimi Martyris esse; nam euersa *Capara*, ad Vrbem, & Ecclesiam Matricem translatum, nullus dubitare patietur.

VXAMA-BARCA. Vrbs antiqua in Autrigonibus Hispaniæ, de qua mentio apud Claud. Ptolom. lib. 2. Geograph. Tabul. 2. Europ. c. 6. his verbis: Orientaliores autem iis, & Cantabris sunt Autrigones, in quibus Ciuitates sunt mediterraneæ VXAMA-BARCA Sexisamonculum, Viruesca. Isthæc diuersa ab alia in Areuacis, quam ARGELLAM vocitant. De hac diximus supra esse OSMA. Nostram hodie ORDVNNA iuxta Flauiobrigam contendunt esse Poza in Nomenclat. Vrb. Antiq. Hisp. 1. p. c. 25. fol. 45. col. 1. P. Biu. ad Dextr. Ann. 91. n. 1. fol. 183. Roder. Mend. tit. de Cantabria c. 3. fol. 237.

S. VICTOR Eremita Confessor.] Pia cum Gallis hic sese nobis offert contentio. Ast cùm veritas de pilo non pendeat, quinimmo ipsa omnia sedet aduersantia, facile Deo permittente iurgia componere curabimus huiusmodi. Ergo ad Gallos pergo. Abbas Maurolycus in suo Martyrolog. Nostrum Eremitam Gallum consignat, hac periodo. *In Pago Trecassino* VICTORIS *Confessoris.* Cui fauet Andr. Sauss. in Martyrol. Gallic. h. d. 1. p. fol. 125. istâ: *In Trecensi diœcesi, pago Archiaco S.* VICTORIS *Presbyteri, & Confessoris, qui in Gallia florens, dum adhuc ethnicæ superstitionis semina pullularent, praua, quæ supererant impietatis germina, extirpauit: multos ad Christi cultum ex idololatria conuertit, ac cœlestis vitæ documentis, exemplis denique multæ pietatis, & virtutis, necnon magnis miraculis illustris, plenus dierum, & bonorum operum, ad æternam felicitatem transiuit: cuius praconia S. Bernardus bino celebrauit encomio, memoriæque sacratissima percolendæ proprium officium,*

quod

quod Aremarensibus ascetis inscripsit, adornauit: quod etiamnum, vel in Natali ipsius Confessoris decantari solet in cœnobio Aremarensi, vbi ipsius Corporis sacrosanctæ reliquiæ iam pridem conditæ debita veneratione coluntur, eòque energumeni, dæmoniacique, & Lymphatici deducuntur, & Salutari illius Beati ope liberantur, vixque dies vlla effluit. qua non huiusmodi beneficij quidquam contingat. Hanc etiam sententiam sequuntur Galesinius, Constantius Felix, & Martyrologium Romanum, licet nullibi in Galliis demoratum S. Anachoretam inspectes. Pro Nostris Hispanis adest S. M. Maxim. in Chron. Ann.459, vbi Roder. Car. fol.168.lit. Z. vbi & isthæc inueniuntur verba: *Per hæc tempora floret in* Bætica *in territorio* Arcilacensi *Sanctus* VICTOR *Eremita, Vir egregie Sanctus, de quo memoriæ proditum est, ab vtero Matris suæ, dæmonibus fuisse formidabilem Eius Corpus in* Gallias *delatum est.* Eadem notauit Roder. Caro in Chrorograph. Conuent. Hispal. lib. 3. c. 78. fol. 208. col. 4. E quibus agnosces S. VICTOREM ex Hispania Bæticum origine, Gallum depositione, & sarcophago. Qua distinctione, controuersiam inter Nostros, & Gallos vnire valebis: nam quod amicus Noster, mihi semper venerabilis, Saussayus interlineauit in elogio supra relato, circa *S. Victoris* assistentiam, prædicationem, & mortem in Gallia, ab omnium Scriptorum opinione discedit, quia nec *S. Bernardus*, qui huius S. Viri acta, in binis sermonibus, & officio, conscripsit, tale quid recitat, nec Abbas Aremarensis, qui *S. Bernardo* res gestas illius, pro conscribendis encomiis, & officio, emisit, similem peregrinationem aperuit. Et patet, nam S. VICTORIS sacra pignora Gallias delata fatentur S Maximus, Bernardo antiquior, immò ex ipso Bernardo liquet Epist.311. ad Guidonem Abbatem, sic: *Petis charissime mihi* Guido, *& tecum pariter, qui tecum sunt Fratres; dictare me aliqua vobis legenda solemniter, vel canenda in festiuitate* S. VICTORIS, *cuius apud vos* CORPVS *sanctissimum requiescit.* Si ergo S. Anachoreta in Gallia natus, educatus, Eremita, & Prædicator fuisset, non est dubium, quin *Bernardus* expressisset; at quia aliud non est adeptus encomium, sola sepulchri commemoratione contentus, cætera sub silentio perstrinxit. Adhuc, binum sermonem *Bernardus* contexuit, in illis haud verbum de origine, educatione, & prædicatione apud Gallos comperies. Si ergo illustris Doctor ex schedis *Guidonis* isthæc de natiuitate, & actionibus à *Saussayo* meo relatis, exussisset elogia, quæ Gallis gloriam penitus adaugebant; vt quid *Bernardus* illa occultare præsumeret? vt quid edicere, compelleretur? *Præstiti, quod petisti: Præstiti dico, non quod tibi ad votum, sed quod mihi ad* manum *venire potuit, pro posse vtique meo, non pro velle tuo: Seruata tamen* Antiquorum *veritate* Scriptorum, *quæ tu mihi* transmiseras *de vita* S. VICTORIS. Itaque si in Actis transmissis inueniretur origo, secessus, & prædicatio in Galliis, vtique *Bernardus* exprimeret omnia, vt Antiquorum Scriptorum veritatem insectaretur, alias orationis vanitate sanctus notaretur & congruè, cum opera non adaptaret eloquiis. Ex his patet *Saussayum* meum, semitam elegisse asperam, à nullo ex Antiquioribus protritam, ideoque tribulis, & spinetis fibulatam. Sequatur ergo Antiquorum vestigia & facile VICTOREM Hispanum ex Bætica comprehendet; apud Arcilacenses Anachoretam agnoscet; apud Gallos sepultum intuebitur, & ibidem honorificè conditum, quousque hæc Acta conscribo:

ACTA S. VICTORIS ARCILASENSIS in Bætica Eremitæ, & Confessoris, ex SS. Maximo, & Bernardo.

VICTOR natus in Hispania in Vlteriori Bæticæ prouincia educatus, apud Arcilacensem in Montibus Marianis territorium, vitam eremiticam egit. Iste prodigiis, & mirabilibus insignis, totum Turdulorum, & adiacentium climatum circulum virtutum significationibus, & facinorum insigniis adimpleuit illustrium. Adhuc

in vtero Matris existens pauorem intulit sæpe sæpius ipsis malignis spiritibus, ex quo ante sanctus, quam natus, & ante opere extitit, quam nomine VICTOR. Ætate maturus in Arcilacensem eremum secessit, vbi Deo viuebat, & proximis: nam cùm in ipsius eremi altum ramentum præruptis cautibus, dense inhorrescente nemore, cæli circulum orationibus quæritasset, multoties carneis oculis inter radiantium fulgida nubium agmina Dei inuisebat adspectum, angelicis demulcebatur melodiis, & infallibili edocebatur oraculo. Proximis quoque necessitate oppressis mira aliquando indulgentia subueniens, fontem vini scaturientem aperuit, quo & necessitudinis collimauit angustias, & indigentium æstuantem placauit Numine operante palatum. Sic quippe se B. Anachoreta in illis inuictis Montium cacuminibus, tanta silentij participatione gerebat, vt nihil extra sobrium victum, deuotum affectum, spiritus quietem, corporis custodiam, oris puritatem, animi canderem, in eo liuido potuit speculari curiosa. Nam modum linguæ, & iræ frenum imponens, nec illâ rusticis opprobria, nec istâ transeuntibus accolis conuicia direxit; ideo omnibus amabilis, omnium in manu corda tenebat. Circa exercitij, & parsimoniæ symbolos; ista fuit iam pridem functionum ratio: dormire parcè, orare frequentius, psalmis, & hymnis terere tempora, noctes iungere diebus, quibus, se diuinis curabat laudibus occupare. Ab exordio vitæ semper humilis corde fuit, in pauperes liberalis, ad hospites iucundus, ad peccantes patiens, & benignus ad omnes. Contemplationibus sic spiritum instruebat, vt corpore terram, mente cœlum inhabitare fateberis. Quibus & multa, quæ in proximorum euentura Numinis destinauerat prouidentia successibus, agnoscebat, & aliquando Supernorum morosa cantus suauitate plausibiles Spirituum voces exaudiens, homo sago carnis indutus, gloriam digito contingebat. Ergo vt illa æternè frueretur ad vnguem, ad terminum vitæ peruenit extremum, vbi deposito corporis ergastulo, tantò alacrior, quantò expeditior cœlorum culmina spiritus penetrauit in sancta, quo accipiens de manu Domini coronam victoriæ, supra mundi contagia verè Victor ascendit, IV. Kalend. Martij, circa Annum Domini CCCC. L. Cuius Corpus postmodum in Gallias delatum sacrum, & ad Aremanense Cœnobium apud Trecas aduectum, ibidem honorifice conditum, miraculorum continuatione præfulget; ad cuius sarcophagi marmora passim contingentes lymphati, protinus ab impuris spiritibus liebri, salutem consequuntur à Domino sempiternam. Cui hoc sepulchrale carmen sacrauit vetustas:

Est Hispania mihi patria; Gallia funus.
Jllic Arcilacis Bætica Nostra domus.
Hic Aremarenses Nostro cum Corpore ditans:
Et Gallo-Hispanus iure notante vocor.

Arnoldus Wion in Lign. Vit. lib. 3. Martyrol. Monast. h. d. fol. 60. S. VICTOREM fuisse Monachum Cisterciensem dixit; quod repellit Hugo Monard. in Martyrolog. Benedict. h. d. & lib. 1. Obseruat. fol. 204. & illum Benedictinum Monachum contendit. Quatenus ad primum, Wion nec quem imitaretur habuit, nec postmodum visus est habere sequentem: & optimè, nam si Bernardus Cisterciensis Ordinis Auctor, ab antiquis deduxit schedis Acta VICTORIS, ergo iste Bernardo præcesserat, ideoque non poterat sub istius regula militare.

Nec

Nec vllus ex Scriptoribus Cistercienſibus tale quid ſomniauit, cùm Chryſoſtomus Enriquez in Menologio nec eius meminit, D.F. Angelus Manrriq. Epiſcopus Pacenſ. qui de eo agit tom 2. Annal. Ciſterc. Ann. 1145, c. 9. n. 13. ſuo arrogauerit ordini.

MINVS in conſiderationem trahenda eſt Hugonis Monardi ſententia, qua nititur abſque probabili coniectatione probare, fuiſſe S. VICTOREM Monachum Benedictinum; quia ſi S. M. Maximo danda eſt fides, Noſter S. Eremita ante Benedicti Patriarchæ natiuitatem, per fere centum annos è vita deceſſerat, & ad Arimarenſes tranſlatum agnoſcimus. Nec minus eſt audiendus Nicolaus Camuzatius, qui in Miſcellaneis Hiſtoricis tranſcripſit Bernardi ſermones, vbi in Notis aſſerit vixiſſe S. Virum tempore Chilperici IX. Francorum Regis, quia vt ex Paulo Æmilio tom. 1. Reg. Franc. Ann. 574. liquet, iſte Rex ſceptrum tenuit poſt S. Anachoretam per fere CXXV. Annos, ergo non potuit, inſpecta ex Maximo temporis ratione, ad Chilperici gubernacula peruenire. Iacobus Moſander, qui ad Surium aliquot Acta Sanctorum addidit, etiam S. Bernardi ſermonem inſeruit, ſed nihil de hiſce nouatorum technis, Nunc P. Ioann. Bapt. Maſcul. in Encom. Cœlit. fol. 92. n. 68. Encomion ſpecta.

S. VICTOR
MARTYR.

Synop. *Prodigiis inſignis fuit, in primis vino diuinitus producto, in menſa. Cacodæmones etiam nondum natus ab vtero ipſo exterruit, ac fugauit; furem verò tantiſper iis examinandum tradidit, dum purgaretur.*

ENCOMION LXVIII.

Nemo tàm expeditus excurrit ad gloriam,
quàm hic victoriæ pennis elatus.
Infanti palmæ, & laureæ fuere crepundia;
terruit hoſtes nomine, antequam pugna.
Nec virtus VICTORI *potuit deeſſe, nec gloria.*
Bellatori ſtrenuo inglorium eſſe non licuit,
nec victori humilem.
Ipſa ſe Natura faſſa eſt prodigiis victam,
Cum vina ille miro modo in nemore intulit menſis,
producto liquoris fonte, non vite.
At vero quanti ſtuporis fuit:
quod fugauit horrendos præſides noctis,
nondum editus in lucem.
Tulit Victoris omen, antequam nomen.
Exhorruerunt ſtygij hoſtes vel in vtero clauſum.
ipſa eorum fuga, & extorta confeſſio
victoriam conceſſit infantulo.

Vincta

Vincta manus non fasciis, sed vteri nodo
sauciarnnt excitatos ex Erebo milites;
metuerunt eum materno adhuc inclusum septo;
quid cùm excurrere potuit in campum?
cùm inuadere, aggredi, congredi?
Scilicet eos victos pro mancipiis, & lictoribus habuit;
nam furem aliquandiu iis excruciandum tradidit,
mox purgatum, cum libuit, extorsit è manibus.

ARCILACIS Vrbs antiqua Hispaniæ, quam Claud Ptolom. lib.2.Geograph. Tabul. 2. Europ.c.4. inter Turdulorum populos notat sic: Supra quos mediterranea versus Tarraconensem incolunt Turduli; in quibus vrbes mediterraneæ, Obulcum, ARCILACIS, Detunda Moletio hæc ALCALAHORRA dicitur, sed perperam vt notauit Roder. Caro ad Max. Ann.459.fol.168.lit.Z. & lib. 3. Corograph. Conuent. Hispal.c. 78. fol. 208. col. 4. Qui asserit, hanc vrbem à nonnullis ARACENA in montibus Marianis vocari, quibus adhæreo.

C. FVGA IESV-CHRISTI Pueri in Ægyptum.] Huius festiuitatis exordium desumptum credimus ex Hist. sacr. Matth.c.2. qui Acta breuiter hisce periodis recensuit; vbi post Magorum reuersionem, persequitur: *Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens*: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis; vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem*: Ex Ægypto vocaui filium meum. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit Ioseph in Ægypto, dicens*: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. *Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel.* Quæ itidem Iuuencus Noster Cæsarobrigensis Hispanus cecinit lib.1. Hist. Euangel. sic:

Ipsum etiam Puerum monitis cœlestibus actus
Ægyptum cum matre simul transportat Ioseph.

Quin & B. Sedulius Noster Episcopus Oretanus in Paschal. Carm.lib.2.etiam istius fugæ historiam, breui carminum ecphrasi, prosequitur:

——————— Tunc cœlitus illi
Per somnum moniti, contemnere iussa tyranni
Per loca mutati gradientes deuia callis,
In patriam rediere suam.

Perpulcre Aluarus Gomezius Noster Toletanus in Talichrist.lib.9.in fine huius fugæ, & exilij historiam poëtica narratione contexuit, dicens:

Ecce Chalybs cœlo rutilans descendit ab alto,
Præcepitque Viro, Nilotica regna subiret,
Virgineumque ferens, fructum cum Virgine: Sæuos
Exilio fugiat gladios, quos protinus illi
Efferus infausti, cæcaque cupidine Regni

Rex

Rex parat. His, Dominique attendens iussa Superni,
Paruit, & Genitrix voce exanimata trementi
Cœpit iterque pauens, iusto perculsa timore
Ibat in illotos, ignotaque flumina, campos.
Dat profugam properare metus, sed cursibus ipsis
Tardat arena pedes; solito non pressa labore,
Et cecidit, manibusque sacris quem lapsa ferebat,
Cum cecidit paruus gemuit sub pectore Christus.
Flet Genitrix turbata dolens: & Virgo Maritus
Dat lachrymas, vixq; ipse manet, quin corpora pressa
Sternat humi moriens; duplex labor ipse labore
Matris erat duplexque dolor turbabat euntem.
Sista loquens. Sicco iam rumpite viua cerebro
Flumina. Quis graciles oculorum fontibus imbres
Nunc dabit? Iratos hominis fugit ille lacertos.
Exulat ille. Deus genitor cui sceptra Beatus
Cælorum, & terræ commisit pondus, & vndæ
Rex residens vera, nec maior primus in alba.
En quid & hoc? Video quæ mira incognita? cerno
Extorrem Dominum per quem sunt condita magnum
Cuncta ruituræ sustentat pondera terræ
Nonque huic terra vacat? Fraudati machina mundi
Nil vacuum profugi retines: Quo sumere Christi
Corpus, & horrendo valeas seruare Tyranno
Securum? Toto properantia Sydera cœlo
Huc precor. Æquoream decessit Phœbus in vmbram.
Nox venit. Ignoto qui condidit omnia regno
Exul adest. Terras horrescit noctis & vmbras
Paruulus: en fessa ciciderunt brachia Matri
Contectura sui, quæ colla trementia Nati
Nudantur: simul & vexata est frigore Mater.
Hei mihi. Cur aulam condentia sydera vestram
Non datis artifici? Sed non hæc æthera tangit
Culpa nec astra: alto torquenda est terra flagello.

P. Emanuel Pimenta è S. I. cuius candidissima sæpe sæpius carmina dedimus, lib. 3. Poëmat. tom. 1. fol. 78. pium hoc de istius exilij narratione cecinit Epigramma.

Belle magis Phœbo, nitidisque micantior astris,
Purpureas præfers, qui Puer ore rosas:

Quæ

Quæ tàm dira feri, quæ vis tàm barbara monſtri
Compulit è patrio te procul ire ſolo?
Vt te conſpiciat, remoratur Cynthius axes:
Vt te conſpiciat Cynthia frenat equos.
Indigna exilio eſt facies tàm bella, nitorquè;
Immanes potuit qui domuiſſe feras.
Vt reor, Herodes monſtris immanior, eſſe
Exilij poterit, non niſi cauſa tui.

Igitur fugam hanc à Noſtris ſic Poëtis decantatam, à pluribus ſeculis, propriis Hiſpania fuit venerata officiis; ideo in omnibus antiquis & vetuſtioribus Breuiariis ipſius conſignatur feſtiuitas, licet vna quæuis Eccleſia, non vno, eodemque die, ſed diuerſis, diſparibuſque diebus huiuſmodi celebritati officium, plauſibili demonſtratione, perſolueret. Ad hunc diem referunt Breuiaria Compoſtellanum, Palentinum, Siginenſe, Toletanum, & Placentinum, ad diem VIII. huius Segouienſe, & alia. In quibus *Capitulum* in primis veſperis, hoc: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius*, ex Iſai. c. 19. Oratio autem ſequens: *Deus qui Filium tuum, & Matrem eius ſacratiſſimam fugientes in Ægyptum, corporaliter fatigare voluiſti, exaudi preces noſtras, & nos propter eos conſolari digneris. Qui tecum viuit.* Hymnus, etiam Saphico exaratus carmine, ſic:

Concinat noſter chorus hoc in æuo,
Geſta quæ Chriſtus puer almus egit,
Dum petit Mater Nazarethi domum,
Purificata.

Noctu & in ſomnis, Ioſepho prædicit
Nuncius celſo veniens Olympo,
Puero Deo fugiendum eſſe;
Mors enim inſtat.

Accipe (dixit) Puerum, Matremque,
Sancte Nutritor, celerique curſu,
Fuge, Iudæam deſerens alumnam,
Petas Ægyptum.

Quærit Herodes tumidus Tyrannus,
Virginis Natum, hominem, Deumque,
Ferro mactare. Fuge ne moreris
Expedit enim.

Virgo poſt partum exulans puella,
Da tuum Natum miſeri precamur,
Claudat vt triſtis Herebi cauernas,
Te duce Virgo.

Præſtet hoc nobis Deitas Beata,
Patris, ac Nati pariterque Sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo.

Poſtea ad Matutinum leguntur Sex Lectiones S. Ioannis Chryſoſtomi ſup. c. 2. Matth. c. 1. Homiliar. Quæ incipiunt poſt textum Euangeliſtæ ſic: *Dignum eſſe hoc loco indico.* Homiliam verò, qua tres vltimas Lectiones explet, texuit ex D. Ieronymo ſup. Matth. c. 2. quæ S. Doctori eſt c. 11. In Laudibus Hymnus.

Orbis immenſi decus, & polorum
Qui tua dextra populos tenellos,
Sæpe ſuſtentas, reparas labentes
Nos quoque ſerua.

Antra deſerti fugiens petiſti,
Altaque luſtrans ſtabula ferarum,
Vlnis amplexus Genitricis almæ
Diuæ MARIAE.

Intrans obſcurum, vera lux Ægyptum
Corruunt ſtatim ſimulacra Diuum,
Nequeunt ſtare te præſente, Deo
Numina nequam.

Nata rectoris ſuperum potentis,
Orbis, ô, lux, & Genitrix ſuperni,
Da tuo Nato deprecamur, omnes
Comites eſſe.

Et qui pro nobis exulando fugit,
Deus æternus, Natus ipſe tuus,
Donet, & nobis, pietate ſua
Regna Polorum.

Circa

Circa huiusmodi Ægyptianam fugam multi multa dixere, quibus omissis, vt omnia ex Nostris Hispanis Scriptoribus deprehendamus pro Actis R. P. Petri de Ribadeneyra ecphrasim, hic appingere decreui:

ACTA FVGÆ D. N. IESV-CHRISTI Pueri in Ægyptum, ex R. P. Petro de Ribadeneyra S. I. Hispano.

EXPLETA & præsentatione Christi, & purificatione Virginis, in Galilæam reuersi, Ciuitatem suam Nazareth habitarunt, vbi quandiu substiterint, latent. Herodes autem, vt sese delusum à Magis aduertit, rumoreque vulgante, didicit ea, quæ cum puer in templo præsentaretur, gesta fuerant, quæque venerandus ille senecio Simeon, & Anna vidua prophetarant, passimque diuulgarant, quo sese amittendi Regni metu liberaret, Christum, quem Regni sui æmulum credidit, tollere è medio constituit. Et quoniam vbinam infans, cuius sanguinem sitiebat, latitaret, ignorauit, & an idem insidias, quas tendere parabat, effugere posset, dubitauit; omnes omnino infantes Christo coæuos obtruncare decreuit.

SED enim Dominus, qui non nisi tempore abse determinato mori constituerat, nullaque in puerili ætate patrare miracula, quibus diuinitas manifestaretur, sed infantilem nobis exhibere debilitatem decreuerat, cœlo demisit Angelum, à quo S. Ioseph imminentis effugeret vim tyranni, in Ægyptum profugeret, atque illic tantisper moraretur, donec aliud iuberetur. Ergo promptissime S. Patriarcha diuino iussui obsecutus, nihil itineris adeò præcipitat, difficultate, nouitate vè turbatus, strato sese corripuit, cum Puero, eiusque Matre in Ægyptum concessit. Sed quasi timeret hominem-Deum, & quasi totius huius vniuersi Dominus, mortalis expauesceret vim tyranni, profugit. Atque hoc suos nos erudiit exemplo, vt si qua persecutionis alicunde tempestas ingruat, si malorum nos improbitas, aut vis vrgeat, loco cedamus, tantisper fugiamus. Neque tamen eorum minas, aut vim, quidquam timeamus. Fugit enim Christus in Ægyptum, *vt* (quemadmodum ait Euangelista) *impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Quod oraculum quamuis ad verbum, siue literam (vt aiunt) de Populo Israel intelligatur; nihilominus Euangelista de Christo interpretatur.

Hoc in itinere (vt Nicephorus, & Sozomenus memorant) cum Christus cum Sanctissima Matre Hermopolim vrbem Thebaidos attigissent, sese ad eius vrbis portam obtulit ingens, annosáque arbos (in quo cacodæmonem impia superstitio, cæcitasque venerabatur) cui nomen erat Persis. Hæc supplicis in modum curuata, ramos adusque terram prona submisit, præsentemque Dominum, quodam modo adorauit. Hinc eius foliis, fructibus, & cortici mira omne morborum genus sanandi vis diuinitus concessa est. *Niceph lib. 11. c. 31. Sozom. lib. 5. c. 21.*

Addit Bruchardus Heliopolim, & Babyloniam inter, hortum fuisse balsami fertilem, exiguis cuiusdam fonticuli riuulis irriguum, in quo Virginem suum Iesum, & eiusdem lintea abluisse, vimin isque è scopulis siccanda suspendisse perhibent. Hosce riuos diuini Corporis attactu sacratos, Sarraceni, quamuis aliàs impij, religiosè tamen, pieque sunt venerati; neque hosce tantummodo, *In Descript. Terr. S. 2. p. c. 4.*

sed omnes etiam aquas, quibus illi miscebantur. Atque perennis huic loco memoria à Christo Seruatore cœpta duraret, ibidem suspensa lampas, semper accensa seruata est.

Euſ. de Demonſtr. lib. 6. c. 20. Athanaſ. de Incarnat. Verb. Orig. hom. 3

Ad primum Pueri Iesu in Ægyptum ingressum, cuncta tremuere idola, omniaque dæmonia, dirissimam in illud Regnum tyrannidem exercentia, quod agnoscerent adesse Numen, à quo omnem suam vim, omneque ius, quod in Ægyptios, omni alia gente cæciores (vt Eusebius, Athanasius, & Origenes memorant) corruere. Sic vt nulla in posterum simulacra viderentur. Et in ipsa vrbe Hermopolitana (vt refert Palladius) eadem accidisse.

Restitit in Ægypto Dominus, quoad Herodes vixit, id est totum septennium, quo exacto, cùm iam Tyrannus inter viuos morari desiisset, apparuit S. Iosepho Angelus, cui præcepit, vt cum Puero, & Matre eius in Iudæam reuerteretur. Paruit ille monenti, rediitque. At vt audiit Archelaum patrio Herodis sceptro potitum, successisse, in Galilæam abiit, Nazarethique habitauit.

Alia plura, de hac FVGA, agnoscere qui desiderat, adeat Scripturarios sup. c. 2. Matth. vbi plura ad amussim suggeret. Alia miracula in Ægypto patrata refert Petrus à Gogni Pampilonensis Noster in Vit. B. MARIÆ Virgin. c. 17. fol. 271. vbi domus in Ægypto à Iosepho constructæ descriptionem enumerat. In qua (quæ adhuc subsistit) æditαuus, & lampas perseuerat, quamque Sarracenorum sumptibus reficere, ipsi accolæ, deuotionis ergo satagunt.

CIRCA tempus exilij, variæ sunt sententiæ. Georg. Coluener. in Kalend. Marian. tom. 1. Die VII. Ianuar. fol. 19. colligit ex Beda, vnicum tantum annum apud Ægyptios permansisse. Epiphan. hær. 30. & 51. Duos annos adsignat. Tres annos appingunt Areth. sup. c. 12. Apocalyps. Druthmar. in c. 2. Matth. Quatuor annos refert Caietan. in d. c. 2. Matth. ex Niceph. lib. 1. Hist. Ecclesi. c. 14. Seuer. Sulpit. Hist. Sacr. Ann. 37. Nicolaus Rausner. Diar. Eccles. die XI. Ianuar. Quinque annos scribit Cedren. in Comp. Histor. ex Nicol. Lyrano in tract. contra Iudæos, de Messia. Luc. Pinell. in Meditat. ad Vit. B. V. Ioann. Boudin. in Comp. Vit. Christ. c. 13. Sex annos fatetur Christian. Adrichom. in Theatr. Terr. Sanct. in Vit. Christ. ex Maurolyco, & Galesinio, & Calixto Placentino. Septem annos enumerat Eus. in Chron. Regin. Prumens. Ammonius Alexandrin. in Harmon. Euangelic. Flau. Dext. Noster, & fere omnes Scriptores, quorum Catalogum recenset Coluener. vbi sup. n. 7. fol. 21. & seq. Demum Octo, & Nouem annos multi credidere vt refert Franciscus Lucas relatus ab ipso Coluener. n. 8. qui asserit, quod, quantò mora in Ægypto fuit longior, tantò exilij calamitas, & pœna productior.

***

TERTIO

TERTIO Kalend. Mart.

DIES XXVII.

A *Hispali in Bætica* S. LEANDRI *ipsius urbis Episcopi, qui sanguinis ingenuitate generosus, & eruditionis soliditate venerabilis, inter sauientium Leouigildi Hispaniæ Regis leuiri, armorum cruenta facinora, exilium propter fidei defensionem perpessus: Hermenegildum primò, Reccaredum, postmodum nepotes, Apostolica imbuit religione; cuius monitis, & ille ad martyrij agonem, & iste ad Catholici titulum deuenit, Gothorum splendore restituto, gloriosus: tandem S. Præsul doctrina clarus, sanctimonia nobilis, & miraculis celebris, felicitatem Confessor inclytus, per varia Arianorum certamina victor comparauit æternam.*

B *In Cœnobio S. Basilij Oppidi de Cuellar Secobriensis diœcesis, depositio* S. ANTIGONI *Martyris, qui Romæ cum aliis passus, eius sacra lipsana Hispaniam aduecta, ibidem honorifice requiescunt, & deuota veneratione coluntur.*

NOTÆ.

A SANCTVS LEANDER Episcopus, & Confessor.] Eminentissimo apud omnes commendatur elogio, Noster illustrissimus Præsul, orbis lux, Hispaniæ gloria, Hispalis facula, & omnium splendor. Ex Martyrologis Beda, hoc: *Apud Hispaniam in Ciuitate* Hispali, *natale* S. LEANDRI *Episcopi, ad quem* B. Gregorius *libros Moralium scripsit: cuius prædicatione, & industria, tota Vuisigothorum gens, ab Ariana impietate conuersa est.* Ado addidit: *Quin etiam* Ermenigildum *Regem, viuente adhuc patre hæretico, ab eadem Ariana hæresi ad Catholicam fidem correxit, atque vsque ad gloriosam martyrij passionem, suis exhortationibus perduxit.* Vsuardus eadem verba, quæ Beda, addito *per Reccaredum Regem.* Notkerus, eadem quæ Ado. Istos sequuntur Maurolycus, & Petr. de Natalib. in Catal. SS. lib. 3. c. 115. Constantius Felic. Peregrin. Vvion, & Menard. in

Martyrol. Monast. Roman. Dominicanum, Castellan. P. Vazq. Lusitan. S. I. Hispan. MS. P. Higuer. Quibus conueniunt omnia Breuiaria Hispan. tàm MS. quam edita, nemine deficiente. Nec Chronologis defuit Symbolum Vverner. in Fascic. Tempor. Ætat. 6. Ann. 554. Regin. in Chron. lib. 1. Ann. 517. Herman. Contract. *in Chronic. Ann.* 580. Marian. Scoth. *in Chron. lib.* 2. *Ætat.* 6. *Ann.* 586. S. M. Max. *in Chron. Ann.* 534. *&* 540. Luitprand. *in Chron. n.* 217. Iulian. *in Chron n.* 443. Luc Tudens. *in Chron. Era* 618. B. Ioann. Viclarens. *in Chron. Ann.* 3. *Imper. Mauritij, & Ann.* 8. Ioann. Vass. *in Chron. Ann.* 603. Opmer. *in Chron. Ann.* 597. Iacob. Philipp. Bergom. *in Supplem. Chron. Ann.* 563. Gaulter. *in Chron. secul.* 6. *fol.* 468. Sed & apud Ecclesiasticos Scriptores elogia Nostro inueniuntur sublimia Pontifici. S. Isidor. frater *de Scriptor. Ecclesiast. c.* 28. Honor Augustodunens. *lib.* 3. *c.* 34. Sixt. Senens. *lib.* 4. *c.* 56. Trithem. *fol.* 242. Aubert. Mir. *fol.* 89. Cardin. Bellarm. *secul.* 6. *Ann.* 598. Posseuin. *in Apparat. sacr. lib.* 1. *lit. L. fol.* 341. Ex Historiographis Roder. Tolet. *lib.* 2. *c.* 15. Marin Sicul. *de Reb. Hispan. lib.* 5. Tarrafa *de Regib. Hispan. Ann.* 558. Ambros. Moral. *lib.* 11. *c.* 64. Padill. *Hist. Eccles. Hispan. tom.* 2. *Cent.* 6. *à c.* 45. *vsque ad* 63. Marian. *lib.* 5. *c.* 12. 13. 14. *&* 15. Mariet. *de SS Hispan. lib.* 5. *c.* 19. 20. *&* 21. Matamor. *de Academ. Hispan. tom.* 2. *Hisp. illustrat. fol.* 810. P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Bened. tom.* 1. *cent.* 1. *Ann.* 554. *c.* 3. *& seq. & eod. tom. Cent.* 2. *Ann.* 583. *c.* 1. *fol.* 353. Alphonsus Morgado *Hispal. Hist. lib.* 1. *c.* 9. Roder. Caro *ead. Hist. lib.* 2. *c.* 14. Paulus de Spinos. *ead. Hist. lib.* 2. *c.* 19. Alcozer *Hist. Tolet. lib.* 1. *c.* 24. Pisa *ead. Hist. lib.* 2. *c.* 17. S. Antonin. *p.* 2. *tit.* 2. Vincent. Bellouacens. *in specul. tom.* 4. *lib.* 21. *c.* 135. Ex Floribus Sanctorum. P. Truxill. *tom.* 2. *Thesaur. Concionat. fol.* 705. Basil. Santor. *fol.*....... *tom.* 1. Gundisaluus Millan *fol.*....... P. Vega *fol.*...... Ioann. Luc. *fol. CXXVIII.* Antiquum Flos-Sanctor. *in Extrauagant. fol. XXXII.* A quibus Alphonsus Villegas, P. Petr. Ribadeneyra, Ioannes Maldonatus, Franciscus Haræus, Lypoolous, Grassis. D. Prudent. de Sandoual *ad Reg. S. Florent.* M. Ægid. Gonzal. Dauila *in Theatr. Eccles. tom.* 2. *&* denique P. Brouer. *apud Mosandr. in Addit. ad Sur. tom.* 2. P. Quintana-Dueñas *Hist. SS. Hispal. fol.* 140. ex quibus nouiter hoc Actorum compagino Florarium.

ACTA S. LEANDRI EPISCOPI Hispalensis Confessoris, ex Breuiariis, & Scriptoribus Hispanicis.

LEANDER ex nobilissimis Ostrogothorum, & Wisigothorum ortus originibus, parentes habuit Seuerianum Virum Principem, & Theodoram. Ille Theodorici Ostrogothorum Regis, Amalarici Wisigothorum Hispaniæ Regis aui, filius, ex Sanctina, seu Sanctia, Isidori nobilissimi Ciuis Toletani, de Wisigothorum prosapia oriundi, filia, quæ Regi Theodorico, Toletum aduentanti, pro disponenda Amalarici Principis Nepotis tutela, nupserat, progenitus. Illa M. Flauij Ceruela ex clarissimo sanguine Gothorum, & Paulæ vxoris, quæ & genere conspicua, & Christianis, Catholicisque virtutibus extitit honestissima, filia dignoscitur. Erat igitur Seuerianus pater, Carthaginensis prouinciæ primipilarius, & apud Bigastrum (quæ hodie Murcia dicitur) vrbem, continuam habitaculi sedem obtinebat, vbi primum coniugij virilem à Domino, Anno D. XXXIV. fœtum accepit. Is fuit LEANDER, qui in Ecclesia B. MARIÆ Suburbana Bigastrensi baptizatus, à prima statim ætate se sic virtutibus, ac literis addixit, vt suo æuo fuerit apprimè ita disertus, ac prudens habitus, adeoquè in loquendo potens, vt quoduis, etiam pertinaci cuiuis dictione reduceret, & eloquio. Ast ex Magistri ferula, ad Palatij scholam (vt illa ferebant tempora) ingenuus adolescens pertransiens, vt curialium normam

mam ediſceret procerum toto aulicam ſplendore, illinc breui diuerſatus, ludibria, fraudes, inuidias, & circumſcriptiones attendens, ab illarum errore, & mundi vanitate abſolutus, in religionis portum ſe recipere, meliori tabula, ſatagebat. Ergo abdicatis ſtrepitus ſeculi voluptatibus, monachum induere, ſequè S. Benedicti regulis ſubmittere deuouit. Hinc in aſceterio Hiſpalenſi, vbi tanta ſanctitatis, & eruditionis fama florebat, cucullam induere decernens, relictis parentibus, & familiaribus, calcatis palatij honoribus, & poſtpoſitis hæreditariæ familiæ incrementis, Hiſpalim peruenit, & accepta Monachi regula ſe omnibus tonſus exhibuit, anno D. LXII. Poſt modum anno D. LXVIII. Stephanus Eccleſiæ Hiſpalenſis Antiſtes, LEANDRVM ad Presbyteratus dignitatem euexit. Qua ſic eius inter cæteros virtutis ſplendor, ſapientiæ lumen, doctrinæ lampas, & religionis radius emicuit, vt in Solis conſpectu, cæterorum agmen inſpici conſueuit Aſtrorum. Sed quia tanti celſitudo meriti ſingula colluſtraret cœnobia, ad S. Claudij Legionenſis conuentum, obedientia diſponente transfertur, vbi, vt ſui temporis oraculum, ita fuit veneratus LEANDER, vt eo viſo, aliquid amplius remaneret videndum. Pòſt egregiè munere perfuncto, demùm ad Hiſpalenſe proprium reductus, vitam, quieta animaduerſione, tranſegit.

PER hæc tempora Stephanus (aut vt aliqui credunt Dauid) Epiſcopus Hiſpalenſis huius vſuram lucis amiſit, & cùm de ſucceſſore deligendo inter Clerum, & Populum tractaretur, conſonis vtriuſque ſuffragiis LEANDER electus eſt. Ad arcem ergo dignitatis euectus, illam vigili circumſpectione tractauit, prudenti animaduerſione diſpoſuit, & accurata ſanctitate direxit, ex quo Paſtoris ſeduli nomine fuit omnium acclamatione notatus. Ea tempeſtate moderabatur Hiſpaniæ Leouigildus Gothorum Rex, ipſius S. Præſulis leuir, qui hæretica impietate Arianus, Catholicis erat infenſus, quibus ſinceritas religionis erat fraudi, ſicut Arianis erroris ſui vanitas, honori pariter, & fauori. Quare multi, minima quæſtus ſpe ducti, veritatem deſerebant: alij ſola cæcitate, vel dolo circumuenti, delira mendacium homulorum commenta ſectabantur. Qnam ob rem S. LEANDER, quamuis omnibus aliis curis, rebuſque neceſſariis attenderet, tamen id apprimè putabat, vt Catholicos in Orthodoxa religione confirmaret; hæreticos refutaret, illuminaret, & ad veritatem reuocaret. Itaque ingenti ſpiritu, ſcientia, & induſtria (cui Dominus adſpirabat) multos ſuis erroribus Arianos eripuit, ſtygiaque tyrannide mancipatos, Catholicæ Eccleſiæ, libertos, ac filios aſſeruit.

ITAQVE religionis ergo graue diſſidium exortum eſt, inter Regem Leouigildum, & Hiſpaniæ Principem Hermenegildum eius filium. Hic enim diuinitus inſtinctus, & à S. LEANDRO patruo perſuaſus, eiurata hæreſeos Arianæ perfidia, Catholicam erat fidem profeſſus, pro qua ſuſtinenda, ſi neceſſitas poſtulaſſet, etiam ſanguinem cum vita profundere non dubitabat. Quæ res eius patrem moleſtiſſime affecit, & mutua inter vtroſque ſimultas adeò auxit, vt omne Regnum duas in factiones, alteram Catholicam, alteram hæreticam ſcinderetur. Catholici adhærebant Principi, tanquam ſuo capiti, & duci, ſed hæretici Leouigildum Regem, Dominumque agnoſcebant. Catholici quamuis multi, & copias plurimas numerarent, & æquitate cauſæ ſuperarent, tamen ab aduerſaria multitudine vincebantur. Ergo cum non ſuppeteret eis in Regno ſatis virium, ad exteriora auxilia confugere fuit neceſſum;

sic S. LEANDER ad Tiberium Imperatorem Catholicum Constantinopolim missus oratum, quo Catholicæ causæ fauere dignatus, aliquem delectum militiæ florem mitteret in Hispaniam, qui Arianorum hæreticorum vesaniam coërcerent, & causam Domini propugnarent. Suscepit hanc legationem, etsi itinere longissimo permolestam, difficilem, ac ærumnosam, ne tanti momenti negotium aptato successu, Princeps Hermenegildus, & omnes Hispaniæ sua spe frustrarentur Catholici, Constantinopolim appulsus, amicitiam cum S. Gregorio, tunc Monacho Benedictino, pòst Romano Pontifice, cognomento Magno, qui S.R.E. Diaconus Cardinalis, Pelagiique Summi Pontificis Legatus ad eundem Tiberium Imperatorem, negotiorum ad Catholicam Ecclesiam pertinentium caussa, missus, contraxit. Cùm vero LEANDER & Gregorius vita, doctrina, habitu, & proposito persimilis essent, facile inter eos mutuus amor coaluit, qui vsque ad mortem sanctus, firmusque durauit.

NON potuit Imperator Tiberius tot, tantásque laborantibus Hispaniæ Catholicis copias submittere, quantas ipsa necessitas exigebat. Itaque effectu hæc S. Præsulis caruit legatio. Sed ne frustra itinere tempus tereret Concilio Episcoporum Constantinopoli celebrato interfuit Antistes, quo soluto in Hispaniam milite vacuus, sed summis Gregorij amplexibus plenus, denique repedauit. Eius igitur reditu, dissidium, bellumque inter Patrem, & Filium exarsit adeo, vt Princeps à suis desertus, & à Romano milite venditus in patris manus inciderit, qui captum, vinctumquè, quod ab Ariani Episcopi manu noluisset Eucharistiam suscipere, in festa Paschalis solemnitate peremit. Sic gloriosus ille Princeps martyrij laurea coronatus est XVIII. Kal. Maij. Lætatus est hac filij sui morte crudelis pater, quod & vindictæ libidinem satiasset, & Regno suo securitatem afferret, & à periculo, metuque falsæ religionis suæ sectam, tanto duce Catholicis erepto, vindicasset, & omnes subditos tàm rigida in suummet filium exercita pœna consternasset. Sed cùm vno nunquam Tyrannus sedatur errore, nec eius simplici mucro satiatur flagitio, euenit vt Leouigildus quoque parricidio alia crimina cumularet, ideo Catholicam Ecclesiam maiore cœpit persequi rabie, Sanctissimos Episcopos Orthodoxæ fidei assertores Hispania proscribere, Ecclesias diruere, & Catholicum gregem furibunda commotione prosternere. Nec LEANDRVM, prout nec filium, sanguinitas liberauit, nam inter quos fœda exilio temeritas mulctauit liuoris, principes fuere LEANDER, & germanus eius frater Fulgentius, quos partibus Principis agnouerat adhæsisse. Sic auarissimus Rex Ecclesiasticos redditus, nemine resistente, sacrilegè inuasit, cleri priuilegiis derogauit, multosquè viros, & fœminas principes neci dedit, quorum facultatibus regium oppleuit ærarium. Igitur quamuis ab Hispania S. Antistes exulare cogeretur, non tamen arma posuit, nec aduersus hæreticos bellare desiit, tanquam generosus Christi miles. Duobus eorum errores libris confutauit, quos per totam regionem vulgari curauit, & alio quodam obiectionibus respondit eorum. Tractatum de regula Monastica ad S. Florentinam germanam sororem suam, multarum Virginum, Monacharumque Antistitam scripsit, in quo luculente de virginitatis disserit excellentia, & quanto sint monachæ regendæ docet officio.

PHOLIXVM extitit LEANDRI, & SS. Episcoporum exilium, in quo copiosior tribulationum prouentus; ast Deus suæ interea

non

non immemor Ecclesiæ, sed placatus meritis, & irriguo S. Hermenigildi sanguine, qui fidem suam Regno, vitaque potiorem habuit; cùm tempestas maximè debaccharetur, rabientis Æoli vim compescuit, tumidos irati maris fluctus composuit, & detersis cœlo nubilis, procellas omnes in claritudinem conuertit, exoptatamquè Hispaniarum reddidit serenitatem Ecclesiis. Nam Leouigildus Rex suum agnoscere crimen, suamque in Primogenitum, regnique hæredem crudelitatem cœpit exercitam, ad quorum errorum agnitionem, & miracula, quæ ad sacras S. Martyris exuuias patrabantur, fidem Catholicam confirmantia, & S. Leandri Epistolæ crebræ, quibus perfidiæ, parricidiique enormitas increpabatur, multum promouerunt; & demum grauis ægritudo, qua Toleti denique extinctus, naturæ concessit. O! vtinam si Catholicus! Atqui filium Reccaredum Regni hæredem testamento reliquit: Leandrum, Mausonam Emeritensem, & Fulgentium Astigitanum tutores Princip: designauit, quibus noui Regis committens directionem, ipsi Reccaredo obedientiam, in omnibus, commendauit. Illico quippe successor Rex paternis consiliis, & hortatibus animatus, & cœlesti spiritu (quem S. sui fratris Hermenegildi meritis diuinitus obtinuit) confirmatus, totum se S. Leandri tradidit arbitrio, vt se publicis priuatisque singulariter in rebus ad animi sui salutem, & maximè ad Orthodoxam pertinentibus veritatem, moderaretur, prout eius prudentia saperet & directio. Leander verò ad cuius curam primitùs, ex tot titulis, conuersio Nepotis moderni Regis spectabat, tam breuiter, quam feliciter. locum inuenit, vt vix manum apposuit ad fidei exordium, cùm in Nepote agnouit integram Catholici dogmatis consummationem. Nam Reccaredus magis fraternæ perfidiæ imitator, fidem Catholicam tanto feruore amplexus est, vt hanc non solum publicè fuerit professus, sed omnem quoque lapidem mouerit, vt totum Regnum etiam in eandem fidem consentiret, & gens Gothorum, quam hucusque Arianæ virus hæreseos venenarat, sese eiurata hæresi conuerteret, & amplexata Catholica fide, Orthodoxæ religionis lumen adspiceret. Vt enim hoc efficaciùs consequeretur, adhibitis iam à Leandro, & Reccaredo in hanc rem medelis, compositisque Gothorum Arianorum subterfugiis, Episcoporum necnon difficultatibus (erat enim quælibet Ecclesia duos, aut tres habens Prælatos) compositis, gloriosissimus Rex, Toleti illud percelebre Anno D.LXXXIX. Concilium coadunare præcepit, cui extra Abbates, Archidianos, & Palatinos interfuere LXXII. Episcopi Gothici ex Hispania, & Narbonensi Gallia, cui S. Leander præsedit tanquam Apostolicus Legatus. Hic Rex, & Regina cum toto aulici palatij cœtu; post Episcopi labe infecti deinde Palatini, & Proceres, & denique cætera Gothorum turba, Arij dogma profuso lachrymarum imbre damnarunt, & fidem Nicænæ Synodi fuere lætabundis singultibus amplexati. Post cuius religiosæ actionis decursum, quæ facta fuit, in Templo Maximo S. Mariæ vrbis Regiæ, in Secretario dicto Ierusalem VIII. Idus Maij, ipso die apparitionis S. Michaelis Archangeli, Toletanorum peruetusti Tutelaris, S. Leander ob solemnem illius diei lætitiam, sequentem mirabili compositione, insigni vocis plausu, & constanti affectus acclamatione dictauit ad verbum veraciter homiliam.

Festivitatem hanc omnium esse solemniorem festiuitatem, nouitas ipsa significat. Quoniam sicut noua est conuersio tantarum

plebium causa, & nobiliora sunt solito Ecclesiæ gaudia; nam multas solemnitates, per anni discursum celebrat Ecclesia, in quibus tametsi habeat gaudia consueta, noua verò sicut in hac die non habet. Aliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis, his nuper inuentis. Pro qua re, & Nos maioribus gaudiis eleuamur, quia repentè nouos Ecclesiam parturiisse populos intuemur: & quorum asperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudij nostri, tribulationis præteritæ occasio fuit. Gemebamus, dum grauaremur, dum exprobraremur: sed gemitus illi id egerunt, vt hi, qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conuersionem corona. Hoc enim gratulatiuè profert in Psalmis Ecclesia dicens: *In tribulatione dilatasti me*. Et Sara dum sæpe à Regibus conspicitur, nec maculam pudicitiæ sentit, & Abraham causa pulchritudinis suæ diuitem facit; ab ipsis enim Regibus Abraham ditatur, à quibus Sarra conspicitur. Condigne ergo Ecclesia Catholica gentes, quas simul senserit fidei suæ decore, ad sui eas Sponsi, hoc est, Christi lucra transducit, & per ea regna, suum virum diuitem reddit, per quæ se inquietari persenserit: sic enim dum ex initio lacessitur, vel inuidentium dentibus mordetur; dum premitur, eruditur, & dum insectatur, dilatatur. Quoniam patientia sua æmulatores suos, aut superat, aut lucratur. Dicit enim ad eam diuinus sermo: Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu autem supergressa es vniuersas. Sic non mirum, quod hæreses, filiæ dicuntur; sed attendendum, quòd loco spinarum ponuntur: filiæ sunt, eo quod ex semine Christiano generantur: spinæ sunt, eo quod foris à Dei paradiso, hoc est, extra Catholicam Ecclesiam nutriuntur: & hoc non lectura sensus nostri, sed Scripturæ auctoritate probatur, dicente Salomone. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Ergo ne magnum vobis videretur, quod hæreses dixerit filias, continuo eas numerat esse spinas; hæreses inquam, aut in aliquem angulum mundi, aut in vnam gentem inueniuntur versari, Ecclesia verò Catholica, sicut per omnem mundum tenditur, ita & omnium gentium societate constituitur. Rectè ergo hæreses in cauernis, quibus latent, congregant ex parte diuitias: Ecclesia autem Catholica, in specula totius mundi locupletata, supergreditur vniuersis.

Exvlta ergo, & lætare Ecclesia Dei: gaude, & consurge vnum Corpus Christi: induere fortitudine, & iubila exultatione, quoniam tui mœrores in gaudium sunt mutati; tristitiæ habitum in amictum lætitiæ versum est. Ecce repente oblita sterilitatis, & paupertatis tuæ, vno partu, populos innumeros genuisti Christo tuo. Nam dispendiis tuis proficis, tuoque damno subcrescis: tantus denique est Sponsus tuus, cuius imperio regeris, vt dum te patiatur deprædari admodicum, rursum prædam tuam ad te reducat, & hostes tuos conquirat. Sic autem agricola, sic piscator dum lucra attendit futura, quæ seminat, & quæ amodo incesserit, non imputat damna. Tu proinde iam ne fleas, ne lugeas temporaliter quosdam recessisse à te, quos cernis cum magnis lucris rediisse ad te. Exulta ergo fidei confidentia, &, tui Capitis merito fide esto robusta, dum quæ recolis olim repromissa, nunc cernis fuisse completa. Ait enim in Euangelio ipsa veritas: Oportebat Christum mori pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum. Tu profecto in Psalmis proclamas, odientibus pacem, dicens: *Magnificate Dominum mecum, &*

exaltemus

exaltemus nomen eius in vnum. Et rursum: *In conueniendo populos in vnum, & regna, vt seruiant Domino.* Quàm dulcis sit charitas, quam delectabilis vnitas, non nesciens per phophetica vaticinia, per Euangelica oracula, per Apostolica documenta, non nisi connexionem gentium prædicas, non nisi vnitatem populorum suspiras, non nisi pacis, & charitatis bona dissеminas. Lætare ergo in Domino, eo quòd non sis defraudata desiderio tuo: nam quos tanto tẽpore, gemitu teste, & oratione continua concepisti; nunc post glaciem, post hyemen, post duritiam frigoris, post austeritatem niuis, velut iucunditatem agrorum, frugem, & lætos verni flores, vel adridentes vinearum stipitibus palmites, repente in gaudio peperisti. Ergo fratres tota charitate animi exultemus in Domino, & iubilemus Deo salutari nostro. Hoc de cætero per ea, quæ iam sublata sunt, ea quæ adhuc expectantur implenda, vera esse credamus; quæ enim præfata sunt, Domino dicente: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt sit vnus grex, & vnus Pastor:* ecce contuemur fuisse completa. Pro qua re non dubitemus totum mundum posse in Christo credere, atque ad vnam Ecclesiam conuenire. Quoniam rursus ipso testificante didicimus in Euangelio: *Et prædicabitur* (inquit) *hoc Euangelium regni, in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Si ergo remansit pars aliqua mundi, vel gens barbara, quam fides non irradicauit Christi, profectò credituram, atque in vnam Ecclesiam esse venturam nullo modo dubitemus, si ea, quæ Dominus dixit vera esse putamus. Ergo fratres reposita est loco benignitatis bonitas, & errori occurrit veritas, vt quia superbia linguarum diuersitate, ab vnione gentes separauerat, eas rursus gremio germanitatis colligeret charitas; & quemadmodum vnus possessor est totius mundi Dominus, ita vt possessionis esset vnum cor, & animus vnus; *pete à me* (ait) *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Propterea, & ex vno homine propagatum est omne hominum genus, vt qui ex vno illo procederent, vnum saperent, vnitatem quærerent, & diligerent. Ordo enim naturalis exposcit, vt qui ex vno homine trahunt originem, mutuam teneant charitatem, nec dissentiant à fidei veritate, qui non disiunguntur naturali propagine.

HÆRESES verò, & diuisiones è fonte manant vitiorum, vnde quisquis ad lenitatem venit, ex vitio ad naturam redit: quia sicut naturæ est fieri ex pluribus vnitatem, sic est vitij, fraternitatis declinare dulcedinem. Erigamur ergo tota mente in gaudio, & quia gentes studio decertandi perierant, sibimet in amicitiam Christus vnam Ecclesiam procurauit, in qua eas rursus reduceret concordia charitatis. De hac profectò Ecclesia vaticinatur Propheta dicens. Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Et iterum: *Erit* (inquit) *in nouissimis diebus præparatus mons, domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt Populi multi: & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Mons enim Christus est, & domus Dei Iacob, vna Ecclesia est eius, ad quam, & gentium concursum, & populorum pronuntiat confluere conuentum: de qua rursum in alio loco dicit Propheta: *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt* (ait) *gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi, & ædificabunt filij tibi:* Qui vt notesceret, quæ euen-

tura

tura essent genti, vel populo quæ ab vnius Ecclesiæ communione recidissent, secutus est: *Gens enim, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Aliquo denique loco similiter ait: *Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, & gentes quæ non cognouerunt te, ad te current.* Vnus enim est Christus Dominus, cuius est vna per totum mundum Ecclesia, sancta possessio: ille igitur Caput, & ista corpus, de quibus in principio Genesis dicitur: *Erunt duo in carne vna:* quod Apostolus in Christo intelligit, & in Ecclesia. Dum ergo ex omnibus gentibus vnam vult Christus habere Ecclesiam, quicunque extraneus est ab ea, licet Christi nomine nuncupetur, Christi tamen corporis compage non continetur. Hæresis enim, quæ respuit Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, eo quòd adulterino amore diligat Christum, non vxoris, sed concubinæ obtinet locum. Quoniam re vera duos dicit Scriptura esse in carne vna, videlicet Christum, & Ecclesiam, quo loco meretrix nullum inuenit tertium. *Vna est enim* (ait Christus) *amica mea, vna est sponsa mea, vna est genitricis suæ filia.* De quo item eadem Ecclesia pronuntiat dicens: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Quærant nunc hæreses, à quo constuprantur, vel cuius sint prostibulum factæ; quoniam ab immaculato thoro recesserunt Christi, à quo quanto pretiosam esse nouimus copulam charitatis, tanto Deum hac celebritate laudemus quòd gentes pro quibus profusus est sanguis Vnigeniti sui, non passus est extra vnum ouile, diaboli dentibus deuorari. Lugeat igitur veternosus prædo suam prædam amisisse, quia impletum videmus, quod Propheta vaticinante audiuimus. Equidem (inquit) hæc captiuitas à fortiori tollitur, & quod ablatum fuerat à robusto saluatur. Parietem enim discordiæ, quem fabricauerat diabolus, pax Christi destruxit, & domus, quæ diuisione in mutuam certabat, cædem, vno iam Christo lapide angulari coniungitur. Dicamus ergo omnes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nullum enim præmium charitati compensatur. Inde omni gaudio præponitur, quia & Charitas facta est, quæ omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem, vt vnanimiter, vnum omnes Regnum effecti, tàm pro stabilitate Regni terreni, quam felicitate Regis cœlestis, Deum precibus adeamus, vt Regnum, & Gens, quæ Christum glorificauit in terris, glorificetur ab illo, non solum in terris, sed etiam in cœlis, Amen.

HAC oratione peracta, Rex, Episcopi, Abbates, Proceres, Clerus, & Populus solemni supplicatione, Deo gratias agere processere, in quo tanti momenti negotio, tantus S. LEANDRI fuit labor, vt ob hanc Gothorum, totiusque Hispaniæ conuersionem, Gothorum meruerit Apostolus nominari. Sed & B. Gregorius gratulatorias ad eum literas dedit, quibus incredibili se se lætitia significabat affectum, quod Rex adeò syncerè se ad Catholicam religionem conuertisset; eique præcepit, vt eum moneret, cohortareturque ad sanctitatem fidei, quam fuerat professus vitæ sanctitudine confirmandam. Demùm LEANDER omnibus his gloriosè peractis, vt apud Toletanos suæ affectionis relinqueret monumentum, extruxit, aut vt alij contendunt reædificauit S. Tyrso Ciui Toletano, & Martyri augustissimum templum, cuius memoria adhuc apud posteros perseuerat. Posthæc Hispalim reuersus, illico ad ministerij munus, manus applicuit: Arij reliquiarum fragmente, si quæ supererant, contrudere, radices penitus euellere satagens, vt copiosius Ecclesia nouiter ædificata religionis, & fidei incrementa produceret. Quod vt consequeretur feliciùs Diœcessanam

cesanam Hispali Synodum congregauit, anno Domini D.XC. cuius Acta habentur, qua, quæ ad religionis pertinebant statum, discretis canonibus euulgauit.

TANTA fuit B. Gregorio amicitia coniunctus, vt LEANDRO petenti, S. Pontifex libros Moralium in Iob, scripserit, eiusque nomini inscripserit, dedicatosque ad eundem destinarit, cui suum quoque Pastorale misit, cui Ioanni Rauennatium Præsuli sub initium sui Pontificatus scripserat. Multas vltro, citroque inuicem sibi LEANDER & Gregorius admodum familiariter missitarunt Epistolas, è quibus colligere sit, quàm Gregorius LEANDRI sanctimoniam æstimarit; nam in vna harum hæc habet ad verbum: Sanctitatis tuæ accepi epistolam, solius charitatis calamo scriptam. Ex corde enim lingua tinxerat, quod in chartæ pagina refundebat. Boni autem sapientesque viri, cùm legerentur, affuerunt; quorum statim viscera in compunctione commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa epistola tuæ mentis dulcedinem, non erat audire, sed cernere. Accendebantur, & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuerit ardor dicentis. Nisi enim in se prius faces ardeant, alium non succendunt. Ibi ergo vidimus, quanta charitate tua mens arserit, quæ sic accendit. Vitam verò vestram, cuius Ego semper cum magna veneratione reminiscor, minime nouerant, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humilitate sermonis. Et paulo post sese Nostri Præsulis commendans precibus, prosequitur: Ecce nunc in vndis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, vt qui in naui integra, diues peruenire non merui, saltem post damna, ad litus per tabulam reducar. Laborabat LEANDER laboribus podagræ, eoque Gregorius eum solaturus de sua arthitride hæc subiungit: De podagræ vero molestia, sanctitas vestra, vt scribit, affligitur, cuius dolore assiduo, & ipse vehementer attritus sum. Sed facilis erit consolatio, si inter flagella, quæ patimur, quæque fecimus, ad memoriam delicta reuocamus: atque hæc non iam flagella, sed dona esse conspicimus; si, quia carnis delectatione peccauimus, carnis dolore purgamur. Hæc B. Gregorius, qui pallium quoque, & Imaginem B. MARIÆ Virginis, cuius ad intuitum Romanam deseruerat vrbem pestilens epidemia, vt plurimorum opinio est, transmittit, & est ipsissima, quæ hodie Guadalupi adseruatur, magnaque populi, pro beneficiis B. Virginis suffragio impetratis, sua vota persoluentis frequentia, & pietate veneratur.

Lib. 4. ep. 46.

FRATER germanus ei minimus erat Isidorus, quem tam arctè & prudenter educauit, vt ex libello ad Sororem Florentinam colligi licet, quo etiam demonstrat, quàm præclaras, firmasque, de eius indole spes aleret, quas vniuersus postmodum terrarum orbis minime vanas fuisse cognouit. Ergo iam laboribus fractus, annorum sarcina obrutus, se ad mortem comparans, sanctissimi Pastoris officio functus, cùm ieiuniis, & pœnitentiæ operibus corpus domuisset, animum precibus, & sacrarum literarum studiis confirmasset, pauperum necessitatibus opportuna liberalitate consuluisset, diuites salubribus monitis animasset, & omnes, ad omne genus virtutis instruxisset, à Domino ad cœleste præmium euocatus, lethali ægritudine correptus, spiritum, qui tantopere desiderabat dissolui, & esse cum Christo, eidem tradidit, dormitione placida Saluatori, III. Kal. Martij, Anno Domini DC. Eius Corpus sacrum in SS. Iustæ, & Ruffinæ Virginum, & Martyrum Basilica honorifice conditum est. Vbi toto subsequente Gothorum, qui

Hispaniæ

Hiſpaniæ ſceptra tenuere, tempore, in magno pretio habitum, & cultu debito extitit veneratum, donec ſuccedente Hiſpaniæ excidio, quo deliteſcat latibulo penitus ignoratur. Ad quem, & ad S. Mauſonam Præſules, vt præcipuos Gothorum conuerſionis Auctores S. Ildephonſus direxit poſtmodum Epigramma.

LEANDER *Pater excellens, quem ſuſcipit æther*
Laudibus ornatum, conſpicuum titulis.
Incus Arianæ gentis, medicator, & idem,
Doctor Iſidori, quem generat Domino.
Tuque frater felix Meritenſis gloria terræ
Mauſona, conſilio, pectore, note, fide.
Ambo pares animis, pietate, & laudibus ambo,
In que domo Magni murus vterque Dei.
Viciſtis tolerando minas, animumque rebellem
Regis, eum ſceleris pœnituiſſe ferunt.
Vos ſoboli Regis biforem reſeraſtis Olympum,
Per vos alter enim Martyr ad aſtra volat.
Alter, & ad roſeas emergit luminis auras,
Et quia luce caret, tunc iubar eius habet.
Vos memorant Genti Gothicæ tribuiſſe ſalutem,
Linquit & inuiſum dogma, piumque tenet.
Vos merito victrix laurus, ſequiturque perennis
Gloria, tot meritis debita magnificis.
Semper veſter heros, atque inclyta fama manebit:
Voſque canent populi, ſed magis aſtra canunt.
Eſtis enim æterna præcincti tempora fronde,
Inter Doctores ſplendidiore loco.

Hactenus Acta puriora, & pleniora. Ad illorum probationem aliqua veniunt recenſenda, quæ adhuc exteris, delituerunt, & Noſtris. Circa Parentes, & proſapiæ originem tritum eſt, ſi Genealogicus arborem, & maiorum ſtruem dinumerare, & perquirere volet, adeat ſupra ad diem XV. Ianuarij, quo de Fulgentio Noſtri fratre agentes, totam proſapiæ, & originis telam texuimus.

DE Natiuitate LEANDRI apud Bigaſtrum, S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 534. primas ferat; & propoſitionem confirmet: LEANDER (inquit) *Seueriani Ducis filius, & Flauiæ Sanctinæ nepos, Murtiæ, quæ* Bigaſtrum *Gothis dicta eſt, natus ex matre Theodora Ceruela fœmina nobiliſſima, & in æde* S. MARIÆ *Suburbanæ tingitur.* Eadem Roder. Caro, Spinoſa, & P. Quintana-Dueñas *fol.* 147.

PALATII ſcholas exercuit. Idem Max. *Ann.* 562. de Hiſpali agens: LEANDER *ibidem fit ex* PALATINO *Monachus Benedictinus.* Aſt dicet criticus, quo titulo *Scholas* ponimus in palatio? Quæ iſthæc inter aulicæ confuſionis munia? Corippus *lib.* 3. reſpondeat:

Acciti proceres omnes, SCHOLAQVE *Palatij eſt.*
Iuſſa ſuis adſtare locis.

Auctor

Auctor Vitæ S. Benedicti, quam ex Vet. MSS. Anianæ Monasterij vulgauit Hugo Menard. sic: *Hic pueriles gerentem annos præfatum filium suum in Aula gloriosi Pipini Regis, Reginæ tradidit inter* SCHOLARES AVLICOS *nutriendum.*

CIRCA Monachatum, iam ex *Maximo* liquet, quem sequuntur cæteri Scriptores nullo dempto, qui apud Hispalense cœnobium, & monachum induisse, & Abbatem egisse fatentur. Quod etiam apud *Legionem* diuersaretur, Auctor est *D. Prudent. de Sandou.* à quo Brouerius *in eius Vit.* apud Surium *tom. 1. ex Addit. Mosandri*, vbi sic: *Fama quoque est à maioribus accepta, vixisse in Cœnobio* LEGIONENSI *S. Claudij, quod, vt hodie, olim quoque in potestate fuit familiæ Benedictinæ.* De quo videndi Yepes, Wion, & P. Quintana-Dueñas *fol. 146.* Qui toto cœlo aberrans LEANDRVM, Abbatem Agaliensem apud Toletum fuisse somniauit. Nam si attente, vt virum grauem decebat, *Luitprandi*, cuius fuit auctoritate vsus, verba ruminasset, in hocce tauthologiæ profundum non incidisset commentum. Tempora enim distinguenda sunt, vt vnicuique, quod attinet, impartiatur. Vixit LEANDER Noster Hispalensis ad annum DC. Vixit LEANDER Abbas Agaliensis ad annum DCCC. LXVI. Quo ergo pacto, Deus bone! LEANDER Hispalensis post CCLXVI. annos, ab eius dormitione transactos, gloriam, quam viuus inhiabat, reliquit, & seculi ærumnis iterum expositus, vt Abbatiam reciperet Agaliensem, resurrexit? Absit ab homine erudito tale pittitium. Si non mihi, credat *Luitprando*, concredat *Iuliano.* à quibus suum suxit errorem. Ille in Chron. *Ann. 859. n. 301.* apud Rom. & *fol. 204.* apud Tamayo, scriptum reliquit: LEANDER XXXVI. *Abbas Agaliensis floret.* Si hoc ergo anno florebat, intentum habeo. Non dixit *memoria floret*, vt supponeret mortuum, sed de præsenti *floret* LEANDER. Amplius: quia si iste LEANDER fuit XXXVI. Abbas Agaliensis, & tempore S. LEANDRI Hispalensis sumpsit exordium Ordo Benedictinus, quo tempore XXXVI. effluxere illius Cœnobij Abbates? Rem claudat Iulian. *in Chron. Ann. 683. n. 441. fol. 107.* qui agens de duobus *Bonitis* Toletanis Præsulibus, secundum è viuis fuisse sublatum asserit anno DCCC. LXVI. & tunc concludit: *Huius recentioris* (Boniti) *vitam, plenam signis scripsit* LEANDER *Abbas Agaliensis.* Quem adhuc viuum florere dixit, *n. 433.* Si ergo vitam scripsit *Boniti II.* Toletani Pontificis, quis dubitabit post illum vixisse? Ergo perperam *P. Quintana-Dueñas* Agaliensem effecit Abbatem S. LEANDRVM Hispalensem,

QVOD fuerit LEGATVS Sedis Apostolicæ; ex *Isidoro* indicat Baron. *Annal. Eccles. tom. 7. Ann. 589.* his verbis: *Interfuit tunc dignitate Primas, ille Catholicus, & Orthodoxus* LEANDER *Hispalensis Episcopus, & Romanæ Ecclesiæ* LEGATVS *sanctitate, & doctrina perspicuus.* Cui adhærent *Brouuer, Quintana-Dueñas, & P. Ridaneyra* à quo *P. Iacob. Canis.* in Version. Latin. *tom. 1. fol. 101.* istis: *Concilium Prouinciale coegit, quod fuit III. Toletanum, cui* S. LEANDER *præsedit, tanquam* Apostolicus LEGATVS. Quod primò dixerat. Luc. Tudens. *lib. 2. Chron.* Cuius verba mutauit *Baronius.* Et referuntur in hoc Encomio à P. Ioann. Bapt. Mascul. in Cœlit. Encom. fol. 93. *num. 69.*

S. LEANDER
Episc. Hispalen.

Synop. *Præfertur fabuloso Leandro incesto, qui à fluctibus haustus dicitur. Arianos est insectatus fautore* Recaredo *Rege. Toletano in primis Concilio adfuit Romani Pontificis nomine, vbi multa præclarè constituta.*

ENCOMION LXIX.

Nihil tàm dissimile veteri Leandro fuit,
quàm Hispalensis hic Præsul.
Illum insano amore flagrantem
marina Venus natalibus extinxit vndis;
hic veræ Religionis amore succensus,
effecit, ne Ariano in freto
naufraga periret Hispania.
Vix quisquam peritior gubernator in puppi sedit,
explorator ventorum, & moderator.
Commodum immani procella velificanti afflauit
secunda Reccaredi Regis aura.
Præscripsit hic cæteris Hispaniarum Regibus,
quid essent in causa Religionis acturi;
prælusit pietate, præiuit exemplo,
complexus amore, dignatus honore Præsulem.
Quin etiã alios Reges LEANDER *concitauit in Arium,*
depoposcit arma, præsidia, exercitus,
Martium Arij nomen Marte domandum ratus.
Hispalense Concilium instituit primus,
perduelles Pontificio terruit fulmine.
Toletano quoque senatui præfuit inter Antistites.
Composuit excitatas ab impiis procellas, ac sopiit.
liberauit vitiorum naufragio multos.
habuit, quem opponeret virtus incesto Leandro;
Oppressere illum fluctus, repressit hic fluctus.

DIXIMVS Concilio interfuisse Abbates, Archidiaconos, & Palatinos: & optime; quia licet in excuso à *Loaysa*, nulla de illis mentio insit, *S. M. Maximus*, tanquam testis ocularis, illinc omissa, chronologica animaduersione suppleuit, sic *Ann.* 590. *fol.* 208. apud Carum: *Octauo Idus Maij ipso die Apparitio* S. Michaelis *Archangeli Toletanorumque peruetusti* Tutelaris, *magna Synodus LXXII. Episcoporum Hispaniæ, & Galliæ, Narbonensis*, Toleti *contrahitur, in Templo Maximo* S. MARIÆ *in secretario dicto* Ierusalem. *Interfuerunt cum aliis Octo Metropolitani* (nunc isti, & Episcopi recensentur, post ad Abbates, & cæteros deueniens, prosequitur) *Item interfuerunt idem gloriosus* Reccaredus *Rex*, Badda *gloriosa Regina, &* Abbates *videlicet, Eutropius Seruitanus Exuperius Agaliensis, Auratius SS. Cosmæ, & Damiani, M. Maximus Abbas prius Benedictinus SS. Massarũ Cæsaraugustæ tunc Archidiaconus Cæsaraugustanus. Stephanus Abbas Ratensis Ordinis S. Benedicti: Emila S. Eulaliæ Barcinonẽsis, qui postea fuit eiusdem Ciuitatis Episcopus. Omnes isti ex ordine S. Benedicti. Item Fulgentius Presbyter: Elias Abbas S. Leocadiæ Toletanæ: Eugenius Diaconus Toletanus: Isidorus Diaconus Hispalensis; Ioannes Monachus Agaliensis Abbas, postea Viclarensis, & Episcopus. Ex Palatinis autem Helladius, illustrissimus Aulæ Regiæ Comes, qui inter Proceres, Aulicosque, Regis nomine interfuit Concilio: Fonsa Comes Patrimoniorum, & Socer Regis Asula Comes Spathariorum, & Procer: Sisenandus Comes Scantiarum, & in*

hoc Concilio Præses, qui & Procer: Gundemarus Comes, qui mox fuit, & Rex: Claudius Comes Limitaneus, & Dux Vuithericus Comes Stabuli: Bresinus: Flauius Auilâ: Athaulphus: Liuci Odoacer Comites, & ex Regis consilio: Gudila Comes Toleti, Ophilo Comes Hispalensis: Nicolaus Comes Scantiarum, cognatus Ophilonis: Stephanus Comes, ex Regia nobilitate Ophilonis pater, & frater Fonsa Regis Soceri, Toleti Principes. Abhinc suplebis, quæ in *Loaysa* editione defuerunt.

Qvatenvs ad Imaginem B. Mariæ Virginis à B. Gregorio PP. cum pallio, & Libris Moralium dimissam, quamque hodie veneratur ad Oppidum Guada-Lupæum in Extremadura deuotissimè Hispania, videndi; ex Exteris P. Anton. Belingh. in Kal. Mar. h. d. fol. P. Canis. de B. Virg. lib. 5. c. 22. Ferreol. Locrius in Mar. August. lib. 4. c. 25. Hippolit. Marrazius in Pont. Marian. c. 18. fol. 42. Ex Nostris P. Ioann. Marian. lib. 6. c. 14. Marian. Sicul. lib. 5. de Reb. Hispan. P. F. Alphons. Fernand. Hist. Placentin. lib. 1 c. 22. P. F. Gabriel de Talauer. Hist. Guadalup. tract. 1. §. 15. P. F. Didac. de Montaluo in Miracul. B. Virg. Guadalup. c. 3. & Ego in Vit. S. Epitatij c. 3. Innumeri quos recensebimus Die VIII. Sept.

De Obitus die, & Anno varie notatam calculi rationem comperio. Aliqui ad diem XIII. Martij. Plurimi cum Ecclesia hoc die. Istam amplector sententiam, & quia Romanum Martyrologium subsequi prudentiæ est, & quia ex epigraphe, quam ex peruetusto M S. Nicolai Fabri transcripsit Constantinus Caietanus, & quam refert Roder. Caro in Not. ad Maxim. Ann. 598. fol. 211. colligitur hoc die, obiisse. En carmina:

Crvx *hac alma gerit sanctorum Corpora fratrum*
Leandri. *Isidorique priorum ex ordine Vatum:*
Tertia Florentina soror. Deo deuota perennis,
Et posita concors :::::::*sic digna quiescit,*
Isidorus in medio disiungit in membra duorum.
Hi quales fuerint libris inquirito Lector;
Et cognosces eos benè cuncta fuisse locutos.
Dogmatibus Sanctorum cerne creuisse fideles
Ac re Dominio, quos impia iura tenebant.
Vtque viros credas sublimes viuere semper,
Aspiciens surpum pictos contende videre.

OBIIT. FEL. MEM. LEANDER. EPISCOPVS. DIE. III. KAL. MARTIAS. ERA. DC. XLI.
OBIIT. S. MEM. ISIDORVS. EPISCOPVS. DIE. II. NON. APRILIS. ERA. DC. LXXIV.
OBIIT. PIÆ. MEM. FLORENTINA. DEO DEVOTA. KAL. SEPTEMBRIS. ERA. DC. LXXI.

Iam vides quanto claudicent carmina illa à Caietano, & Caro relata, puriora perleges apud Iulianum Archipresbyterum Toletanum Nostrum in Libell. de Var. Carmin. fol. 154. Quæ & Nos retulimus supra die XV. Ianuarij, & tribuuntur S. Ildephonso Archiepiscopo Toletano. Quatenus ad Annum Transitus, communis sententia est, accidisse Anno DC. Quia S. Isidorus eius frater, & successor contendit euenisse anno, quo mortuus est Reccaredus Rex Catholicus, Iste anno DC. decessit, ergo, & ille.

Hispalis. Ciuitat, vt diximus die II. IV. & XX. Ianuarij, & XXIII. Februarij, Metropolitana Bæticæ, cuiusque retulimus origines, de illa agimus infra, suis in locis.

B. S. ANTIGONVS Martyr.] Eius memoriam recolit *Beda*, qui vt notauit Cardin. Baron. *in Not.* ad hunc diem lit. A. perperam *Thessalonicæ* Sancti martyrium posuit, & pro ANTIGONO *Androgonum* reposuit. ideo eius nomen, & martyrij palestram ex Vit. MSS. *Romæ* restituit, sic: *Romæ natalis SS. Martyrum Alexandri, Abundiani*, ANTIGONI, *& Fortunati* Petr. Galesin. ampliori periodo: *Romæ SS. Alexandri, Abundiani*, ANTIGONI, *& Fortunati Martyrum, qui Diocletiano fidei aduersario, dimicationibus constanter susceptis, coronantur.* Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 123. dilatatis clausulis, sic: *Alexander, Abundius*, ANTIGONVS, *& Fortunatus, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, Romæ coronati sunt: Commota enim persecutione, inter alios, qui Christianæ religionis delati fuere, & si comprehensi, variéque torti sunt, post dimicationes; in quibus constantes in fide permansere, martyrium compleuerunt.* Conueniunt Constant. Felicius, Martyrolog. Castellan. P. Vazq. Lusitan. PP. Soc. Iesu. & cætera recentiora. Eorum Acta sic attexere curabis:

ACTA S. ANTICONI MARTYRIS Romani cum sociis ex Galesinio, Philippo Ferrario, & aliis.

ANTIGONVS, vt creditur, Ciuis Romanus fidem Catholicam est amplexus, cuius regulas fideliter seruans, Christianis cœtibus adhærebat. Ast Imperatorum Diocletiani, & Maximiani per totam vrbem est excitata crudelitas, aduersus omnes, qui Christo nomina dedere; & cùm Romæ, quæ vniuersi caput enumerabatur, fortius, & assiduo fidelium agmina inuenirentur, euenit, vt illinc copiosiores Christo victimas sæuitia Imperatorum offerret. Inter cæteras, quæ fidei causa mactauit persecutionis, præcipui fuere ANTIGONVS, Alexander, Abundius, & Fortunatus, qui insimul comprehensi, & carceribus mancipati, postquam nec verberibus à fide suscepta deficere quiuissent, capitali sententia damnati, per martyrij agones, ad coronam cucurrerunt cœlestem, III. Kalend. Martij circa annum CCC. Sacrum S. ANTIGONI Corpus Roma Hispaniam delatum, hodie in Cœnobio Collarensi Ordinis S. Basilij Magni diœcesis Segouiensis adseruatur, & honorifica techa inclusum, summo honore recolitur.

Translatio horum sacrorum pignorum S. ANTIGONI, quo tempore Româ, Hispaniâ effecta sit, nondum didici; hoc scio, quod M. Ægidius Gonzalez Dauila Regius Chronographus in *Theatr. Eccles. Segouiens. tom.* 1. *fol.* 519. agens de Cœnobiis, quæ habet diœcesis illa, verba isthæc *adnectit: Cœnobium Religiosorum Ordinis* S. Basilij *apud Oppidum* CVELLAR, *ibidem venerantur Corpora SS. Euagrij*, ANTICONI, *& Bella. Euagrij Martyris recitat Cœnobium Kal. Octobris.* S. ANTIGONI, *recitat III. Kalend. Martij.* Quæ fides istis sit danda, quando absque lege loquuntur Scriptores, periodis, doctis relinquo: mihi Auctorem Veteranum, Hispaniæ classicum, Regium Chronographum, & de Historia meritum, & emeritum sufficit exhibere.

CVELLAR oppidum, olim dictum COLENDA, quod à T. Didio Coss. post IX. Mensium spacium circundatum, demùm disruptum, omnes illius ciues seruos ira Romani militis effecit, venundeditque, vt refert Apian. Alexandrin. de Bell. Hispan. fol. mihi. 982. his verbis: *Pulsis autem Cimbris in eam* T. Didius *Præfectus ad XX. M. Arenaccaorum cæcidit, & Termentum vrbem magnam, quæ semper agrè Romanis paruerat, ex loco munito, vbi sita erat, in planitiem deduxit, voluitque dispersis casis, sine muris habitarent. Cumque vrbem nomine* COLENDAM *obsedisset, IX. Obsidionis Mense, eam deditione cepit. Didius vniuersos* COLENDANOS *cum coniugibus, & liberis vendidit.* De ea videndus Didac. Colmenar Amicus Noster, *Histor. Segouiens. c.* 3. §. 6. *fol.* 21. & al. j, quos refert Roder. Mend. in Popul. Hisp. fol. 37.

PRIDIÆ

PRIDIE
Kalend. Mart.
DIES XXVIII.

A *Hispali in Bætica passio* SS. MACHARII, IVSTI, RVFINI, & THEOPHILI *Martyrum, qui imperante Traiano, excitata aduersus Christi asseclas persecutione, pro fide comprehensi, & ad ergastulum inducti, post varia agonum certamina, in Satellitum manibus, sacrata capita, discißis iugulis obtulerunt.*

B *Lusitaniæ, in Orichiensi Agro, depositio* S. ROMANI *Abbatis, qui in vita peractis innumerabilium virtutum operibus, sic regionis circulos signis mirabilibus oppleuit, vt eius deueniente glorioso transitu, multiplicatis facinoribus, supremam demonstrasset sanctitudinem; ex quo eius sacra eleuata pignora, & celebri epigraphe subsignata, adhuc venerationibus plebium exhibentur, & honore debito reconduntur.*

NOTÆ.

A SANCTVS MACHARIVS, & Socij Martyres.] Circa horum SS. Martyrum locum palæstræ, variè ab Scriptoribus disceptatur. Antiquum Martyrologium Romanum à *Rosvveido* editum: absque prouinciæ designatione. Illud sequuntur Molan. in Addit. ad Vsuardum; Maurolycus; Petrus de Notalib. *in Catal. SS. lib.* 11.*c.fin. n.* 84. Quibus accedunt Alex. de Peregrinis, & Constant. Felicius. Romæ passos contendunt Baronius in Nouo Martyrologio Romano, à se euulgato, & Philipp. Ferrar. in Catal. SS. Ital. fol. 123. Vbi hæc verba consarcinantur: De SS. Martyribus MACHARIO, RVFINO, IVSTO, & THEOPHILO, Romæ. Hi in eadem Diocletiani persecutione martyrium post multos agones, & varios cruciatus consummarunt Prid. Kal. Martij, ex Bedæ, & aliorum Martyrologiis. Hispaniæ passos demonstrauit Nicolaus Monachus, à cuius libro, & Tabulis, isthæc excripsit Galesinius. In Hispania SS. Martyrum IVSTI, & RVFINI, qui in eadem persecutione, ob fidem Christi capti, post diuersas in tormentis quæstiones, quibus religionem præclarè testificati sunt, ingenti admiratione cursum confecerunt martyrij. Hispali in Hispania

pania paſſos fatetur Fl. Dext. Noſter in Chron. Ann. 115. iſtius breui clauſulæ contextu: Hiſpali in Hiſpania Bætica MACHARIVS, IVSTVS, & RVFFINVS Martyres in eadem perſecutione paſſi. Huic adhærent P. Biu. d. Ann. 115. Dextr. n. 1. fol. 221. Roder. Car. fol. 63. lit. V. & in Hiſt. Hiſpal. lib. 2. c. 24. fol. 71. D. Paul. de Spinoſ. lib. 1. c. 6. P. Quintana-Dueñas Hiſt. SS. Hiſpalenſ. fol. 59. Ieronym. Brioſo in Hiſt. MS quæ adſeruatur in Bibliothec. S. E. Hiſpal. vt refert idem Quintana-Dueñ. fol. 61. Quidquid obganniat D. Martinus de Anaya in Apolog. contra P. Quintana-Dueñas fol. 22. quia nulla ratione fundatur eius notula contradictionis, quin potius Lectio in Vet. MSS. à quibus Baron. ROMÆ paſſos Martyres deſumpſit, forte ſic vt moris erat, concipiebatur: IN, VRB. ROMVL. quæ Lectio Hiſpali conuenit. Aſt excriptor loco IN VRBE ROMVLA, reponere (non cognita Hiſpali) curauit in VRBE ROMA, & ideo Martyres, qui agonem Hiſpali compleuerunt, inſcitia legentis excribentis, Romam delati, auctoritate Martyrologij Romani, ab Hiſpali deſciuere. Quod vt verè dignoſcas, eadem in Galeſinij Lectione confuſio fuit: nam in Libro & Tabulis Nicolai Monachi, à quibus Protho-Notarius extraxit horum Sanctorum ecphraſim iſthæc literæ apparebant: *HISP. SS. Martyrum* &c. acceſſit aut amanuenſis, aut ipſe Galeſinius, & non intellecta quatuor literarum HISP. abreuiatione, vbi Nicolaus HISPALIM ſcribere voluit, iſte HISPANIAM explicauit; quanto Hiſpalenſis vrbis diſturbio, ſatis congruè, ex ſe ipſo quilibet agnoſcet. Sed illuxit Lucij Dextri Chronicon, & quæ in Tabulis Eccleſiaſticis, aut omiſſa, aut confuſa, aut controuerſa perſtiterant, ſuppleuit, eliminauit, & ſedauit, illis nitorem, iſtis lucem, cæteris pacem imponens. Cuius ergo ſubſequentes exemplar, Sanctorum Martyrum Acta ſimili delibemus compendio:

ACTA SS. MACHARII, IVSTI, RVFFINI, ET THEOPHILI *Martyrum Hiſpalenſium ex Dextro, & aliis Scriptoribus.*

MACHARIVS, IVSTVS, RVFFINVS, & THEOPHILVS, Ciues Hiſpalenſes fuere, qui primo Legis Euangelicæ progeniti ſeculo, ſecundo in eadem vrbe martyrij coronas, intrepida ſtrenuitate, meruere. Proſapiam, parentes, ſtatum, & educationem prolixa temporum occuluit strues eorum. Mores, virtutes, & facinora vniuſcuiuſque, etſi litera nigra reticeat, rubra martyrij linea proclamat. Ergo quatuor Conciuium viuendi ratio, & operatio virtutum, omnibus in vrbe fuit tàm Catholicis, quam Gentilibus ardens facula, cuius radiis, & illi ad fidei veritatem incendebantur confitendam, & iſti è tenebris eruti, ad Euangelicæ diſciplinæ regulas, purificatis ſenſibus, attingebant. Sic Beati Viri vitam tranſigebant catholicè, quando Imperatoris Traiani bilis in Chriſti aſſeclas deſpumans ſæuire, omneque Romanum Imperium affligere, patriâ Ethnicorum protracta religione, exorſa eſt. Præſides, Præfecti, & Iudices, vt de vniuſcuiuſque profeſſione cognoſcerent ciuis per orbem diſperſi ſunt. Inter quos quorum miniſterio dira Cæſaris patriam vulnerauit auſteritas, vnus fuit, qui Præfecti nomine Hiſpalenſem perluſtrauit regionem, quam ſuppliciis euerſam, vt vrbem ingrederetur, relinquens, tribunal citò apud illam conſtruxit, erexitque & publicatis Imperatoris edictis, aduerſus fideles Catholicos bellum indixit. Quot illic breui martyrio conſecrauit periodo, vix nomina potuit humanus ſcribere calamus. Inter tot ergo Martyrum myriades MACHARIVS, &

ſocij

socij dira perpessi sunt ergastuli cruciamenta, quorum fidem, & constantiam expertus Iudex, cùm eos nec reducere blanditiis posset, ad cruciamina deuenit Præfectus, quibus illos robustiores agnouit ex eo quòd plaga diù repetita, potius ad sustinendum stimulus, quàm ad cedendum pœna fuisset, quia vix in vnoquoque diminutio inueniebatur spiritus, quin potius, quanto rupta viscerum compago debilitatem demonstrabat in corpore, tanto integra fidei confessio constantiam exhibebat in animo; & licet iam non membra sed vulnera inspectarentur, at in ipso doloris sufflatu, nihil nisi Christi nomen, causa leuaminis audiebatur. Demùm superatis liuoris rigoribus, deuictis Ethnici furoris cruciatibus, & calcatis sacrilegæ superstitionis sæuitiis ad martyrij lauream peruenerunt vnanimes Pridie Kalend. Martij, Anno C.XV.

Sic etiam Acta disposuit P. Quintana Dueñas. Ast quia D. Martin. de Anaya in Apolog. de nomine ROMVLA olim Hispali dato, critica murmuratione adrumauit, en numisma, in quo Hispalis COLONIA ROMVLA vocitatur.

De quo numismate videndus Roder. Car. *ad Dextr.* Paul. Spinosa *Hist. Hispal. lib. 2. c. 1. fol.* 31. vbi, vt hic feliciter delineatur.

S. ROMANVS Abbas, & Confessor.] Multiplicem hoc die Chronicon S. M. Maximi editum *Ann.* 566. infert nobis controuersiam: qui agens de S. ROMANO ORICHIENSI, illum fratrem S. Lupicini fatetur. Eius verba transcribo, prout impressa: S. ROMANVS *Abbas*, S. LVPICINI *frater, natione* GALLVS, *veniens ad* Hispanias, *aliqua Monasteria condidit, moriturque in agro* AVRICHIENSI *in Lusitania, Oppido Pannoniis; eius Corpus in pretio habetur, & honoratur.* Isthæc inter legendum notans Hugo Menard. *in Concord. Regul. S Bened. tom. 1. in Proëm. fol.* 63. aduersus illa inuehens, hisce clausulis lineam soluit: *Sed ne dissimulem, quid, hoc* Cronichon *vt inter legendum animaduerti, multa continet absurda, &* S. Maximo *prorsus indigna. Est enim multis erroribus maculatum à quodam nebulone, qui passim huic* Chronico *multa inepta adiecit pro sua libidine, vt sunt illa, quæ hic de* S. ROMANO *citata sunt. Nunquam enim hic* S. ROMANVS *frater* LVPICINI *in* Hispaniam *venit, neque ibi mortuus est, sed in Gallia, & in eadem regione sepultus est à fratre Lupicino in Monticulo supra Monasterium Condatiscense in locis Iurensibus, sub Chilperico Burgundionum Rege, vt videre est apud S. Gregorium Turonensem in Vitis Patrum c. 2. sub finem.* Hactenus Menardus; cuius placitum circa nonnulla, quæ in edito Chronico continentur, lubens amplector; & præcipue in clausula LVPICINI FRATER, quæ procul dubio merum glossema est.

QVOD verò absque controuersia liquet, illud est, quod apud Lusitanos in agro *Orichiensi* adest (ad vicum *Panaios*, quem Chronicon Maximi vocat *Pannonias*,) Templum Sancto ROMANO Abbati dicatum, quo sacra huius S. Monachi lipsana reconduntur, vt probat P. Anton. Vasconcel. *in Descript. Portugall. fol.* 554. *n.* 1. vbi isthæc verba connectit: *Apud Orichios* D. ROMANVS *in parua Ædicula colitur, vbi illius Corpus occultatur:* Caput *in Oppido* Panoio *monstratur. Huc confertissima peregrinorum frequentia se confert, vt diuinitus ad pristinam restituantur valetudinem.* Eadem P. Bernard. Brito *in Monarch. Lusitan.* 2. *p. lib.* 17. *c.* 4. P. F. Ludouic. ab Angel. *in Virid. Lusitan. c.* 4. *fol.* 114. *& c.* 113. *fol.* 332. Auctor Theatr. Triumphal. *Chor.* 3. De hocque locutum *S. Maximum* credendum est, non de

fratre Lupicini, qui, vt ex eius Actis apparet, Hispaniam neutiquam inuisit: ideo in textu Chronici *Maximi* edito, expungenda veniunt verba illa: *S. Lupicini frater*, quæ procul dubio à manu B. Episcopi Cæsaraugustani conuincuntur aliena.

ALTERIVS S. ROMANI Monachi pignora è *Galliis* aducta requiescunt cum aliis in Benedictinorum Cœnobio *Hornisgensi* inter Vrbem Sabarim hodie *Toro*, & oppidum *Tordesillas* à Cinda-Suintho Gothorum Rege in sepulturam extructo, in cuius Capella supra Aram quadrangularis inuisitur marmoreus lapis, in cuius planitie hæc leguntur verba;

HIC SVNT RELIQVIÆ NVMERO SANCTORVM S. ROMANI MONACHI. S. MARTINI EPISCOPI. S. MARINÆ VIRGINIS. S. PETRI APOSTOLI. S. IOANNIS BAPTISTÆ. ET ALIORVM NVMERO SANCTORVM.

P. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. tom. 2. cent. 2. Ann. 646. c. 4.* agens de huius Cœnobij Hornisgensis constructione, à Cinda-Suintho Gothorum in Hispania facta, fatetur Cœnobium S. ROMANO Monacho fuisse ab ipso Rege dicatum, illicque Reliquias S. Monachi aduexisse, vt ex ipso epigraphes titulo patescit; sed de quo *Romano* lipsana fuerint, penitus ignorare. Ambrosius vero, qui ex Lectionibus peruetustis illius cœnobij aliqua apocrypha, aliqua vera suxit, fatetur, illa pignora S. ROMANI ex Galliis aducta fuere, & in illo collocata Cœnobio, S. ROMANI titulum in posterum accepisse. Et licet subdubitet de quo ex duobus *Romanis* Monachis, an de S. Benedicti Discipulo, an de S. Lupicini fratre fuerint, potius in istum, quam in illum inclinare visus est. Quod si ita sit, iam in Hispania, & cultum, & Reliquias, & Cœnobium S. ROMANI fratris Lupicini à pluribus habemus seculis, ita, quia etsi Nostras non aduenerit viuus, Nostros est dignatus honorare pignoribus.

ALIVS ROMANVS Monachus, & sanctitatis titulo consignitus patescit ex P. F. Bernardi Briti Monarchia Lusitanâ, vbi *lib. 17. c. p. 2.* fragmentum Testamenti *D. Fua* Roupini Lusitanorum Ducis, ex Alcobacensis Cœnobij Actuario, excripsit, in quo isthæc verba referuntur; post descriptionem Reliquiarum: *Quas (inquit) detulit è Monasterio Caulinians* ROMANVS *Monachus, simul cum Venerabili Imagine Virginis MARIÆ de Nazareth, quæ olim in* Nazareth *Ciuitate* Galilææ *multis miraculis claruerat, & inde adsportata per Græcum Monachum nomine* Cyriacum *Gothorum Regum tempore, in prædicto Monasterio permultum temporis remansit; quousque* Hispania *à Mauris debellata, & Rex* Rodericus *debellatus in prælio, solus, lachrymabilis, abiectus, & penè deficiens peruenit ad præfatum Monasterium* Cauliniana, *ibique à prædicto* ROMANO *pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentis susceptis, pariter cum illo, cum Imagine, & Reliquiis ad* Seanum *montem peruenit X. Kalend. Decembris, in quo Rex solus per annum integrum mansit in Ecclesia ibi inuenta, cum Christi Crucifixi Imagine, & ignoto sepulchro.* ROMANVS *verò cum hac sacra Virginis effigie, inter duo ista saxa, vsque ad extremum vitæ permansit; & ne futuris temporibus, aliquos ignorantia teneat, hæc cum Reliquiis sacris in hac extrema Orbis parte recondimus. Deus ista omnia à Maurorum manibus seruet, Amen.* Huius etiam Testamenti paginam referunt D. Thom. Tamayo *in Not. ad Paul. Diacon. Emerit. c. 2. fol. 87.* R.P.F. Thom. Herrer. in suo *Alphabet. August. 2. p. lit. R. fol. 329.* Qui hunc esse ROMANVM, quem *Orichienses* venerantur, affirmat, auctoritate Auctoris Theatri Triumphalis *Chor. 3.* & Ludouici ab Angelis *in Viridar. c. 40. & c. 113.* Quod salua tanti Magistri pace incredibile est; nam Orichiensis ROMANVS antiquior Caulianensi producitur à S. Marco Maximo *in Chron. Ann. 566.* qui etiam S. FRVCTVOSI Magister innuitur, vt ex ipso Maximo apparet *fol. 196.* vbi Rod. Car. *lit. P.*

EN Tres in Hispania Monachos ROMANOS; Duo in ipsa prouincia nati, aliti, & religionis vinculo consigniti. Alius ipsam regionem sacris pignoribus honorans.

norans. Quid ergo in tanta varietate dicemus? Quis in tantæ confusionis inuolucro pertinget apicem veritatis? Ast quia de ROMANO à S. Maximo recensito, nec de altero Caulianensi, vix (exceptis supra relatis) ACTORVM lineam dimisit posteritas, & de Iurensi in Gallia, fratre Lupicini testimonia ex Moralio, & Yepesio circa existentiam aliquarum Reliquiarum in Cœnobio desumimus Hornisgensi, ACTA istius ROMANI per epitomam subscribemus.

ACTA S. ROMANI ABBATIS *Iurensis in Gallia, cuius Reliquiæ in Cœnobio Hornisgensi Hispaniæ seruantur.*

ROMANVS eximiè à teneris annis pietatis cultor honoris Catholicæ, cùm ætate iam perfectâ, & maximarum artium cognitione imbutâ, ad suscipienda matrimonij vincula à parentibus cogeretur, non mediocri animi dolore affectus est, propterea quod firmiter suum apud spiritum constituerat, illibatâ, & corporis, & mentis integritate, diuinis se rebus mancipare. Sed cum pater importunitate maximâ instaret, & Lupicinum fratrem natu maiorem, ad nuptias impelleret, qui (nequâ in re Genitoris animum rebellione offenderet) sponsali quidem vinculo alligari se passus est, licet re verâ à carnali copulâ abhorreret, Romanus nuptias constanter refutauit. Parentibus verò felici morte ex hoc seculo sublatis, communi fratrum consensu Lorensis eremi opaca lustrantes, quæ inter Burgundiam, & Alemaniam sita Auenticæ adiacet ciuitati, placuit, vt fixa ibidem tentoria figeret, victumque solis herbarum radicibus quæreret. Neque segniter rem aggressus; prostratus solo, Dominum diebus singulis, cum psalterij modulamine deprecabatur. Interim humani generis hostes, liuore contra eum maximo concitati, acres illi insidias struere, vt ab arduo sanctissimæ istius vitæ instituto eum depellerent. Precum siquidem tempore, tanto lapidum imbre eum perfundebant, vt immensis dolorum cruciatibus consternatus, domum demum paternam repetere cogitaret: sicque tandem, & ætas immatura quotidianis victa cruciatibus cessit, & eremum deseruit.

Indoles.

Respuit nuptias.

Eremum petit.

Relinquit eremum ob dæmonum infestationes.

Porrò cùm relicto solitudinis habitaculo, ad Villas propinquiores venisset, & pauperis cuiusdam mulierculæ domum hospitandi gratiâ esset ingressus, cœpit illa istius Viri habitum, & vultus maciem, ac squalorem admirata, de itineris, & vitæ ratione multa perquirere. Cui cum non sine confusione, rem totam per ordinem ROMANVS panderet, ait illa: Oportuerat certe te viriliter contra inimici insidias decertare, nec vllas eius fraudes, vel inimicitias formidare; & dubio procul, præclaram tandem de eo victoriam adeptus esses. His auditis rubore summo propter ignauiam suffusus, paululum à muliere seorsum digressus, ad repetendum certamen roboratus, accepto bacillo, Crucis vexillo armatus in eremum regressus est; in qua multo tempore consuetas dæmonum insidias, ac lapidum ictus sustinens, tandem Dei auxilio, superatis inimicis expeditus perseuerauit.

Illuc reuertitur à muliere increpatus.

TVM verò turbæ paulatim ad eum confluere, & salutaria monita postulare; quibus tantâ virtute, & suauitate pabula salutis ministrauit, vt eandem vitæ societatem, cum eo læti omni expeterent tempore. Quare Vir ille sanctissimus, qui omnium saluti consultum cupiebat, succisis syluis, & in plana redactis, Monasterium

rium construxit, in quo ita Deo, ac pietati vacabat, vt propriis sibi laboribus victum quæreret. Tantus autem feruor loci illius proximos breui inuasit, vt aliis, atque aliis ad idem vitæ institutum confluentibus, priori Monasterio aliud, quod erat eo amplius adiicere cogeretur, ac tandem etiam secundo tertium, quod & commoditate, & amplitudine priora longè superabat. In his frequens satis Monachorum numerus in omni sanctitate, ac seueritate disciplinæ degebat, quorum omnium Lupicinus Abbas curam tàm animæ, quàm corporis habebat.

Construit Monasterium.

Euenit, quod cùm ROMANVS, per visum, Lupicini obiurgationem aduersus quosdam Monachos, qui Monasterium reliquerant, & ad relicta semel mundi oblectamenta redierant, intelligeret, fratrem de modo, & ratione disciplinæ parum prudenter institutâ, acriter reprehendit, dixitque: Profecto satius foret, te nunquam fratres accedere, si eos verborum auctoritate dispergere, & non potius lenitate colligere, atque in officio continere potes. Lupicinus verò cum contra differeret, & se paucorum, expulsione, reliquorum saluti egregiè prospexisse, & paleas à tritico separasse, diceret: ROMANVS eo relicto, ad Dominum confugit, & vi lachrymarum in oratione profusâ, obtinuit vt illi, qui iam cæcâ mente, in abrupta vitiorum præcipitia ruebant, salutari dolore compuncti ad mentem redirent, & singuli sibi Monasteria (quæ vsque in hodiernum diem in Dei laudibus perseuerant) construerent. ROMANVS verò summâ diligentiâ infirmorum curam suscipit; & nutantia in virtutis certamine corda, suâ oratione confirmat.

Lupicinum reprehendit.

Oratione deuios ad gremium reducit.

FACTVM est autem die quodam, dum sedulus fratres visitaret, quòd ingruentibus noctis tenebris, ad hospitium quoddam leprosorum diuertere cogeretur. Erant in eo nouem Viri lepræ morbo miserè deformati, quorum pedes insigni charitatis officio postquam lauisset, omnes in stratum vnum nocte illa quiescere voluit. Illis autem alto sopore depressis, Vir sanctus extensâ manu, corpora singulorum tetigit, & luridæ lepræ perpetuo maculas nimia virtute fugauit.

Curat leprosos.

POSTHÆC autem senex ætate pariter, ac virtutibus prouectus beato fine ad immortalitatis gloriam commigrauit, relicto Lupicino fratre, qui cum ab eo, quo Monasterio sibi sepulchrum fieri vellet, quæreretur, respondisse fertur. Nosti frater, Dominum singularem mihi seruo suo curationis gratiam concessisse, multosque per manuum mearum impositionem, ac CRVCIS Dominicæ signum à variis languoribus ereptos esse; ideoque in Monasterio, à quo mulierum accessus arcetur, collocari non debeo, ne fœminas à consuetæ benignitatis gratiâ, post mortem meam excludere videar. Quare funus eius elatum fuit, atque eminus à Monasterio in monte paruulo sepultum: cuius paulo post monumentum celebri admodum noui templi structura honoratum fuit, & miraculorum maximorum virtute clarum euasit. Euolauit ad Superos Pridie Kalendas Martij Anno Domini D.LXV. vel circiter. Postmodum fere alio seculo Rex Cinda-Suinthus Gothorum in Hispania, & Gallia Narbonensi, extructo Horrisgensi Cœnobio, vbi cum vxore Reciberga tumulatus quiescit, aliqua sacra pignora S. ROMANI Abbatis, S. Lupicini fratris è Galliis tranferre curauit, quæ cum aliis aliorum Sanctorum in Ara Maiori occ'usa honorifice coluntur, & propter S. Abbatis translata lipsana Cœnobium S. ROMANO dicauit, circa annum DC.XLVIII.

En Acta, Claudius de Rota in Legendaria confundit istum S. Abbatem cum Socio S. Benedicti, & vtrumque hoc die consignat. De Constructione huius Cœnobij per Regem Cinda-Suinthum videndus Ambros. Moral. lib. 12. c. 28. qui Reginæ Recibergæ coniugis Regis carmen adducit sepulchrale. Nos hic finem imponimus huic primo Anamnesis Tomo, Deum deprecantes vt ad vlteriora nobis spiritum conferat.

Exegi monumenta pij suscepta laboris
Confirmante manus, corque mouente Deo,
Nolo mihi quidquam decidi ex carmine laudis,
Sit laus, sit Christi, si qua sit illa, mei.
Audiat hoc votum, cordis spectator IESVS,
Qui mihi principium, qui mihi finis erit.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM

huius primi Tomi.

Particula Ian. *à latere cuiusque vocis affixa, Ianuarium mensem indicat*; Febr. *Februarium designat.*

A

Abula Febr.

ABVLA Ciuitas Hispaniæ citerioris antiqua. Pag. 196
Hodie Auila dicitur. ib.
Episcopali munere decorata. ibid.
Vbinam sita. ibid.
Eius conditor. 197
Duplex Vrbs Abulæ nomine cognita. ibid.
Temporibus Decij Imp. nominata fuit Abyla. ibid.

Accis. Febr.

Accis antiquissima Hispaniæ vlterioris Ciuitas Episcopalis. 216
Vbi sita. ibid.

Acursius. Ianuar.

Acursius à B. Francisco missus ad regnum Marrochij, vt illic Euangelium prædicaret. 174
Eius Socij. ibid.
Eiusdem & Sociorum acta. ibid.
Martyrium. 175. & 176
Publico cultui exhibitus per viuæ vocis oraculum Sixti. IV. 177

Adaucus. Febr.

Adaucus Quæstoris generalis munere perfunctus. 71
Relicta Idolorum vanitate ad fidem conuertitur. ibid.
Phrygios ciues ad fidem reducit. 72
Ob professionem Christianæ fidei vrbe incensa cum cæteris Christianis comburitur. ibid.
In eundem & socios Martyres carmen Roberti Obrizij. ibid.

Adelelmus. Ianuar.

Adelelmi Monachi res gestæ & historia à Rodulpho ipsius cœnobij Monacho conscripta. 353. 454. 355 & seqq.
Eius miracula. 357
Obitus. 359
Epitaphium. ibid.

Adelhardus Genesius. Ianuar.

Adelhardi insignis sanctitas. 37
Eius acta ex antiquo codice MS. à Camarino humanarum literarum apud Murtiam emerito Magistro, Hispanè conscripta. 38. & seqq.
Vera eius acta. 40. & seqq.
Quibus verbis, instante morte Fratres sit allocutus. 43
Eius tumulus versibus exornatus. ibid.
Pro D. Genesio Eptastichon. 44
De cognomine Genesij. ibid.
De transfretatione eius in terram sanctam. ibid.
Venit Legatus in Hispaniam pro reductione ab hæresi Episcoporum Elipandi Toletani, & Felicis Vrgellensis. 45
Causa eius exilij. ibid.
Aduentus eius Compostellam, vt corpus S. Iacobi visitaret. ibid.
Translatio S. Adelhardi remissiuè. 46
A Monacho Corbeiensi vita eiusdem carminibus exarata. ibid.
Ex prosapia Caroli Magni Imperatoris ibid.
Bulla Iubilei perpetui pro Confratribus sancti Genesij. 47

Adiutus.

Adiutus Martyr.
Adiuti & Sociorum acta, vide *Ian.* 174. & seqq.
Ætherius. Febr.
Ætherij celebris memoria, & cur? 254
Ex Asturicensium nobilium incolarum progenie ortus. ibid.
Eius acta. ibid. & 255
Litteræ ad Elipandum Toletanæ sedis Archiepiscopum. 255. & seqq.
Eiusdem & S. Beati Apologeticum pro doctrina Apostolica aduersus errores Elipandi. 260
Epitaphium. 261
Agathangelus. Ian.
Agathangelus à S. Clemente Ancyr. baptizatus. 262
Acta. ibid. & 263.
Immane Martyrium. 263
Decastichon ad eundem. 266
Agentus. Ian.
Agenti & Sociorum nomina, regionem, & martyrium refert B. Hieronymus in suo martyrologio. 123
Agnes. Ian.
Agnetis acta prolixiori quàm hactenus eruditissimóque exarata stylo. à 209. ad 218
Encomium. 219
Translatio. ibid.
Alphonsus. Ian.
Alphonsi Asturicensis Episcopi sacra lipsana honorificè reposita inuisuntur, & venerantur. 308
Amandus. Febr.
Amandi Patria, & parentes. 57
Indoles. ibid.
Serpentem signo crucis fugat. ibid.
Romam adiuit. ibid.
Prædicator Apostolicus consignatur. ibid.
Bauonem reducit. ibid.
Gandenses inuisit, & ibi prædicat. 58
Conuertit. ibid
Miraculum. ibid.
Dagobertum increpat. ibid.
In exilium missus. ibid.
Reuocatur. ibid.
Fit Episcopus Traiectensis. 59
Præsulatum relinquere conatur. ibid.
Aquitaniam proficiscitur. ibid.
Ad Castellanenses venit à quibus fit Episcopus. ibid.
Interfuit Synodo Toletanæ. ibid.
Galliam reuertitur. ibid
Moritur. 60.
Elnone conditur. ibid.
Miraculum. ibid
Insulam Chanelaus maledixit. 64
Amarantum. Ian.
Amarantum, Oppidum ex multitudine aduenientium peregrinorum extructum. 122
Ammonius. Febr.
Ammonij acta, & martyrium. 129
Anacirardus. Febr.
Opiniones circa nomen ex Scriptoribus exteris. 42
Apud Germanos dictus Mainardus. ib.
Opinio ex nostris. ibid.
Differentia nominis exponitur. ibid.
Acta S. Anacirardi Anachoretæ, & Martyris. 43
Origo. ibid.
Educatio. ibid.
Sacerdotium. ibid.
Monachatus. ibid.
Fit Eremita. 44
Diffugiens gloriæ auram Hispanias adiit. ibid.
Apud Scalabim monasteria construit. ibid.
Ad Alpes repedat. ibid.
Dæmones fugat Angeli apparentis præsentia. ibid.
A latronibus impetitur. ibid.
Percutitur. 45
Miraculum. ibid.
Comprehenduntur homicidæ, & puniuntur. ibid.
Vestigia aduentus S. Eremitæ apud Scalabim. ibid.
Anania. Ian.
Ananias, miles, floruit apud Cantabros Hispaniæ. 312
Eius agonis palæstra, cruciatuúmque ferocitas. ibid. & 313
Pro S. Anania, & Sociis Martyribus Hymnus. 314
Anastasius. Ian.
Anastasius miles Diocletiani. 267
In carcere diu tentus pro Christi fide. ibid.
Cætera eius acta. ibid. & 269
Ad S. Anastasium Martyrem Hymnus. 269
Octastichon. 270
Annus. Ian.
Annus quibus consecratus. 1

Anni nomen à quo. ibid.

Antonius. Febr.

Antonij Paduani è tumulo hæ voces auditæ: *Deo gratias, Ciuitas liberata est.* 135

A Ferocitate Eccelini tyranni Paduam liberauit. ibid.

Acta translationis sacrorum S. Antonij pignorum. ibid.

Illum Ciues in vrbis Patronum vnicum elegere. ibid.

Eius lingua diu post mortem rubicunda, & recens reperta. 136

Arcadius. Ian.

Eius acta, & martyrium. 131

In S. Martyris agonem carmina. 132

S. Arcadij Encomium. 133

Arcilacis. Febr.

Vrbs antiqua Hispaniæ. 268

Nonnullis Aracena dicta. ibid.

Vbinam sita. ibid.

Argenteola. Febr.

Ciuitas in Asturibus Hispaniæ. 56

Eius vrbis situs. ibid.

Hodie cognominatur Medules. ibid.

Arthuagus. Ian.

Arthuagus Monachus Augustianus, vir apprimè feruens zelo Dei. 27

Vitæ S Arthuagi compendium. 28

Nobilitas. ibid.

Prior eligitur. ibid.

Moritur. ibid.

Ascanius. Feb.

Eius illustrissima passio. 200

Acta. 201. & seqq.

Origine Gothus. 202

Ex nobili Hispaniæ prosapia procreatus. ibid.

Huius nominis secundus vrbis Tarraconensis Episcopus. ibid.

Ascanius carceri mancipatus. ibid.

In Sardiniæ insulam exul relegatus. ibid.

Ærumnis confectus. ibid.

Confessor inter Martyres, & Martyr inter Confessores ad cælestem triumphum euocatus. ibid.

Asturica Feb.

Ciuitas peruetusta Hispaniæ citerioris. 238

Romanorum colonia. ibid.

Eius antiquitas. ibid.

Vrbs & Prouincia. ibid.

A quibus condita. ibid.

Eiusdem nobilitas. ibid.

Auitus. Ian.

Vnde oriundus. 56

Acta. ibid.

Zelo fidei incensus. ibid.

Apud Canarienses Euangelij dogmata prædicat. ibid.

Eius martyrium. ibid.

Quàm increuerit fides in Canaria post eius agonem. ibid.

Augurius. Ian.

Eius acta, & martyrium. 202 & 203.

Augurij & Sociorum reliquiæ certatim à Christianis collectæ, & honorificè conditæ. 203

Miraculum. ibid.

Visio. ibid.

B

Babylas. Ian.

Babylæ Episcopi Pampilonensis, & Martyris Odonens. acta. 276

Vltimum regionis propter hominum peccata prædicit exitium. ibid.

Vitam agit eremiticam. ibid.

Eius vitæ puritas. ibid.

Erudit filios Muzarabum. ibid.

A Sarracenis decollatus. 277

Hymnus pro eodem. ibid.

Badulphus. Ian.

Badulphus, Hispanus Tarraconensis. 48

Quo titulo Tarraconensis appingatur. 50

Eius acta. 48. & seqq.

Insignis Badulphi pietas. 49

Flagrat cupiditate vitæ monasticæ. ibid.

In Italiam proficiscitur. ibid.

In S. Columbani Bobiensi cœnobio cucullum induit. ibid.

Quid responderit Arioualdo Longobardorum Regi, cum ironicè salutanti. ibid.

Solicitante eodem Rege percussus in cerebro & omni compage corporis collisus. ibid.

Percussor Badulphi à dæmone corripitur, & diuersis pœnarum incendiis flagellatur. ibid.

Barcino. Ian.

Barcino, hodie Barcelona dicta. 94

Vbinam sita. ibid.

Mercimoniis floret naualibus. ibid.

Eius conditor. ibid.

A quo nomen impositum. ibid.

Beatus. Febr.
Beatus Presbyter hæreticorum acerrimus hostis. 184
Doctrina & sanctitate clarus. ibid.
Eius acta. ibid. & 185
Aduersus hæresim Felicis & Elipandi acerrimè decertat. 185
Plurimos ab hæresi ad gremium Ecclesiæ reuocat. ibid.
Super Apocalypsis mysteria librum miro ordine scripsit. 186
Miraculis celebris. ibid.
Mors. ibid.
Berardus. Feb.
Eius, & Sociorum acta. 174. & seqq.
Martyrium. 175. & 176
Blasius. Febr.
Æquiuocatio Centumfontanorum circa identitatem S. Blasij. 38
Natione Hispanus. 39
Gentilium errores insectatus. ibid.
Ad fidem conuertitur. ibid.
Fit Episcopus. ibid.
Martyr. ibid.
Bonifacius. Ian.
Ex nobili Gothorum sanguine Hispanias moderantium procreatus. 104
Cauriensis Ecclesiæ Præsul suffragiis omnium efficitur. ibid.
Interfuit Concilio Toletano VI. ibid.
Cætera eius acta. ibid.
Bonitus. Ian.
Duo huius nominis sanctissimi viri. 164
Bonito origo ex Claromonte Aruerniæ ciuitate in Gallia. 165
Toletum proficiscitur. ibid.
Ad Archidiaconatus fastigium euehitur. ibid.
Scripsisse libellum cui titulus *Indiculus luminosus*, opinio est. ibid.
Ad Archiepiscopatum Toletanum adscitus. ibid.
A Beatissima Virgine Deipara cælitus cappam accepit. 166
Eius virtutes. ibid.
Gloriosus obitus. ibid.
Epitaphium. 167

C

Cæcilius Episcopus. Febr.
CÆcilius genere Arabs, nobilis. 12
Nascitur mutus. ibid.
Mart. Hispan. Ian. & Febr.
Sanatur à Christo. ibid.
Discipulus Iacobi. ibid.
Hispanias adiit. ibid.
Ierosolymam reuertitur. ibid.
Romam proficiscitur. ibid.
Athenas deuenit. ibid.
Episcopus Illiberitanus. ibid.
Patitur. 13
Cæcilius Sedulius. Febr.
Vnde oriundus. 240
Diuinis & humanis disciplinis egregiè instructus. ibid.
Orator facundus, Poëta elegans, Philosophus subtilis, profundus Theologus. 241
Inter viros illustres illius sæculi recensitus. ibid.
Apud veteres scriptores miris insignitus elogiis. ibid.
Catalogus operum ab ipso compositorum. 245. & 246
Cætera eius acta. 240. & seqq.
Quibus argumentis Deipara Virgo demonstrarit quàm sibi placerent casta Sedulij opera. 242
Ad Episcopalem dignitatem euectus. 243
Sanctorum albo à diuersis insertus. ibid.
Cæsaraugusta. Ian.
Ciuitas Hispaniæ citerioris antiquissima. 36
Regni Aragonum Metropolis. ibid.
Olim curia Regum splendida. ibid.
Alia antiquitus eius nomina. ibid.
Calamanda. Febr.
Calamandæ Virginis, & Mart. Reliquiarum veneratio. 47
Episcopi probatio. ibid.
Eiusdem solemne peragitur officium. ibid.
Celebris processio in qua eius deferuntur reliquiæ. ibid.
Tempore summæ sterilitatis ad B. Calamandam recurritur pro exigenda pluuia. ibid.
Confraternitas S. Martyri dicata. 48
Calassum. Febr.
Oppidi situs, & memoria. 48
Calocerus. Feb.
Fuit vnus ex duodecim discipulis, quos S. Iacobus secum portauit ex Hierosolyma in Hispaniam. 95
Columbæ signo electus Rauennatum Episcopus. 96. & 97

Græcus origine. 96
Eius acta. ibid. & seqq.
Carpetanis prædicat. ibid.
Italiam pergit. ibid.
Fructus Prædicationis. 97
Moritur. ibid.
Adhæsit Apollinari Rauennatum Episcopo, & ab illo factus Presbyter. ibid.
Factus est Episcopus centenario maior, vigens tamen. ibid.
Sacrat altare S. Iacobo. 98
Miraculorum gloria clarus. ibid.

Camillus. Feb.

Ex nobilissima Camillorum familia Romæ oriundus. 133
Quibus temporibus vitam agebat. ibid.
Christi fidem accepit. ibid.
Eius acta, & martyrium. ibid.
Familia Camilla quàm illustris. ibid.
A quo originem traxerit Camillorum familia. ibid.
Extractio Corporis S. Camilli ex Calixti cæmeterio, eius donatio D.D. Emanueli de Moura. 134
Istud sacrum Corpus honorificentissima theca conditum asseruatur ab eodem excell. D.D.

Canaria. Ian.

Vna, & prima est ex Insulis fortunatis. 57
Eiusdem Insulæ, & aliarum elogium Octasthico descriptum. 58
Canaria hodie ciuitas Episcopalis. ibid.
Eius exordium cum Catalogo Episcoporum, remissiuè. ibid.

Carauis. Febr.

Peruetusta Hispaniæ citerioris vrbs. 116
Vbi sita? ibid.
A Graccho Prætore per fraudem subacta. ibid.
Eius mansionis vestigia nulla. ibid.
A quibus eius mœnia diruta. ibid.

Carpetania. Ian.

Hispaniæ celebris prouincia. 62
Eius termini. 63
Carpentaniam vocitandam esse, quis dixerit, & cur. ibid.
Carpentatorum curruum forma, & vsus, etiam apud Romanos in deliciis. ibid.

Castellonensis. Febr.

De Castellonensis Episcopatus sede, triplex opinio. 60. 61
Tertia opinio communior, an forte verior. 62
Quid tenendum sit. ibid.

Cauria. Ian.

Ciuitas Episcopalis, primò Lusitaniæ, post Vettoniæ. 105
A quibus condita. ibid.
Eius termini. ibid.
Καῦρος stolidus Latinè significat. ibid.

Celsus. Febr.

Historia de Inuentione Reliquiarum S. Celsi Confessoris, auctore Theodorico Monacho Hirsaugensi, &c. 234
Eius Sarcophago imposita tabula cui inscriptum Epitaphium. ibid.

Circumcisio. Ian.

Circumcisio quid? 12
Eius antiquitas. ibid.
Causa institutionis. ibid.
Quare octauo die Circumcisio fiebat? 13
Cur in tenera ætate? ibid.
Vt quid in membro virili, cultro lapideo. ibid.
Circumcidi cur voluerit Christus. ibid.
Circumcisionis locus quis? 14
Minister quis? ibid.
Dies quis? ibid.
Annus quis? ibid.

Clarus, siue, *Cletus.* Ian.

Duos huius nominis Diaconos agnoscit Auctor. 151
Clarus Diaconus S. Indaletij post multa tormenta in mare præcipitatus martyrium consummauit. 152

Claudia Luparia. Febr.

Tres fœminæ in Hispania celebres: Prima Claudia Lupa, de qua est mentio in historia S. Iacobi. II. Claudia Lupa Accitana. III. Claudia Lupa Lusitana. 211

Concordia. Febr.

Vrbs Hispaniæ vlterioris in Lusitania. 149
Eius situs. ibid.

Concordius. Ian.

Concordij nobilitas. 23
Ieiunia, Orationes, & eleemosynæ. ibid.
Proficiscitur ad Eutychen. ibid.
Comprehenditur. 24
Cruciatur. ibid.
Angelus ei apparet. ibid.
Coronatur. ibid.
Miracula. ibid.

Transla

Translatio in Hispaniam. ibid.
H. Rabani error de loco Martyrij. 25
Ferrarij incuria de loco Reliquiarum. ibid.

Concha. Ian.

Ciuitas Episcopalis Hispaniæ Tarraconensis. 336
Eam fuisse antiquam Numantiam quis contendat. 337
Valeriæ peruetustæ vrbi successit. ibid.
Eius vrbis fines. ibid.

Conimbria. Ian.

Ciuitas Portugalliæ. 177
Vbi sita. ibid.

Corduba. Ian.

Nobilissima Romanorum imperio vrbs. 146
Vbi sita. ibid.
Turdulorum Metropolis. ibid.
A Gothis exculta. ibid.
Ab Arabibus ornata. ibid.
Scientiarum mater. ibid.
Quid de illa dixerit Martialis lib. 1. Epigram. ibid.
Artium altrix. ibid.
Philosophiæ magistra. ibid.

Cornelius Centurio. Feb.

Cornelij Centurionis origo. 28
Hispanus ne fuerit, an Italus? 32 & 33
Miles strenuus. 28
Propriis facinoribus Centuriæ primæ principatum obtinet. ibid.
Adhuc in gentilitatis errore persistens, Eleemosynis, orationibus aliisque se exercet piis operibus. ibid.
Apparet ei Angelus. ibid.
Petrum quærit. 29
Cornelium B. Petrus Apostolus baptizauit, & Episcopali honore sublimauit. 28
Petrum Ierosolymam comitatur. 30
Ad Scepseorum in Asia conuersionem sorte electus. ibid.
A Demetrio Præfecto accersitus, & interrogatus, quid responderit? ibid.
Oratione Iouis simulachrum cum templo euertit. 31
Carceratur. ibid.
Miraculum. ibid.
Conuersio gentilium. ibid.
Per diuinam reuelationem sui excessus diem agnoscit. ibid.
Moritur. 32
Eius Encomion. 34

D

Damianus. Feb.

DAmiani Martyris Lipsana ex cæmeterio Calisti extracta P.R.D. Ioannem Baptistam de Alteriis olim Episcopum Camerinensem, donata R.P.Ioanni de la Annunciation, Ordinis FF. excalceatorum, & postmodum toti Ordini cum aliis Sanctorum pignoribus ab ipso R. P. concessa. 110

Daphrosa. Ian.

Daphrosa nobilissima fœmina vxor S. Flauiani Martyris. 63
Vnde oriunda. ibid. & 66
Vidualem vitam quàm piè transegerit orationibus, ieiuniis, & elemosynis vacans. 64
Fausto fidem suasit. ibid.
Corpus S. Fausti exanime, canibus expositum noctu collectum tradidit sepulturæ. ibid.
Ob Christi fidem capite plectitur. ibid.

Datiuus. Ian.

Eius martyrium. 312

Dedicatio Ecclesiæ Carthag. Ian.

Hęc Ecclesia dedicata conspicitur D.V. Mariæ de Gratia. 278

Descensio B. Mariæ. Ian.

Antiquitas huius Festiuitatis. 271
Vbi nam facta sit ista Descensio, & cur. ibid.
Acta de Descensione B. Mariæ Virginis cum veste ad S. Ildephonsum, referuntur. 272. & seqq.
Præclara verba B. Virginis ad S. Ildephonsum. 272
Innumeræ Synodi quibus hoc festum celebrari præcipitur. 273
Item Concilia. ibid.
Regum vota. 274
Priuilegium Regis Sanctij Ecclesiæ Toletanæ concessum in honorem tantæ festiuitatis. ibid.
Antiquitus Ecclesia Toletana proprium recitabat officium. ibid.
Cur hæc festiuitas hodie appelletur S. Maria de Pace. ibid. & 275

Dianium. Ian.

Dianium olim ciuitas stipendiaria. 179
Huius ciuitatis situs. ibid
Emporium munitissimum ad rem pira-

 ticam,

ticam, & nauigantibus longinquum præstans prospectum. ibid.
Multifariam ab aliis appellatur. ibid.

Dionysius. Febr.

Dionysius Martyr Rhodiensis: magna varietas in assignatione loci martyrij. 128
Eius acta. 129

Dominicus Sarracenus. Ian.

Eius patria. 363
A pueritia fit miles. ibid.
Vxorem ducit. ibid.
Propter Christi fidem in carcere inclusus. ibid.
Dominici insignis patientia in ferendis ergastuli pœnis. ibid.
In carcere constitutus à Violanta vxore solatium accepit. 364
Martyrium abscissione capitis promeruit. ibid.

Donatus. Febr.

Donati Martyris, & sociorum acta. 147
Item acta cum elogiis ex D. Roder. de Acunha. 148
Multa de miraculoso lapide apud quem Donatus, & Socij martyrium compleuerunt. ibid. & 149

E

Ecclesia. Ian.

Ecclesiæ Toletanæ celsitudo inde commendatur, quod eam Virgo sanctissima præsentia sua inuisere voluit. 273

Elesmes. Ian.

Elesmi Eleemosynarij origo. 361
Indiuiduus Iuliani Præsulis pedisequus. ibid.
Qua ratione vterque vitam sustentaret. ibid.
Elesmi feruentes, & profusæ eleemosynæ. ibid.
Alia pietatis opera. ibid.
Gloriosa mors. ibid.

Elisabetha. Febr.

Acta Elisabethæ sororis S. Ludouici Francorum Regis, remissiuè. 238 & 239.

Emerius. Ian.

Parentibus Emerij sterilibus quid Angelus apparens præceperit. 316
Visio Candidæ matris Emerij. ibid.
Emerius à Patre militiæ destinatus. ibid.
Christi militiam eligit. 317
Solitariam in desertis vitam amplectitur. ibid
Deficientibus præ fame militibus in deserto, panem obtinet à Domino. ibid.
Plurimos ex fame mortuis, oratione ad vitam reuocat. ibid.
Leonem infestum hominibus occidit. ibid.
Pia eiusdem opera. ibid.
Sanitatem multis restituit. ibid.
Filium vnicum morte functum, parentibus viuum restituit. 318
Inuisitur à matre Candida. ibid.
Quæ dicta, & facta inter Emerium, & matrem. ibid.
Cætera eius acta, & pretiosa mors. ibid. & 319.

Epiphania. Ian.

Epiphaniæ solemnitas ab Apostolis introducta. 70
Comprehendit hoc Festum triplex mysterium, scilicet, Magorum adorationem, Christi Baptismum, & ipsius primæuum miraculum. ibid.
Tribus ex causis hoc vocabulo nuncupata. ibid.
Versus Iuuenci de Magorum aduentu. 71.
Reges Magi ex qua patria orti? 74 & 75

Erthinodus. Ian.

Erthinodus ex Gothica illustri prosapia oriundus. 107
Eius res gestæ. ibid.
Vitam eremiticam sub regula S. P. Augustini amplectitur. ibid.
Spiritualia eiusdem exercitia. ibid.
Monachus euadit obseruantissimus, & doctissimus Euangelicæ veritatis Ecclesiastes. ibid.
Continuis aduersus peccata publica, etiam Regis, exhortationibus prædicabat. ibid.
Illuditur à plebe, eius sermones ludibrio habentur, tandémque martyrio coronatur. ibid.

Eucherius. Febr.

Dissidium inter Auctores circa locum quo exulauit Eucherius. 189
Ex Aurelia Franciæ vrbe oriundus. 190

Vision

Visione dormienti matri cælitus ostensa prædicitur futurus Aureliæ vrbis Episcopus. ibid.
Quibus Apostoli verbis permotus mundum contemnit, vitámque profitetur monasticam. ibid.
Aurelianensium Ordinum rogatu, Patruo in Episcopatu subrogatur. ibid.
Qua charitate, vigilantiáque creditum sibi gregem rexerit. ibid.
Carolum Martellum ob tributa Ecclesiis imposita intrepidè redarguit. ibid.
Coloniam mittitur in exilium. ibid.
Relegatur in Hispaniam. ibid.
Sanctissima Eucherij vita. 191
Eius visio circa obitum Caroli Martelli. ibid.
Ardentibus à Deo precibus mortem exoptat. ibid.
Innumeris post mortem celebratur miraculis. ibid.

Eugenius. Febr.

Occasio translationis brachij S. Eugenij Episcopi Toletani, & Martyris, Parisiis Toletum. 111. & 112

Eulalia. Feb.

Eulaliæ Patria. 103
Nobilitas, & amor in Christum. ibid.
Pietas, & in laudibus diuinis perseuerantia. ibid.
Quanto feruore martyrium exoptarit. ibid.
Proficiscitur in ciuitatem. 104
Quâ constantiâ iudicis sæuitiam obiurgarit Christianos persequentis. ibid.
Cæditur. ibid.
Oratio Martyris. ibid.
Pretiosa mors. 105
Cruci affigitur corpus. ibid.
Nix illud cooperit. ibid.
Miraculum. ibid.
Duæ Eulaliæ. ibid.
In Festo S. Eulaliæ Virginis, & Martyris Barcinonensis, Hymnus. 106
Pro S. Eulalia Virgine, & Martyre Emeritensi, Hymnus. 107

Eulogius. Ian.

Eulogij Diaconi acta. 202
Eiusdem Martyrium. 203
Eulogij Episcopi translatio. 108 & 109
Miraculum. 109

Euphrasius. Ian.

Euphrasij origo. 149
Quanta polleret auctoritate in Iudæorum Synagogis. ibid.
Hierosolymam proficiscitur, Petrum alloquitur, legationem exponit. ibid.
Christi fidem amplectitur. ibid.
A B. Petro consecratur Episcopus. 150
Fidei mysteria prædicat. ibid.
Euphrasij martyrium quonam euenerit tempore. ibid.
Ad eius tumulum ædificata Basilica. ibid.
Vbi seruentur Reliquiæ. ibid.

Eusebius. Febr.

Eusebius Oratoris pro Rege Hispaniæ apud Rempub. Venetam functus officio. 94
Monasticæ vitæ propositum arripit. ibid.
In omni vita quàm admiranda semper gesserit. ibid.
Ante mortem sexdecim totos dies nihil prorsus edens, nec bibens in Dei laudibus permansit. ibid.
Eius acta quis scripserit. ibid.
Ordinis Camaldulensis Confessor. ibid.
Epitaphium in eius sarcophago conscriptum. ibid.

Eutropius. Febr.

An aliquis fuerit Hispaniæ Episcopus, qui Eutropius vocitatus, Paulum Orosium in Africam dimiserit, & qua de causa. 149
Quo fundamine Nertobrigensis Præsul assignetur? 150
Dato & concesso quod Eutropius Nertobrigensis sit prædictæ legationis Auctor, & impulsor, vt quid Paulum Orosium Presbyterum elegit? ibid.
remissiuè. ibid.
Acta S. Eutropij Episcopi Nertobrigensis. ibid.
Eiusdem genus, & origo. ibid.
Eutropij eruditio, & vitæ sanctitas. ibid.
Qualitates eximiæ. ibid.
Quanto Dei zelo, & proximorum salutis procurandæ Nertobrigensem Præsul rexerit Ecclesiam. ibid.
Qualiter occurrerit erroribus vtriusque Auiti. 150. & 151
Virtutibus clarus, & miraculis celebris moritur. 151

F

Far. Febr.

FArris oblatio quanti momenti apud Ethnicos? 5

Februalia. Febr.

Februalia quæ? 9
Quis hæc sacra instituerit? 10
Dedicatio. ibid.
Ad abolenda Februalia Purificationis festiuitas instituta, ex SS. Eligio, & Ildephonso. ibid.

Februarius. Feb.

Decem-Viri Februarium secundum mensem fecerunt anni. 1
Numa vltimum anni mensem reliquit. ibid.
Februarij Etymon. ibid.
Februata Iuno. ibid.
Februare apud Sabinos, quid? 2
Februarij aliud Etymon. ibid.
Varia Februarij nomina apud diuersas nationes. ibid.
Februarij dies apud antiquos. ibid.
Cur hic mensis pares dies habuit. ibid.

Felicianus. Febr.

Eius sacra pignora ex cœmeteriis Vrbis, Cardinali Zolero impetrante extracta. 34
Vbinam adseruentur. ibid.
Fuit Martyr Romanus. ibid.
Eiusdem acta. 35
Felicianus & socij pro Christo cruciatibus afflicti. ibid.
Vltimam pro fide capitis sententiam subit. ibid.
Translatio Reliquiarum Roma Placentiam. ibid.

Felicula. Feb.

Feliculæ acta & martyrium. 122 & seqq.

Felix. Ian.

Felix & socij per varios crudelitatis agones Martyri coronam percepere. 99
Heracleæ passus. 98
Cuius fuerit vrbis Episcopus, ignoratur. ibid.

Felix Modica. Ian.

Felix Modica Virgo Hispalensis, Romæ Martyr. 199
Parentibus nobilissimis orta. ibid.
Romam ab auunculo suo, Romanæ Ecclesiæ Archidiacono adducta. ibid.
Causa fidei, & virginitatis tuendæ, iugulum præbuit. ibid. & 200

Felix. Febr.

Felicis, & 27. Sociorum acta, & martyrium. 263
Quod alius sit hic Felix, à Torquato Felice, ostenditur contra D. Rodericum de Acuña. 264

Firminus. Ian.

Firmini Patria. 147
Fuit Episcopus Pampilonensis, & post Ambianensis. ibid.
Inuentio, & translatio ignorum S. Firmini, Ambianensis Martyris. ibid.
In translatione multa miracula diuinitus facta. ibid.
A quo inuenta. ibid.

Flamidianus. Ian.

Flamidiani Martyris Reliquiæ in Cœnobio S. Michaëlis de Cussano, Ordinis S. Benedicti asseruatæ. 69

Florentius. Febr.

Florentinus ex nobili Gothorum origine oriundus. 224
Eius virtutes, & gloriosa facinora. ibid.
Sanctissima Florentini mors commendatur. ibid.
Inscriptio vetustioribus in capsula litteris exarata, refertur. 225
Sacrorum eius pignorum inuentio. ibid.
Florentini festum sub ritu duplici secundæ classis celebrat Hispalensis Ecclesia. ibid.
De eodem Epigramma. ibid.
Verbum, *Requieuit in Pace*, in inscriptione, quid denotet. ibid.

Fortunatus. Ian.

Fortunati origo. 179
Eius constantia in fide, & pro eadem Martyrium. ibid.
De alio eiusdem nominis Martyre, vide ad diem 7. huius mensis. 98. & 99.

Fortunatus. Febr.

Fortunatus, Hispanus miles, sæcularibus primùm stipendiis militans. 263
Pro Christi fide in carcerem truditur. 264
Cæditur. ibid.
Per aliorum tormentorum angustias ad coronam martyrij peruenit. ibid.
Fortunati, & Sociorum corpora Caparam translata, atque honorifice ibidem

ibidem sepulta. ibid.
S. Fortunati caput apud Placentiam translatum, in sacrario S. Ecclesiæ Placentinæ asseruatur. ibid.

Franciscus. Febr.

De Francisco Blanco, & Francisco à S. Michaële Martyribus Ordinis Seraphici, vide *Petrus Baptista, & Socij.* 5. *Februarij.* 50. & 51

Fructuosus. Ian.

Fructuosi & Sociorum solemnissima memoria. 201
Eorum acta. 202
Episcopus factus, secum Eulogium, & Augurium, vt Altari ministrarent Diaconos elegit. ibid.
Mandata Cæsarum vt diis antiquioribus Populi Romani immolarent, contemnunt Fructuosus, eiusque Socij. ibid.
Carceris custodia mancipantur. ibid.
Fructuosi gesta coram Æmiliano Iudice. ibid.
Ducitur ad Amphitheatrum. ibid. & 203
Verba consolationis ad populum. 203
Inter flammas ipse & Diaconi, animas Deo tradiderunt. ibid.
Fructuosi post mortem apparitio & magnalia. ibid.
Reliquiæ vbi sepultæ. ibid.
Hymnus Beatissimorum Martyrum Fructuosi Episcopi Ecclesiæ Tarraconensis, & Augurij, & Eulogij Diaconorum, ex Aurelio Prudentio. 204. & 205
Capitula eleganti concinnata locutione. 206
Oratio. ibid.
Alij versus Prudentij de iisdem Martyribus. ibid.
Luitprand. reiicitur, qui primò Episcopum Basedensem facit. 207

Fulgentius. Ian.

Fulgentij nomen quidam sine origine referunt. 17
Quidam Toletanum origine asserunt. ibid.
Parentibus Hispanis, ex Ordine Senatorio. ibid. & 18
Actorum eius ecphrasis. 18
Suscipit institutum Monasticum. ibid.
Mirum in modum in spiritualibus proficit. ibid.
Monasterum deserere cogitur. 19
Mart. Hispan. Ian. & Febr.
Multa pro fide patitur. 17
Quæ passus ab Arianis, & aliis. 19
Peregrinationes eius. ibid.
Africam reuertitur sacris Martyrum locis visitatis. ibid.
Eius fama sanctitudinis, & doctrinæ. 20
Episcopus Ruspensis. 20
Relegatur cum aliis. ibid.
Constantia in obiurgando Rege Trasimundo. ibid.
Prophetat reditum. ibid.
Secessit ad Insulam Circinam. 21
Repentina infirmitate correptus, septuaginta prope diebus, eâdem afflictatus, quæ à Domino frequenter precaretur. ibid.
Moritur. ibid.
Encomion. ibid. & 22
Cuius instituti Monachus fuerit Fulgentius. ibid.
Pennoti opinio de Monachatu S. Fulgentij. ibid.
Pennoti sententia de origine S. Fulgentij. ibid.
De S. Fulgentio Carthaginensi, vide 8. *Ianuar.* 104

G

Gabinus. Febr.

Gabini illustris prosapia. 180
Eruditio in humanis, & diuinis literis. ibid.
Pater Beatissimæ Susannæ. 179
Presbyter efficitur. 180
A Diocletiano diu in custodia vinculis afflictus, & cur? 179. & 180
Ergastuli fœtore, & catenarum pondere confectus pro Christo, moritur. 181

Genulphus. Ian.

Clarissima ortus prosapia. 188
Precibus impetratus à parentibus diu sterilibus. ibid.
Eius à puero qualitates eximiæ. ibid.
B. Sixto II. Pontifici & Martyri sacris imbuendum tyrociniis traditus. ibid.
Sacris ordinibus ab eodem Pontifice institutus. ibid.
Diuenditis bonis omnibus facultates in vsus pauperum erogat. 180
Vitæ austeritas. ibid.
Vir Apostolicus Hispanias inuisit, Ge-

rundæ, & finitimis populis Euangelium prædicat. ibid.
Viduæ filium à Diabolo arreptum miraculosè sanat. ibid.
Galliam Aquitanicam petit. ibid.
Locum Dæmonibus infestum, aqua lustrali, & signo Crucis emundat. ibid.
Quamplura sanctitatis signa demonstrat. ibid.
Discipulos congregat. ibid.
Mortem prædicit. ibid.
Apparente sibi B. Petro moritur. ibid.

Germana, & Sorores. Ian.

Germanæ, & octo Sororum origo, & natalis admirabilis secundum sæculum. 184
Persequente Rege earum patre à Satellitibus comprehensę martyrium consummarunt. ibid.
Quî vocaretur earum pater. 185
Cur Rex, seu Regulus vocitatur. ibid.
Has nouem filias vna die peperit mater. 184
An tot naturaliter potuerint generari. 185
Si omnes fœminæ. ibid.
Si dato quod generarentur, & nascerentur, potuerint procreari, & vitam longiorem ducere. ibid. & 186
De eisdem Martyribus Hymnus. 187
Germanæ passio, & martyrium. 194

Gerunda.

Gerunda ciuitas Hispaniæ Tarraconensis. 181
Hodie Girona dicitur. ibid.

Gonsaluus. Ian.

Gonsalui Asturicensis Episcopi reliquiæ vbi asseruentur, & quo cultu venerentur. 308
Gonsaluus Martyr Iapponensis, vide *Petrus Baptista, & Socij.* ibid.

Gulielmus. Febr.

Guilielmi nobilitas. 92
Statura, & vires. ibid.
Ad omnia vitia procliuis. ibid.
Delectabatur armis atque discordiis. ibid.
A S. Bernardo corripitur. ibid.
Schismaticus. ibid.
Corrigitur. ibid.
Romam migrat. ibid.
Suorum scelerum ab Eugenio Pontifice veniam flagitat. ibid.
In Eremum secedit. ibid.
Eius vita Angelica. ibid.
Eremum deserit. 93
Hispaniam venit. ibid.
A Sacerdote, moriturus Sacramenta suscipit. ibid.
Guilielmi mors, & sepultura. ibid.
Guilielmus cuius fuerit instituti. ibid.
Ossa argenteo simulachro, affabrè elaborato, inclusa, vbi adseruentur. 94

Gumesindus. Ian.

Gumesindi patria. 146
Gumesindus cuiusdam Campaniæ Cordubensis Ecclesiæ Sacerdos adolescens præficitur. ibid.
Martyrio coronatur. ibid.
Quo martyrij genere. ibid.
Quo iussu. ibid.

Gundisaluus de Amarante. Ian.

Gundisalui Patria, parentes, & parœcia. 117
Infantiæ eius prodigia. ibid.
In Christi Crucifixi imaginem conuersio, & fixus intuitus. ibid.
Bona indoles, & pietas. ibid.
Quàm sollicitè ingenuis liberalibusque disciplinis instructus. ibid.
Ad Sacerdotalem gradum promotus. ibid.
In Abbatem eligitur. ibid.
Vitæ sanctimonia. ibid.
Quotidie meditabatur mysteria Passionis Christi. 118
Nepotem Vicarium eligit. ibid.
Loca sacra inuisit tum Romæ, tum Ierosolymæ. ibid.
Quæ circa Nepotem vanitatibus deditum rediens ex peregrinatione gesserit, & quàm acriter eum reprehenderit. ibid.
Plagas, & verbera ab alumno suo inflicta sustinet. 119
Verbum Dei cum magno feruore prædicat. ibid.
Vitæ illius sancta conuersatio. ibid.
Oratorium exiguum Deiparæ Virgini dicatum erigit. ibid.
Dei voluntatem circa vitæ statum discit à B. Virgine. ibid.
Quomodo se ad Ordinem S. Dominici vocatum intellexerit. ibid.
Habitum Religionis suscepit. 120
Ad Oratorium à se prope Tamacam constructum reuertitur. ibid.

Pontem

Pontem miraculosè fabricat. ibid.
Alia patrat miracula. ibid.
Laboribus attritus febri corripitur. ibid.
Diuinam accipit reuelationem, se breui ex hac vita migraturum. ibid.
Apparet illi visibiliter B.V.Maria in hora transitus. 121
Vox audita, Gundisaluo moriente, per totum Amaranti oppidum sub hac verborum forma: *Surgite, & ad Funebria S. Viri properate.* ibid.
Eius post mortem miracula. ibid.
Quo tempore cœpit publica S. Gundisalui veneratio. ibid.
Extructum templum eius nomini dicatum, & cur? ibid.
Vbinam asseruentur huius sanctissimi Confessoris cineres. ibid.
Octastichon. ibid.

Granata. Ian.

Granata ciuitas Archiepiscopalis, vbi sita eius regio. 54
De nominis ætymo, multa. ibid.

H

Helladius. Febr.

HElladij nobilissima prosapia. 153
Aulicam vitam ducit. ibid.
Rector & gubernator Reipublicæ. ibid.
Fit Monachus Agaliensis cœnobij. 154
Post Abbatiatus Agaliensis apicem fit Toletanæ sedis Antistes. 153 & 154
Largissimæ Eleemosynæ. ibid.
Helladij in senectute bona obitus. ibid.
Carmen sepulchrale. ibid.
Helladio impulsore expulsi Iudęi à Gothorum regnis. ibid.

Heraclea. Ian.

Fuit vrbs Hispaniæ vetustissima ab Hercule condita. 101
Cur hoc nomine nuncupata. ibid.

Hermenegildus, Feb.

Hermenegildus Hispali obsessus dolo capitur. 202
Crudeli custodia coarctatus. ibid.
A S. Ascanio exhortatus. ibid.
Martyrium subit. ibid.
Eius corpus summo honore tumulatum. ibid.

Hilarius. Ian.

Hilarij patria. 143
Primum vxorem ducit, de in sacris initiatur. ibid.
Cleri, populique suffragiis Pictauiensis Episcopus eligitur. ibid.
Acerrimus hæreticorum hostis, & insectator. ibid.
Persuasione Arianorum quorundam Episcoporum in exilium mittitur à Constantino. ibid.
Filiam Appiam dehortatur à connubio. ibid.
Incomparabilis eius sapientia, summáque facundia Arrianis terribilis. ibid.
Sollicitantibus Arianis ad Ecclesiam Pictauiensem ab Imperatore mittitur, vt à Concilio amoueretur. ibid.
Serpentes in Insula Gallinaria compescit. ibid.
Infantem sine baptismo defunctum ad vitam reuocat. ibid.
Miraculis celebris. ibid.
Mortem suam prædicit. ibid.
Gloriosus obitus Hilarij. ibid.
Reliquiæ. ibid.
Encomion. 144

Hispanus, Ian.

S. Hispanus Martyr nomen, & originem vnde traxerit. 195
Eius in Christum pietas & amor. ibid.
In carcerem coniicitur. ibid.
Pro confessione fidei Martyrium subit. ibid.
De anno Martyrij. ibid.

Hispalis, Ian.

Hispalis, hodie Seuilla dicitur. 66
Hanc ciuitatem quis condiderit. ibid.
Palis suppositis condita. ibid.
A situ sic cognominata. ibid.
Aliud istius ciuitatis nomen *Ispula.* 67

Honoratus. Ian.

Honoratus ex Romanorum Consulari familia oriundus. 172
Primùm Catechumenus, postmodum Baptismi vndis tingitur. ibid.
Piis Honorati exemplis frater conuertitur. ibid.
Inuicem virtutum studio decertant. ib.
E patria diffugiunt, vt mundi inanem effugiant gloriam. ibid.
Honoratus in Eremum Lirinensem secedit. ibid.
Sacerdotio initiatur. ibid.
Aquas dulces miraculosè elicit. ibid.
Eius insignis liberalitas. ibid. & 173
Vitæ Sanctimonia. 173
Vrbis Arelatensis fit Pontifex. 173
Quàm laudabiliter se gesserit. ibid.

Mors sanctissima. ibid.
Eius sacra pignora vbi asseruentur. ibid.
Miracula. ibid.
Fuit conditor Cœnobij Lerinensis. ibid.

Hyppolitus. Feb.

Hyppoliti genus, & eruditio. 37
Dignitas & Martyrium. ibid.
Qualiter B. Agappio successerit in Episcopatu Carthaginensi. ibid.

I

Iacca. Febr.

IAcca vrbs in citeriori Hispania peruetusta. 79
Vbi sita. ibid.
Populi Iaccetani, non Laccetani, vocandi. ibid.
Eius deditio tempore Romanorum Catonem nobilitauit. ibid.
Vrbis topographia, remissiuè. ibid.

Ianus. Ian.

Quis Ianus. 1
Ianus idem quod Cahos. ibid.
Ianus cur bifrons. 2
Forma Iani bifrontis in Numis. ibid.
Iani simulachra varia. ibid.
Cur Ianum depinxit antiquitas manu dextra CCC. & sinistra LXV. numeros tenentem. ibid.
Iani festiuitas, & libamina. ibid.
Formulæ in deprecationibus ad Ianum. 10

Ianuarius mensis. Ian.

Origo Ianuarij à quo? 3
Ianuarius à Numa primus anni mensis. ibid.
Rationes de exordio anni per Ianuarium. ibid.
Nomina huius mensis varia apud Nationes. 4
Kalendis Ianuarij non licebat vitula, & Ceruolo facere, & quid hoc? 11
Kalendis Ianuarij nefas erat aliquem supplicio afficere. 10
Hisce Ianuarij Kalendis varias induti formas cursitabant Romani. ibid.

Ianual. Ian.

Ianual quid ab Antiquis vocitaretur. 8

Ianuarius Martyr. Ian.

Consulatum Romæ bimestrem gessit. 92

Præfectus vrbis eligitur. ibid.
Ad Christi cognitionem deuenit. ibid.
Episcopatu Sebariensi præficitur. ibid.
Illiberitano celebri Concilio interfuit. ibid.
Heracleæ Felicem Episcopum inuenit. ibid.
Euangelium prædicat. ibid.
Martyrij coronam adipiscitur. ibid.
De Episcopatu Sebariensi, aut Calabriensi varia disceptatio. ibid.

Ildephonsus. Ian.

Ildephonsi quædam Elogia. 245
Patria, & parentes Ildephonsi. 246
Morum honestas, & virtutes parentum Ildephonsi commendantur. ibid.
Eorumdem insigne opus. ibid.
Ildephonsum fusis ad B. Virginem precibus impetrant. ibid.
Ildephonsus vix duorum annorum salutationem angelicam edocetur, ibid. & 247
Animi dotes. 247
Auunculo erudiendus traditur. ibid.
Scientia, & virtute coætaneos superat. ibid.
Dogmata Isidori Hispalensis excipit. ibid.
Spiritualibus exercitiis & orationi frequens. ibid.
Ildephonsi summa eruditio, & probitas. ibid.
Ecclesiæ Toletanæ fit Archidiaconus. 248
Totius Episcopatus Visitator. ibid.
Agaliense Monasterium latenter adit. ibid.
A Patre irato requiritur. ibid.
Pacatis parentibus regularem obseruantiam amplectitur. 249
Omnium suffragiis Abbas eligitur. ibid.
Singularis eius circumspectio circa subditorum mores. ibid.
Dictum de illo: *Ensis in offensis, erat Abbas Agallensis.* ibid.
Concilio Toletano creditur Abbatis nomine interfuisse. ibid.
Virginum cœnobium ædificat, & propriis facultatibus dicat. ibid.
Festum *Expectationis* eius nutu creditur à Concilio Toletano institutum. ibid.
Abbas, licet inuitus, eligitur. 250
Pontificalem dignitatem accepit. ibid.

Hæreſes inſectatur. ibid.
Librum de illibata virginitate B.V. Mariæ ſcribit. ibid.
Eius miracula. ibid.
Inſolita viſio B. Leocadiæ Illephonſi merita coram expandentis. ibid.
Apparitio Beatiſſimæ Virginis ad Illephonſum, & ab eadem Sanctiſſima Dei Matre veſtis data pro amoris pignore. ibid.
Quot annis Eccleſiam Toletanam rexerit. 251
Ægritudo, mors, & ſepultura. ibid.
Sepulchrale carmen. ibid.
Illephonſi ſtatura, & forma corporis deſcribitur. ibid.
Quæ ſcripſerit opuſcula. ibid. & 252
Arbor ſeu ſeries genealogiæ. 252

Inuentius. Ian.

S. Inuenti acta, & Martyrium. 241
Febri quartana laborantibus opitulatur. ibid.

Iocundus. Ian.

Quo tempore, & ſub quo Imperatore martyrium paſſus. 108
De Cuſtodia corporis S. Iocundi in Conuentu S. Bernardini, extra muros curiæ Matritenſis Ordinis S. Franciſci excalceatorum. ibid.

Iſidorus. Ian.

Iſidori Patria, clariſſimique progenitores. 34
Iſidorus Conſularem dignitatem adipiſcitur. ibid.
Cæſarauguſtanus Antiſtes omnium acclamatione eligitur. ibid.
Quo Zelo ſe geſſerit aduerſus Syluanum Caluguritanæ Eccleſiæ Epiſcopum. ibid. & 35
Amphilochiam adit. ibid.
Ab Arrianis grauia tormenta patitur. ibid.
Euangelium prædicat. ibid.
Pro fide coronatur. ibid.
Eius corpus vbi ſepultum. ibid.

Irena. Febr.

Irena ſoror Damaſi PP. 198
Irenæ acta ex peruetuſto Sanctorum Hiſpaniæ alphabeto. ibid.
Eius pietas, & deuotio ad Chriſtum. ibid.
In pauperes Eleemoſynæ. ibid.
Caſtitatis, & recluſionis propoſitum. 199
Huic libellum de virginitate ſcripſit Damaſus. ibid.
Eius ieiunia, & orationes toto ſchiſmatis tempore. ibid.
Felix Irenæ obitus. ibid.
Sepulchrale carmen quod Damaſus huius virginis Sarcophago appendi curauit. ibid.
Explicantur quædam verba in his actis obſcuriora. ibid.

Iulianus. Ian.

Iuliani origo. 96
Martiali carus extitit, & coæuus. ibid.
A S. Petro baptizatus. ibid.
Iulianus verbo & opere potens. ibid.
Euertit Idolorum aras. ibid.
Tres mortuos, oratione ad vitam reuocat. ibid.
Signo Crucis viſum cæco reſtituit. ibid.
Alia Iuliani pro fide Chriſti facinora. ibid. & 97
Gentilium conſortio deceptus quantum incurrerit ruinæ ſpiritualis periculum. 97
Martyrium. ibid.
De aliis eiuſdem nominis Martyribus, vide 27. *Ianuarij*, & 12. *Februarij*.
Iuliani Conchenſis Epiſcopi acta ex vetuſta relatione ſcripta. 328
Origo, & patria. ibid.
Eius futurum ſanctitatis Indicium ex matris vtero. ibid.
Ad eius Baptiſmum audita in aëre cantica. ibid.
Iuliani eruditio. ibid.
Sacerdotalem ordinem recipit. ibid.
Eccleſiæ Conchenſi præficitur Epiſcopus à Rege Alphonſo I X. ibid.
Omnem ſubſtantiam in pauperes erogat. ibid.
Vnde poſtmodum ſibi victum pararet. ibid.
Iugi eius oratione & abſtinentia, peſtis ceſſat. ibid.
Summa in pauperes liberalitas. 328
Excipit Chriſtum ſub habitu mendici. ibid.
Alia miracula ex eleemoſynis. ibid. & 329
Febribus laborans, in cinere, & cilicio mortem ſuam præuenit. 329
Viſitatur à Virgine Dei Genitrice. ibid.
Iuliani mors cum eximio ſanctitatis teſtimonio. ibid.

In obitu eiusque sepulchro miracula. ibid.
Translatio ad honorificum sepulchrum ex alio infimo in quo se insserat sepeliri. ibid.
In apertione sepulturæ post 311. annos miraculum. ibid.
Primi sepulturæ loci inscriptio. 330
Hymni in festo huius sancti Episcopi. ibid. & 331. & seqq.
Quod sit patronus S. Ecclesiæ Conchensis, & vrbis vnde probetur. 336

K

Kalator. Ian.

Seruus Kalator quis? 5
Kalendæ. Ian.
Kalendæ quid, & vnde. 4
Kalendæ Iunoni sacræ. 5
Kalendis Ianuarij nefas erat aliquem supplicio afficere. 10
Hisce Kalendis varias induti formulas cursitabant Romani. ibid.
Monitorium Canonis pœnitentiarij Romani quo prohibentur superstitiosi quidam Ethnicorum ritus obseruari soliti Kalendis Ianuarij. 11

L

Leander. Febr.

Leandri origo, & parentes. 274
Virtutes ab ineunte ætate. ibid.
Eruditio ac facundia. 274
Calcatis palatij honoribus vitam amplectitur monasticam. 275
Sui temporis oraculum. ibid.
Cleri & populi suffragiis ad Episcopatum Hispalensem electus. ibid.
Multos à suis erroribus Arianos eripuit. ibid.
Ad Imperatorem missus Orator in fauorem Ecclesiæ Catholicæ. 276
Amicitiam cum S. Gregorio Magno contraxit. 276
Concilio Constantinop. interfuit. ibid.
In exilium mittitur. ibid.
Duobus libris errores hæreticorum confutauit. ibid.
Tractatum de Regula Monastica ad S. Florentinam sororem suam scripsit. 264
Concilio Toletano præsedit tamquam Legatus Apostolicus. 277
Perelegans Oratio ingenti vocis applausu, & constanti vocis acclamatione ab ipso dictata refertur. ibid. & 278. 279. 280
Gothorum Apostolus ob eorum conuersionem meruit appellari. 280
Augustissimum templum S. Tyrso extruxit. ibid.
Synodum Diœcesanam Hispali congregauit. ibid.
Libros Moralium in Iob, Leandri nomini B. Gregorius inscripsit, eique dedicauit. 281
Quàm Gregorius Leandri Sanctimoniam æstimarit. ibid.
Gregorius Leandri se commendat præcibus. ibid.
Arthritide laborabat Leander. ibid.
Pallium, & Imaginem B. Virginis cuius ad intuitum Romæ cessauerat Epidemia, ad Leandrum transmittit Gregorius. ibid.
Mors, & sepultura. ibid.
S. Ildephonsi Epigramma ad S. Leandrum. 282
Genealogiæ arbor, remissiuè. ibid.
Quo titulo Scholas ponat Auctor in Palatio, in Actis S. Leandri. ibid.
Legio. Febr.
Legio ciuitas Hispaniæ Episcopali sede ornata. 101
Eius antiquitas. ibid.
Leocritia. Ian.
Translatio Corporis S. Leocritiæ, & insigne miraculum. 108. & 109
Luciolus. Ian.
Luciolus vnde oriundus. 129
Eius constantia, & Martyrium. ibid.
Lucius Serenus. Febr.
Lucij Sereni origo. 221
Eius eruditio. ibid.
Fuit Diocletiano Imperatori charus. ibid.
A Palatij occupatione diffugit. ibid.
In hortulo, quasi Monachus, secedit. 223
Exercitiis vitæ actiuæ, & contemplatiuæ vacat. ibid.
Eiusdem pro Christi fide martyrium. ibid.
Disceptatio inter Scriptores Ecclesiasticos de loco passionis. 221

Macharius.

M

Macharius. Febr.

MAcharij & Sociorum acta & Martyrium. 288. & 289
Circa locum Martyrij disceptatio inter authores. 287
Macra. Ian.
Macra comprehenditur prædicans incredulis Catholicæ Fidei regulam. 77
Qua constantia, & quibus verbis Rictiouaro præmia pollicenti si idolis immolaret, responderit. ibid.
In ignem coniicitur. ibid.
Flammas euadit. ibid.
Illi Mammillæ auelluntur. ibid.
Tenebricoso carcere mancipatur. ibid.
Apparitio senis eam confortantis. ibid. & 78
In acutissimis testis & carbonibus volutatur Mariæ corpusculum. ibid.
Expansis manibus Deo animam commendans moritur. ibid.
Ciuitas Martyrij incerta. ibid.
Marcellus. Ian.
Marcelli Papæ, & Martyris acta. 169
Inedia maceratus pro Christo, vitam finiuit. ibid.
Refertur Epitaphium quod S. Damasus S. Marcello inscribi curauit. ibid.
Encomion. 170
Eius reliquiæ vbi asseruentur. ibid.
Martha. Febr.
Martha recusat interesse publicis idolorum sacrificiis. 219
Proconsulis filij nuptias despicit. 220
Clam gladio percutitur. ibid.
Vbi huius martyris pignora asseruentur. 221
Acrosticon Carmen. ibid.
Multa in Asturiis, &c. oppida huius Martyris nomine consignata. ibid.
Martinus. Ian.
Martini Sauriensis origo, & parentes. 366
Eius educatio. ibid.
Adhuc puerulus in Canonicorum numerum adscitus. ibid. & 367
Sacris initiatur. ibid.
Quam alienus à vitiis. ibid.
Diuinis officiis assiduus. ibid.
Insignis eius humilitas. ibid.
Qualiter ad Sauriensium regendam Ecclesiam accesserit. ibid.
Quæ exercitia vitæ actiuæ & contemplatiuæ. ibid.
Qualiter sui gregis & aliarum plebium curam habuerit. ibid. & 368
Sedulus in operibus misericordiæ, præsertim in exhibenda omnibus hospitalitate. 368
Vanæ gloriæ hostis. ibid.
Eiusdem in pauperes liberalitas. ibid. & 369
Acerbæ captiuitati addicitur. 370
Maxima experitur infortunia. ibid.
Mors, & sepultura. ibid.
Sepulchrale carmen. ibid.
Annus eius transitus vnde possit inspici. ibid.
De concessione Ecclesiæ Sauriensis S. Martino, priuilegij donationis relatio, quod antiquis Charta testamenti vocitabatur. 371
Martinus. Feb.
Martinus ab Ascensione, Ordinis Prædicatorum, quæ gesserit. Vide *Petrus Baptista, & Socij.* ibid.
B. Martini Dumiensis, & Braccarensis Episcopi Reliquiæ, in Hispanico excidio, à Christianis reconduntur. 48
Postea iterum eleuantur. 49
In Ara maiori asseruantur. ibid.
Earum memoria perit. ibid.
Iterum inueniuntur. ibid.
Translatio sacri corporis S. Martini ex Cœnobio S. Fructuosi ad Sedem Braccarensem. 50
Octastichon. ibid.
B. Martini, Canonici Patria & parentes. 99
Precibus parentum nascitur. ibid.
Monasterio se addixit cum parente. ibid.
Peregrinatur. ibid.
Vt latro comprehenditur in Italia. 100
Angeli auspiciis liber euasit. ibid.
Legionem reuertitur. ibid.
Presbyter fit. ibid.
Canonicus Regularis. ibid.
A fratribus est persequutus. ibid.
Aliò se contulit. ibid.
S. Isidoro iubente ad propria repedauit. ibid.

A S. Isido

A S. Isidoro docetur. 101
Eius doctrina. ibid.
Scripta. ibid.
Mors, & miracula. ibid.

Melas. Ian.

Melas voluntarium pro Christo subiuit exilium. 171

Modestus. Febr.

Modesti acta, & martyrium. 109

Montanus. Febr.

Montanus ex Palatinis regiæ domus Gothorum illustri prosapia alumnus. 226
Eius in militia sæculari, feruescente ætate, strenuitas, & facinora. ibid.
Ordinibus Ecclesiasticis initiatur. ibid.
Eius virtutum splendor. ibid.
Ecclesiæ Toletanæ fit Archidiaconus. ibid.
Populi tumultus blanda peroratione sedat. ibid.
Toletanus Episcopus efficitur. 227
Toleti concilium congregauit ad disciplinam Ecclesiasticam augendam, & mores fidelium reformandos. ibid.
Epistola Montani ad Palentinos ab errore reuocandos. 227
Alia eiusdem epistola ad Theoribium. 229
Quàm vigilans speculator in sui muneris exercitationibus. 230
Calumniam sibi impactam, miraculo diluit. ibid.
Mors sanctissima. 231
Carmen sepulchrale ad eius tumulum à Iuliano eius successore inscriptum. ibid.
Refellitur P. Ioannes Mariana asserens, & quod Montanus examen per ignis attactum *lege iubente* suscepit; & quod ab ista deinceps actione sumpserit exordium hæc purgationis apud Gothos formula vulgaris. ibid.

N

Nazarius. Ian.

NAzarij prosapia. 134
Vitam monasticam amplectitur. ibid.
Magna eius charitas, & misericordia in pauperes. ibid.
Omni ope afflictos iuuabat. ibid.
Miracula. ibid. & 135
Vita religiosissima. 135
Obitus, & sepultura. ibid.
Hymnus S. Nazarij ex MS. Breuiario Cussanensi. ibid.

Nebridius. Feb.

Nebridij origo, & parentes. 83
Eius eruditio & sanctimonia. ibid.
A Gallis Gothicis ad Episcopatum Bigerrensem sublimatur. ibid.
Quantam in Gallia auctoritatem adeptus. ibid.
Ministrat in Egarensi Episcopatu. ibid.
Interfuit Conciliis Tarraconensi, & Gerundensi, & Toletano II. ibid. & 84
Episcopus Barcinonensis. 84
Animarum Zelus, aliæque virtutes. ibid.
Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis vallatus moritur. ibid.
Dissensio circa sedes Episcopales. ibid. & 85
Dies & annus transitus. 85

Niuardus. Febr.

Niuardi prosapia illustris. 74
Fratrem germanum habuit B. Bernardum Claræuallensium Abbatem. ibid.
Fratribus domum paternam relinquentibus, quid dixerit. ibid.
Fit Monachus. ibid.
Hispaniam venit. ibid.
Construit Cœnobium Spinense. ibid.
Eius insignis pietas. ibid.
Contentionis inter aliquot Monasteria ortæ Niuardus Abbas Spinensis arbiter. 75
Ministerio Angelorum interfuit morti Sororis. 76
Moritur. ibid.
Vbi adseruetur corpus S. Niuardi. ibid.
An post Spinensis cœnobij fundationem, Claramuallem repedârit. ibid.
An corpus Niuardi in Claraualle. ibid. vbi de aliis S. Bernardi fratribus.

O

Onesimus. Febr.

ONesimus Pauli Apostoli discipulus, & Philemonis seruus. 138

Ab

Ab Heri domo clam sublatis aliquibus pecuniis Romam fugit. ibid.
Huic malo qua ratione subuenerit Apostolus. 139
Ad munus prædicationis à Paulo eiectus. ibid.
Fit Episcopus. ibid.
Per Carpetaniam prædicat. ibid.
Ephesum pergit, & quid ibi? 139
Romanum perducitur, carcerísque mancipatur. ibid.
Satellitibus pro Christi fide traditur lapidandus. 140
De eius in Hispaniam aduentu. ibid.
De collectione corporis S. Martyris à Martia Martidia Augusta. ibid.
Carmina Poëtæ cuiusdam Toletani quibus preces B. Pauli ad Philemonem pro venia Onesimo impetranda continentur. ibid.

Ordonius. Feb.

Ordonij nobilitas, & eruditio. 235
Ordinis Benedictini alumnus. ibid.
Virtutes, & vitæ sanctimonia. 236
Asturicensis Episcopus eligitur. ibid.
Antistitum Hispaniæ doctrina & sanctitate exemplar. ibid.
Iussu Ferdinandi pro extrahendis reliquis SS. Iustæ, & Ruffinæ Hispalim adiuit. ibid.
SS. Isidori, & Aluiti reliquias Legionem perducit. 237
Mors, & elogium eius Sarcophago exaratum. ibid.
Verba Fernandi Legionis Regis ad Ordonium in quadam donatione directa. 238

Oretum. Febr.

Ciuitas Episcopalis antiqua. 41
Hodiernus huius vrbis situs. ibid.
Oretanæ Ecclesiæ Episcoporum Catalogus. 40

Orontius. Ian.

Orontius vbi progenitus. 238
Eius Acta. ibid. & 239
Orontij in fide constantia, & pro eadem martyrium. 239

P

Palemo. Febr.

PAlemo vrbs Hispaniæ citerioris. 91
Eius antiquitas. ibid.

Vrbis Ætymon. ibid.

Paula Barbata. Feb.

Ex parentibus agricolis nata. 193
Eius venustas. ibid.
Vigiliæ, & orationes. ibid.
Ab amasio perquisita postulat à Christo vt eius pulchritudinem deformet. 194
Paulæ facies pilorum densitate repletur. ibid.
Secedit in Oratorium. ibid.
Virtutes, & morum elegantia. ibid.
Miraculis celebris moritur. ibid
Corpus vbi sepultum. ibid.
Paulæ Barbatæ effigies in peruetusta Ecclesia S. Laurentij conspicitur, & in capella ipsius nomini dicata. 193
Item totius historiæ effigies ad eius aram. 194
Quo tempore vixerit. 195
De S. Virgine Paula dicta Barbata carmen. ibid.

Paulus Episcopus. Febr.

Pauli origo. 78
Iaccensis Præsulatus sedem conscendit. ibid.
Romam pergit. ibid.
Comprehenditur. ibid.
Martyrio coronatur. ibid.

Petrus. Ian.

Petri Vrseoli nobilissima prosapia. 126
Petrus omnium suffragiis Dux Venetiarum est inauguratus. 127
Tabulam ditissimam, & artificiosissimam, quæ ab Constantinopoli delalata tum erat, & in hodierum vsque diem visitur in templo S. Marci collocauit. ibid.
Quæ alia gesserit. ibid. & 128
In cœnobio S. Michaëlis de Cussano vitam profitetur monasticam. 128
Vitæ Sanctitas. 129
Felix obitus. ibid.
Miracula. ibid.
Eius effigies Venetiæ inuisitur. ibid.
Petrus Nolasco vnde oriundus. 346
Eius nobilis prosapia. ibid.
Corporis elegantia, & morum suauitas. ibid.
In pauperum nuditatem fouendam donator prodigiosus extitit. ibid.
Facultates pauperibus distribuit. 347
Patriam deserit. ibid.

Barcinonem adit. ibid.
Religiosam vitæ normam orationibus, & vigiliis insectatur. ibid.
Fundat Ordinem B. Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum. ibid. & 348
Eius industria plurimi à Maurorum seruitute redempti. 347
Visio in somnis, qua eius Religionis progressus detegitur. ibid.
Ostiatim pro redimendis captiuis eleemosynas quæritabat. 348
Eius inuicta patientia, & labores incredibiles. 348. & 349
Miracula, & sanctitas. 349 & 350
Moritur dicens: *Redemptionem misit Deus populo suo, &c.* ibid.
Examen apum in Petri adhuc infantis manu, mellis fauum contexuit. 350

Petrus Baptista, & Socij. Feb.

Petri Baptistæ, & Sociorum ad fidem propagandam ardor. 51
Persecutio exorta qua comprehensi. ibid.
Patiuntur pedestres. ibid.
Crucibus eleuantur. ibid.
Miraculum. 52
Veri Martyres declarantur à Sede Apostolica. ibid.
Officium, & Missa conceditur recitari, ac celebrari de his Martyribus. ibid.

Polycarpus. Febr.

Polycarpi origo, & educatio. 14
Fit Christianus. ibid.
Braccaram adiit. ibid.
Archidiaconus factus. ibid.
Episcopus Braccarensis. ibid.
Polycarpi obitus. ibid.
Dies transitus. ibid.

Purificatio. Febr.

De origine huius festiuitatis variæ Scriptorum Ecclesiasticorum sententiæ. 18. & 19
Causa institutionis huius festi. 18. & 19

Q

Quintus Serenus. Febr.

QVinti Sereni Prosapia, & nobilitas. 144
Audita Iustini Philosophi fama, Romam pergit. ibid.
Iustini amicitia deuinctus, & eiusdem doctrina Catholica imbutus. ibid.
Ab eodem Christiani dogmatis methodum ad catechizandos fideles accepit. ibid.
Eius virtutes eximiæ. ibid.
Beata mors. ibid.
Eius filius Q. Serenus, professione Medicus, & fide Christianus, Gordiani præceptor fuit, & à Caracalla pro Christi fide, in balneo occisus. ibid.
Quinti Sereni progenies à Luitprando deducta. 145
Quàm frequens apud Hispanos Serenorum cognomen. ibid.

R

Rauennas. Febr.

RAuennæ antiquitas. 98
Vrbis situs. ibid.
A Thessalis condita, ibid.

Raymundus de Peñaforti. Ian.

Vita S. Raymundi de Peñaforti Ordinis Prædicatorum, per F. Petrum Marsilij, eiusdem Ordinis conscripta. 80 & seq.
Spiritum Creatori reddidit, illum Psalmum incipiens: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c.* 81
In vita, & post mortem miraculis gloriosus. ibid.
Conciliaris Tarraconensis Synodi Patrum pro eiusdem canonizatione Epistola S. P. Nicolao directa. 83
Acta heroïco carmine conscripta. 84 & seq.
Canonizatio S. Raymundi. 101
Indultum Apostolicum pro celebrando S. Raymundi festo. 102

Redigundis. Ian.

Redigundis elogium ex Ioann. Pagio, in Biblioth. Præmonstr. 344
Eiusdem Acta. ibid. & 345
Ad eius Sacrophagum Carmen sepulchrale. 345

Reliquiæ Vlysipponenses. Ian.

Relatio de Translatione Reliquiarum SS. ad S. Rochum Soc. IESV. Vrbis Vlysipponensis. 284
Dispositio mirabilis ferculorum, & quæ in eis viserentur SS. Reliquiæ. 285. 286. & seqq.

Reuocata.

Reuocata. Febr.
Reuocatæ Virginis & Martyris acta, ex Dextro. 55. & 56
Romanus. Febr.
Romani indoles. 291
Respuit nuptias. ibid.
Eremum petit. ibid.
Relinquit Eremum ob Dæmonum infestationes. ibid.
Illuc reuertitur à muliere increpatus. ibid.
Construit monasterium. 292
Lupicinum reprehendit. ibid.
Oratione deuios ad gremium reducit. ibid.
Curat leprosos. ibid.
Eius verba ad Lupicinum fratrem circa locum suæ sepulturæ. ibid.

S

Salmantica. Febr.
SAlmantica vrbs antiqua vlterioris Hispaniæ, Episcopali sede decorata. 111
Vrbis situs. ibid.
Celebris Salmanticæ Academia. ibid.
Quis huius ciuitatis texuerit historiam. ibid.
Saluius. Ian.
Saluius Episcopus Ambianensis quo tempore claruerit. 124
Eius elogium ibid.
Miracula. ibid. & 125
Martyrium. ibid.
Mirabile prodigium circa S. Martyris corpus. ibid.
Inuentio, & translatio. ibid. & 125
Sebastianus. Ian.
Acta S. Sebastiani Martyris ex Breuiario S. Ecclesiæ Compostellanæ. 197
De alio eiusdem nominis Martyre, *vide ad diem* 8. *Febr.* 80
Secundinus. Febr.
Secundini & Sociorum acta, eorum Martyrium, ex Flau. Dextro. 147 & 148
Serenianus. Febr.
Sereniani origo, & educatio. 15
Prosapia ex Samone Galleciæ vrbe. 16
Archidiaconus, dein Episcopus Braccarensis. 15
Ætas, & Pontificatus anni. 16
Epitaphium. 15
Sergius. Febr.
Acta S. Sergij Monachi apud Cæsaream Cappadociæ passi, ex MS. Legendario Montis-Sion, Ordinis Cisterciensis. 250
Seruus-Dei. Ian.
Origo, & Institutum Serui-Dei. 146
Quo Martyrij genere passus. ibid.
Quo iussu. ibid.
Sothera. Febr.
Auctoritas B. Ambrosij circa huius Virginis originem. 88
Reiicitur Baronius. ibid.
S. Ambrosius de origine, non de loco Martyrij agit. ibid.
Ferrarius hanc exclusit à Romanis Martyribus. ibid.
Hispaniæ patitur. ibid.
Corpus translatum ad viam Appiam. ibid. & 90
Eiusdem acta ex Dextro, & MS. Legendar. 89
Martyrium. ibid. & 90
Nominis diuersitas. ibid.
Annus agonis. ibid.
Soter Dodracensis; alia ab Hispana. 91
Alia Matriti. ibid.
Spiridion. Ian.
Spiridionis Episcopi res gestæ. 31. & 32
De Toletani Præsulatus impostura. 32
Quædam alia improbabilia rescinduntur. ibid. & 33
Spoletum. Ian.
Spoleti ætymologia. 25
Metropolis Vilumbrorum. ibid.
Colonia Romana. ibid.
Ab Annibale obsessa. ibid.
Theodoricus quæ in ea ædificia extruxerit. ibid.
Quæ Narses Dux Cæsarianus. ibid.
Quas clades perpessa, ibid.
Situs, Arx, & Pons. ibid.
Vina Spoletana quæ? ibid.
Stephanus. Febr.
Acta B. Stephani Ratensis Abbatis, Ordinis Benedictini, ex S. Maximo. 118
Non admittitur opinio Roderici Acuña: Quod sit hic Stephanus cuius meminit B. Gregorius Papa, & Martyrologium Romanum. 117

Strena. Ian.

Strenæ mitti solitæ Kalendis Ianuarij. 7

Strenæ quid? ibid.

Strenæ mittebantur ad annum feliciter auspicandum. 8

Strenæ vocabantur à Strenia Dea. ibid.

Strenas Imperatores in duplum rependebant. ibid.

Sulpitius. Ian.

Sulpitij origo, & virtutum studium. 181

Ecclesiam nocte pœnitentium habitu frequentabat. ibid.

Fugabat Dæmones, sibi molestos, signo Crucis. 182

Signorum gratia. ibid.

Post aliquot sæcula eius sanctum caput allatum ad Oppidum Villam-Francam. 182

Supplicium. Ian.

Kal. Ianuarij nefas erat aliquem Supplicio afficere. 10

Symphronius. Febr.

Symphronij acta, & martyrium. 37

T

Taio. Ian.

Taionis illustrissima prosapia. 340

Eius doctrina, & pietas. ibid.

Acta ex variis monumentis excerpta. ibid. & 341. 342

Libros Moralium S. Gregorij Papæ miraculosè inuenit, & in Hispaniam asportauit. 341

Refertur Epigraphe, quæ in præfatæ rei memoriam iuxta gradus altaris S. Petri in Vaticano insculpta conspicitur. 342

Obitus, & sepultura. ibid.

Carmen Valderici Episcopi Cæsaraug. in tumulo S. Taionis Episcopi Cæsaraugustani. ibid. & 343

De nomine *Samuel* S. Taioni adscripto. 343

Quinque libros sententiarum, quos Quirico Pontifici Toletano dicauit, vnde desumpserit. ibid.

Tecla. Febr.

Tecla Monialis Benedictina quo tempore floruerit. 216

Plures hoc nomine consignitæ, Deo deuotæ Virgines. ibid.

Pro B. Tecla Conchensi, ex Ordine S. Benedicti Sanctimoniali Epicedium. ibid.

Templum. Ian.

Templorum Iouis, & Æsculapij dedicatio. 10

Theodosius.

Theodosij Episcopi actorum ecphrasis. 310

Theogenes. Ian.

Theogenis patria, & nobilitas. 304

Eius & Sociorum, merita, & Martyrium. ibid.

Theophylus. Febr.

Acta S. Theophili Martyris Vianẽsis. 54

Alius Theophili Martyris Argenteolensis gesta. 55

de Theophilo Martyre Hispalensi. 288

Theotonius. Febr.

Theotonij res gestæ ex antiquo Legendario Eborensi exscriptæ. 155. & seq.

Eiusdem sanctissimi viri acta integra ex MS. codice peruetusto. 158. & seqq.

Origo B. Theotonij. 159

Progressus in literis, & ordinibus sacris. ibid. & 160

Contemptus mundanorum, & progressus spirituales. 161

Eleemosynæ ac spiritualia exercitia. 162

Castitatis defensio aduersus quandam mulierem, quæ iuxta carnis putredinem speciosa videbatur. ibid.

Ierosolymæ profectio. 163

Quanta in terra marique sustinuerit pericula. ibid.

Oratio B. Theotonij sæuiente maris tempestate. 164

Peruenit Nazareth vbi nutritus Saluator. ibid.

Diebus multis ad sepulchrum Domini ex ardore fidei mansionem habuit. 165

Ad domum propriam in Hispaniam remeat. 166

Religionis ingressio. ibid.

Singularis abstinentiæ, & continuæ orationis studium. ibid.

Solicitudo, & prouidentia eius in rebus humanis. 169

Misericordia in captiuos. ibid.

Relatio miraculorum in vita. ibid.

Regina in partus angustia liberata. 170

Constantia in obseruatione claustri. ib.

Assistentiam in Monasterio fratribus persuadet. ibid.

Obsessum

Obsessum liberat. 171
Prudentia in recipiendis fratribus. 172
Consuetudo in secularium visitatione. ib.
Monita Regi exhibita. ibid.
Vrbs Sanctaren oratione S. Viri capitur. 173
Priorem sui loco eligit. 174
Eius sanctitas nota B. Bernardo. 175
Visiones de S. Viro. ibid.
Visio quæ ei apparuit. ibid.
Obitus B. Theotonij. 176
Diaboli perturbatio. ibid.
Globus coruscans de cælo. ibid.
Sepultura famuli Dei. ibid.
Carmina P. Emanuelis Pimenta de S. Theotonio. 177
Theotonius transfretauit iterum, atque iterum Ierosolymam vt nostræ Redemptionis sacra monimenta conspiceret. ibid.
Eius in Crucem affectus quantus fuerit. 178

Thus. Ian.

Thus & Merum consocij in sacrificis. 9

Thyestes. Ian.

Thyestis Episcopi Bergeriensis, agonis trophæum. 58. 59

Titus. Ian.

Titus ex regia stirpe oriundus. 60
Quam vocem è cælo acceperit. ibid.
Iussus per visum Hebræorum volumen legere, in quæ verba Isaiæ inciderit. 61
Vidit Christum D. & miraculorum eius præsens speculator factus. ibid.
Aliæ eiusdem res gestæ. 60. & 61
Morti appropinquans vidit Angelos ad se missos. 61

Torquatus Felix. Febr.

Acta S. Torquati Felicis Episcopi Iriensis, Portucallensis, & Braccarensis, Martyris, ab Emanuele Faria, Lusitano. 247

Tyrsus. Ian.

Eximia S. Tyrsi in fide constantia, & pro eadem immane martyrium. 322. 323. 324. 325

V

Valentinus. Febr.

Valentinus Interamnensis Præsul efficitur. 120
Cratonem Oratorem conspicuum, eiusque familiam ad fidem conuertit. ib.
Cheremonem Cratonis filium ab ægritudine, miraculo sanat. ibid.
Placido Romæ Præfecto traditur. 121
Eius Martyrium. ibid.
Corpus vbi adseruetur. ibid.
De alio Valentino Martyre. 131

Valerius. Ian.

Valerij Episcopi Treuirensis Episcopi acta à Monacho Cœnobij S. Matthiæ apud Treuiros conscripta. 338. & 339
Valerij Mores præclari. 339
Apparitio B. Eucharij. ibid.
Diem obitus sui Valerius prædicit. ibid.

Valerius. Feb.

S. Valerij Abbatis Benedictini acta, ex operibus DD. Prudent. de Sandoual. 248. 249
Sarcophagi inscriptio. 253. 254

Victor Arcilacensis. Feb.

Victoris patria, & educatio. 265
Victor prodigiis, & mirabilibus insignis. ibid.
Adhuc in vtero Matris existens dæmonibus terribilis. 266
In Arcilacensem eremum secedit. ibid.
Vita sanctissima. ibid.
Felicissimus obitus. ibid.
Sepulchrale carmen. ibid.
Encomion. 267

Vincentius Leuita. Ian.

Vincentij quoad seculum illustrissima origo. 222
S. Laurentij consanguineus. ibid.
Infantiæ virtutes. ibid.
Prædicandi munus traditur Vincentio à S. Valerio Præsule Cesaraugustano. ibid.
Eius acta nouiter compaginata ex variis auctoribus, & Carminibus exornata. à 222. vsque ad 233
Nonnulla elucidantur circa Vincentij patriam, consanguinitatem Laurentij, & annum Martyrij. 234. 235

Viuentius. Ian.

Viuentij origo. 141
Ad Christum conuersio. ibid.
Thessalonicæ idola signo Crucis contriuit. ibid.
Incidit in sex latrones, & quid latronibus euenerit. 142
Cum esset annorum 120. in pace occubuit. ibid.
Translatio corporis. ibid.
Quis mons, quo translatæ sunt huius

S. Presbyteri exuuiæ. ibid.
De anno transitus. ibid.
Aliæ eiusdem res gestæ ex Vincentio Bellouacensi ab Equilino congestæ. 141. 142.

Volusianus. Ian.

Volusiani nobilis prosapia, & patria. 188
Acta ex variis Scriptoribus compaginata. ibid. & 189
Exilium & calamitates pro Christo perpessæ. ibid. & 190
Mors. ibid.
Quò exilium pertulerit S. Volusianus? 190
De anno exilij & mortis. ibid. & 191

Vitalis. Febr.

Vitalis Marcellus ex nobilissima Marcellorum familia oriundus. 122
Actorum Symbolum ex D. Thom. Tamayo. 122. & seqq.
Martyrium. 124
De prænomine Victorio, nomine Vitali, & cognomine Marcello. 124
De eius nobilitate encomium. 125
De Patre M. Marcello, vrbis præfecto Augure, &c. 125
De Matre ex Atheniensi familia. ibid.

Z

Zeno. Febr.

Zenonis, Victoris, & Feliculæ Martyrum translatio. 127

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google